This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNTAGMA
VARIARUM
DISSERTATIONUM
RARIORUM,

QUAS

Viri doctissimi superiore seculo elucubrarunt.

Illarum Indicem videbis post prooemium.

EX MUSAEO

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

1A
821

ULTRAJECTI
Apud GUILIELMUM VANDE WATER,
Academiæ Typographum. MDCCII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO PRAESTANTISSIMO

JACOBO HENRICIO,

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

MItto tibi, Henrici, pignus veteris amicitiae noſtrae, corpuſculum libellorum in Germania ſeculo ſuperiore a Viris doctiſſimis editorum, qui a paucis viſi ſunt in his praecipue terris, digni tamen qui non perirent, ut ſaepius hujus generis chartae, amicis plerumque ſcriptae, quae raro patrios fines excedunt, ſolent intercidere, niſi majoribus operibus inſerantur. Amici, qui eos apud me viderant, &, cum illorum lectione *caperentur, diu in tabernis* quaeſierant, librariis noſtris auctores fuerunt, ut typis eos denuo deſcriberent, cum a multis deſiderentur. Flagitantibus hoc crebro diutius debere nolui, & quia rari erant, & quia jucundam mihi recordationem dabant Virorum, aut quos adoleſcentiae meae fautores, aut amicos habui. Primo loco vides duas Thomae Reineſii, omnium, quos Germania tulit, hoc ſeculo, quod effluxit proxime, doctiſſimi de lingua Punica, & de Deo Endovellico, cujus cultus in lapidibus Hiſpanicis aliquot celebratur. Linguam Punicam plerique tum exiſtimabant Arabicam eſſe, Reineſius de illa conſultus oſtendebat eſſe Phaeniciam, qua uſi ſint Sidonii, Tyrii, aliique Phaenices, qui Cananaei in libris Moſaicis dicuntur, ac eorum coloni Carthaginienſes, eandem autem eſſe Hebraicae, aut ei ſane quam affinem. Hoc Reineſius, qui erat Archiater Altenburgenſis, primus in Germania docuit. Prodiit enim hoc ejus opuſculum

Digitized by Google

Altenburgi M DCXXXVIII. Hanc veriſſimam ejus ſententiam de lingua Punica Vir ſummus Samuel Bochardus in Commentario de Phaenicibus, & eorum Coloniis, plurimis argumentis aſſeruit. Id quidem ante hos Duumviros attigerant Viri docti, Joſephus Scaliger, Erpenius, Fullerus, aliique, ſed levi, ut ajunt, brachio, ut paucis id perſuaderent. Sed Reineſius in hoc libro tam multis firmiſque rationibus id adſtruxit, ut nulli dubitandi locus ſit relictus in poſterum. In illo quoque veterum ſcriptorum loca non pauca illuſtrat, & corrupta temporum & hominum injuria reſtituit, ut etiam in altera Diſputatione de Deo Endovellico.

Reineſium excipit alterum Germaniae lumen, Hermannus Conringius, domo Friſius Orientalis, in Academia Julia, quae Helmſtadii eſt, & ſemper magno Virorum egregiorum proventu floruit, Medicinae Profeſſor, ſed qui praeter artem medendi civilem doctrinam, variaſque diſciplinas alias docuit, plurimiſque in omni doctrinarum genere ſcriptis nemini paullo humaniori eſt ignotus. Is primus in hoc libro de Aſiae & Aegypti antiquiſſimis dynaſtiis communem omnium Chronologorum ſententiam a Cteſia mendaciſſimo profectam de regni Aſſyriorum & Medorum vetuſtate, labefactavit, & eſſe falſiſſimam oſtendit, quippe quae Sacris litteris, quibus nihil antiquius in Orbe terrarum habetur, & Herodoto, adverſetur, quo antiquior poſt Hebraeorum monumenta Hiſtoricus, qui ad noſtram aetatem pervenit, nullus invenitur. Hoc multis poſt Conringium firmavit rationibus ἀ πάνυ Uſſerius Armachanus in Annalibus Veteris Teſtamenti, & politiſſimus Marshamus in Chronico Canone, quo nemo peritius Aegyptiacas dynaſtias obſcuriſſimas conſtituit.

Tertio loco videbis Joannis Jonſenii Epiſtolam non indoctam ad Marquardum Gudium, qui tum temporis in Academia Saxonum Jenenſi optimis artibus dabat operam,

de

Digitized by Google

de Spartorum genitiva nota lancea, cujus meminit Aristoteles in Politicis, & alii, quos perperam dici a Gregorio Nazianzeno Spartiatas, & a nonnullis Spartanos, docuit, multaque non protrita de illis Cadmeis terrae filiis prodidit. Hic est ille doctus Jonsius, sic enim post appellari maluit, qui Francofurti ad Moenum elegantioribus litteris juventutem imbuit, & pulcherrimam Commentationem de Historiae Philosophicae scriptoribus emisit in publicum, quam homines doctiores ubique gentium magno cum applausu exceperunt. Cum multa praeclara minaretur, in ipso aetatis flore est exstinctus.

Sequitur Joannis Wandalini Dani, quem Lipsiae cognovi, cum uterque in illa cultissima Germaniae Urbe sapientiae studiis incumberemus, Dissertatio de feria passionis, & triduo mortis Servatoris nostri, peregregia, contra civem suum Wilhelmum Langium. Is tum ediderat Lugduni Batavorum tres libros de annis Christi, quibus *communem Christianorum* sententiam de feria sexta, qua Christum cruci suffixum obiisse credunt, evertere, illiusque obitum in quintam retrahere studebat. Wandalinus postea, cum domum rediisset, primum Hebraicae litteraturae, postea Theologiae Professor in Academia patria Hafnienſi, tandem Episcopus Selandiae Danorum est factus, variisque scriptis nominis sui famam late diffudit.

Habes deinde Georgii Erycii Phaletrani Exercitationem Historicam & Philologicam de sceptri Judaici ablatione. De hujus loci intelligentia quae sit opinionum diversitas quis ignorat? sunt quorum sententiae potius accesserim, quam Phaletrani. Sed cum non nulla loca Divinorum oraculorum, aliorumque scriptorum non inscite illustrentur, nec hunc negligendum putavi. Nomen Georgii Erycii Phaletrani est suppositititium, genuinum vero Guntherus Henricus Plathnerus Getus; qui, ut Doctorum de hoc explora-

Digitized by Google

ret libello judicia, sub isto velo latere voluit. Nam plures habebat hujus notae dissertationes, quas Κυριακῶν nomine cogitarat publicare, nisi mors immatura nobis eas invidisset, ut ipse testatur in epistola ad Joannem Gerhardum Vossium, quae est in litteris Virorum Clarorum ad Vossium numero quadringentesima duodecima. Fuit Plathnerus Illustrissimo Duci Saxoniae Vinariensi a consiliis, & supremo Concilio Ecclesiastico adscriptus.

His accedit Christiani Daumii de caussis amissarum radicum Latinae linguae Diatribe bellissima, in qua non paucas reperies voces Lexicis ignotas cum earum originibus, ex omnium aetatum scriptoribus collectas, erat enim Vir plurimae lectionis, & mihi, cum in vivis esset, a teneris fere meis annis amicissimus. Moderatorem agebat Gymnasii Cygnaei, cum supereresset, & habebat instructissimam bibliothecam, ex qua non nulla veteris ecclesiae Doctorum opuscula in lucem emisit, aut, cum essent rarissima, recudi jussit, ut & Indices Scriptorum Ecclesiasticorum, qui in Bibliothecis Patrum desiderantur, qui tamen mererentur ceteris, qui in opere vasto habentur, addi. Nemo autem nisi indoctus hoc scripti genus tamquam leve nimis contemserit. Qui enim non sunt barbari non nesciunt, in hac doctrina veriverbia vocum inveniendi summos ab omni memoria viros, Platonem, Julium Caesarem, Quiritium doctissimum Varronem, ne de aliis dicam, aliquid temporis & operae consumsisse. Invenies autem in hoc libello Daumium novam & aliis non tritam viam secutum esse in originibus Latinae linguae indagandis.

Subjicitur Daumio Andreae Rivini Dissertatio de Majuma, Maicampis & Roncaliis; ut & duae de Venilia & Salacia, in quibus fere Philosophorum & Philologorum omnium, qui tum temporis de aestu maris, & ejus causis aliquid ediderant, opiniones examinat. Prodierunt autem

Digitized by Google

MDCLI Lipsiae, ubi litteras humaniores docebat. Ejus auditor assiduus fui, cum pro concione Academica Dracontii hexaemeron & alios Poetas Christianos explicaret, quos postea cum suis animadversionibus divulgavit ex mss. emaculatos. Inter dissertationes de Majuma & de Venilia interponitur dissertatio Joannis Friderici Franckensteinii de Aerario populi Romani, qui & ipse in illo Athenaeo politioris litteraturae Doctor erat celebris.

Hos libellos non incultos, tu, qua es ingenii elegantia, Henrici, non invitus leges. Memini enim, & cum magna voluptate memini illius temporis, cum nobiscum ageres, quam avidus esses talium cupediarum Musicarum, & quam suaviter non paucas horas saepissime consumeremus confabulationibus de praestantissimis scriptoribus cum antiquis, tum recentioribus nostrae patrumque memoriae, qui eos aut illustrabant, aut reconditos mores, ritus, tam ecclesiasticos quam τῶν ἔξω, sapientiaeque praecepta exponebant, aut qui ipsi tam oratione soluta, quam pedibus vincta, emendate diserteque scribendi laude florebant, & propius ad illos veteres optimorum seculorum auctores accedebant. Nec post, cum tua fors te a nobis divulsisset, umquam haec abjecisti studia, sed iis nihil tibi jucundius, nihil antiquius esse cum ex litteris tuis, tum ex sermonibus, quotiescumque vestram Urbem transeunti mihi tecum aliquot horas ponendi esset copia, cognovi. Nam nostri sermones non erant de vano Regum & populorum aestu, sed de iis doctrinis, quae animum expoliunt, & mirifica quadam voluptate perfundunt. Nullus igitur dubito, quin hoc munusculum, perpetuae amicitiae nostrae monumentum, tibi futurum sit acceptum. Vale Vir doctissime, & me, quod facis, ama. Trajecti Nonis Jun. CIↃ IↃ CCI.

OPU-

Digitized by Google

OPUSCULORUM,

Quæ in hoc Volumine habentur, Syllabus.

I.

Thomæ Reineſii ΙΣΤΟΡΟΤΜΕΝΑ *linguæ Punicæ.*

II.

Thom. Reineſius de Deo Endovellico.

III.

Hermanni Conringii de Asiæ & Ægypti *antiquiſſimis Dynaſtiis Adverſaria Chronologica.*

IV.

Joh. Jonſenius de Spartis: *cui accedit de ordine librorum Ariſtotelis fragmentum.*

V.

Johannis Wandalini de Feria Passionis & Triduo mortis Jesu Chr. *Diatribe Hiſtorico-Theologica.*

VI.

Georg. Eric. Phaletrani de Sceptri Judaici Ablatione *Exercitatio Hiſtorico-Philologica.*

VII.

Chriſt. Daumius de caussis amissarum *quarumdam* Latinæ Linguæ Radicum, *ut & multarum* vocum derivatarum.

VIII.

Andreas Rivinus de Majumis, Maicampis, & Roncaliis.

IX.

Chriſt. Frider. Frankenſtein de Ærario Populi Romani.

X.

Andr. Rivini Diſſertationes duæ de Venilia & Salacia, *nec non* Malacia.

THOMÆ

Digitized by Google

THOMÆ REINESI D.

ΙΣΤΟΡΟΥΜΕΝΑ

LINGUÆ PUNICÆ:

errori populari,

ARABICAM ET PUNICAM

ESSE EANDEM,

oppoſita.

Ad Cl. Theol. D. VITUM WOLFRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI, si quis erit, SALUS.

PRonemation hoc, LECTOR, in gratiam AMICI, quem præscripsi, concinnatum in foralis nostris inter ἐποπτικὰ erat; sed cum ISTE fato abreptus sit, qui vita diuturniore erat dignissimus, in memoriam ejusdem, nemini doctorum notorumque non reverenter colendam, & privatam jucundissimæ inter nos, nec dum visos & undiquaque dissimillimos, συμφιλολογήσεως recordationem, id nunc esto inter ἐγκύκλια. Ita veteres suâ πρὸς ἔνδοσιν elaborata adpellabant, quod sic fierent ἔκλεκτα & in circulis, pergulis, porticibus, scholis περιφόρητα περιβόητά τε. Id vero vel cum ἀδάξιῳ ὑποθέσεσι, cum frivolis ac inutili λεπτῇ τε χρύτῃ censetor: *ego quoque cum* ῥαπογεάφοις ideo, καὶ ὁ Ἱπποκλείδης ὁ Φρονῆσις. Neque enim vel Moschion, qui de rapharo scripserat; vel Dieuches, qui de brassica, vel Themison, qui de plantagine, vel Phanias, qui urticæ laudes integro volumine condiderat, Plin. *l.* 19. *c.* 5. *l.* 20. *c.* 5. *l.* 22. *c.* 8. & 13. neque illi qui ovum, muscam, podagram, febrim, calvitium, araneum, pediculos laudavere, propterea despectiores. Mihi sufficit, τῷ μιαπαξίτῃ, uni item & alteri ἐ τῶν ποιῶν καὶ τῶν τυχόντων, impense id placuisse & præter expectationem meam; quod ut simul noscs, adjeci literas unas alteraſque; potuissemque ejus argumenti plures, nisi metuendum mihi fuisset, ne judicium istorum tantorum de me æmulos meos irridentes ringentesque magis irritaret; a quorum hominum iniquitate, ut qui sibi solis omnia, (plaudente tamen nemine) aliis nihil tribuunt, cum sint omnium, etiam eorum quæ scire præsumunt, imperitissimi, & qui quæ maxime non intelligunt, ea audacissime calumniantur, nemo fere se satis tutum per temporum, quibus illi suum ἀνυπώθυνον & felicitatem debent, improbitatem præstare potest. Et sic invidiæ igitur occurrere ac præstruere studui; ἔστι σώφρονος ἀνδρὸς ἐχθραν φυλάττεσθαι καὶ ὀργήν, Plut. 1. *Sympos.* 4. Corvus si tacitus pasci po-

potuisset, plus dapis, rixæ & invidiæ minus habuisset. Ita fert Apologus apud Horatium. Eum ego in animo habeo, propterea que tenebras & silentium amo, sola merendi bene de posteris facultatis conscientia fretus, lucemque ac famam, cujus a vere doctis abunde mihi domi suppetit, ut & a probis sat probi nominis, insequentem, qua licet, fugio: ridensque interim vana hominum, qui quibusvis artibus, frequenter etiam malis, & alieni nominis ruina scalas ad famam sibi parare posse sperant, vel fortunam habent pro virtutibus, falso persuasi, non esse majus meritum, quam gratiam invenisse regnantium, ut est apud Cassiodorum. Ii vero, si quidem ita velint, præcipui sunto, sitque illis aurea barba, fruantur tantisper feranturque πλῷ δευτέρῳ καὶ στρατηγησάθωσαν τῆς Ἑλλάδος, εἰ δοκεῖ. Ego πέρρω Διὸς καὶ κεραυνῷ & in posterum rectum cursum tenens ἐ παύσομαι τὰς χάριτας ταῖς Μούσαις συγκαταμιγνὺς ἰδίαν συζυγίαν. Nolui autem, Lector, Diatribes hujus quidquam mutari ab eo, quo ad Wolfrumium primum missa est, schemate, præterquam quod in Capita eam, præmissis cujusque Summariis, digessi, tædio legentium consultum sic fore ratus. Quod vero e Bernhardi Aldrete Canonici Cordubensis Hispanico scripto, *varias antiguedades de Espanna, Africa y otras provincias* excuso Antverpiæ a. 1614. passim excerpta, & meis adsuta nonnulla reperies, recens factum fateor, cum isto interea indicio VIRI Magnif. D. Bernhardi Bertrami JC. Cancellarii Ducum Saxoniæ eminentissimi, Amici mei Opt. Max. tot tantorumque de literis meritorum, ut nulla eis par laus reperiri possit, ejusdemque obvia humanitate magnis etiam ante experimentis cognita, e nobili Bunaviorum Bibliotheca uti mihi contigerit: ea vero talia erant, ut ob elegantiam doctrinamque haud vulgarem, consensumque cum meis non inviciliter hic advocari posse viderentur. De ceteris, LECTOR, plene tibi, spero, satisfacient Epistolia, quæ in calce leges, si bonus es: dissimilibus tui ne prolixior quidem excusatio: hi propterea nec invitantur; inclamo potius,

ἰκὰς ἰκὰς ἔστε βέβηλοι,
βέλτιονες ἄπειροι τῶν, δὲ λόγων ἢ γνώμας μὴ καθαρεύετε, ἢ γενναίων ἔργια Μουσῶν μήτ' ἴδετέ πω, μήτ' ἐχορεύσατε. Sed TE in rem ipsam nunc mitto.

Perscriptum Altenburgi Eid. Septemb. Anno ab O. R. CIↃ IↃ CXXX.

THOM. REINESIUS Phil. & Medic. D. Physicus ejus Reip.

LITE-

Digitized by Google

LITERARUM D. VITI WOLFRUM
Paſtoris & Superintendentis Cygnei
A D
Superintendentem Weidanum
Dn. LAURENTIUM ANDREÆ
SS. Theol. Licent. m. Jul. 1625. Poſt-Scr.

Uod ad Linguam Punicam attinet, utrum ſit Arabica, ego adhuc ajo & ita didici a Præceptore Schindlero in Lex. Pentagl. Col. 1614. *Johannes Druſius me in hac ſententia mea confirmat* L. 2. Qu. Ebr. 44. *ſed & Polyhiſtor ille Megiſerus accedit in* Theſ. Polygl. Tab. 1. *Non dicam de Hieronymo Arabicam Punicam nominante, quando de Alcherva ſeu Ricino agit. Non dicam de illo, quod Auguſtinus de Abeloniis ſcribit Punica declinatione ita dictis* חֲבֵל Habelonii, *perinde ut Jedon, Ainon. Quod ſi Dn. D. Reineſius melius quid me docere poterit, libens cedam veritati. Tu, ſi mihi ejus amicitiam conſlaveris, rem facies pergratam. Vale.*

Reſponſum ex tempore D. THOMÆ REINESII Phyſici Gerani.

Quia CL. Dn. D. WOLFRUM ſententiam ſuam de identitate L. Arabica & Punica, quam & fuiſſe L. Vallæ, patet ex ejus ad Alfonſum Hiſpaniæ & Italiæ Regem Epiſtola reliqua in Volum. Epp. Regum, Principum, Rerump. & Sapientum Virorum p. 351. Edit. Argentin. *itemque quorundam non omnino imperitorum ante annos 140. Gal. Martius* de Doctr. Promiſcua c. 6. *& Geſnerus in* Mithrid. p. 9. *indicarunt, quæque ipſius adeo πολυγλωσσοτάτου Guilh. Poſtelli fuit, auctoritatibus tantum firmat, de iis diſpiciendum. Interim rependo Schindlerum & Megiſerum CL. Erpenio, qui* Orat. 2. de Lingua Ebr. & Arab. errant, *inquit*, qui linguam Punicam Arabicam fuiſſe interpretantur; *itemque Druſii diſcipulo, & qui poſt Buxtorfios, Schickardos, alioſque in Belgio maxime præſtantes πολυαναγνωσίᾳ καὶ ποικιλογλωττίᾳ viros, magnum Hebraiſmi hoc tempore columen eſt, Prof. in Academia Franekerana, Sixtino Amama, & Nicolao Fullero Anglo, Linguarum Orientalium callentiſſimo, & de ſpeciminibus per doctiſſimos Miſcellaneorum Theologi-*

Digitized by Google

corum libros sex editis celeberrimo; Ille expresse contradistinguit Ægyptiacam, Punicam, Arabicamque, & Hebræa matris Dialectos esse scribit, Censura Vulgatæ Vers. Pentat. Gen. c. 41. v. 45. *Hic* l. 4. Misc. cap. 4. p. 484. Edit. Londin. *sermonem Cananaum, Tyrium, & Punicum pro eodem, &* l. 6. c. 12. *Pœnos, Tyrios, & Phœnices pro iisdem habet. Igitur e sententia Dn. D. W. cui Punica & Arabica Lingua eadem est, sermo Arabicus erit Cananaus sive Tyrius, & Arabes ipsi Pœni, Tyrii & Phœnices erunt:* Ἄτοπον, *& quod vel ipse, alii nemini,* οὐδὲ τῷ Ἑρμῇ λέγοντι, *temere crediderit!*

בשש.

TO δὲ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον: libet cum Euripideo hoc, sive Aristophaneo in Ἀχαρνεῦσι, quo traducto e Cicer. *Ep. ad Attic.* 1. *l.* 6. familiariter utebatur literatissimus Imperatorum M. Antoninus, exordiri. Non ergo ajo tantum, sed & ex erudita antiquitate demonstro ego, falli eos, qui Arabicam & Punicam, vetustas Linguas, pro una eademque habeant: quasi vero Arabicam Ebrææ Linguæ adfinem esse, summæque necessitatis ac utilitatis probare aliter nequeant, nisi eam cum Punica eandem esse statuant. A viris doctis constanter adsertum est, Arabicam Linguam Ebrææ surculum esse; id quod & sermonis de Lingua Arabica argumentum constituit Dn. D. Wolfrum; sed ad probandum id, quod volebat, usus est testimonio falso & frigidæ probationis præsidio, dum Patres quosdam de Lingua Arabica exponit, quam ii, illis quidem in locis, ne somniarunt quidem, iisque armis ad thesin suam defendendam utitur, quibus ipsi, quos sibi patrocinari autumat, nollent. Docebo autem hoc, non quod existimem salutem Germaniæ in eo versari, aut quod contradictione aliqua mea ægre facere Viro docto & seni de Ecclesia Christi bene merito gestiam, & pro obsonio habeam propter patratum pauxillulum, ut loquitur Turpilius Lemniis, grande jurgium ciere in amicum, ejusque nævum vellicare incivilius; (sum enim εὐμενέστατος πρὸς τὰ τῶν πλησίον παροράματα, & errandi facilitati difficulter ignoscentes convitium humanitati facere scio) sed quod verum etiam in minutissimis anquirere oporteat, & cuilibet literatorum maxime a Sopho Judæo Seiracide *c.* 5. *v.* 18. dictum esse, ἐν μεγάλῳ καὶ ἐν μικρῷ μὴ ἀγνόει, serio statuam.

C A-

Caput I.

Summaria.

I. *Punica Lingua est, qua Pœni locuti sunt.* II. *OE & U commutantur.* III. *Mœri & Muri, Pomœria, Admœnio.* IV. *OEnus & unus, οἶνος, i. e. μόνος; unio, οἶνη, ἰνὰς, damnosus tesserarum jactus.*

I. PUnicam Linguam esse, qua Pœni locuti olim sunt, id vel pueri sciunt, & docet vox ipsa.

II. Diphthongus enim *æ* & *u* vocales sunt consuetudine commutabiles & eædem potestate.

III. Ita quod veteres Mœri, nos Muri dicimus, Scalig. *de c. Lat. L. c.* 21. Mœri autem *ἀπὸ τῆς μοίρας*; a quo & pomœria: e *τῷ* pœna punio, e mœnia munio, consuetudine loquendi nostra mansit. Et optimum antiquitatis verbum admœnio in Plauti Pseudulo legimus, & in ejus Cistellaria restitutum a Palmerio: Isidorus in *Gl. mœnit, struit, ædificat.*

IV. Ex œnus & oinus, quod in Inscriptione antiqua tempestatis, quam in Corsico mari evaserat L. Cornelius Scipio Consul a. ab U. C. 494. teste, & ante paucos annos Romæ effossa legimus *ἀπὸ τοῦ οἶνος* i. e. *μόνος*, unus. Unio e Græco *οἶνη*; *οἰνίζειν* est *μονάζειν*; *ἰνὰς* vero vel *οἶνη*, ein Aeß auff den Würffeln; *κενὸς βόλος*, damnosus tesserarum jactus, qui & *χῖος*, *κῖος*, *κύων*, Canis; Pantinus *notis ad M. Apostolii Paræm. Cent.* 19. *Prov.* 53. *p.* 370. Souterius *l.* 1. *Palam. c.* 28. Sic utor ex œtor, curo e cœro, & id genus alia descendunt.

Caput II.

Summaria.

I. *Pœni ad Africana littora consedere.* II. *Sunt a Phœnicibus, seu Φοινοῖς: Horatius explicatus de utroque Pœno.* III. *Phœnices in Syria Sidonis & Tyri olves.* IV. *Phœnicia ab amœnitate dicta: Cananæi, Phœnices, Pœni iidem.* V. *Cananæi a Canahane, qui Κνᾶ Philoni Byblio, & primum dictus est Phœnix.* VI. *Phœnices nautæ primi & audaces, dicti a Φοινίξαι, quod deprehensos in mari, vel ad quoscunque appulissent, trucidarent: mercatores vafri. Sidon a perscrutando dictus. Cananæus, i. e. mercator: Cilix, pirata: Æthiops, Diabolus.* VII. *Hiramus seu Iromus Rex Tyri: Tatianus expositus.* VIII. *Lapidis Herculei seu magnetis usus primum apud Tyrios.* IX. *Tyrii Herculis cultores: Melicerta;*

Digitized by Google

licerta; Baal: Baalſamen: Hercules idem qui Sol, Mithra, Hebo. X. *Hercules* σωτὴρ *Thaſiorum.* XI. *Pacta Phœnicum & Locrorum pro fraudulentis: Hannonis peregrinationes pro rebus incredibilibus.* Περγαΐζειν, *i. e. nugari, fabulari.* XII. *Pœni aſtuti,* πάιπαλοι, *fallaces.* XIII. *Phœnices & Syri ad quæſtum attenti; mercatores. Scylax Geographus explicatus: & Agatharchides contra L. Rhodomannum.* XIV. *Coloniæ Phœnicum plures.* XV. *Pelaſgi dicti Tyrrheni cum Tuſciam condidiſſent: Græcis Deorum cultum tradidere. Cecrops quando vixerit.* XVI. *Lingua Etruſca Sabinaque e Syriaca nata.* XVII. *Phœnices, Pelaſgi dicti, in Atticam venere tempore famis in Palaſtina ſub Achabo Rege.* XVIII. *Siccitas triennalis tempore Achabi & Eliæ per fabulam de incendio Phaethontis a Poetis denotata eſt.* XIX. *Phœnices inventores funda: Balearium incolæ boni funditores.* XX. *Cadmus* κάδμεια, *arx Thebarum. Thebæ a Syriaco* תֵּבָה *a quo & Græcorum veterum* Θήβη, *pro quo poſt* Θήκη *dixere. Theba Phœnicibus navicula.* XXI. *Studia, inventa, & potentia Phœnicum, præcipue Tyriorum.*

I. POeni vero in Africa tractus non exigui, maxime ad littora Maris Mediterranei & Freti Herculei incolæ.

II. Hi autem coloni & ἀποῤῥώξ Phœnicum, quos veteres Græci appellabant Φοίνικες; unde Pœnis Africanis nomen: & cum Horat. *l.* 2. *Ode* 2. utrumque Pœnum nominat, Phœnices Aſiaticos & Africanos innuit: & Virg. 5. *Ecl.* per leones Pœnos intelligit Africanos.

III. Phœnices autem Syriam Occidentalem poſſidebant; unde tota ora maritima Syriæ obtenſa ad Ægyptum usque Phœnice ab amœnitate dicta eſt, Latinis Punica & Phœnicia.

IV. Id enim incolarum lingua כְּנַעַן ſignificat, Bened. Arias Mont. *l. de* 12. *Gent. c.* 8. & quidem Phœnices urbium duarum toto orbe clariſſimarum Sidonis & Tyri cives fuerunt, pars Cananæorum. Prorſus enim una eademque gens eſt, ſi proprie loquamur, Cananæorum apud Ebræos, & Phœnicum apud Græcos: Scult. *Obſ. in Matth. & Marcum c.* 43. Addo ego, & Pœnorum apud Romanos.

V. Nam Sidon filius Cenahanis Gen. 10, 15. ſive Κνᾶ τῦ πρώτε μετονομασθέντ@ Φοίνικ@, qui primus, vel qui prius cognominatus eſt Phœnix, ut Beroſus *l.* 2. & e Sidoniorum Cenſualibus Philo Byblienſis prodidit apud Euſeb. 1. *Præpar. Evang. c.* 7. & apud eundem *l.* 9. *c.* 17. Alex. Poly-

Digitized by Google

Polyhiſtor. ex Eupol. Κανααὰν πατέρα τῶν Φοινίκων vocat, ac ab eodem hiſtorici communiter Phœnicas & Afros deducunt.

VI. *Hi ſive Cananæi, ſive Phœnices, ſive Sidonii, ſive Tyrii, quod ἀρξάμενοι ἀπὸ νυκτιπλοίας eſſent artis naviculariæ, præter fabricæ rationem, peritiſſimi,* ἄσφοις τεκμαιρόμενοι τὴν ὁδὸν, Lucianus in *Icaro Menippo*; & *mercatores avariſſimi, callidiſſimi, vaferrimi, ac ad quæſtum perſpicaciſſimi, ob eamque rem terrarum remotiſſimarum ſcrutatores, perluſtratoresque audaciſſimi in varias Orbis partes colonias deduxere; Uticam, Carthaginem, alias in Africa, in Bœotia Thebas, Gades ad Oceanum, Tyrum & Aradum inſulas cum urbibus in ſinu Perſico,* Strabo *l.* 16. *Credo libero commeantes mari ſapiusque adeundo, ceteris incognitas terras elegiſſe,* ait Q. Curtius; & Strabo *l.* 17. *Celaſſe alios, præſertim vicinos ejusdem ſtudii, navigationes ſuas; Carthaginenſes etiam ſolitos mergere peregrinos, qui in Sardiniam vel Herculis Columnas navigabant, ne emporia proderentur,* ſcribit, *& eapropter Græci de nonnullorum ſententia* Φοίνικας *dictos ſic voluere* ἀπὸ τῦ φοινίξαι, *quod Perrhæborum lingua* αἱμάξαι, *trucidare ſignificat, l. de mirab. audit. p.* 115. *edit. Sylburg.* Signanterque Strabo *l.* 16. *f.* 876. τῆς περὶ τὰς ναυτολίας δυνάμεως τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἀποικίδων ἔστι πόλεων τεκμήριον. Eademque fere Diod. Sic. *l.* 5. *f.* 299. *Ut Sidonem gentis ſuæ principem vere fuiſſe* Φερώνυμον (nomen enim a venando, inquirendo, perſcrutando צוד reperit) *poſteri etiam ſeri oſtenderint.* Et mercaturæ Cananæorum vel illud atteſtatur, quod per Metonymiam Cananæus diceretur, qui eſſet mercator: ita Prov. 31, 24. transeunte in appellativorum claſſem nomine proprio: qua ratione Chaldæum pro Mathematico, vate ex aſtris, divinationum perito, Dan. 2. *vſ.* 2. Arabem pro latrone, Jer. 3, 2. Ezech. 38, 13. Cilicem pro pirata, Ægyptium & Æthiopem pro nigro, & hinc pro Diabolo, quia atra ejus Maniumque figura fingeretur, poni a Scriptoribus, & ab Italis lingua provinciali *li Corſali*, ob Corſicæ incolarum λῃστικὴν, de qua infames ſunt, adpellari piratas ſcimus. In hanc rem ita B. Aldrete laudati Operis *l.* 2. *c.* 2. *p.* 223. *Fueron los Chananeos dados a la mercantia i grangerias, i aſſi en la lengua ſancta metaphorica-mente Chananeo, qui ere dezir mercadere:* Et *l.* 1. *c. ult. p.* 174. *En las ſagradas letras Cananeo ſe dize el tratante mercader, i ſu negociacion, i de nombre proprio ſe buelue appellativo, como al Arabe toman por ladron, no por la propriedad i naturaleza, ſino por loque uſan eſtas naciones, i tienen por oficio i exercicio ordinario.*

Digitized by Google

VII. Quod vero navicularium ipsorum peritiam attinet, patet de Hiramo Rege Tyri, 1. Reg. 9, 27. quem archiva Phœnicum Iromum vocant; Clem. 1. *Strom.* Εἰραμον, Tatianus λόγῳ πρὸς ἕλληνας, Χείραμον e LXX. Senioribus, qui id ex Ebræo חִירָם: Græci enim τὸ ח heth gutturale nonnunquam prorsus omittunt, tumque vocalem subscriptam tantum referunt, nonnunquam per χῖ efferunt. Theophilus Antioch. *l.* 3. *ad Autol.* Ἱέραμον.

VIII. Nec falsi sunt illi, qui primam magnetis, lapidis Herculei seu hegemonici, inventionem & usum Tyriis adscribunt, Fuller. *l.* 4. *Misc. c.* 19. ex Erasmi *Chil.* 1. *Cent.* 5. *Ad.* 87.

IX. Sunt enim hi veterrimi Herculis cultores, Diod. Siculus *l.* 17. *c.* 4. Cic. 3. *de Nat. Deor.* Strabo *l.* 16. Τιμᾶται καθ' ὑπερβολὴν Ἡρακλῆς ὑπ' αὐτῶν, & Dionysius Periegetes *v.* 453. quem & sua Lingua appellabant Μελίκαρθον, Philo Byblius apud Euseb. 1. *Præp. Evang. c.* 10. Melicertam, i. e. Regem urbis suæ, πολιοῦχον θεὸν, patronum, ut Sidonii Baalem seu Baalsemen, Cœli Dominum seu Solem: παμπόλεις καὶ μεγίστας αὐτῷ σηκὸς οἰκοδομήσαντες, Theodoret. 8. θεραπ. Herculem enim hunc nihil aliud esse, quam Solem, eundemque cum Mithra, Serapi, & Hebone, communem Campaniæ, declarat Macrobius, ejusque duodecim labores perlustrata a Sole quotannis XII. signa Zodiaci denotare Porphyrius: & Sacerdotium Herculis apud Tyrios erat secundus a Rege honor, Justin. *l.* 18. Quin & cultum hunc Herculis colonis suis contradidere Carthaginensibus, Gaditanis, (Mela *l.* 3. & Justin. *fine l.* 44.) Thasiis.

X. Qui & ejus nomine monetam publicam insigniebant cum lemmate, ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ Σωτῆρος θασίων Reuchlin. *l.* 2. *Cab.*

XI. Calliditate vero adeo fuerunt notati, ut & proverbio Phœnicum pacta, pro improbis, insidiosis & fraudulentis, dicantur hodieque: Φοινίκων συνθῆκαι apud Apost. *Cent.* 20. *Prov.* 27. & Λοκρῶν συνθήματα, *Cent.* 12. *Prov.* 10. ἀπὸ τῶν παρακρουομένων καὶ ἐνεδρευλικῶς συνλιθεμένων: Φοινικὸν ψεῦδος, Punicum, prodigiosum mendacium. Habebant enim inter res parum verisimiles illa, quæ in Periplo Hannonis Carthaginensium ducis narrabantur: eaque ratione Λιβυκὰς βίβλους τάς τε Ἄννωνος πλάνας, teste Athen. *l.* 3. pro incredibilibus & immanibus quibusdam λαπίσμασι: de cujusmodi male audiebant olim Antiphanes Bergæus, qui verbo Βεργαΐζειν, quo pro nugari fabularique proverbialiter utimur, occasio sic fuit: Pytheas, Evemerus apud Strabonem; maxime Palæphatus,

Digitized by Google

tus, qui fictis veri speciem addere, & sic fallere vel maxime cautos valuit.

XII. Punica fides, de Hannibalis perfidia, apud Val. Max. *l. 9. c. 6.* Homero Phœnices, δολωμάτων deceptionum astutiarumque non rudiorum aliquarum, sed minutissimarum, propterea sunt πολυπαιπαλοι: E. Ruding. *not. ad Synesii l. 1. de Provid. p.* 173. Cic. *Orat. in Rullum*; *Pœni fraudulenti & mendaces*: *Tyrii* Virg. 1. *Æn.* & Silio *l.* 2. *Libyci populi sunt bilingues*, i. e. fallaces, ut exponit Servius: *Afri subdoli & mendaces*, Firm. Mat. *l.* 1. *Ast. c.* 1. *Fides eis nulla, nisi quantum expedit*, Al. ab Al. 5. *gen. d. c.* 10. Pœni autem sunt ipsi Afri, Tiraq. not. *ad Al. l. 6. c. 4. f.* 844. Et quam insigne τȣ̃ παιπαλήματος τȣ̃ Κερκωπείου veteratoriæ ejus suæ ediderint specimen, cum primum Africam appellerent, adnotavit Albericus Gent. *l.* 2. *de Jure bell. c.* 4. e Justin. *l.* 18.

XIII. Quam porro cum Syris ipsis toti in quæstu fuerint occupati, docet Diod. Sic. *c. 6. l.* 9. & adagio Vulgatus; *Phœnices adversus Syros*: cui parallelum *Ægyptii adversus Ægyptios* Esa. 13, 12. quando similes cum similibus committi significamus. De eorum ἐμπορικῇ ad remotissimos populos, & commerciis horum est apud Ezech. 27, 13. Esai. 23, 8. Os. 12, 7. exercuisse hanc cum Mesech, Tubal & Thogarma, i. e. Ponti *Euxini accolis.* Quin & cum Æthiopibus Insulæ Cernes, quæ cum hodie dictis Canariis eadem fuisse videtur, incolis, quibus mercem Ægyptiam, sc. γρύτην λεπτὴν καὶ ποικίλον φόρτον, stuppas, linum, telas, unguenta, vitra diversiformia, fictilia varii generis & alia παντοῖα vendere, & vicissim ab illis pelles dentesque elephantorum, leonum, pardalium, cervorum, cicurum etiam animalium emere solitos fuisse, Scylax Geographus antiquissimus *in Periplo edit. Hœschel. p.* 159. prodidit. Quanquam istam navigationem, quam a Columnis Herculis duodecim dierum fuisse scribit, Pœnos potius Africanos, quam Phœnicas Asiaticos instituisse verisimile sit: De Sabæis, πᾶν τὸ πίπτον εἰς διαφορᾶς λόγον ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης ἐκτεταμιευομένοις, *qui, quicquid præstantissimum in suo genere habetur in Asia & Europa, conferunt, dispensant, exhibent, recondunt*, est apud Agatharch. *l.* 5. *de Mari Rubro*: (Rhodom. quid esset διαφορᾶς λόγος hic non intellexit: vertit enim quicquid sub calculum transportationis cadit) *quod* φιλεργίᾳ τῶν Φοινίκων λυσιτελεῖς ἐμπορίας κατεσκευάκασι.

XIV. In mari Ægæo vicinam Thraciæ Thasum urbem & insulam coloniam habuere, Herod. *Musa* 2. Apollod. *l.* 2. *Biblioth.* Marcianus Heracl. *Periegesi.*

 XV. Inde

XV. Inde migrarunt in Atticam appellatique ſunt, teſte Dion. Halicarn. *l.* 1. *Antiq. Romanar.* Pelaſgi, τῶν ὀρνέων τοῖς καλυμμένοις πελαργοῖς εἰκαθέντες, ὡς κατὰ ἀγέλας ἐφοίτων ἔις τε τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον, *quia inſtar avium quæ pelargi*, h. e. *ciconiæ*, *appellantur agminatim vagarentur*, ἐκ εἰς τὸν Πόντον, οὐδὲ ἄχρι τῆς Μαιώτιδος καὶ τὸ Βοσπόρου μόνον εἰσπλέοντες, ἀλλὰ παντα χῆ τῆς Ἑλληνικῆς, καὶ βαρβαρικῆς θαλάττης ναυτιλόμενοι. Ἅπασαν γὰρ ἀκτὴν καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν, διερευνασάμενοι καθ' ἕκαστον ἔτος ὁψὲ τοῦ μετοπώρου εἰς τὴν αὐτῶν ἐπανίασιν, inquit Lucianus *Toxari*: iſtaque occaſione Græcis Deorum religionem primi cum Ægyptiis tradidere, Herod. *Muſa* 2. ætate Cecropis; quem cum Pharaone Ægyptio fratre, ad quem tum quacunque de cauſa ſeceſſerat Athenis, undis maris Rubri abſorptum periiſſe tradit e l. *de imagine mundi* Nauclerus *generat.* 26. & Fr. Lud. Urreta *l.* 1. *hiſt. Abaſſin. c.* 7. vel hoc ipſo πολυπλανήτῳ κάρτα Phœnicum ἀποβλασήματα ſe eſſe teſtantes. Hinc in Epirum & Italiam delati Τυρσηνοὶ, Tyrrheni dicti ſunt, & Tuſcæ genti origo fuere ἐπὶ πλεῖστα τῆς οἰκουμένης πλανηθέντες, penetrato etiam, prætervectis litoribus Hiſpaniæ & Galliæ, mari Balthico ad ſuccinum conquirendum, Full. *l.* 4. *c.* 9. ἀνθρώπων τῶν πλείστων κρατησάντες, ut loquitur Plut. *Romulo.*

XVI. De Tuſcorum a Syris propagatione vel voces illæ, quas Scriptores appellant Tuſcas, fidem fecerint: ad Syriacam enim reducere eas facile eſt, uti erudite oſtendit in *aſar*, *nepos*, *falantum*, *ſubulo*, *baltea*, quæ voces Etruſcæ linguæ ſunt, P. Merula *Coſm. P.* 2. *l.* 4. *p.* 792. perinde ac Sabinas, Scal. ad *Varron. p.* 64. *& p.* 30. Olim Tuſcorum lingua fuit Aramæa.

XVII. & XVIII. Porro iſta migratio Phœnicum in Atticam, quia fame Phœniciam adfligente factam eſſe ſcribunt, (ſterilitate frugum compulſum, in Italiam pervectum eſſe patria diſcedentem Tyrrhenum, ſcribit Paterc. *init. hiſt.*) veroſimiliter ad ſiccitatem & ſterilitatem indeque ſecutam σιτοδείην illam refertur, de qua 1. Reg. 16. & apud Joſeph. *l.* 8. *c.* 7. legimus, *univerſa Palæſtina ad preces Elia divinitus immiſſam fuiſſe triennalem, regnante in Iſrael Achabo, qui cum Jezabelem, filiam Ithobali Tyriorum Regis, uxorem habuerit, ſub ipſius Ithobali imperio, forte etjam auſpiciis juſſuque ejus, ſedes alias ſic quæſivere.* Conſentit circa datum tempus, quod incendium Phaëthontis de exuſtione terræ & ἀνομβρίᾳ ipſe Plato ex Ægyptiorum traditione exponat: non enim ſunt fabulæ a veteribus temere & e nihilo confictæ nugæ, ſed vel veritatem geſtorum,

Digitized by Google

ſtorum, vel morum doctrinam, vel præcepta imperandi, vel naturas rerum harum coloribus involvere, & poſteris per manus tradere ſapientum artificium habebatur. Id vero circa iſta tempora contigiſſe itidem tradunt Chronologi: Herw. *Chron. novæ c.* 31. & 269.

XIX. Sed & Siciliæ partem cum vicinis inſulis, Thuc. *l.* 6. Sardinia, Gaulo & Melita, Diod. Sic. *l.* 5. ac Baleares occupavere: Strabo *l.* 3. De Balearibus adſtruit, quod Syrophœnicas fundam inveniſſe ſcribit Plin. *l.* 7. *c.* 56. Balearium vero incolas σφενδονίτας fuiſſe optimos, a Phœnicibus id exercitii genus edoctos puta, Strabo.

XX. De Cadmo Agenoris e Thelephaſſa ſive Argiope filio, Phœnicis & Thaſi fratre, Pygmalionis ac Didûs avo, occaſione raptæ a Jove in taurum verſo, & in Cretam avectæ Europæ ſororis, patria migrata, in Bœotiam & Græciam univerſam literas, quæ propterea Φοινικικὰ σήματα Κάδμου vocantur a Poeta, & nomenclaturas rerum traducente, Plin. *l. d.* & conſtituta in Bœotia regia Καδμεία, conditore etiam Thebarum, Conon διηγήσει apud Phot. *Cod.* 186. *narr.* 36. Strabo *l.* 9. & Pauſan. *in Bœot.* quibus e Syria petitum nomen תֵּבָה, Clem. *l.* 5. *Strom.* Θηβωθὰ enunciat, quod arcam ſignificat, a quo & Græci veteres formavere ſuum Θίβις, Θίβη vel Θήβη (utitur Hippolochus in *Epiſt. ad Lynceum apud Athen. l.* 4. *f.* 129. & *LXX. Exod.* 2.) impoſuit. Alii ad naviculam, qua trajecerat, ſic reſpexiſſe volunt, quæ Phœnicibus *Theba*; nihil hic dicam; res eſt ἔμεσον ac omnibus fere hiſtoricis decantatiſſima. Videatur Nicander *l. de Europa:* Ovid. 3. *Metam.* Tacit. *l.* 11. Curt. *l.* 4. Diod. Sic. *l.* 6. *c.* 15. & 18. Herod. *Muſa* 5. Philoſtratus *Fabularum Apollonianarum*, ut vocat Scaliger, 4.

XXI. Studia horum hominum Deus ipſe ad Ezechielem *c.* 27. commemorat: deſcribit etiam Ruffus Feſtus Avienus poeta antiquus *Dionyſii Periegeſeos paraphraſi* dum ait *v.* 906.

Phœnicum regio eſt: hi rubro gurgite quondam

(ſcilicet ſolventes ex Etſion-gaber 1. Reg. 9, 26. & Indicæ claſſis portu Ælothis, Deut. 2, 8. Ælana, ſeu Albo pago, ubi navalia ſua pro trajectu in Indias habebant,)

Mutavere domum, primique per æquora vecti
Luſtravere ſalum; primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia; ſidera primi
Servavere poli.

Digitized by Google

Et Syrophœnicas (edoctos ab Abrahamo Carris Meſopotamiæ advena, ut placet O. Heurnio *Chaldaic. p.* 31. Full. *l.* 4. *Extr.* & Damaſci, dum veniret in terram Canaan, aliquandiu commorato cum poteſtate, ut e Nic. Damaſceno refert Joſ. *l.* 1. *ἀρχαιολ. c.* 8. & Juſtin. *l* 36. quod J. Boulduc. *l.* 3. *de Eccl. ante legem c.* 1. de regis ſacrorum munere, quod Abraham ibi ſuſtinuerit exercueritque, eaque occaſione Eliezerem ſpiritualiter genuerit, interpretatur,) quinque hæc humano generi præſtitiſſe, literas, ſiderum cognitionem, navigandi induſtriam, militiæ diſciplinam & frequentem urbium exſtructionem, adſerit Plin. *l.* 5. *c.* 12. *&* 19. & omnino de illorum θαλατοκρατείᾳ intelligendus Conon *l. d.* cum ait: *οἱ Φοίνικες μέγα (ὡς λόγος) ἴσχυον καὶ πολλὴν τῆς Ασίας κατασρεψάμενοι.* De Tyro vero vetus a temporibus Conſtantinianis orbis deſcriptor *ἀνέκδοτος*, quaſi ſibi oculis uſurpata: *ἡ πάντων ἐμπορίαν ζεσῶς ἄγουσα, μεγαλύνως εὐδαίμων ἐσιν. Οὐδεμία γὰρ ἀρχαιοτέρα πόλις τῆς ἀνατολῆς ἐσιν αὐτῆς πυκνοτέρα ἐν ἐμπορίᾳ, καὶ πλοίοις ἄνδρας ἔχουσα, καὶ δυνατεύοντας ἐν πάσαις πύλαις. Phœnices igitur*, verba ſunt Aldrete *l.* 1. *c.* 24. *fueron gente ſabia, i mui eſtimada en el mundo: fue gente iluſtre i famoſa en el mundo, conocida por ſus navegaciones, ſiendo los primeros, qui ſulcaron los mares, i que enſennaron el arte de naugar, illevaron las letras a Gracia, como Critias dixo dellos en el libro primero de Atheneo*, Phœnicum inventum litera nempe loquax: *I fundaron en diverſas provincias muchas ciudades.*

CAPUT III.

SUMMARIA.

1. *Tyrii Metœci in Africa condidere Uticam Karthagine priorem.* II. *Factum id tempore famis, qua Achabo Rege Palaſtinam adflixit.* III. *Locus libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων explicatus.* IV. *Anni veterum quadrimeſtres.* V. *Leptis, Adramythum, Gades, Hippo, Batis, Barcino, opera Pœnorum.* VI. *Sarra, Sara, Sora, Sor, Tur, Tyrus; Sar piſcis, ſed quem Servius nobis finxit, ut, quid oſtrum Sarranum, exponere poſſet.* VII. *Virgilius illuſtratus; Servius caſtigatus.* VIII. *Carthago, nova civitas: quando, a quibus condita.* IX. *Cadmus ab Ebr. Kedmah, antiquus; vel Kadim, Oriens.* X. *Phœnices a Joſua expulſi patria Cananæa fugere in Africam.* XI. *Carthago dicta Cadreanech, i. e. ſedes Anacim, qui fuere populi Palaſtinæ.* XII. *Procopius rerum Vandalicarum Gothicarumque ſcriptor,*

Digitized by Google

ptor, Juſtiniano Imperatori σύγχρον&. XIII. Graculorum de Germanis cævilla, itemque Judæorum de Imperio Rom. & in Chaldæos ſcomma captatum e nomine. XIV. *Phœnices Gergeſæi in Africa exules Cananæam repetiere a Judæis poſſeſſoribus, uti ipſis videbatur, injuſtis, arbitro Alex. Magno.* XV. *Tyri Gaditanos & Bæticos rogant ſuppetias contra Nabuchodonoſorem; item Karthaginenſes contra Alex. Magnum.* XVI. *Tyrii & Pœni ὁμοεθνεῖς: hi Tyrum decimas mittunt næve ἱεραγωγῷ inde dicta ad Herculis.*

I. PRoxime huc ſpectat, quod cum opibus & multitudine abundarent Tyrii ſeu Phœnices, (verba ſunt Juſtini *l. d.*) miſſa in Africam juventute Uticam condidere: quam ob id Strabo *l.* 17. Tyriorum coloniam, & Tert. *l. de Pallio*, ſororem Carthagini in proximo civitatem, vocant. Utica autem & prior Carthagine fuit, & cum hujus fundamenta jacerentur, anni non ita multi a conditu illius effluxerant; miſſos enim fuiſſe legatos ad Didonem ſocioſque advenas, qui dona ut conſanguineis afferrent, e Juſtin. *l. d.* conſtat.

II. Quo fit ut hanc Phœnicum in Africam ἐπήλυσιν Uticæque initia cum iſta in Atticam, de qua cap. 2. Num. 15. & 17. eodem tempore eademque *de cauſa factam, opiner.*

III. Id vero quod *l. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* ex hiſtoriis Phœniciis refertur, Uticam ante Carthaginem annis ducentis octoginta ſeptem conditam eſſe, fidem vix merebitur, ſi de annis vertentibus ſeu ſolaribus intelligas.

IV. Optime vero conveniet Ithobali imperio, ſi de quadrimeſtribus, quales Ægyptiorum, Athenienſium, aliorumque populorum antiquitus fuiſſe ſcimus. Cum enim Carthago anno poſt ἐνθρονισμὸν Ithobali ſeptuageſimo quinto condita fuerit, patet illos ducentos octoginta ſeptem annos quadrimeſtres, ut qui æquipollent ſeptuaginta & uni ſolari, ad annum imperii Ithobali quintum quartumve pertingere, & hunc verum eſſe Uticæ conditus terminum.

V. Condidere & Leptin, quam Silius Sarranam, i. e. Tyriam ἐπιθετίζει: Adramythum: Gades in Europæ Peninſula, Diod. Sic. *l.* 5. & 25. Plin. *l.* 5. *c.* 19. quæ Lucano *l.* 7. & Silio *l.* 16. Tyriæ: Hipponem, Sall. *Jugurt.* & in Iberiæ Occidentalis ſeu Hiſpaniæ litoribus Bætim, Pineda *de rebus Salom. l.* 4. *fol.* 154. & 164. Barcinonem, Auſon. *Ep.* 24. *ad Paulinum*, auſpiciis Amilcaris Barcæ, Hier. Paul. *in deſcript. Barcin.*

Digitized by Google

cin. Carthaginem novam in agro Spartario, itemque ad Iberum alteram veterem dictam, Mar. *l.* 2. *rer. Hiſp. c.* 8. aliaſque plurimas.

VI. Et hinc eſt quod, teſte Valerio Probo ad *Virg. Georg.* Ennius Pœnos appellat Sarra oriundos. Sarra enim Gellio *l.* 14. *c.* 6. Σάρρα Τυρίων πόλις Scylaci *in Periplo p.* 147. Sora Stephano, τῷ ṭade cum ſamech confuſo, Sor, Theod. *in Ezech.* Tur Syris, quod ṭade utramque literam t & ſ valeat: vel Chaldaico more ſchin mutato in tau, quod Guid. Fabricio & Maſio placet apud Aldr. *l. d. p.* 237. Τύρῳ Græcis & Latinis ταυτώνυμα ſunt. Itaque Plauto *Trucul. a.* 2. *ſc.* 6. *v.* 58. purpura ex Sara, eadem eſt cum Tyria: & Juvenali *Sat.* 10. *pictæ Sarrana aulæa togæ*, pro purpurea toga, habitu videl. triumphali, quem e Capitolio, Palatio vel Templo Jovis deſumere ad hos uſus ſolebant, Lamprid. *in Alex. Severo.*

VII. Et Virgilius Sarranum oſtrum alicubi, quod Tyrium muricem alibi vocat; neque eſt ut de piſce Sar, a quo Tyrus dicta ſit Sarra, quod nobis perſuadere voluit Servius *ad* 2. *Georg.* cogitemus. Gratis enim eum ſibi confinxit; vide Merulam *ad* 7. *annal. Ennii.* Quin & Sarraſtas populos apud eundem *Æn.* 7. quos Conon in *l. de Italia* Pelaſgos, & quoſdam e Peloponneſo convenas fuiſſe, recte ſcribit, ab eadem Sarra ſic dictos eſſe contra Servium, qui a flumine Campaniæ Sarro nomen vult accepiſſe, tueor. Illud enim Pelaſgorum examen non aliunde, quam e Phœnicia ejuſque metropoli Tyro prorupit, ut dictum ſupra.

VIII. Nobiliſſima autem illarum urbium omnium Karthago, auſpice Didone ſeu Eliſa Phœniſſa, quam ſic tertiam orbis partem, ignotam ſc. ante, Africam quæſiſſe ſcribit Juſtinus *l.* 11. *p. m.* 128. Condita fuit anno 134. poſt conditum Templi Salomonici, decimo ſeptimo Pygmalionis, decimo ab ejus fuga; cujus Nomen אֲלִישָׁה ut & ipſius urbis mere Ebraicum. Kartha enim, Chadtha vel Chadatha quaſi novam civitatem dicas, quod & agnovit acceptum è Livio Solinus *c.* 27. & Serv. *in* 1. *Æn.* quorum alterum Chaldaicum ex Ebræo קָרֶת *Kareth*; alterum Ebraicum חַדָשָׁה *Chadaſchah*, mutato ש in ת: a quo Siculum Καρθαδὼ vel Καρθάδα, & Græcum Καρχηδὼν, unde Καρχηδόνιος, quod eſt, Karthaginenſis, quam proxime abeſt, quanquam nec Latinum Karthago penitus abludat. Etiam Silius Karthaginenſes vocat Sidonios & gentem Cadmeam.

IX. Cadmus autem ab Ebræorum קַדְמָה *Kedmah*, id eſt, *antiquus, priſcus*, tum tempore, tum loco, tum dignitate & officio προεσὼς: Καδμεῖα,

Digitized by Google

Καδμῆιε, *antiqua*: vel etiam a קדים *kadim*, h. e. *oriens, aurora*: Phœnices enim & Syri Africanis erant Orientales: & ita Cadmus dictus, quod esset מזרחי *mizrachi*, & ab Oriente venisset.

X. Imo Josuæ temporibus, sex ante Byrsæ & Carthaginis initia seculis, magna Cananæorum Phœnicumque vis bello sacro profligata, *succisis prius arboribus, obturatis fontibus, & destructis urbibus*, ut est in Thargum *Cant.* 3. *v.* 5. in Africam exul devenit: tria enim diplomata, Cananæos ad deditionem ac pacem invitaturus, æquis conditionibus propositis, cum bellum, nisi denunciatum communi consensu gentium, non videretur justum de mandato divino, (Deut. 20, 10.) per Feciales miserat Josua: *primum*, fugiat, qui vult: *secundum*, dedat se, qui vult: *tertium*, pugnet, qui vult. E Gergesæis multi crediderunt Deo, & fugerunt in Africæ provinciam, quæ Esa. 36: 17. *terra terræ Cananæorum similima* dicitur: R. Maimon *Halacha Melachim cap.* 6. apud Schigkard. de *Jure Regio Ebr. pag.* 119. Et vel ideo Τρίπολιν τῆς Ἀφρικῆς locum fugæ Cananæorum recte nominat Euseb. *l.* 1. *Chron.* Græc. ὡς ἦσαν ἐν τῷ κλήρῳ τῆ Χαμ.

XI. & XII. Quin & de stirpe Enac, (quem sive gigantem & inusitata statura, fortitudine ac ferocia, quæ recepta sententia est, sive hominem dignitate potentiaque *illustrem* & admirabilem, ac propterea torquatum fuisse, quod probat Jac. Boulduc. *l. de Ecclesia ante Legem* 1. *c.* 8. 9. & *l.* 3. *c.* 2. & 3. Et refert Drus. *ad Jos. c.* 11. *v.* 21. dicamus, parum admodum refert:) reliqui populi, quorum metropolis fuit Hebron, Jos. 14. *v.* 15. & 15. *v.* 13. pars Cananæorum, in Africam tum ejecti sunt, si qui lupi vespertini prædonis Josuæ manus effugissent, eaque loca, in quibus postea Carthago exstructa, insedere. Inde est, quod Carthago a Pœnis appelletur *Cadreanech*, q. d. *sedes Anacim*, seu posterorum Enac. Huc autem adpulsi ἐξαγωγεῖ, φυλάρχῳ & duce profectionis Atlante, Heurn. *Chald. p.* 32. condiderunt Regnum Mauritaniæ; testes Columnæ duæ lapideæ in Tingitana, etiam post annos bis mille a re gesta, superstites, & Phœnicio ejus seculi sermone inscriptæ, verbis id Græce sonantibus: Ἡμᾶς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπυ ΓΗΣΟΥ τῦ ληςῦ υἱῦ Ναυῆ: *Nos sumus qui fugimus a facie JOSUÆ prædatoris filii Nun*: Procopio Cæsarea-Palæstino, qui Belisario exercitus Justinianei in Italia contra Gothos, & in Africa contra Vandalos Imperatori legatus & comes expeditionum ejus fuerat, (teste Suida,) visæ. Describit sic ipse *l.* 2. *Vand. f.* 135. *edit. Hæschel.* & suppar ei Evagrius Scholasticus *Hist. Eccl. l.* 4. *c.*

Digitized by Google

18. Suid. in Κανααν. Mornæus *l. de Ver. Relig. Christ. c.* 26. Niceph. *l.* 19. *c.* 12. Seldenus *Syn. de Diis Syris*, *Prol. c.* 3. *p.* 18. Aldrete *l.* 3. *c.* 15. Quamvis Aben Ezra ad *v. penult. Prophetiæ Obadiæ* ex istis fugitivis Alemannos veteres ortos esse, fortasse solo in Germanos, quibus Japheti e Gomere posteros esse invidit, odio, scripserit, teste Elia in *Thisbi*.

XIII. Quod ipsum etiam Græculum eum, qui Chronici, *Alexandrini* dicti, auctor est, adeo transversum abripuit, ut Germanos ex Emor Canaanis filio descendere, Eusebio, quem tamen in reliquis omnibus sequitur & exscripsit totum, qui Amorrhæos ab isto recte derivat, hic quidem neglecto, calumniaretur; *edit. Raderi Monach. p.* 66. Homo simili cum Judæis ἀβελτηρίᾳ, qui Romanos, sub quorum imperio vivunt hodieque, per metathesin, seu paronomasian potius, Amorrhæos, exsecrabilem Deo colluviem, cujus exscindendæ mandatum ab eo acceperant, & שתשפט ארום רשעה *imperium Edomi nequam* nominant: & ne quid contumeliarum desit, porco, uni e quatuor immundis animalibus, Lev. 11. *v.* 4. 5. 6. & 7. memoratis, comparant: eodemque pro acumine suo Chaldæos, qui כַּשְׂדִּים *Caschdim*, a capite suæ gentis Cesed, filio Nachor fratris Abrahami, Gen. 22, 22. adpellantur, nuncupant כַּשְׂרִים *Caschedim*, q. d. αὐτοδαίμονας ἀντιδιαβόλους, ipsissimos diabolos, litera servili כ *Caph* in *Caph le-emitaih*, ut vocant Grammatici, h. e. veritatis seu similitudinis particulam notamque ה *Che*, mutata: de qua Fagius *not. ad Paraphr. Chald. Onk. Gen.* 2, 25.

XIV. Phœnicas istos Gergesæos, qui in Africa sic exularunt, sub Alexandro M. Cananæam repetiisse, & cum Judæis, a quibus duce Josua per vim (vis eis videbatur, quod Divino jussu ille fuerat exsecutus,) avita possessione dejecti fuerant, de dominio coram Judice Rege disceptasse scribunt DD. Thalmudici. Ejus litigii historiam etsi alius auctor nemo literis conservaverit, quod quidem sciam, de veritate tamen ejus dubitare non licet, cum vero sit simillimum, extrusas terra Cananæa, patria sua, vi majore gentes Palæstinas necessitati quidem obtemperasse & tempori, sed omnem tamen de recuperanda aliquando spem non abjecisse, præstolantes quamcumque occasionem actione postliminii iniquos possessores turbandi ac persequendi. Eam, cum obferretur sub Rege novo, de cujus fortitudine, justitia, clementia multus per totum terrarum Orbem sermo esset, post tot etiam secula, non negligere potuerunt: allecti forte exemplo Sanballethæ Cuthæi, Satrapæ Samaritani, qui ab eo-

dem

Digitized by Google

dem Rege jus erigendi in monte Garizim Templi, & instituendi Sacerdotii contra Seniores Jerosolymorum pro Manasse genero suo obtinuerat, Jos. *l. 7. ἀρχαιολ. c.* 11.

XV. & XVI. Tandem quod Pœni, Gaditani, Bætici, a Tyriis per literas rogati, suppetias ipsis contra Nabuchodonosorem, qui tredecennali obsidione Tyrum vexabat devicta Syria, instructa numerosa classe tulerunt, Mariana *l.* 1. *Rer. Hisp. c.* 7. & quod Alexandrum M. bello excipere ausi fuere Tyrii fiducia Carthaginensium, Just. *l. d.* amota ex urbe imbelli ætate Karthaginem, argumento est, utriusque gentis magnam fuisse conjunctionem, alteramque ab altera prosatam, quod ad Tyri, ceu communis patriæ, defensionem tam cupide, tam frequenter illi confluerent. Quin hoc lucrati tum sunt, ut, cum Tyrum expugnasset Nabuchodonosor, in socios & gentiles eorum Gaditanos & Hispanos moverit, auxilia Tyrum missa sic vindicaturus. Vid. Joh. Pinedæ *ll. de rebus Salomonis.* Omnium vero luculentissime τὸ ὁμόφυλον Pœnorum Tyriorumque probat ritus & religio Karthaginensium illa, qua τὰς πατρίους ἀπαρχὰς, consuetas a majoribus institutas & lege jussas oblationes, seu primitias, instructa ad hoc καὶ' ἐκλογὴν nave, quæ ἱεραγωγὸς Polybio, *Ecloga* 114. περὶ πρεσβειῶν, Diis Tyrum mittere consueverant: & ex more illo est, quod Cartalonem decimas e præda Siculiensi, Herculi Tyrum deferendi causa, commeatu publico ablegatum a Carthaginensibus fuisse, legimus apud Justinum *extremo l.* 18. Recte igitur factum, quod Plinius *l.* 4. *c.* 22. Tyrios *Pœnorum aborigines* appellat.

CAPUT IV.

SUMMARIA.

I. *Lingua Phœnicum Josuanorum in Africam delatorum fuit Cananæa.* II. *Phalanx vel palanga, ita Afri fustem vocant, ab Ebræo* פלה, *inde & φαλὸς.* III. *Afri Karthaginenses a Cananæis orti.* IV. *Cananæorum Lingua adsinis Ebræa, si non eadem.* V. *In Phœnicum Theologia apud Euseb. explicata nonnulla: Zophasemin: Sydic: Baau: Jeoud.* VI. *Libyes in Africa ante Phœnices seu Pœnos αὐτόχθονες.* VII. *Augustinus, Pœnus & ipse, explicatus.* VIII. *Lingua Punica ex Cananæa, non ex Arabia.* IX. *Pœni Migdilybes, Liby-Phœnices, Phœnices Africani & Φοίνικες Græcis, qui Latinis Pœni.*

Digitized by Google

I. QUam autem Linguam Josuanos hosce Phœnicas vel Cananæos, & post comites Didus in Africa factos Pœnos, locutos fuisse præter suam, h. e. Phœniciam seu Cananæam, putaveris?

II. & III. Certe Cananæam locutos esse seu Syram, vel ex eo colligas, quod Afri *fustes*, quibus primum contra Ægyptios prælium, (quod Plinius annotavit *l.* 7. *c.* 56.) confecere, *phalangas* vocarunt. Phalanx vel palanca autem, quæ fustem teretem seu lignum rotundum, quo subdito naves in mare deduci solent, ut apud Athen. *l.* 5. *f.* 204. significat, Cananæorum vox est, uti notavit ad *Plinium l.* 12. *c.* 4. Dalechampius, puto a פלה Ebræorum, i. e. *scipio*, *baculus*, 2. Sam. 3, 29. a quo etiam Græci suum φαλλὸς desumsere, Scal. 1. *Poet.* 10. Et pergit ibi Vir doctissimus: *Afri certe, qui Carthaginem & plerasque maritimas urbes incoluerunt, a Cananæis originem habuere: atque hoc quidem a Cl. Mitelerio observatum est.* Quæ omnia sententiam hanc de Lingua Punica meam miris modis juvant.

IV. Fuit autem Cananæa illa seu Phœnicia Lingua, vel ipsa Ebræa ea, quæ Dei beneficio in V. Testamenti volumine etiam nunc post tot secula restat, (quæ sententia Ill. Scaligeri est post Wilh. Postellum; refutata tamen a N. Fullero 4. *Misc. Theol. c.* 4.) vel eidem admodum adfinis, (Drus. *l.* 4. Præt. *ad Joh.* 12, 3.) cum se mutuum intellexerint Ebræi ab Ebero ita dicti, seu Abrahæ posteri, & Cananæi seu Chamitæ; ex. gr. Abraham Hebronitas principes Anerem, Escol, & Mambre, cum quibus in terra Canaan vivebat, Gen. 14, 13. & Rahab meretrix Jerichunte-Cananæa exploratores a Josua missos, Jos. 2.

V. In fragmentis Theologiæ Phœnicum, quam e Sanchouniathone, vetustissimo rerum Phœniciarum scriptore, Græce μετέφρασε Philo Bybliensis, & *l.* 1. Προπ. Ἐυαγγελ. retulit Eusebius, quæ reperiuntur Phœnicia vocabula, præsertim Deastrorum nomina propria, vel mere Ebraica sunt, vel ad Ebræam L. facillime reduci possunt. Utinam vero plura retinuisset, uti apud Sanchouniathonem invenerat Philo, Græcasque exegeticas nomenclaturas, quas plerumque solas posuit & in formis adpellativorum, tum addidisset. Est ibi, Phœnicas appellasse *ratione præditas animantes* ζωφασημὶν. τοῦτ' ἔστι, inquit Philo Eusebianus, οὐρανοῦ κατόπται. Compositum vero id e voculis duabus Ebræis צָפָה, *tsaphah*, i. e. *speculatus est*, *observavit*: & שָׁמַיִם *schamaim*, i. e. *Cœli*. Ζωφασημὶν, οὐρανοσκόποι, *erecto ad sidera vultu*, quod Poeta soli homini tribuit:

Συδὺκ

Συδὺκ est ipsum Ebræorum צדיק *tsadik*, *justus*. Μέλκαρθος a *melech* & *kareth*, *Dominus*, *Rex*, *Deus urbis*. *Baau*, quam Græci νύκτα interpretantur, est τὸ בהו *bohu*, *inane*, de quo Gen. 1. *v.* 2. Ιεοὺδ, quomodo Phœnices *unicum filium* vocare scribit, est Ebræorum יחיד *Jahid*, i. e. *unicus*. Insuper quæ ibi leguntur reliqua, nonnulla etiam depravata, ut fieri solet in vocibus linguarum non intellectarum, si emendentur, ipsissima Ebraica esse agnoscentur.

VI. & VII. Et linguam Phœnicum horum seu Pœnorum Punicam, qua magna Afrorum pars postea usa est, (non omnis Africa: erant enim in Africa, quæ erat ἐν κλήρῳ τῦ Χαμ, inter cujus ἔθνα numeratur ab Auctore *Chron. Alex.* Lybia, ante adventum Josuanorum Phœnicum Libyes Mizraimi, Ægyptiorum conditoris, parentela, *Lehabim* לְהָבִים Gen. 10, 13. & quos Abrahami e Ketura nepos *Epher* עֵפֶר, Ophres *Jos. l.* 1. *c.* 16. Antæo devicto ibi condidit, ὁμώνυμοι populi, propria utentes & ipsi lingua, ut patet e Stephano *de Urb.* in Ἴτυς: Suida in Καναὰν. Procopius etiam *l. d.* cum de Phœnicibus in Libyam delatis egissent, ἦσαν δὲ, inquit, καὶ ἄλλα ἔθνη ἐν Λιβύῃ πρότερον ὠκημένοι, οἱ διὰ τὸ ἐκ παλαιῦ ἐνταῦθι ἱδρῦσθαι αὐτόχθονες εἶναι ἐλέγοντο: & hi Afri indigenæ, seu ἐτεόΑφροι etiam Didonem profugam cum popularium ἀπολίδων καὶ ἀνεσίων manu litore *prohibebant; unde*, Cothone Insula occupata, ibi tantisper consedit ea, dum solum condendæ urbi impetraret:) Cananæam fuisse, etiam tertio decimo a condita Carthagine seculo, firmat Augustinus & ipse Pœnus, seu Tagaste-Numida. Ita enim is, *Exposit. Ep. ad Rom. Interrogati rustici nostri* (Hipponis suburbicarii) *quid sint, Punice respondentes, Canani, corrupta scilicet, sicut in talibus solet, una litera: quid aliud respondent, quam Cananæi?*

VIII. Quod testimonium vel solum persuadere cuivis poterat, Linguam Punicam non ex Arabia, sed e Cananæa petendam esse: & propterea Plautus *a.* 5. *sc.* 2. *Pœn.* Pœnum Hannonem *Migdilybem*, Pœnorumque Linguam, quam Apsyrtus *de re veterin. c.* 516. τὴν Φοίνικα διάλεκτον nominat, ut quæ esset τῶν Φοινῶν, Procopius *l. d. Semiphœniciam*, & scriptores alii Græci Λιβυφοίνικας adpellant, quasi e Phœnicibus & Libybus concretos, vel quasi Phœnicas in Libya, ut a Phœnicibus in Asia, qui eorum progenitores, ita distinguant.

Digitized by Google

CAPUT V.

SUMMARIA.

I. *Lingua Phœniciaca paulatim mutavit.* II. *Pelasgi, Græci, Israelita linguas proprias obliti, gentium, inter quas vixere, didicere.* III. *Mutavit Græca tantum, ut Athenienſium dialectus hodie ſit corruptiſſima omnium. Urbs ipſa dicitur* Sathines; *Sparta*, Miſitra; *Theba*, Stibes. IV. *Lingua Latina vetus, qua carmina Saliaria ſcripta, non ſatis intellecta etiam doctiſſimis ætate Varronis.* V. *Mutavit etiam Germanica; vetuſtam enim Theudiſcam hodie vix intelligimus.* VI. *Cauſa mutationis, diverſitas imperiorum.* VII. *Romani linguas victarum gentium abolevere, impoſita iis neceſſitate ſua.* VIII. *Phœnices linguam Græcam addiſcunt; Græci Phœniciacam minime.* IX. *Phœniciaca dialectus a Græcis interpolata, & maximam partem abolita.* X. *Proverb. Punicum*, numum quærit peſtilentia, *apud Auguſtinum: Iſte emendatus.* XI. *Turditani, in Betica a Pœnis orti, linguam ſuam ſive Phœniciam ſive Punicam dediſcunt.* XII. *Poſt Romanos Vandali, Gothi, Græci, Arabes Punicam reſiduam corrupere & ſuppreſſere; Germani Latinam; Exarchatus occaſio Italica depravandæ. Maxime Saraceni Africanam & Hiſpanicam provinciales, uti antea Celticam in Hiſpania Græci, Pœni, Romani, obliterarunt vel variarunt.* XIII. *Subditi etjam, ultro neglecta propria, dominorum ſuorum linguas adſciſcunt.*

I. AT fieri non potuit, quin, perinde ut aliæ linguæ, & ipſa hæc Phœniciaca temporis decurſu injuriaque, & quod apud varias gentes negotiarentur Pœni, & quod advenæ eſſent inter indigenas Afros, aliquid alieni contraheret, ac paulatim a fonte ſuo degeneraret.

II. Ita Pelaſgi βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες, puta Phœniciam, quam, quia non intelligerent Græci, pro barbara habuerunt, in Atticam devoluti τῇ μεταβολῇ τῇ εἰς Ἕλληνας καὶ τὴν γλῶσσαν μετέμαθον, Herod. *l.* 1. Ita Iſraelitæ, diviſi in omnem populum & nationem ſub cœlo, obliviſcentes genuinæ, Linguas gentium inter quas conſedere, loqui didicerunt. Hinc ipſis Chaldaiſmus, Syriſmus & Arabiſmus adeo familiaris olim, hodie Turcica, Græca, Polonica & reliquæ Linguæ provinciales. *Et cum Tyranni ſtultarum gentium*, (querela eſt R. Moſis Majemon *More Nebochim*

Digitized by Google

P. 2. c. 11.) perdidiſſent optima quæque quæ habuiſſent, ſapientiam & libros ipſorum e medio ſuſtuliſſent, ſapientes etiam ipſorum interemiſſent, ignorantes & imperiti ipſi quoque evaſerunt, cum illis commixti ſunt, & translata ſunt ad eos opiniones illorum perinde ut mores. Ita Græci non pauci, ſedibus fixi inter barbaros, brevi omnem Græcitatem exuerunt, nec vocem, nec inſtituta Græca retinentes, nec Deos colentes coſdem, nec jus ſervantes patrium, nullum denique originis ſuæ veſtigium. Unde Auguſtinus alicubi: *Afri*, inquit, *Phœnicum Linguam nonnulla ex parte mutaverunt; l. 3. contra Lit. Petil. Don. c. 104. Pene*, (non plane,) *omnia Punica Ebræa Linguæ conſona eſſe*, ait. Quomodo autem Linguæ varie interpolentur, quomodo nova idiomata veteribus omnino abolitis producantur, docet accurate Dn. Beſoldus *Diſſert. de Nat. Pop. & Ling. n. 12. & ſeqq.* Et innuit Vives *l. 3. de Trad. Diſc. pag. 279.* Secula tria quatuorve ei rei, ſcilicet linguæ alicui mutandæ, ſufficiunt: *La lengua*, inquit Aldr. *l. 1. c. 20. con el tiempo ſe muda, i va poco a poco ſiendo otra, le manera que ſin nuevo accidente, mas que el cauſa & tiempo baſta para, que una lengua ſea caſi otra de la que, fue agora trezientos annos.*

III. Non dicam de Græcæ immutatione tanta, ut qui omnium Græciæ populorum erant cultiſſimi Athenienſes, hodie inter ſeptuaginta dialectos Græciæ loquantur peſſimam, teſte Sim. Cabaſila *Ep. ad Mart. Cruſium* anno 1578. ſcripta: ipſo etiam urbis vetuſtiſſimo nomine corrupto; Athenas enim adpellant nunc *Sathines*: Spartam ſeu Lacedæmona *Miſitra*: (Scal. 1. *Poet. c. 4.*) Thebas Bœoticas, *Stibes*: Peloponneſum, *Moream*: Iſthmum, *Hexamilium*: Ætoliam, *Deſpotatum.*

IV. Neque de Latina vetere, cujus quanta diverſitas ab illa, quæ Romanis ſub Auguſtis in uſu erat? Etiam qui ante Varronis ætatem Axamentorum ſeu carminum Saliarium interpres erat, L. Ælius Stilo multa in iis propter obſcuritatem præterire coactus eſt; teſte Varr. *l. 6. de L. L.* & ſacerdotibus Saliis ipſis non ſatis intellecta fuiſſe eorum verba, adnotavit Quint. *l. 1. Inſt. c. 6.* Neque de Arabicæ per Africam & Hiſpaniam interpolationibus, quas commemorat Luis del Marmo, *l. de las tres Arabias & de ſus primeros pobladores*, ex hiſtorico Africano Ibni Alraquiq apud Aldr. 3. *c.* 25. & 26. patet de Germania noſtrate.

V. Quis enim noſtrum hodie ſine interprete intelligat Ludovici Imp. Ludovici Pii F. & ſubditorum ejus Lingua Theutiſca concepta ante 800. annos apud Nith. *l.* 3. & Merulam *Coſmogr. P. 2. l. 3. c. 15.* & quæ in ea legun-

Digitized by Google

leguntur ſcripta ab Othfrido Monacho ad Luitbertum Archiep. Moguntinum, quem Matthias Flacius edidit Baſiliæ anno 1571. & quæ in Codice Euangeliorum Theudiſca lingua confecto (an Otfridi modo laudati is eſt?) ante annos ſexcentos, & reperto in Bibliotheca D. Corbiniani Friſingæ a B. Rhen. *l.* 1. *Rer. Germ.* nobis conſervata & tradita videmus? Quin & Stumpfius *l.* 4. *c.* 31. e Notgero de S. Gallo, & Lehman in *Chron. Spir. l.* 7. *c.* 45. *f.* 197. habet e vetuſtis membranis deſcriptam Orationem Dominicam & Symbolum Apoſtolorum; Gold. *T.* 2. *Script. Rerum Alemann. f.* 174. Confeſſionem veteris Eccleſiæ Alemanicæ, & alia ejus generis B. Vulcanius *Commentariolo de Literis & Lingua Getarum ſeu Gothorum*, in quibus vix decimum quodque verbum hodiernæ Germanicæ voces aliqua exprimit. Idem ex Poetis Germanis, qui ſub Friderico I. II. Philippo, Impp. & in aula Henrici Landgravii Thuringiæ vixere, quos ſub titulo *Paræneticorum Veterum* edidit Goldaſtus, & e quibus fragmenta nonnulla oſtendit idem in *Repul. pro Imp. contra Gretſerum c.* 30. *p.* 281. *& ſeqq.* ex auctoribus Heldenbochi, Rud. ab Ems *Paraphraſi Germ. V. Teſtamenti*, & aliis ejus ævi Germanicis ſcriptoribus conſtare poteſt, ſcilicet linguam Germanicam ante annos quingentos a moderna non parum diſcrepaſſe. Quæ omnia, ſi & de Punica dicta lingua exaudiantur, res erit planiſſima.

VI. & VII. Ei enim linguæ hujus fato cauſæ fuere varia, ſub quibus vivere tontigit Pœnis, imperia; Romani, qui auſpiciis ſuis, ductu Scipionis, Carthaginem Romæ æmulam, & imperii Orbis juxta avidam, & in Africano Orbe quaſi Romam, ut nominat Salvian. *l.* 7. *de Gubern. Dei*, δι ἀρετὴν πότε κατὰ Ῥωμης φρονήσασαν, ut Himerius *Propempt. in Flav.* funditus diruere, linguæ ſuæ neceſſitatem, perinde ac victis gentibus aliis, (*Data eſt opera*, inquit D. Aug. *l.* 19. *de Civ. Dei cap.* 7. *ut civitas imperioſa non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret*:) Pœnis impoſuere. Paulatim igitur tum ſub Romanis per ſecula quinque obſolevit quod reliquum erat Pœniſmi, perinde ut fons Pœniſmi Phœniciſmus ſub imperio Græcorum.

VIII. Certe ſub initiis Phœnicum in Africa tale quid ipſi a Siculis & Græcis contigit. Cum enim inter indigenas Siculos & Græcos in Sicilia verſarentur Phœnices, Inſulamque cum illis una colerent, Græcorum linguam addidicere ipſi, Græcis & Siculis ipſorum vel aſpernantibus, vel raro tamen diſcentibus ut barbaram. Diod. Sic. *l.* 5.

IX. Et

Digitized by Google

IX. Et hinc eo, si non omnino desito, at valde tamen obliterato, Tyrii, Berytii, Emeseni, Cæsareenses, Phœnicesque seu Palæstini, alii Græce in sua patria & scripsere & locuti sunt: Euthydemus Rhetor Tharsi, magister Apollonii Tyanei, Philo Bybliensis, Jamblichi duo, Porphyrius, Philostratus, Aspasius, Hermippus, Callicrates, Heliodorus, Maximus e Platonis schola Philosophus, & inprimis conterranei hisce Ascalonitæ, Gadareni, Geraseni & Gazæi Sophistæ, Æneas, Zosimus, Procopius, & Timotheus.

X. Res est quod dixi, non conjectura; ita enim Augustinus de suis popularibus Pœnis *Serm.* 24. *de Verb. Ap. ad Eph.* 5. *Proverbium natum est Punicum, quod quidem Latine vobis dicam, quoniam non omnes Punice nostis. Punicum enim proverbium est antiquum, Numum quærit pestilentia; duos illi da & subducet se.* (Ita lego, pro eo quod est in edit. Parisina anno 1516. apud Remboldum, *ut ducat se*) *Nunquid non hoc proverbium de Evangelio videtur natum?*

XI. Pariter Turdetani, sive Pœnorum, sive Celtarum consanguinei; sunt enim de utrisque non leves conjecturæ: cum deveniissent in Hispaniam, & ad Bætim consedissent, paulatim & perfecte mores Romanos imbibere, etiam principante Augusto, quod mireris, linguæ suæ obliti; ὡδὲ inquit Strabo *l.* 3. τῆς διαλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι.

XII. Tum Gotthi, Alani, Suevi & Vandali irruentes, & suam superinduxere Europæam, Punicæ jam ante attritæ, & barbaram linguam, Hier. Paul. *l. d.* Mox, pulso per Belisarium Gilimere ex Africa, imperio Græco sub Justiniano ea accessit: tandem circa centenarium annorum a Christo nato sextum Saracenis. Quemadmodum igitur & Exarchatus multa nomina Græca in Italiam & linguam Italorum attulit, Scal. *Ex.* 194. *f.* 5. & Gotthi, Heruli, Hunni, Longobardi, Germani, Franci, postquam Romanos & ἀπογόνους διαδόχους τε horum Orbis imperio dejeciissent, sua victoria linguis & scientiis barbariem induxere; unde lingua victrix victæ permixta, non superabile, nisi sero admodum, chaos fecit. *Eversis imperiis victoria transtulit in victos etiam linguæ jus*, inquit Scal. *l.* 1. *de Plant. pag.* 189. *vel Asiam nunc ipsam aspicite pene totam, ut misera in spuriorum mores abierit. Nam de Græcia nihil dicere, quam lugere, satius puto.* Ita & diversissimarum gentium incubatus in Africa, quin linguam Φηχώειον primævam varie interpolaret, inquinaret, & ut hodierna Punica, si quæ adhuc restat, & ita nominanda est, vel barbarica, linguas dictorum populorum varie resiperet, inprimis Ara-

Vide infra Addenda nota 1.

Vide Add. n. 2.

Digitized by Google

bum & Saracenorum, qui diutiſſime, & quoad nos nuperrime, tenuerunt, faceret, dubitari a nemine debet. Et hoc ſenſu veriſſimum eſt, quod *Auſon. Lect. l. 2. c. 30.* dicit, ὁ ζητητικὸς μάλα καὶ περὶ πάντων ἀκριβολογεμένος & Joſ. Scaliger; *Mauros, cum rerum potirentur, multis locis nomina de ſua lingua impoſuiſſe, idque neminem paulo hiſtoriæ peritiorem ignorare.* Indeque quod habet in *Epiſt. poſtum. pag. 489. Quartam partem Hiſpanicæ ſeu Toletanæ linguæ eſſe Arabicam*; qua de re & Merula *Coſmogr. p. 2. l. 2. c. 8.* conſulatur: perinde ut Punica, Italica, Gallica, etſi provinciales fuerint, illa quidem e Cananæa, hæ vero partim e Latiari ſeu Romana, partim e Celtica, vetereve Germanica, quæ per Hiſpaniam, etiam ante Pœnorum, Græcorum & Romanorum in ea moras & jura, fuit vernacula, natæ, variarum gentium vocabulis, temporis decurſu, locupletatæ fuerunt.

XIII. Accedit, quod ſubditi quivis, etiam nulla cogente lege, ſaltem ne indevotionis in majeſtatem principis & numen argui poſſint, dominorum ſuorum, quamvis exterorum, linguas imitari ſoleant: qua ſive κακοζηλία, ſive θωπευτικὴ fit, ut populares ordinariæque in alias quaſcumque barbaras paulatim abeant modo, modo in elegantiores faceſſant.

CAPUT VI.

SUMMARIA.

1. *Punica lingua non ideo dicenda eſt Arabica, quia Arabes Africam occuparint, Pœnorumque linguam corruperint, vel interpolarint.* II. *Vetus lingua Punica Patribus nota, & memorata, nulla erat alia, quam Cananæa; hancque intelligunt hi, cum Punicam nominant, non Arabicam, cujus nullibi, quod ſciam, quiſquam eorum, præter Hieronymum Præfat. in Danielem, meminit.* III. *Servii atas.* IV. *Baal & Baalſamen lingua Punica vocabula, quibus Jovem Opium, q. d. Cœlipotentem, denotant, e Phœnicum dialecto transſumpta ſunt.*

I. INepte tamen inde, quod de Arabibus, ſeculis proxime præteritis Africæ dominantibus, & a Joſuanorum Phœnicum in Africam migratione vigeſimo demum dixi, colligetur, Punicam linguam, veterem illam, & ſcriptoribus antiquis memoratam, Arabicam eſſe, & Pœnos Arabice locutos fuiſſe.

II. Nam

Digitized by Google

II. Nam quam Patrum quidam, Auguſtinus, Hieronymus, alii, Punicam, & quam Procopius, Auguſtino & Hieronymo multo recentior, Φοινίκων γλῶσσην, qua ſuo tempore Mauruſios, Libyam ad Herculis uſque Columnas tenentes, uſos fuiſſe, ſcribit: quam Priſcianus *l.* 5. Chaldææ vel Ebrææ, & Syræ ſimilem eſſe, & non habere neutrum genus, ſcribit, Pœnorum linguam adpellans. Quam etiam Joſephus & Porphyrius, omnibus hiſce antiquiores, cum de Sanchouniathone, e Phœnicum tabulariis hiſtoriam ſuam concinnante, loquuntur apud Euſebium & Theodoretum, τὴν Φοινίκων διάλεκτον nominant, certiſſime Phœnicia ſeu Cananæa illa vetus erat, nondum ab Arabibus corrupta, neque quidquam Arabicæ linguæ, niſi quatenus ab eodem fonte, Ebræa ſcilicet, ſunt utraque, Arabica & Punica, admixtum habens. Utpote quum ii Patres per tempora nec Arabas in Africa Metœcos noſſe potuerint, nec forte quidquam Arabum linguæ calluerint. Inprimis vero quod D. Auguſtinus, cui vernacula erat, quantum quidem tum ejus ſupererat, Punica lingua, Arabicam ne nominet quidem uſpiam, ſæpius autem Syræ & Ebrææ, quibus adfinem dicit eſſe Punicam, *Tract.* 15. *in c.* 4. *Joh. ſerm.* 35. *de verbis Domini ad D. Lucam, l.* 3. *in Petilian. c.* 104. *in Ep. D. Johannis*: & clariſſime omnium *Ep.* 43. *ad Maximum Madaurenſem Grammaticum, & 173.* Hieronymus in *c.* 25. *Jerem. & c.* 7. *in Iſai. l.* 3. *c.* 7. *in Prol. ſuper ll. Regum & Job. & qu. Ebr. in Geneſ. c.* 36. *v.* 24. Ambroſius in 1 *ad Cor.* 14. *v.* 19. Arnobius *in Pſ.* 104. meminerint, eos, quando Punicam nominant, de Arabica intelligi vel explicari non debere, ſed vel de Phœnicia ſeu Cananæa, vel de Punica Africanorum, liquet.

III. Quin indubitanter adſero e Servio Virgilii Commentatore, qui vel paucis ante Auguſtinum annis ſcripſit, vel ſaltem ei fuit σύγχρονος, ſciri poſſe, quam Auguſtinus linguam Punicam vocaverit. Ait Servius ad 1. *Æn. Lingua Punica DEUS Baal dicitur.* Quæ verba ipſe Auguſtinus *qu.* 16. *in Judic.* data opera videtur exſcripſiſſe:

IV. *Baal*, inquiens, *Punici videntur dicere Dominum*; *unde Baal-ſamen, quaſi Dominum cœli intelliguntur dicere*: *Samen quippe apud eos cœli adpellantur.* Et Philo *metaphraſi Sanchouniathonis*: τοῦτον ἥλιον θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανῦ κύριον Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐϛι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανῦ, Ζεὺς παρ' Ἕλλησι. *Baghalſamen, Cœlipotens*, ut apud Rabb. בעל קשת *Baghal Keſeth, ſagittarius, ſagittipotens* inter XII. ſigna Zodiaci. Neque in Arabica lingua ullum τῦ *Baal*, τῦ *ſamen* aliquod,

quod, idque tenue in *ſchemah* veſtigium: *ſamen* autem pro *ſchamaim* ad Pœnorum eo ævo dialectum eſt. Atqui בַּעַל aut בָּעַל *Baal* Sidoniorum ſeu Phœnicum, & *Belus* Karthaginenſium Numinis nomen eſt, ut בֵּל *Bel* Chaldæorum, i. e. *Saturnus*, quem & Solem adpeliant; Serv. *l. d.*

CAPUT VII.

SUMMARIA.

I. *Dii iidem Pœnis, qui Phœnicibus.* II. *Pœni nomina Numinum Phœniciorum jungunt nominibus Ducum ſuorum, ut Celtæ & Chaldæi.* III. *& Tyrii, a quibus Pœni. Pygmalion, Merbalus, Reges Tyri.* IV. *Sacra ſimilia Pœnis, & Phœnicibus, & Ammonitis, Moloch, Milcam, Amilcas,* Μέλκαρθος. *Humanarum hoſtiarum mactatio apud Latinos, Gallos, Pœnosque, a Tyriis illis tradita religione.*

I. Quum igitur Deos ſuos a Phœnicibus acceperint Pœni, & nomina horum iisdem plane cum literis nulla mutata:

II. Cum nomen hoc Numinis Ducum ſuorum nominibus adſuerint, ut in Adher-bal, Asdru-bal, Hanni-bal, Manasda-bal, Etho-baal, qui Aſtartes ſacerdos, Tyriorumque ac Sidoniorum Rex, & Achabo Iſraelitarum ſocer erat, Menandro Epheſio & Joſepho Ἐιθώβαλος, idque more Celticarum gentium, quas Duces ſuos & auctores primos pro Diis coluiſſe, horumque nominibus eos ſolentes vocaſſe, conſtat, quin & uſu Chaldæorum Aſſyriorumque, qui Dei alicujus nomen, aut pluria ſimul, adſumebant, Heurn. *Indico c.* 4. e Scal. 5. *de emend. temp. f.* 541. Ita & Jerobaal ſeu Jerubaghal, i. e. impugnator ſeu vindex Baalis, quo vocabatur Gedeon Jud. 16, 32. quod aram Baalis diruiſſet, eſt ipſiſſimum Ἱερόμβαλος, quod ſacerdoti τῦ θεῦ τῦ Ιευω apud Phœnicas nomen erat, ut habet Porphyr. *l.* 4. κατὰ Χριστιανῶν apud Theod. *l.* 2. *de Græc. adf. cur.* & Euſeb. 1. *Præp. Evang. c.* 5.

III. Edocti id a progenitoribus ſuis Tyriis, apud quos ſimiliter Reges Numinum nominibus adpellabantur: ut Pygmalion; *Elion* enim Dei apud Phœnicas nomen: Abi-baal, Abd-aſtartus, Ger-aſtarttus, Merbalus a מַר, *Mar* Chaldaico, i. e. *Dominus:* eaque Regum nomina in Phœnicum archivis reperire eſt. Cur & linguam Pœnorum non a Phœnicibus potius, quam ab Arabibus accerſeremus?

IV. Patet idem & e ſacris utriuſque gentis, Phœnicum ſeu Syrorum, &

Digitized by Google

& Pœnorum seu Carthaginensium quam simillimis. Illi Molochum, Ammonitæ Molech & Milchom idolum τεκνοθυσίᾳ venerabantur; res e Vet. T. notissima, Levit. 18, 2. 2 Reg. 23, 10. Ps. 105. Sap. 14, 23. Hi Amilcam seu Μέλκαρθον, ut Chii Ὠμάδιον Διόνυσον, Porphyr. *l.* 2. περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς, alias Ὠμηστὴν dictum, Plut. *de Cohib. ira.* & a Pœnis mutuati Latini Saturnum, & Latialem Jovem τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνθρωποκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον, Tatian. λόγῳ πρὸς Ἕλληνας; e Celtis Galli Hesum & Teutatem, Lucan. *l.* 1. humanarum hostiarum mactatione ad tympana tibiasque, ne lamenta puerorum exaudirentur, Fagius *not. ad Chald. paraphr. Onkeli Levit.* 18, 2. Plato *in Minoe.* Lact. *l.* 1. *Divin. Instit. c.* 21. *Averruncandis calamitatibus publicis, pesti, bello, fami, scelere pro remedio usi; idque apud eos obtinuit, donec a Dario rege Persarum, exsecrante infandam pietatem, edicto, de cetero immolare humanas hostias, prohiberentur,* Justin. *l. d.* Plut. *l.* περὶ δεισιδαιμ. Quem imitatus Gelo ad Himeram, debellatis inter pacis conditiones etiam præscripsit, ὅτι καὶ τὰ τέκνα πάυσωνται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες, Plut. *l. de his qui sero a Num. pun. f.* 552. & *in Apophth.*

CAPUT VIII.

SUMMARIA.

I. *Vocabula Punica ex Ebræa & Syriaca L. non ex Arabica apte deducuntur.* II. *Syriaca Ebræa similior quam Arabica.* III. *Arabica ex Ebræa est, non contra.* IV. *Phœnices vocula a Pineha vel a Phinek, ob luxum.* V. *Souffetes Pœnorum magistratus a* schophetim, *i. e. Judices.* VI. *Mappa, Punicum & Chaldaicum.* VII. *Mapalia, magalia ex Ebræo magur, magar Syris,* μέγαρον *Græcorum.* VIII. *Magaria locus publicus Carthagine:* πομπεῖον *Athenis: Constantinopoli Nymphæa, nuptoria. Zonaras emendatus: CL. Salmasii* παράφραμα *quoddam ostensum.* IX. *Alma virgo Punice ex Ebræo.* X. *Namphanio idem quod Pulcherius, vel qui adventu conspectuque suo ominis boni loco sit: vel Namphamo, cujus pes sit pulcer, boni pedis homo.* XI. *Salus Punicum, i. e. tria.* XII. *Derdum nomen herbæ a Dardar, i. e. carduus.* XIII. *Nomina propria apud Pœnos ab Ebræis desumpta: multa quæ a Melech Ebræo descendunt.* XIV. *Porphyrius prius dictus Malchus.* XV. *Adramythum, q. d. regia Plutonis.* XVI. *Carthago dicta Cadreanech, i. e.*

Digitized by Google

ſedes Anacim, qui fuere inter Palæſtinæ populos a Joſua profligatos, habitaruntque in Kiriath Arba, vel Hebron. XVII. *Nomina Afrorum propria ex Ebræa lingua petita.* XVIII. *Phœnices etiam in Hiſpaniam venere.* XIX. *Masgabas a ſchagab, id eſt, exaltatus eſt.* XX. *Cirtha urbis in Numidia nomen, ab Ebr. Cariath, vel Chald. Carthah.* XXI. *Judas unde Iſcariotes dictus.* XXII. *Etymon Cairoæ urbis Africanorum e Saracenis regum ſedis, & Alcairæ in Ægypto.* XXIII. *Britannicum Caer, i. e. urbs.* XXIV. *Byrſa, quaſi Byſra, Betſurah, quod in rupe exſtructa.* XXV. *Gadir vel Gades, i. e. ſepes, vallum, cluſura, a gader Ebræo: a quo & Germanicum* gadder / gitter. *Ineptia Græculorum circa eam vocem.* XXVI. *Batis ex Ebræo Baithan, i. e. palatium.* XXVII. *Atabol, atambor, tamboril, tympanum, τάβαλα, Heſychio, vox e Pœniſmo reliqua.* XXVIII. *Sicca Veneria in Africa a Succoth Benoth Babyloniorum in Palæſtina fano Veneri ſacro. Venus a Benoth, quod a filiabus ſeu mulierculis impuris utrinque coleretur.* XXIX. *Goid, coriandrum Afris, ex Ebr. Gad.*

I. & II. ET ſi quid in hoc negotio probare valent etyma, nonne vocabula linguæ Punicæ veteris in ſcriptoribus antiquis reliqua e Cananæa, ſeu Ebræa & Syriaca, quam ex Arabica, quæ ſurculus tantum eſt Ebrææ, iſque valde degener (artificibus enim qui Arabicam cognatione, qua Ebræam attingit, Syriacæ cedere docent, Full. *l.* 3. *c.* 20. quis accredere nolet?) multo felicius, certius, elegantiuſque petuntur, quum Ebræam primævam per V. Teſtamentum incorruptam reliquam habeamus.

III. Arabica vero eandem cum aliis fortunam, varias, ſcilicet per tempora, loca, populos, mutationes ſubierit, & vocabula ejus plurima ex Ebraiſmo, non contra hujus vetuſti ſcilicet & genuini (de Rabbiniſmo enim alia res eſt) ex illa pendeant, adeo ut & nomen ejus, qui primus Arabum conditor, parenſque memoratur a ſcriptoribus Africanis *Arub*, & ipſa *Arabia* vel *Arabum* vocula facta ex Ebræo עֵרֶב *araf*, i. e. *colluvies, mixtura*, vel הָעֲרָב *haerab*, i. e. *veſpera*, vel hæc quaſi עֲרָבָה *arabah*, i. e. *locus deſertus, campeſtris*, dicta ſit: Ebrææ autem voces עֵבֶר וְעִבְרִי *Eber & Ebri*, nomina populi & linguæ, ne quid dicam de aliis, quæ nullam, niſi cujus ſunt ipſa, ſapiunt linguam & originationem, ex Arabica derivari nequeant. Sint rei indubiæ ἐκ περισσίας aliquot exempla:

IV. Vo-

Digitized by Google

IV. Vocula *Phœnices*, *Phœni*, *Pœni* originem ſuam vel Pinehæ nomini debet, quod vult Helv. *tab. Chron. ad A. M.* 2660. vel a Syrorum פינקא a delicata vivendi ratione & luxu, quem abundantia rerum omnium apud Phœnices peperit. Unde & Homero *Il.* ψ. Φοίνικες τρώκται, q. d. liguriones, cupediarii, catillones, δαπανηροὶ, ἡδύβιοι, χρησοφάγοι, τρυφηλοὶ, ἐν ποικίλῃ τρυφῇ καὶ βλακείᾳ διάγοντες, ut Sybaritæ, Tarentini & Nolani.

V. *Souffetes* ſummi magiſtratus apud Pœnos nomen erat, ut *meddix* apud Oſcos: Scal. 7. *Poet. c.* 6. *Suffex*; ſi demſeris terminationem Latinam, habebis Ebræorum ſchophet, ſchophetim, quod eſt a שָׁפַט *ſchaphath*, *judicavit*; hi vero in Phœnicum annalibus vocantur δικασταὶ: Ebræorum magiſtris ſunt הַדַּיָּנִים הַפּוֹסְקִים אֶת הַדִּין, *qui determinant cauſam ſive judicium.*

VI. *Mappam*, uſitatum circo nomen, Pœni ſibi vendicant, ait Quintil. 1. *Inſt. cap.* 5. Eſt enim vox a Phœnicibus & Pœnis orta, ut & annotavit Elias Aſchenazi *in Thisbi.* מַפָּה *mappa*, *mantile*, inter Chaldaicas. Exſtat in *Cod. Thalmud. Middoth c.* 3. quod lapides templi, λιθόστρωτον ſeu plaſtrum, uti loquuntur ſemi-Latini, ſingulis veſperis extergeri ſoleant במפה i. e. *mappa ſeu peniculo e linteis complicatis.*

VII. *Magalia & mapalia* nota vetuſtiſſimis Latinorum; Servio teſte *ad* 4. *Æn. Magar* commutatione τῦ r in *l magal* Pœnis, tugurium, caſa, domuncula ruſtica & vilis, καλύβη ἀπὸ καλάμων καὶ θρύων; item tentorium, tabernaculum, papiliones, quales Scenitarum & Nomadum manſiones, quod & refert vox Græca μέγαρον, ab Ebræo *magur* eſt, Druſ. 1. *Qu. Ebr. cap.* 69. Geneſ. 49. *verſ.* 5. מְגוּרוֹתֵיהֶם *meguroth*, *in habitationibus*, ut legit R. Levi: e quo Syri fecerunt *magar*, & eorum coloni Afri eadem lingua utentes in plurali caſas ſuas vocarunt *magaria.* Iſidoro *l.* 16. *c.* 12. qui & ipſe Hiſpanus Punicæ linguæ, ſi quid tum ejus reſtabat, non potuit omnino eſſe rudis; Punicum *magar*, nova villa eſt. Inde quod apud Plautum *Pœnuli prol. v.* 86. a Magaribus (Codd. alii *Megaribus* exhibent; ſed ea διτλογραφία rem non mutet) puellas duas ſurreptas, in Anactorium avectas eſſe, lego: eæ vero Carthaginenſis Hannonis filiæ fuere:

VIII. *Magaria* locum Carthagine fuiſſe ſuſpicor ædes publicas, ſecundas vel tertias a Byrſa arce ob publicum uſum, quemadmodum Athenis Πομπεῖον, in quo frumentum dividi ac divendi, pomparumque choragia ſervari ſolebant, & Conſtantinopoli Νυμφαῖα, quæ erant ædificia

Digitized by Google

cia genialia, conviviis nuptiisque inprimis celebrandis ibi publico sumptu exstructa. De quibus Pancir. *l. de* 14. *urbis ROMÆ region.* Isidoro, nuptoria. Zonar. *t.* 2. *annal. fol.* 115. Karthagine fuisse castellum in prærupta petra mari imminens, & ab urbe remotum paulum Μεγαλία ὀνομαζόμενον, scribit: quam appellationem a mendosa scriptura esse, & hinc e Megaribus Plautino corrigendam nemo dubitet. CL. Salmasius *not. ad Flori l.* 2. *cap.* 13. exemplis anomalorum declinatione, quod qui Ligures etiam Liguri, qui Baleares etiam Baleari, qui Illyres etiam Illyri a Gramm. dicantur, accenset etiam hoc Plautinum Megaribus, quasi qui dicuntur Megari, iidem sint & Megares. At licet fortasse nemo neget, Megares Latine dici posse tam, quam quod usitatius est, Megarenses, quos Græci Μεγαρεῖς adpellant, & Megaribus casu Latinorum eo, qui Græcorum Μεγαρεῦσι respondeat: tamen Plautinum Megaribus huc trahere non debuit Vir doctissimus. Est enim certe τοπικὸν, non ἐθνικὸν.

IX. *Alma*, quo lingua Punica *virginem* adpellat, teste Hieron. *l.* 3. *in Es. c.* 7. Ebræorum *almah* עלמה, Syrorum *alimtha* עלימתא q. עלוכה i. e. *latitans*, *abscondita*, ἡ κατάκλειστος, non nota in publico, de domo parentum non exiens ratione pudicitiæ & verecundiæ, est, *la muchacha donzella.*

X. *Namphanio* nomen Archimartyris Pœni, de quo pluribus agit August. *Ep.* 44. *ad Maximum Madaurensem Grammaticum*, ex Ebræo נַיִם *naim*, quod *jucundum*, *bonum*, *pulcrum* significat, & פָּנִים *phanim*, i. e. *facies*, *aspectus*, *persona*, formatum est, designatque vel eum, quem Latini Pulcherium, Græci Καλλίαν, Παγκαλον vel Κάλλιστον, alii Calixtum vocant: vel cujus adventus felix & faustus sit. August. *l. d.* exponit boni pedis hominem, cujus adventus conspectusque adferat aliquid felicitatis, sicut solemus dicere, secundo pede introiisse, cujus introitum aliqua prosperitas sit insecuta. Quam interpretationem si admittamus, uti omnino debemus, *Namphamo* potius verum viri nomen fuerit a נַיִם *naiam* & פְּעָמִים *peamim*, i. e. *pedes*. נעם־פעמו *Naamphamo*, i. e. *pulcer est pes ejus*: καιρίῳ αὐτῶν ποδὶ, Luciano in *Tragopodagra*: Εὐόδιον & Benevenium, quis possit non inleganter reddere vel Bonaventuram?

XI. *Salus*, quo rusticos Punicos in colloquiis cum compaganis suis *tria* significare scribit D. Aug. *exposit. Ep. ad Romanos*, est Ebraicum שָׁלֵשׁ a quo שלישׁ i. e. τριὰς, *Trinitas*: Drus. *ad l.* 1 *Sam. c.* 2. *v.* 13.

XII. *Derdum*: ita Punici adpellant *herbam*, quam Græcorum aliqui

Digitized by Google

qui aſterion, aliqui aſteriſcon vocant, teſte Apul. *Comm. de herb. c. 6.* Ebræum חַרְדַּר *dardar* eſt, quod *tribulum carduumque* ſignificat: Gen. 3. *v.* 18. Capitella enim cardui, in quibus flores emicant, per ambitum diviſa foliolis ſtellæ modo radiata ſpectantur.

XIII. & XIV. Etiam nomina propria, ſeu gentilitia, Pœnis uſitata, ut ſunt *Hiempſal*, *Hamilcar*, *Bomilcar*, *Milicus*, quod erat Hannibalis ſocero nomen, *Imilce* quod ejus filiæ, *Azemilkus* quod Regi Tyriorum tum, cum Alex. M. urbem expugnaret, *Imilco* quod duci Carthaginenſium, unde petas, niſi a מֶלֶךְ *melech* Ebræo, & מַלְכָּה *malcah:* a quo & Tyriorum *Melicerta* ſeu Μέλκαρτος, & Amathuſiorum Μάλικας, & ipſe Arabum *Malchus*, quo nomine Rex Arabiæ memoratur tempore Herodis M. a Joſepho 14. *Antiq.* quo & Philoſophus Tyri municeps, qui a magiſtro ſuo Longino, vocabulo Regis ad inſigne regium purpuram converſo, *Porphyrius* dictus & factus eſt e Malcho.

XV. *Adramythum*, *Hadrumetum* Ἀδρύμης, Ἀδρύμητος oppidum in Byzacena, a חָצֵר *chazer*, *atrium*, vel חַצְרִי *chazri*, ἔπαυλις, *villa*, *ſedes*, & *muth*, i. e. *Pluto* Phœnicibus, quaſi Plutonis vel Ditis regiam dicas & domicilium mortis, ob peſtilentem oræ Africanæ tractum, de quo *Scal. Exerc.* 32. quod hodieque talis: vel quod honori τῷ *muth* conditum.

XVI. Prius voculæ חַצְרִי *chazri*, חֵדֶר *chadar*, vel חַדְרִים *chadrim*, i. e. *conclave*, *cubiculum*, *penetrale*, membrum eſt, & in illo Plautinæ *Pœnoli a.* 5. *ſc.* 2. *Cadreanech:* quo nomine Carthaginem adpellat Pœnus, q. d. ſedem Anacim. Fuere autem Anacim poſteri cujuſdam Anac, gigantis ſive magnatis, Joſ. 14. *v.* 15. inter Palæſtinæ populos, quorum ſedes Kiriath-Arba, quæ & Hebron, Joſ. 15, 13. Inde Euſebius περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ: Ἀρβώ, inquit, μητρόπολις ἥσα παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων καὶ γιγάντων οἰκητήριον. Iſti Anacim patria pulſi, ea loca inſedere, in quorum vicinia poſt condita Carthago, quæ hac de cauſa rite adpellatur Cadreanech lingua Phœnicum Pœnorumque: qua de re *ſ. c.* 3. *n.* 10. & 12. Integrum Adramythi nomen adpellativi forma exſtat Proverb. 7. *v. ultimo*, חַדְרֵי־מָוֶת *chadrim mauth*, *penetralia mortis.*

XVII. Nec operam forte ludet, ſi quis ex eadem Ebræa vel Syriaca lingua deduxerit Atlantis, Jubæ, Maſiniſſæ, Syphacis, Guluſſæ, Ampſiguræ, Gisgonis, Sophonisbæ, Micipſæ, Jugurthæ, Nubelis, Stachaonis,

Digitized by Google

chaonis, Zammæ, Jopæ, Galæ, Bogud, Iſalcæ, Naravaſi: item Mygdonis, Sananis, & Lucitæ ſociorum martyrii B. Namphanionis, & a Phœnicibus in Africa Hiſpaniaque (nam & huc penetraſſe, ipſi Varroni viſum eſt, apud Plin. *l.* 3. *c.* 1. & Strab. *l.* 16. quod de Joſuanorum Phœnicum μετοικίᾳ forte capiendum, quæ ipſa Didus comitum Tyriorum multo antiquior eſt,) conditorum oppidorum, itemque herbarum nomina, quæ ad Orientales linguas ipſo ſono alludentia, reperiuntur apud Geographos & Botanologos.

XIX. *Maſgabas*, Maſiniſſæ filii, & poſt unius e dilectis Auguſto Imperat. congerronibus nomen eſt, ab Ebræo מַשְׂגָּב i. e. *exaltatus, in edito collocatus eſt*, q. d. ὑψατος *excelſus*, vel ὕπατος *conſul*, joco ſic dictus: Caſaub. *ad Suet. Aug. c.* 99.

XX. & XXI. *Cirtha*, Κίρτα, in Numidia regia Jubæ & Syphacis, uti editi codd. Melæ *l.* 1. *c.* 6. habent, Maſaniſſæ & ſucceſſorum, uti Strabo *l.* 7. Oroſ. *l.* 5. *c.* 4. in qua Adherbalem obſeſſum, deditioneque captum exquiſitiſſimis ſuppliciis excruciatum, enecavit Punica plane fide Jugurtha, eſt ipſiſſimum Chaldæorum קַרְתָּא *Cartha*, mutato nomine appellativo in proprium: Ebr. קִרְיָת *Keriath*, a rad. קָרָה *Karah*, i. e. *occurrere, obvenire, contignare*: קִרְיוֹת *Kerioth*, (oppidum in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. unde Ἰσκαριώτης, *Judas Iſch Carioth, vir Cariothenſis*. Tremellius inde dictum putat, quod mercede, quæ Ebræis שָׂכָר *ſchaccar*, defecturus eſſet: quam etymologiam adprobat Ad. Kontzen *Comm. ad Matth. c.* 10. *v.* 4. quaſi ſc. eſſet a *ſeccar* & נטה *jutah*, i. e. *inclinatur*:) *Careth*, *Cartha*, & *Certha*: inde *Tigranocerta*, q. d. Tigranopolin in Armenia: & *Vologeſocerta* a Vologeſo, in vicinia Cteſiphontis Parthorum regiæ, condita, Plin. *l.* 6. *c.* 26.

Vide Add. n. 3. XXII. Ab eadem radice ſunt nomina ea, quibus Arabice urbes *Cairovvanum*, ſeu *Cairoam* in Africa, quam ſic quaſi *comitium*, *concilium*, *conventum* dictam, docuit Scal. *Ex.* 260. alii quaſi *coactricem*, *victricem*, Wilh. Tyrius *l.* 19. *Belli Sacr. c.* 14. ac *Cairum*, quæ & *Alcahira*, in Ægypto, appellarunt.

XXIII. Etiam Britanni voculam *Kair*, *Caer*, qua a majoribus accepta urbem adpellant hodieque, *Caeruth*, & *Pencaer*, qua urbem primariam ſeu metropolin, (*Pen* enim eorum dialecto idem eſt, quod præcipuum, eminens, ſummum:) inde mutuati ſunt: Henr. Huntingdon. *Hiſt. l.* 1.

XXIV. *Byrſa*, arx Carthagini imminens quaſi *Byſra* vel *Boſra*, quæ

&

Digitized by Google

& *Boſtra* per hyperthesin: בָּצְרָה *Bethſura* autem (quo nomine etiam Idumæorum metropolis dicta est, & alia quædem in Judæa, vicina Hierosolymis. 2. Paral. 11. *v.* 7.) est acra, munitus locus, castellum; forte quod rupi superexstructa: quidquid Herodian *l.* 5. *c.* 15. Justinus *l.* 18. Appianus, alii, de taurino corio nugentur.

XXV. *Gadir* vel *Gades*, Τυρίων Παλαιῶν ἐμπόρων ἀποικία, Marciano in *Perieg.* & ipsæ opus Phœnicum, Pœnorumque sedes & nomenclatio, tot scriptoribus Punica lingua *sepem* & *septum* denotare, consentientibus Plinio *l.* 4. *c. ult.* Solino, Avieno, Isidoro, Egnatio *Racemat. c.* 15. Fuere enim eæ ad instar φραγμοῦ, ὀχυρώματος & clausuræ, quam contra Hispanorum Numidarumque incursiones munivere, & intra quam se continuere Pœni advenæ. Est autem ipsum Ebræorum גָּדֵר *gader*, quod exponunt *clausuram:* unde & nostrate gadder / gatter / gitter / pro cancellis & opere reticulato fenestrarum. Ineptum igitur commentum Stephani, Suidæ, Eustathii est, notionem τῶ Γάδειρα e Græca lingua petendam, dicique quasi γῆς δειρὰν. Melius Hesychius: Γάδειρα, τὰ περιφράγματα, Φοίνικες. Etymologus Γάδον apud Phœnicas, quod ex parvis & minutis ædificatum est, significare tradit, & hinc Archelaum Phœnicis filium Γάδειρα civitatem denominasse, teste Claudio Julio ἐν ταῖς Φοινίκης ἱστορίαις. Forte respexit hac expositione ad τὸ קוּט *Kot* seu *Katon* Ebr. i. e. *parvum:* πληθυντικῶς *Ketanah* קְטַנָּה i. e. *parva*, *minuta*, commutatione literæ Koph in Γάμμα, quæ non insolens adeo, admissa.

XXVI. *Bætis*, quam & ipsam Phœnices an Pœni vel condidere, vel denominavere cum occupassent, e בֵּיתָן *Bethan* vel *Baithan*, quo Ebræi Chaldæique palatium seu regiam significant, formato nomine.

XXVII. *Atabal*, *atabales*, *atambor*, *tamboril* vox Hispanica, *tympanum* significans, etiam e Pœnismo reliqua est, Drus. *Adag. Ebr.* 1. *dec.* 7. Est autem טבלא *Tabala*, ταβάλα apud Parthos nomen instrumenti Musici κλιβάνῳ ἐμφερέος, ᾧ χρῶνται ἐν τοῖς πολέμοις ἀντὶ σάλπιγγος; Hesychius.

XXVIII. *Sicca Veneria*, colonia Africana, juxta Procop. *l.* 4. *Vand.* trium dierum itinere Carthagine diffita, cujus mentio apud Val. Max. Plinium, Solinum, Ptolomæum, quæ in *Itiner. Antonini* Numidiæ accensetur, nomen accepit a סכות בנות *Succoth Benoth*, 2 Reg. 17. Babylonicæ Mylittæ seu Veneris fano, q. d. *tabernacula filiarum vel mulierc ularum.* Ad id enim fanum, uti Babylone, sic & in Africa Siccæ confluebant e more gentis, & implorata Dea Zonas sibi ab adventantibus ho-

Digitized by Google

ſpitibus ſolvi exſpectabant: ut de etymo Veneris neque Cicero, neque Auguſtinus, neque alius quisquam e Latina id petentium, ultra audiendus ſit. Eſt enim ab hoc SS. Scripturæ *Benoth*. Urbem eam ortu ſuo nobilitavit Eutychus Proculus, M. Anton. d. Philoſophi Imp. in Grammaticis Præceptor.

XXIX. *Goid*, Γόϊδ Afros adpellare *coriandrum*, eſt in Dioſcoridæ *l.* 3. *c.* 71. nothis, cujuſcumque tandem ea ſint auctoris. Hoc Fr. Ducæus *not. ad Greg. Nyſſeni l. de vita Moſis*, ſuffragari ſcribit iis, qui linguam Punicam oriundam volunt ab Ebræa: hæc enim *gad* גד adpellat illud ſemen, Exod. 16, 31. Num. 11, 7.

Cupidus præterea talium, conſulat Bernh. Aldrete *l.* 2. *c.* 2. quo vocabula, linguæ Phœniciæ veteris & Punicæ apud ſcriptores antiquos occurrentia, diligenter collecta κατὰ στοιχεῖον, & ad Syriacam Ebraicamque reducta, leget. Hæc & alia ejuſmodi Punica plurima vetera in Arabica lingua fruſtra quis quæſierit. Et ſi forte ob conſonantiam aliquam cum eadem reperiſſe putet, non tamen talis ea erit, & tam indubia, qualem illorum eſſe cum Ebræa deprehendet.

CAPUT IX.

SUMMARIA.

I. *Punica vetuſta vocabula ſunt ex Ebraa; recentiora nonnulla ex Arabica lingua.* II. *Zifera vox ex Arabum idiotiſmo eſt, quia res ipſa a Saracenis.* III. *Arabes tamen ab Ebrais ſumſere.* IV. *Maſorethæ, ſopherim, i. e. numeratores.* V. *Gerbertus ſeu Sylveſter II. Pont. Max. inſignis Mathematicus: inde pro Mago habitus.* VI. *Hypatia Alexandrina virgo calumniam eruditionis peregrinæ ſubiit, & inde atrox in furore plebejo ſupplicium.* VII. *Multa nomina in Philoſophicas diſciplinas, & Medicinam ex Arabum doctrina & lingua tranſiere.* VIII. *Nomina eorum, quæ tantum apud Arabas reperiuntur, ſimplicium retinuere gentes aliæ, uti ab Arabibus communicata.* IX. *Arabes, uti & Thalmudiſta, Græcos ac Latinos terminos paullum mutatos, tranſſumſere, multaque ab utrisque vocabula.* X. *Muza.* XI. *Seraſie, Ceraſa: e Ponto in Italiam a Lucullo translata ceraſus.* XII. *Hump*, ὕμφαξ; *aumaalii*, ἀλαμόμελι: *quymuulia, cymolia: Sfenach, Spinachia, vel Spanach.* XIII. *Fil, elephas, ab aliph, i. e. princeps.* XIV. *Al-mageſtum.* XV. *Lovan,*

Digitized by Google

Lovan, seu luben, tus, e Graeco λίβανος, conder. XVI. *Carrumfel, undimia, cordumeni: aschachilos.* XVII. *Foca, i. e. posca, zythum.* XVIII. *Johar, i. e. margarita, e jocale Latino.* XIX. *Lac, Lec, Lacca, e Graeco κάλχη, i. e. purpura.* XX. *Muluchia e Graeco μολόχη.* XXI. *Mallochia a sale sic dicta, alias Kali, atriplex marina.* XXII. *Selicah, i. e. casia aromatica, a Graeco ξυλικὴ. Σελιχα, casia solutiva, a Lat. Siliqua.* XXIII. *Candarusius, galea, Kemun, Aphellan, Abracaleus, allohore.* XXIV. *Medici & seplasiarii Latino-barbari aliarum linguarum voces ad suam ridicule detorquent.* XXV. *Coccole di Levante.* XXVI. *Aloe sicotina & sucutrina differunt; & unde cuique nomen.* XXVII. *Hermubaja, hermupoa.* XXVIII. *Arabum nonnulla vocabula mere Ebraica, rimmon, ruman, pomum granatum: rukaba, recceb, plaustrum: filfil, piper.*

I. DE Punicis veteribus & vere Punicis verum est, ab Ebræo sermone propius abesse, & ad eum nullo negotio reduci posse; recentiora vero pleraque & cum Arabum in Africa imperio eo traducta, ibique usitata, propterea ex Arabica peti, ad eamque reduci debent. Qualia sunt Latina, quæ apud veteres scriptores non habentur, & Latina tamen *civitate ab annis mille* donata esse leguntur, multa item linguæ Hispanicæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ.

II. Ex gr. quia *Zifera* vox neque Latinis ante Arabum in Africa imperium, neque Germanis usitata fuisse, legitur; rem autem, cujus vox ea signum est, novam scilicet numerandi, & numeros exprimendi rationem a Saracenis accepimus, vocem eam ex Arabica olim per Hispaniam familiari lingua in nostram transiisse, & ex eadem de ea judicare oportere, consequens est.

III. Ea ipsa tamen vocula *Zifera* non in Arabia nata, sed e terra ha-Ebrim cum Ismaele vel Edomo eo traducta est, formata sine dubio ex Ebræo סָפַר *saphar*.

IV. Unde & Masorethæ Critici illi sacri, quod literas etiam textus Biblici numeratas haberent, & quæ in quolibet libro media, & quota quæque esset, adnotarent, *sophrim*, quasi *numeratores*, dicti.

V. Constat autem, ut hoc occasione mentionis Ziferarum addam παρέργως, Gerebertum Gallum, Archiepisc. Ravennatem, qui adeptus Pontificatum circa an. Chr. 998. Sylvester inter Papas II. Hispali Philosopho Saraceno familiariter usum, & ab eo in Mathematicis scien-

Digitized by Google

tiis fideliter inſtitutum, easdem poſt in Gallias reverſum docuiſſe, & abacum figurasque barbaricas, quibus Logiſtæ utuntur, a Saracenis acceptas, per Europam primum divulgaſſe, Guilh. Malmesbur. *l.* 2. *de geſtis Regum Angliæ c.* 10. Quod ipſum ſeculo illo liberalium artium inimico ac rudi (Romæ tum vix quisquam erat, qui literas didiciſſet; vox Arnulphi Aurelianenſis in Concilio Rhemenſi, anno Chr. 991. celebrato) eam de homine admirationem paſſive excitavit, ut ſimplicibus de Magia cœperit eſſe ſuſpectus, Baron. *Ann. Eccl. ſub a. d.* Cruſ. *Annal. Suev. l.* 3. *P.* 3. *c.* 4.

VI. Quod & Hypatiæ virginis doctiſſimæ, γνησίας καθηγεμόνος τῶν φιλοσοφίας ὀργίων, uti eam adpellat Syneſius *Ep. ad Herculianum*, Alexandriæ fatum fuit, quam eo nomine Eccleſiaſtici, maximeque Cyrillus Epiſc. Alex. inconſideratius, & zelo non ſecundum ſcientiam correptus, traduxerat immerentem, Camerar. *narrat. de Syneſio.* Ejus tamen criminis non immerito ſuſpectum, ſed & reum Sylveſtrum habebit, qui, quæ de eo Benno Cardin. *de vitis Pontif. ſui temporis* habet, legerit.

VII. Clarius, quod dixi, patet ex iis, quæ in Philoſophiam, Mathematicas inprimis ſcientias, & Medicinam Græcorum Latinorumque ex Arabum doctrina nuperis ſeculis tranſiere, tam ſimplicium, herbarum, fructuum, lapidum, &c. quam compoſitorum medicamentorum; item partium corporis, & morborum quædam nomina.

VIII. Quæ enim apud Arabas vel tantum reperiuntur, vel ab iis primum in uſum medicum vocata ſunt, quorum nomina cur aliunde, quam ex lingua Arabica peteremus? (ita *Cubeba*, Actuario Κομβέβα, etiam vulgo eadem nomenclatione notæ per omnes fere linguas, ſunt ex Arabum *Quabeb*, vel Indorum *Cubabchini*; *coſtus* e *coſt*, *caſt*, vel *coſti* eorundem; Σιγίβερις Dioſc. ζίγγιβερ Gal. Plin. *Zingiber*, ex Arabum *Gengibil*: *Sandala* ex Avic. *Sandal*: *Galanga* ex Arabico *caluegiam*, quod & *culungem*: *Elixir*, *tabarzeth*, *rheb*, *rhobub*, *ſufuf*, *ſief*, *alchool*, *julep*, *looh*, *tabaxir*, *tereniabin*, quod & *trongibin* efferunt, & alia eodem pertinent:) cum reliquæ gentes, quæ talia ab Arabibus, primis poſſeſſoribus, accepere, nomenclationes etiam Arabum ut plurimum retinuerint, vel cum tempore paullum mutatas ſuæ linguæ transſcripſerint.

IX. Perinde ut Arabes, præſertim illi a mille annis nuperi, & artium poſt Græcos & Latinos decoctores, inſtauratores feliciſſimi cum realibus, etiam inſtrumentalia, ſeu terminos docendi diſcendique organa, ab illis

Digitized by Google

illis accepere, aliis quidem suæ linguæ vocabula substituentes, alia autem paullum inflexa, sæpe terminatione tantum, Græca vel Latina, demta, in censum Arabicum (uti & Rabbini Græcis & Latinis Philosophicis terminis suam linguam locupletarunt;) referentes, cum tamen sint vel a barbaris transsumpta, ut exoticarum mercium plerarumque nomina; vel e Græcis & Latinis depravata.

X. Ita *Muza*, sic vocant *poma* mali Punicæ, medio sapore, vinosa, subacida, e Græco μέσον: *Pagomen* (ita adpellant Arabes, Persæ & Æthiopes dies quinque, quæ reliquis 360. extra ordinem mensium explendis spatiis anni adjiciuntur, & sic rationem anni æqualiter excurrunt,) e Græco ἐπαγόμενα fecerunt.

XI. *Serasie* e Latino vel Græco detortum est, in omnes fere linguas, etiam Orientales, migrante e Ponto vocula. Cerasa enim a Cerasunte, Ponti oppido, unde in Italiam a Lucullo, devicto Mithridate, traducta sunt circa A. U. C. 680. Plin. *l.* 15. *c.* 25. Tertull. *Apol. c.* 11. Ammian. *l.* 22. Hieron. *Ep. ad Eustoch.* Athenæus vero. *l.* 1. a Græco κέρας derivat, fuisseque in Italia etiam ante Lucullum. Sed quod durum & *cornum* vocaretur, quod post mollitum cultu cerasum dictum fuisse, scribit Servius. Cerasus vero ἀπὸ τῶν κεράσων. *Hump* pro *uva*, e Græco ὄμφαξ, ὀμφάκιον.

XII. *Aumaalii* e Græco elæomeli, Kirsten. *Indice super* 2 *Canon. Avic. sub liter. aliph. Terra qúymuulia* est *cimolia* Græcis dicta: *Sfenah*, ut habet Scalig. *Ex.* 175. *s.* 1. vel ut alii, *aspanach* vel *spanach*, e Latino spinachia, vel e Græco σπανακὶν, uti id oleris nominat Architrenius Adrianopolita.

XIII. *Fil* (ita Elephantem vocant Arabes, a quibus accepere etiam Turcæ & Dani) ignotum veteribus Ebræis; Rabbinis tamen usitatum e Græco ἐλεφας formarunt, abjecta terminatione in auribus suis barbara, & τῷ φ transposito. Latinum autem & Græcum ab אלף *aliph*; unde אלוף *princeps*, *primus*, caput in suo genere, ut Elephas inter bestias. Et hinc *daulalfil*, *pes elephanti*; ita morbum ἐλεφαντίασιν adpellat Avicenna.

XIV. *Al-magestum*, Index Syntaxeos magnæ Ptolomæi, e Græco μέγιστον.

XV. *Lovan*, aliter *luben*, *tus* vocant, cujus arbor soli Arabiæ vernacula est, voce e Græco λίβανος deducta: malim tamen *lovan* vel inter Arabum proprias numerare, quod rem voce designatam possederint soli, primique propterea nomen ei imposuerint; Ebræos vero pariter, uti Græci

Digitized by Google

Græci τὸ λίβανον, inde *lebonah* ſuum לְבוֹנָה Num. 5, 15. Cant. 4, 14. formaviſſe; vel ſane ab Ebræis accepiſſe Arabas: illos vero a candore, qui לָבָן *leben*, ſic denominaſſe, uti & לְבָנָה *lebanah*, Lunam ob pallorem: alio vero nomine, ſed generaliore, *conder*, i. e. *reſinam*, adpellant. *Cordumeni* e *cardamomo*: *Corrumfel* e *caryophyllo* Græcorum recentiorum; Dioſcorides enim & Galenus ignoravere. *Undimia* e τῷ ὀιδήματι h. e. *apoſtema* molle, indolens, pituitoſum & flatulentum, Fallop. *l. de tumoribus c.* 29. *Aſchachilos* & *Ecahalus*, ut eſt apud Pandectarium, e Græco σφάκελον, Fall. *l. d. c.* 26.

XVI. *Foca* & *Alfoca*, quod interpres Avic. *l.* 2. *Can. tr.* 2. *c.* 279. reddit *Zythum*, a Latino *poſca* eſt, quod Græcorum noviſſimi efferunt φῶσκα.

XVII. *Johar*, quo ſupellectilem gemmariam, & καθ' ἐξοχὴν *margaritas*, adpellari ab Arabibus docent, Hiſpan. *Joyas*, itidem e Latino *jocarium*, *jocale*, detorſiſſe eos nonnulli putant.

XVIII. *Loc*, *Luc*, *Lec*, *Lacca officinarum*, quæ rubeo colore inficit, Græcorum λάκχα eſt, quod hi e χάλκη vel κάλχη, i. e. *purpura*, tranſpoſitis prioris ſyllabæ elementis, formavere: Scalig. *Ex.* 172. *ſ.* 1. *lach* adpellatur: eſſeque Arabibus & Indis communem vocem.

XIX. *Cuſus* e Græco κισσὸς, i. e. *hedera*. *Muluchia*, i. e. *malva*, e Græco μαλάχη vel μολόχη.

XX. & XXI. *Mallochia* vero (ita, ſi fides Ruellio, Mauritani hodieque adpellant herbam, quam Græci ἅλιμον & ἁλμυρίδα, Latini *atriplicem marinam*, Pandectarius *ſalſolam*, Arabes alias & Chemicorum filii *Kali*, eſt ex Ebræo מַלּוּחַ *malluach*, quod legimus Jobi 30, 4. a ſalſedine ſeu ſale, qui Ebr. מֶלַח *melach*, ita dicta, Avic. *c.* 485. *melha* & *meliha*, diverſa omnino a malva. *Salicha*, *Selicah*, *Selch*, qua voce *caſiam aromaticam*, veterum Græcorum ξυλοκασίαν & σύριγξα adpellant Ægyptii & Arabes, e Græco ξυλικὴ, quod craſſiore lignoſiorique cortice eſſet.

XXII. Eadem vox Σελίχας vel Σελίχα, qua Arabes caſiam ſolutivam, σοριγξίδα recentioribus Græcis, & inde barbaro-Latinis *fiſtulam* dictam, denotant, e Latino Siliqua detorta eſt.

XXIII. *Candaruſius*, ita *ptiſanam* ſeu *alicam* Latinorum adpellant, Avic. *c.* 200. *Canderos*, e Græco χόνδρος, Scal. *ad l. Hipp. de inſomn.* *Galea* Arabibus, *paſſio galeata* Latino-barb. dolor capitis atrox & diuturnus, e Græco κεφαλαῖα: *Kemun*, e Græco κύμινον: *Aphellan*, Ἀπόλλων,

Digitized by Google

λων, *Abracaleus*, Ἡρακλῆς: ita Geminos inter ſigna Zodiaca vocant: *Allohore*, Λύρα, *ſidus*.

XXIV. Et in hoc Arabibus quam ſimillimi ſunt Latino-barbari Medici, & Seplaſiarii etiam noſtrates, in corrumpendis ſcilicet ad ſuam linguam vocabulis, aliarum male ingenioſi. Dicunt enim *cliciza*, *quiriza*, *regolitia*, *liquiritia*, pro γλυκυρρίζα: *Hirabotamen* pro ἱερὰ βοτάνη: *Keraminon* pro κρόμμυον, *cepa*: *ſion* pro ἀείζωον, *ſempervivum*: *pſinnuthi* pro ψιμμύθιον, *ceruſſa*: *femice* pro φοίνιξ, *palma*; *antimaſis* pro ἀναθυμίασις; *piſaxara* pro πίσσα ξηρὰ, *pix dura vel ſicca*; *ceruſt*, pro *ceraſtes*; *filictides* pro φλυκτίδες: *glitaſmos* pro γλυκισμὸς: *filoluntres* pro φιλολουτρῶντες; *deiſpara* pro δύσφθορα: *monoramenon* i. e. *unius diei*, pro μονήμερον: *mucatum*, *micete*, i. e. *fungus*, pro μύκης, μύκητος: *bultamen*, pro βόφθαλμον: *mochenagria* pro μολόχη ἀγρία: *idoma* pro ὄιδημα: *boliſmus* pro βόλιμος: *bidella* pro βδέλλα, *hirudo*: *ſitia* pro σικύα, *cucurbitula*: *feßæ ovium*, Plin. Val. *l.* 1. *c.* 3. pro pediculis inguinalibus, quod hi ovillis ricinis ſimiles ſint, ex Arabico *feſſefis*, i. e. *cimex*: *cotulæ elefantinæ*, Elephantenkörner / pro granis ad piſces ſtupefaciendos capiendoſque expeti ſolitis, e non intellecta appellatione Italica, *coccole di Levante*, quod eſt, baccæ ex Oriente.

XXV. *Aloe ſicem*, *ſigem* & *ſegem*, Silvat. *Pand. c.* 31. formarunt hi ipſi e Græco σικολίνη: *ſicotina* vero vel *ſycotina* ea eſt, quam *epaticam* a colore & ſubſtantiæ modo dixere alii, quia σικόλιον & συκωτὸν *jecur* adpellant Græci recentiores. *Socotorina* vero *Sucutrina*, *Socotorenſis* alia eſt, & a loco natali, inſula maris Æthiopici *Sucutri*, denominatur: diſtinguuntque ab epatica expreſſe Meſues, Saladinus, Minder. *in aloed. Maroc. c.* 10. Bauhin. *ad c.* 22. *l.* 3. Dioſc. Matth.

XXVI. *Hermubaja* a Magis ſic dicta, quam *filicem* interpretantur nonnulli, eſt ipſa *hermupoa* Plinii *l.* 25. Ἑρμοῦ πόα, Dioſcor. *l.* 4. *c.* 187. Ἑρμοῦ βοτάνιον.

XXVII. Denique nonnulla, quæ mere ipſiſſimaque Ebraica ſunt, ab Arabibus inter ſuæ linguæ vocabula cenſentur. Ita, quo Arabes Malogranatum adpellant *ruman* vel *roman*, eſt Ebræorum רִמּוֹן *rimmon*, quod habetur Cant. 2, 8. & in *Cod. Thalm. Chagiga*, ubi R. Meir: *Malogranatum reperi*, *meditullio ejus veſcere*, *at putamen ſecerne*; eleganti adagio. *Al-rukaba*, quo ſchema cœleſte, plauſtrum nominant Arabes, eſt Ebræum רֶכֶב *ræccæb*, vel רְכוּב *reccub*, i. e. *currus*, *vehiculum*: *alghakim* חָכָם *chacam*, *ſapiens*, adpellatio Doctoris ſeu Magiſtri apud E-

 braeos.

Digitized by Google

bræos. *Filfil*, *fulful*, & *fulfel*, ita Arabice *piper* vocatur, Ægyptiace *felfel*, & *darfelfel*, *piper longum*, est Ebræorum פלפל, quod habetur in *Cod. Thalmud. Massichta Sopherim*, *c.* 15. *halacha* 8. ubi Lex sali, Mischna piperi, Thalmud aromatibus simile esse dicitur: nisi forte ab Arabibus Rabbinos posteriores id mutuatos esse malis.

CAPUT X.

SUMMARIA.

I. *Vocabula multa Græca & Barbara perperam habita pro Arabicis.* II. *Etyma vocis Aristolochia.* III. *Chelidonium.* IV. *Ocymum.* V. *Colocynthis.* VI. *Sinapi.* VII. *Karabe.* VIII. *Nardus.* IX. *Calamus.* X. *Sabina.*

I. INsuper bene multa pro Arabicis a nonnullis, etiam a Dn. D. W. *Orat. de L. Arab.* habentur, quæ Arabes pro suis non agnoscunt.

II. *Aristolochia*, quod optime puerperis auxilietur, ita nuncupata, Dioscor. *l.* 3. *c.* 4. quasi dicas ἀρίστη ταῖς λοχευόσαις; Mauritanis *maſmocra* vel *zaraved*.

III. *Chelidonium* ἀπὸ χελιδῶν@, ut γεράνιον ἀπὸ τῦ γεράνυ, Afris *Kauroch*.

IV. *Ocymum*, quod ceteris pabulorum generibus citius primo vere adolescat: est enim quidquid e segete desecatur (ἐπινέμεσθαι, hoc est καὶ ἐπικείρεσθαι; Theophr. *l.* 8. *hist. plant. c.* 7.) antequam geniculet, seu in articulum perveniat: id nostratibus est Schossen: ocymum vero sic Schrapse. Hortense ocymum Theophrasto, Dioscor. Plinio, Galeno memoratum.

V. *Colocynthis*, Hippocr. Dioscor. Aphrodisieo, Athenæo expressum, Arabibus *hanthdsal*.

VI. *Sinapi* ἀπὸ τῦ τὴν ὦπα σίνειν, quod oculos lædat, Dioscor. Plin. Galeno ita dictum, Arabibus *chardel*.

VII. *Karabe* vel *Kakabre* Arabibus, e lingua Persica transsumtum, pro succino, Avic. apud Matth. in Dioscor. *l.* 1. *c.* 93 *f.* 131.

VIII. *Nardus* barbarum forte est, cum ea apud Indos solos reperiatur, quod contra Dioscoridem & Plinium alicubi disputat Matthiolus; vel est Ebræorum נרד *nerde*; a quibus alios populos, ad quorum linguas transiit, mutuatos esse colligo; Arabibus *Zembul* vel *Scembul*.

IX. *Ca-*

Digitized by Google

IX. *Calamus* e Græco Latinum est; Arabes vocant *Cassab aldarira*, Avic. c. 1860. & Garz. *l.* 1. *c.* 32. *Aclaman* vero calami scriptorii sunt Arabibus.

X. *Et Sabina* Latinum est, a provincia Italiæ, (cujus populi Sabini, quasi Sebini, ἀπὸ τῦ σέβεσθαι, a cultu Deorum, Plin. *l.* 3. *c.* 12. Stuck. *de sacrif. gentil. f.* 141. Cato a Sabo ejus loci dæmone appellatos censet, Serv. in 8. Æneid.) in qua plurimum ejus nascebatur, Plin. *l.* 17. *c.* 13. Sunt ejusmodi præterea plurima; sed quæ ad fontes revocare oportet.

CAPUT XI.

SUMMARIA.

I. *Arabes nunquam Punicam, nec Pœni Arabicam linguam locuti sunt.* II. *Cera, coagmenta, puls, torculæ, libri, fenestra, laterna, lecti, malum, omnia Punica, a Pœnis auctoribus ita denominantur.* III. *Giblai apud Ezech. c.* 27. *v.* 9. *iidem cum Bybliis, architecti ingeniosi: Phœnices artifices opificesque egregii.* IV. *Phœnices & coloni horum Meliteni, polymitarii textoresque insignes.* V. *Pœni lignariæ operibus clari.* VI. *Pœnorum Tyriorumque inventa, aries,* VII. *machina navibus deducendis in mare.* VIII. *Tribulæ genus, instrumentum trituræ accommodatum, plostellum Punicum dictum.* IX. *Carthaginenses alutarii: coria ab Æthiopibus emunt.* X. *Scylacis edita lectio emendata: Cluverius notatus.* XI. *Laternæ item e cornu, ligno, vitro apud Pœnos.* XII. *Malum Punicum Africa fert circa Carthaginem.* XIII. *Balaustium flos ejus, Arabice gielenar.* XIV. *Bernh. Aldrete Scriptoris Hispani, cujus testimonio hactenus dicta roborantur, laus.*

I. EX dictis, qui veterum Pœni fuerint, & quæ eorum lingua, liquere arbitror satis, eos nimirum nec Arabas fuisse, nec Arabicam unquam locutos linguam, & inde eandem esse cum Arabica Punicam, non sine errore dici.

II. Nisi quis forte simplex adeo & ridiculus, ut *pavimenta* Pœnica, apud Festum e Catone, *ceram* vel *cerussam* Punicam; Plin. *l.* 20. *c.* 8. Catonis *c.* 18. *coagmenta* Punicana, & *pultem* Punicam, *c.* 85. & *torculare* Pœnicum; Punicos *libros Hannonis*, quorum Solinus *c.* 27. totiesque Plinius, Mela, Athenæus meminere, & *Magonis de agricultura*, item quos Livius & Servius passim laudant, quibus multa sapienter esse man-

Digitized by Google

data memoriæ a viris doctis prodi, scribit D. August. *Ep.* 43. Varronis *fenestras* Punicas: Plauti *Aul. a.* 3. 5. 6. *v.* 30. *laternam* Punicam: Ciceronis pro Muræna, & Plin. *l.* 33. *c.* 11. *lectos* Punicos; *malum* Punicum e Celso *l.* 2. de *re med. c.* 24. seplasiis notum, & *bella* Punica Romanis gesta, ex Arabia petere simul velit; non minore profecto περιεργίᾳ stultitiaque, quam si ex Africa, privatimque e Numidia ursos & cervos, e Lybia apros, Herod. *Musa.* 4. e Creta viperas, Arist. *l. de mirabil. audit:* Plin. *l.* 8. *c.* 36. *&.* 58. e Scythia asinos, ex Æthiopia equos, ex Ithaca lepores, Antig. *mir. narrat.* 11. ex Arabia sues; Plin. *l.* 8. *c.* 52. e Scotia mures, e Creta noctuas, e Rhodo aquilam, ex Ebuso cuniculos, Plin. *l.* 3. *c.* 5. ex Anglia lupos, Scal. *Ex.* 200. quibus tamen privilegio quodam suo caret, vites e Norvegia seu Botnia, & mala Medica e Voitlandia exspectet. Esse enim omnia illa ad Pœnos Africanos, non ad Arabas, qui Asiatici, referenda, nemo, nisi ἀφύσικός τις ἀτρίβων καὶ βραδὺς ὑπερβαλλόντως, non viderit.

III. De duobus tantum monebo quædam non protrita: ob insignem architectonices artificiorumque diversorum peritiam, & inventiones rerum quarumvis utilium simul elegantiumque & necessariarum in vita, Phœnices πολυδαίδαλοι Homero, Eustathio Sidonii καλλίτεχνοι καὶ ἐξαίρετοι, *Iliad.* ψ. *v.* 743. πολυτέχνοι καὶ καλλίτεχνοι Straboni *lib.* 16. valde artificis ingenii viri, & Giblæi Arado Sidonique vicini (qui & Hieronymo Byblii, Ezech 27. *v.* 9. dissentit Scal. *adpend. ad ll. de Emend. temp.*) ad nobilissimi ædificii Templi Hierosolymitani structuram adhibiti a Salomone, 1 Reg. 5, 18. itemque e Pelasgis, quos Phœnicas fuisse, supra ostensum est, Agrolas (est is qui Plinio *l.* 7. *c.* 56. Euryalus) & Hyperbius murum circa arcem Athenarum duxere, mercedis vice locum habitationis sub Hymetto nacti, Pausan. *Atticis*, Hero *l.* 6. *extr.*

IV. Eosdem Phœnicas polymitarios seu phrygiones solertes ingeniososque fuisse, qui pretiosa vestium tenuissimarum, mollissimorumque linteorum tapetumve e serico byssove genera pectine, radiove texerent, persuadebit id, quod insulam Melitam παντοδαπὺς ταῖς ἐργασίαις τεχνίτας habuisse, scribit Diod. Sic. *lib.* 5. κρατίστους δὲ τοὺς ὀθόνια ποιοῦντας τῇ τε λεπτότητι καὶ τῇ μαλακότητι διαπρεπῆ. Melita autem illa Phœnicum colonia; & a Phœnicibus igitur ex Africa (per Φοίνικας enim apud Græcos scriptores utrique significantur) in eam usus artis polymitariæ traductus.

V. Claruerunt etiam Pœni lignariæ opere, λεπτουργίᾳ seu minutiaria arte,

arte, ut hodieque Berchtholdgadenſes in Archiepiſcopatu Salisburgenſi, & Noribergenſes, quorum opera lignariæ, præſertim minutalia & crepitacula, arculæ, capſulæ, catilli καὶ τοιαύτη ἶις γρύτη, vere Αἰγυπτία ἐμπολὴ veterum & ῥῶπος, a Belgis, Hiſpanis & Anglis caro emuntur, & ad extremos Indos avehuntur.

VI. & VII. Teſtis ejus rei, quoad Phœnicas Pœnosque, κριὸς aries ſeu machina, muros ſubruere vel frangere militans, ut loquitur Tertul. *l. de pall. c.* 1. quæ Pephaſmeno fabro Tyrio & Cetræ Carchedonio inventoribus adſcribitur, quo de Vitruv. *l.* 10. *c.* 18. ex Athenæo περὶ μηχανημάτων. Stevv. ad *Veget. l.* 4. *c.* 14. Junius ad *Tert. l. d.* Et καθολκὴ, qua navem Ptolomæi Philopatoris capaciſſimam in mare poſt tot hominum conatus irritos deductam fuiſſe, Athen. *l.* 5. commemorat; excogitaverat vero eam τῶν ἀπὸ Φοινίκης ἶις.

VIII. Et inſtrumentum illud ruſticanum operoſæ fabricæ, trituræ adcommodum, *Tribulam* vocare poſſemus, quod conſtabat ex aſſeribus dentatis cum orbiculis, & volvebatur ſuper rotis ferreis atque dentatis, quo excuſſis frumentis ſtipulam in areis conterebant, & in cibos jumentorum propter fœni ſterilitatem paleas comminuebant, Hieron. *Comm. in Am. c.* 1. Quod ſine dubio inde, quia Pœni id fabricare docuiſſent, *ploſtellum* Punicum dictum eſt a Varr. 1. *de re ruſt. c.* 5.

IX. Ex eo vero, quod Hipp. *l. de articulis f.* 799. *edit. Foëſii*, maxillæ fracturis ſanandis habenas ex aluta Carthaginenſi, ut quæ ei operi, quia valida ſimul & mollis, valde accommoda ſit, jubet adhibere, colligas Pœnos etiam τῇ βυρσοδεψικῇ præ reliquis gentibus tum excelluiſſe, & ab iis opificii illius δείγματα Græcos maxime petere conſueviſſe: quin idem Hipp. teſtimonium de mercimoniis eorum, quod coria, variis uſibus parata, in Peloponneſum & reliquam Græciam uſque deportarent, permutantes cum fictilibus Atticis, quæ Æthiopibus in Inſulam Cernen, (qua de re V. *ſ. c.* 2. *n.* 14. e Scylace,) advehere ſolebant, & quod Pollux *l.* 5. *c.* 4. e Xenophontis cynegetico præcepto, λίνον Καρχηδόνιον ad retia, laqueos & caſſes commendat, fidem faciet.

X. Pelles vero & coria ab Æthiopibus iſtis coemere conſueviſſe, ſcribit *l. d.* Scylax; Οἱ δὲ ἔμποροι, inquit iſte, εἰσὶ μὲν Φοίνικες, εἰσὶ δὲ ἄλλοι Αἰθίοπες πρὸς οὓς διαλίθενται. Πωλοῦσι δὲ δέρματα ἐλάφων, καὶ λεόντων, καὶ παρδαλέων, καὶ δέρματα ἐλεφάντων, καὶ ὀδόντων, (nota aſteriſci ab Hœſchelio adpoſita, de mendo monet. Id ego eluo, legoque ὀδόντας, & intelligo Æthiopas iſtos ebur vendidiſſe Pœnis, quod horum potius,

Digitized by Google

quam Phœnicum Aſiaticorum, uti putat Cluver. *l.* 1. *Sic. Ant. c.* 2. fuerit iſta duodecim dierum itinere a Columnis Herculis navigatio: *V. ſ. c.* 2. *no.* 13.) καὶ τῶν ἡμέρων βοσκημάτων.

XI. Iiſdem Pœnis non immerito tribuas & *laternas* eas, quæ ſive e cornu in laminam ſecto, Plin. *l.* 11. *c.* 37. ſive e ligno, ſive e corio, quod ex Ariſt. 5. *gener.* 1. & Gal. 2. *de ſimpl. med. fac. c.* 5. probant, ſive etiam e vitro (nam & Sidon artifex vitri, Plin. 5. *c.* 19. Strabo *l.* 16. de ψάμμῳ ὑαλίτει juxta Sidonem; alii Sareptæ officinas fuiſſe vitrarias, e nomine probare ſatagunt: & ſpecula excogitavit, Plin. *l.* 36. *c.* 26. aluitque etiam ante quingentos annos artifices vitri, quod tum haberetur pro præſtantiſſimo, teſte Benjam. Tudel. *in Maſſaoth.*) confectæ. Dictæ igitur fabricæ ligneæ, quia Punicæ & a pultifagis fabris barbaris, (uti Plautus Moſtel. *a.* 3. *ſc.* 2. *v.* 139. nominat Pœnos,) facta, quod & lingua ipſa Punica dicta iiſdem Pœnis adſerenda ſit & Arabibus ea tam, quam lingua ipſa Punica non tribuendæ, ut qui talium nullum forte uſum juxta & linguæ notitiam habuerunt, inconvulſibiliter adſtruunt.

XII. *Malum* vero Punicum & *pomum* Punicum, quam ſignanter Arabibus non adjudicat Plin. *l.* 13. *c.* 19. *Africa*, inquiens, *circa Carthaginem malum Punicum, cognomine ſibi, vendicat, aliqui granatum adpellant.*

XIII. Ipſum floris ejus nomen, quo a Græcis & Latinis, Dioſc. *l.* 1. *c.* 27. Plin. *l.* 3. *c.* 19. etiam ante Arabas in re medica claros, *balauſtium* nuncupabatur, ab his illos non mutuatos eſſe, nec hiſce fuiſſe cognitam rem ipſam, nec Punicum pomum pro Arabico habendum eſſe, evincet, Arabes *gielenar* nominant: Avic. *c.* 112.

XIV. Omnium vero clariſſime veritas ejus, quod ſentire de lingua Punica profeſſus ſum, & dictorum hactenus omnium, liquet e Bernharti Aldrete laudato ante ſcripto, de quo, quod ſecundum me ſic pronunciet, jure mihi gratulor. Ejus *l.* 1. *c. ult.* differentiam linguarum Phœniciæ, Punicæ & Arabicæ tradit: *l.* 2. *c.* 8. voces linguæ Punicæ veteris, quæ in Hiſpaniam commigrarint, in eaque hodieque retineantur, diſtinguit ab Arabicis; & expreſſe *l.* 1. *c.* 32. *p.* 128. *Los Phœnices*, inquit, *i Penos unos eran, contodo ſe reconocia alguna diferentia en la lengua, como le enſenna ſan Hieronymo prol.* 2. *Epiſt. ad Galat. mucho major la auria entre la Arabe i Punica.* Idemque docet *c.* 21. *p.* 107. & *l.* 1. *c.* 23. *No ſolo ſon los Phœnices gente diſtinta i mui apartada de los Arabes*

Digitized by Google

Arabes per viver, como viven en provincias tam ſeparadas i remotas, ſino tam bien, porque en trato condition i naturales fueron mui diverſos i quaſi opueſtos. Præterea *l.* 1. *c.* 25. rationibus quibuſdam probat, Phœnices in ſocietatem vel bellorum vel imperii nunquam admiſiſſe Arabas, ſed ab iis quaſi naturali inſtinctu abhorruiſſe, inſtitutis etiam, moribusque diſcrepaſſe, *c.* 30. Idem feciſſe Tyrios & Carthaginenſes *c.* 29. & 31. Si igitur adeo diverſæ gentes Arabes & Phœnices, ſi nihil tam commune habuerunt, etiam linguæ, quibus uſi fuere ii, Arabica & Pùnica, haberi debebunt pro diverſis. Hæc vera eſt de lingua Punica ἀρχαιολογία.

CAPUT XII.

SUMMARIA.

Plautina Pœnulo hactenus intacta & obſcura lux aliqua. I. *In ea fragmentum e lingua Punica reſiduum, quale nullibi ſcriptorum veterum reperire eſt.* II. *Romanis lingua Punica cognita & æſtimata.* III. *Plautina Punica reduci ad Ebraiſmum, & ex eo explicari poſſunt: ejusque ſpecimen illuſtre e CL. Seld. Syn. de Dis Syris.* IV. *Elion Phœnicibus Deus, i. e. excelſus* ἔλη *vetuſtum Græcum, unde Latinum Sol, ex Ebræo El.* V. *Sanchouniathon quis, & quando vixerit.* VI. *Scriptores rerum patriarum Phœnices alii a Lato quodam, de quo emendatus Tatianus, in Græcam linguam verſi.* VII. *Duodecim nomina Dei myſtica.* VIII. *Eorum fama ad gentiles etiam venit.* IX. *Joſephi Scaligeri e meritiſſimo laus.* X. *Et J. Philippi Parei.* XI. *Longolius male, quod Punica in Romano codice Plauti reperta non edidit.* XII. *Haudoni, ſalutatio Punica.* XIII. *Scitiſſimum epigramma Antipatri cujusdam reſtitutum & expoſitum.* XIV. *Gellius correctus: Ejus fruſtratio circa τὸ haudonis.* XV. *Muthumbal, dominus inferni vel mortis.* XVI. *Bar-becceh, i. e. filius lacrymarum, miſer & lacrymis dignus. Ben-pharnaſah, filius cibationis, i. e. procurator, diſpenſator, actor, ſervus: ben-ſchamak: Benath noctis,* ἐπινυκτίδες. XVII. *Baal-ſamen, Baaleth ſchamaim,* Βῆλτις, Βααλτις, *Luna, Juno, Beliſama Europæorum, Urania* Λιβύων, *Aſtarte Phœnicum idem numen.* XVIII *Inſula Gorgatides hodie Capo Verde.* XIX. *Punicæ Plautina habita pro fictitiis* φλοίακ& *alicujus, quia non intelligebantur: B. F. ſcilicet.* XX. *Longolius de ſtupore & temeritate caſtiga-*

Digitized by Google

ſtigatus. XXI. *Punica lingua peritus fuit Severus Imp.* XXII. *& Autaritus Gallus tempore belli Punici I.* XXIII. *Punica Latinis literis ſcripta viſa barbariora.* XXIV. *Græca olim a typothetis per Latinas literas expreſſa.* XXV. *Helinandus Monachus, & Antoninus Archiep. Florentinus mali Græci.* XXVI. *Græca, Latinis literis exarata, obſcura.* XXVII. *Tertullianus inde explicatus, & expleta in eo lacuna poſt J. Gothofredum.* XXVIII. *Græca olim ſine accentibus ſcribebantur.* XXIX. *Romani, etſi lingua Punica callentes, de literis tamen & ſcriptione ejus non fuere ſolliciti.* XXX. *Etruſci Syriaca lingua utentes, characteribus Syris omiſſis, Græcorum literas, ſed inverſas, uſurpavere:* XXXI. *uti Phœnices, cum in Græciam veniſſent, literas fabricaverant ab illis, quibus in patria uterentur, alias.* XXXII. *Judæi Germanicam, characteribus Ebraicorum æmulis, exprimunt.* XXXIII. *Litera Punica & modus ſcriptionis Pœnorum oblivioni æterna tradita.* XXXIV. *Litera linguæ Syriacæ, Samaritice, Æthiopicæ, Chinenſium & Malaccanorum ex Ebraïs elementis formatæ.*

SI nunc eodem modo, quo hactenus Pœnorum, Arabum origines, & eorum linguæ hiſtoriam, ac fata ex antiquitatis ſacrario producerem, res quidem hæc fieret multo clarior. Sed vereor, ne ea ſint λύχνῳ ἐν μεσημβρίᾳ. Superſedebo igitur labore eo, & ſi de veritate hactenus adſertorum quis dubitet, adhuc eum ad Plauti Pœnulum relegem, e qua ipſe ſibi, etiam monente vel facem præferente nemine, ſatisfacere, & errorem de lingua Punica imbibitum dediſcere, poterit.

I. Eſt enim in ea *actus* 5. *ſc.* 1. fragmentum nobile, quod unicum tamen & ſolum (niſi tabulæ æneæ Eugubii repertæ, quæ in Op. Grut. *p.* 142. leguntur, & ipſæ Punica lingua conceptæ ſunt potius, quam Etruſca, quod viſum hactenus pleriſque) ex omni antiquitate ævi dentem omnicarpum effugit; e quo, tanquam e fimbria veſtis, lingua Punica vetus innoteſcet.

II. Inducit Poeta feſtiviſſimus Hannonem quendam Karthaginenſem, ſua Punica mox & Latina lingua loquentem; quæ tum, quod Romani ipſi in Africam crebro trajicerent, & Pœni in Italia jam non eſſent adeo hoſpites, Romæ, ſi non in vulgus, nota tamen eſſe & uſurpari cœperat. Hannibal enim bello Punico II. transcenſo Saltu Pyrenæo, perruptis Galliis, & ſuperatis Alpibus magnam Italiæ partem occupaverat, moratus

Digitized by Google

moratus in ea cum exercitu sexdecim annos. Et capta Carthagine periti linguæ plurimi erant inter Romanos. Quos tamen omnes præcessit D. Syllanus: *Iis negotium a Senatu datum transferendorum in linguam Latinam viginti octo Magonis Pœni de Agricultura memorabilium voluminum:* Plin. *l.* 18. *c.* 3. Quæ Cassius Dionysius Uticensis Græce verterat libris viginti, & Diophanes quidam Nicæensis Bithynus ad Dejotarum Regem sex epitomis circumscripsit: Varro 1. *de re rust. c.* 1. Colum. *l.* 9. *c.* 14.

III. Ejus idiomate versus primus, in codd. maxime emendatis, ad hunc modum concipitur:

Ny ethalonim valon uth si corathisima consith.

Tam clara hic Ebraismi vestigia sunt, ut cetera, quæ depravatissima ibi sequuntur, eidem etiam idiotismo restitui deberi, merito censeas. Et quæ attulimus Hannonis exaranda forsan erant ei, qui sermonem illum a lepidissimo Poeta illuc traductum librarius primum transscripsit, his pene syllabis:

Na eth elionim veelionoth se quara otham makom hazoth: quæ parum a corruptis Plautinorum exemplarium dissident, si ineptas scilicet juncturas, atque imperitas verborum distinctiones, quæ a descriptoribus peccatæ sunt in re non intellecta, tollas. Et *consith* in veteribus nonnullis editionibus *comzet* legitur, quod propius accedit. Sic autem mere Ebraica sunt; & rhythmus, ad eum quem protulimus modum, ita scribendus:

וא את עליונים ועליונות
שקרא אתם מכום האת׳

Id est, si verbum verbo reddideris:

Obsecro superos superasque,
Quibus contigit locus iste.

Id ipsum sonat, quod versio ista apud Comicum:

Deos Deasque veneror, qui hanc urbem colunt.

IV. Phœnicibus enim, a quibus Pœni, Deus עליון *Elion*, ex Ebræo אל *El*, quod Servius *Hel* effert, & *Solem* interpretatur; veteres Græci Ἕλη dicebant, posteriores Ἥλιος: Sisenna *Alon* effert, cujus plurale *Alonim* pro *Elionim v.* 4. habetur. Idem vero est *Elion*, qui Ζεὺς ὑψιμέδων, ὑψουράνιος, ut adpellatur in Phœnicum Theologia apud Euseb. 1. *Præp. Evang. c.* 10. *excelsus, summus, altiregens:* Ἐλιοῦν Philoni Bybliensi, qui res Phœnicum κατὰ τὴν Φοινίκων διάλεκτον describentem Sanchou-

niathonem Græce vertit libris IX. ut est apud Euseb. *l. d. c.* 9. (Porphyrius *l.* 2. περὶ ἀποχῆς octo dicit; fuerat scriptum θ, ex eo factum η in Euseb. Codice.)

V. Iste vero Sanchouniathon Berytius, (Suidæ Tyrius,) Troicis temporibus antiquior (προχρονισμὸν hic esse ostensum a Scalig. *not. ad fragm. Vet. Græc. sel. f.* 36.) φιλαλήθως τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν συναγαγὼν συνέγραψε: Porphyr. *l.* 4. apud Euseb. *l. d. veterem historiam partim e civilibus urbium singularum, partim e sacris templorum commentariis compositam perscripsit.*

Vide Add. n. 4.

VI. Præter Sanchouniathonem res Phœnicum lingua patria consignavere Theodotus, Hypsicrates & Mochus Phœnices, quorum scripta in Græcam traduxit, (teste Tatiano λόγῳ πρὸς Ἕλληνας Χαΐτῳ,) Chætus quidam: ita ejus nomen in edit. Tigur. Frisii A. 1546. in Basiliensi Orthodoxogr. A. 1551. in Lutetiana Fr. Morelli apud Sonnium A. 1615. expressum est, retinuitque Casaub. *Anim.* ad *Athen. l.* 3. *c.* 6. Eusebius vero edit. Parisina A. 1627. Ἄσιτον, Asitum adpellat: & sic Scaliger *f.* 24. Franc. Vigerus Soc. Jesu, editor Eusebii nuperus, utrumque nomen, *notis ad illum locum*, ponit, sed neutrum se alibi reperire addit. Ejus vero scriptoris, cujus opus de rebus Phœnicum periit, etiam nomen verum eadem fortuna fuisse, video. Id e corruptis istis divinare in proclivi fuit, quod & ipsi restituo, Λαΐτῳ; hoc enim in utrumque Χαΐτῳ & Ἄσιτῳ, ob literarum Λ Χ & Α similitudinem per librarios inadvertentes, abire facile potuit. Mirari autem non desino, tot sagacibus doctisque viris, quorum indefessa diligentia cum pari felicitate solertiaque conjuncta, in talibus mortalem omnem sollicitudinem supergreditur, mendam non suboluisse, cum Λαΐτου ἐν Φοινικοῖς, *Lætum in Phœnicum rebus* a Clem. 1. *Strom. f.* 239. edit. Heinsii A. 1616. laudatum, & cum Menandro, Tyriorum res gestas etiam Græce tradente, compositum scire potuerunt. Hæc de Læto restituto, quo sic Bibliothecæ Græcæ per me sint auctiores.

VII. *Elion* vero est ipsum e XII. mysticis Numinis nominibus apud Ebræos, idque ad instar Regum Babylonicorum Assyriorumque ad nomen suum adscivit Rex Tyri, Pygmalion. Decem enumerant Hieron. *Ep. ad Marcellam*: Epiphan. *Hær.* 40. Caninius *Disquisit.* ad *loca obscur. N. T. p.* 29. addit duo, XI. *Sur*: XII. *Abir*, P. Merula ad *Ennii Annal. l.* 1. *p.* 245. ad quorum similitudinem facti sunt sine dubio, fictique

Digitized by Google

quæ etiam gentilium XII. *Dii Consentes*, Ambros. *l.* 5. *Ep.* 29.

VIII. Quorum & famam ad Græcos perveniſſe, ex eo ſciri poteſt, quod ἐγκωμιαστῶν δώδεκα Θεῶν Heraclitus Poeta lyricus ſcripſerit, teſte Laertio. Quod Ariſtophani illi *Avib.* Demoſtheni in Ariſtocratem, Ariſtophonti Comico in Pythagoriſta, noti, depictique in Stoa, Pauſan. *in Attic.* quod ara apud Lectum Deorum XII. Ἀγαμέμνονος ἵδρυμα, Strab. *l.* 13. quorumque nomina duobus in augurum libris verſibus fuere comprehenſa, auctore Scal. *in* 1. *de plant. p.* 9. quos Ennio tribuit Apul. *de Deo Socratis*, & Capella *l.* 1. *de nuptiis Merc. & Philol.* Neque ita forſan conclamatum eſt de ceteris, quin ex Ebraiſmo veræ lectiones, (variant enim in his fere pro numero codicum) conſtitui, & omnia ad ſuam orthographiam redigi & explicari poſſent. Idque ei, qui verum videre voluerit, facile perſuadebit, Punica iſta Plautina ex Arabica lingua non pendere, nec hujus in iſtis veſtigium volamve adparere.

IX. Vidit hoc & perſpicaciſſimus Scaliger, qui, quum eſſet Arabicarum in Europa princeps, ad Arabicam tamen linguam Punica iſta non pertinere docuit, quum Ep. ad Steph. Ubertum Med. D. & Prof. Ling. Oriental. Pariſ. *Plautina*, inquit, *Pœnoli dialectus parum abeſt a puritate Ebraiſmi.* Quod de Arabicis nemo dixerit. Et alibi: *Punica lingua tum pene erat Ebraica.* Cujus Viri judicio omnis eruditus orbis adſurgit merito, ut qui unus plures linguas, quam Europæorum quisquam, tenuit, cujus domus orbis Muſæum erat, qui, quæ cuncti ubique ignorarent, ſine ulla moleſtia explicare poterat.

X. Et non inſcitus eſt labor J. Philippi Paræi, qui, quum Plautum recenſeret, Ebraicis characteribus illa Pœni Hannonis nobis delineavit, majorem a Doctis gratiam initurus, ſi ad Ebraiſmum ea omnia examinaſſet, reduxiſſetque, & veras lectiones ex eodem nobis edidiſſet. Ii, quibus vacat, & quorum in re Grammatica regnum eſt, hic quod agant, habent. Certus autem ſum, & de eo illis, qui hic experiri volent, fidem meam obſtringo, ſi quæ per ineptos librarios (ut fieri ſolet in barbaris & non intellectis) juncta ſunt, ſejungantur, quæ ſejuncta, jungantur, quæ luxata, reponantur; jam ipſa fere Ebræa & intellectu facillima ſeſe per totam ſcenam primam offerre. Subſidium ei operæ etiam aliquod erunt Latina ea, quæ ſubdidit Comicus, quaſi metaphraſin Punicorum; quanquam iis deeſſe tres-quatuor verſus conjicio, ut & Punicis nonnulla; Romanus enim codex, præterquam quæ in vulgatis hodie leguntur, aliquot ejus farinæ habebat, fide Chriſtophori Longolii *Adnotat.*

Digitized by Google

in Plautum edit. Colon. Ao. 1538. *p.* 601. Malum sit istis, per quos Latina perierunt!

XI. Longolius vero non caret scrupulo societatis illorum occultæ; dum Punica, in Romano sibi viso codice reperta, non edidit; ut puto, Punica erant, legi non debebant, scilicet.

XII. In scena altera *v.* 38. *Havo donni*, vox salutantis Pœni est, Ebræorum ἐυκτικὴ חוה, id est, *vive, salvus sis*; & προσφωνητικὴ *donni*, ex *Adonai* formata, quasi dicas, *salve domine mi*; a quorum alterutro nostrum *have*, Scal. *de c. L. L. c.* 17. Ab altero vero Hispanorum *don* & *donna*.

XIII. Scite expressit hanc Antipater *Epigrammate in Meleagrum Tyrium*, *Antholog. l.* 3.

Ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐστὶ, ΣΑΛΟ'Μ· εἰ δ' οὖν σύγε Φοῖνιξ
Ἄυδονις· εἰ δ' Ἕλλην, ΧΑΙΡΕ, τὸ αὐτὸ φράσον.

XIV. Doleamus autem non habere nos octavum librum Noctium Atticarum Gellii, cujus capite 12. lemmatis, quod reliquum est, fide docuerat *Eudones*, quod homines Afri dicunt, non esse verbum Pœnicum, sed Græcum. De hac ipsa voce enim ibi egisse e codice vet. mscr. Biturigum, in quo *Eupsones* reperit, feliciter conjecit Scaliger F. Editiones Parisina H. Stephani Ao. 1585. & Lugdun. J. Tornæsii Ao. 1592. vocem nihili, & quæ ne legi aut pronunciari quidem potest, *Qupsones* præferunt. Sed causa fuisse casurum, neque persuasurum nobis, τὸ *haudonis* esse Græcorum *lexin*, de Gellio certus sum. Est enim revera Punicum. Saltem argumenta in eam rem hominis literatoris cognoscere liceret: nam & falsum veri coloribus fucatum delectat.

XV. Nomen *Muthumbalis*, *ben-chadreanech v.* 35. si ad ea examinetur, quæ supra de gentilitiis Pœnorum & *chazri Anacim* dixi, & ipsa clare docent, Punica hæc e Phœnicia seu Cananæa lingua esse. *Muthumbal* autem sonat *Deum* vel *Dominum Averni*, Ditem seu Plutonem.

XVI. *Vs.* 24. *Me-bar-becceh*, inquit Pœnus: מֶה בַּר בֶּכֶה *quam lacrymarum filius*, quam infelix sum ego & deflendus! Istis respondet Milphioni, qui ipsum salvere jusserat; qui scil. salvus esse possit, & χαίρειν qui filias amisisset? Ebræi adpellant בני *filios*, a re qua sunt præditi, qua abundant, quam tractant: Tarnov. *ad Zach. c.* 4. *v.* 14. Drus. *l.* 1. *Qu. Ebr.* 79. Buxt. *l.* 2. *Thes. Gramm. c.* 3. *Ita* בְּנֵי תְמוּתָה *beni themutha*, *filii mortis*, i. e. homines morti destinati, Psal. 78. *v.* 12. 102. *v.* 21. פַּרְנָסָה בֵּן *ben pharnasah*, *filius cibationis seu gubernationis* Onkelosio *Paraphr. Chald. Gen.* 15, 2. pro *servo actore*, cui peculium domini & rationes

curæ

curæ erant, & qui reliquis cibaria præstabat, dispensatore, arcario, quem Moses בֶּן־מֶשֶׁק *ben meschek*, *filium discursitationis in domo*, cujus pedibus & inspectione omnia domestica obeuntur, adpellat. Avicennæ *l.* 4. *fen.* 7. *tr.* 3. *c.* 10. *benath noctis* sunt *ulcuscula*, seu pustulæ, magnitudine infra fabam, sed supra quam ex iis dolor, orta in eminentibus partibus, præcipue noctu, Celsus *l.* 5. *c.* 28. Græcorum ἐπινυκτίδες ὅτι νύκτωρ ἐγένοντο Gal. 2. *m. m. c.* 2. & noctu hominem vehementius adfligere solent.

XVII. *Versu* 57. *Balsamenierasan* est in vulgatis codicibus. Distinguo, quæ male connexa sunt, & lego *Bel-samen ierasen*. Imprecatio est, ut hominis nihili Milphionis, qui sic ludos fecerat Pœnum, & verba ejus omnia ridicule fuerat interpretatus, præterque sensum, fraudes ac irrisiones retundere velit Juppiter. *Baalsamen* enim ἐστὶ παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ; Ζεὺς δ' Ὀλύμπιος πὰρ Ἕλλησιν, ait Philo Byblius. Et *Baaleth* seu *Baghalam schamaim* est βασίλεια Βῆλτις, *Baaltis*, *patrona*, *duenna* Hispan. *domina* seu *regina cœli*; *meleceth haschamaiim* מְלֵכֶת הַשָּׁמַיִם Jerem. 7. & 44. Luna Europæis *Belisama*, ut testantur Inscriptiones antiquæ: Urania cœlestis, Luna, Juno, ἀρχηγέτις καὶ πατρῶα Carthagini, ut Pallas Chio, Plut. *l. de Herodot. malignit.* & Athenis, Lact. *l.* 1. *c.* 15. & Uraniæ cognomine Venus Corintho, Pausan. *Hebo*, Ἥβων, qui cum *Sole* idem, Neapoleos Deus tutelaris, Jul. Cæs. Capacius *l.* 1. *Histor. Neap. c.* 14. & Romanæ urbis custos Minerva, Enn. 1. *Annal.* Dio *l.* 34. Hinc est quod C. Gracchus Junoniam Ἥραιαν, cognominat Carthaginem, Plut. *in Gracchis*; quia Juno antiquissimum eorum numen a Phœnicibus & Syris, a quibus Arabes accepere, communicatum Pœnis.

XVIII. In ejus templo Carthagine Hanno duarum Gorgonum cutes (sunt qui simiarum insolentis magnitudinis, eoque terribilium fœdarumque aspectu exuvias fuisse, putant;) argumenti & miraculi loco ex Insulis Gorgatidibus, quas hodie Promontorii Viridis adpellant, allatas reposuit, Plin. *l.* 6. *cap.* 31. quæ & ibi spectabantur usque ad captam urbem: deque ista Herodian. *l.* 5. *c.* 15. *Simulacrum Uraniæ Carthaginensibus*, *omnique Africæ venerabile*, *jussit* (Bassianus Caracalla) *adferri*; scil. Romam, memoriæ & honori parentis Severi, qui Afer. Λίβυες μὲν αὐτὴν Οὐρανίην καλοῦσι. Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην (ficto, ad Astarten significandam, quod verum numinis nomen, vel etiam corrupto ibi, vocabulo) Σελήνην εἶναι θέλοντες. Et hinc Africæ Deum Tertull. *Apol. c.* 23. *cœlestum*

ſtum vocat, q. d. οὐρανίωνα, alii *Uranum*, alii *Cœlum* Pœnis, inprimisque Carthaginenſibus peculiariter adſignantes ceu ἑστιατὸν familiarem & proprium eorum urbi. Ex hiſce intelligimus, cur, quod eſt apud Philoſtr. *l.* 4. *Apollonianor.* malus Punica ſola in honorem Junonis plantari conſueverit; ſc. auctori ſuæ Gentis, & Urbis tutelæ debebant hunc cultum Pœni. Deplorare igitur ſatis nequeo, fuiſſe tot, qui Plauto adeſſent, eique ſalutarem manum adhiberent, & juventutis bono exponerent decimæ hujus Muſæ lepores, Gratias & Veneres, neque veniſſe cuiquam in mentem, qui hæc Hannonia emendate legerentur & intelligerentur curare.

XIX. Quin fuiſſe ſuſpicor, a quibus pro fictitiis ea, pro ludis hiſtrionis, (quod genus minime vera pro veris in theatro venditare ſolet, tantum ut plebem naſo ſuſpendat;) & pro logis haberentur, eodemque loco, quo illæ apud Gal. 4. *de differ. pulſ. c.* 1. & Laert. *Zenone*, *bletyri* & *ſcindapſus*, λέξεις ἀσήμαντοι, quibus ὥσπερ παραπληρώμασιν uteremur, & quo illa coci *Pſeudolo-Plautina divina condimenta*, *quibus vitam ſe prorogare poſſe hominibus*, *& in quorum odorem cœnet ipſe Juppiter*, λαπίζει.

Epitaphium Chr. Longolii a P. Bembo poſitum Patavii Ao. 1522.

XX. & XXI. Lego etiam non ſine ſtomacho, qui nænias ea vocet, quaſi nugas dixerit, & pictam in pariete nebulam. Summa Viri propter eximiam in literarum ſtudiis præſtantiam Romanam civitatem adepti, & omnibus bonis artibus præditi incogitantia, quæ non intelligas, non tantum ἀδιαφορεῖν, ſed & contemptim habere! Docti alii, ſi in talia incidant, quo ingenii acie pertingere nequeant, admirantur potius, quam abjiciunt. Quomodo ſediſſe Viri boni animo potuit, Plauti ævo Punicam linguam vel omnino nullam fuiſſe, (hoc enim ſenſiſſe putandus eſt, qui nænias eam vocat,) vel ejus inter Latinos nullum fuiſſe uſum, cum quarto poſt Plautum ſeculo Sept. Severum, qui ſolus ex Imperatoribus Afer erat, Lepti natus, Punica eloquentia, præter literarum Græcarum Latinarumque & Matheſeos peritiam, promptum fuiſſe laudarit S. Aurelius Victor.

XXII. Et cur Romanis ejus linguæ cognitionem adimemus, cum ii, quos hi habebant pro barbaris, etiam Galli ejus non fuerint omnino rudes. De Autarito Gallorum mercenariorum contra Carthaginenſes bello Libyco, mox a confecto Punico I. duce Polyb. *l.* 1. *f* 80. πάλαι στρατευόμενον ἤδει διαλέγεσθαι Φοινικιστί: *& fuiſſe in illo exercitu plures*, *qui*, διὰ τὸ μῆκος τῆς προγεγενημένης στρατείας, *cum ſe blandius invicem compellabant*, *Punice loquerentur*, ſcribit. *Græci & Latini de peregrino ſermone*

Digitized by Google

sermone (Punico etiam) *satis multa præpostere comminiscuntur*, ait Semo Scaliger. Etiam Longolius huic verbo fidem fecit, qui eum Pœnulo Plautina a septendecim seculis reliquum pro commento jocistæ, & ludionis scenici traduxit posteritati; cujus quidem judicii sinisteritatem hoc sale perfricare oportuit. *Vide Add. n. 5.*

XXIII. & XXIV. At si conjecturæ rationabili locum quis dederit, credet hæc Punica ideo lectoribus Plauti visa hactenus fuisse barbariora, immo indigna quæ legerentur, vel curarentur, quod characteribus Latinis exarata essent. Nescio enim, ut de me id dicam, quod alii de se experiri poterunt, quæ alienæ linguæ literis scripta sæpe invenio, quam mira, quam absurda, quam ignota se mihi objiciant; quæ si linguæ suæ literis exscribam, jam plana, jam nota sunt, adeo ut stuporem meum accusem sæpe ipse, qui, quod erat, non viderim. Sunt talium in veteribus manuscr. Il. & codd. Latinis sub initiis artis typographicæ, quando Græcorum characterum nullus dum erat usus, excusis plurima. In exemplari vetere Boethii de *Consol. Philos. l.* 1. *c.* 4. ubi hodie legimus Pythagoricum illud ἕπου θεῷ; id sic expressum est: *eznias Deo.* In alio; *enyoyhenon.* In Lipsico Thanneri anno 1513. Græca desiderantur, relicto spatio. In Juvenalis *Sat.* 9. Latinis ammixta hæc Græca ex emendatione Turnebi *Adverss. l.* 24. *c.* 28. *legimus:* αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος. Ea in codice vetusto Lipsiæ, anno 1507. per Jacobum Thannerum excuso, ita expressa:

Ethus gar glyceos andra cinedon:

Monstrose! *Sat. XI.* ubi hodie legimus;

E cœlo descendit Γνῶθι σεαυτὸν:

Græca omnino omissa sunt.

XXV. & XXVI. Quidam Frigidi montis in territorio Beluacensi Monachus Helinandus circa A. Ch. 1200. *Nothiselitos* in *Compil. Histor.* legit, & scripsit. Ille vero adhuc minus ferendus & puerorum pipulis excipiendus Archiepiscopus Florentinus Antoninus, qui, cum Italia, inprimis vero patria sua Hetruria, a barbarie literarum respiraret, circa annum 1440. jamque feliciter & fere inter Italas prima Græcissaret, (testes tot libri Græci, quos in Latinum sermonem tum versos Florentinis debemus,) non corrigere novit Monachi seculo solum infelicis errorem, sed ut apud ipsum *volum.* 3. *tit.* 18. *c.* 5. & hodie ita legeremus *Nothiselitos*, voluit & fecit. Hieron. *Com.* 7. *in Esa.* 22, 1. *Aquila*, inquit, *posuit*, *ce* per *tuim*; ita scriptum reperimus in cod. vetusto:

Græca,

Digitized by Google

Græca, καὶ περτοί νῦν: Druſ. *Cent.* 1. *Miſc. c.* 98. obſervaruntque ſimilia plurima apud ſcriptores Latinos, Plautum, Ciceronemque maxime eruditi, quæ, cum Græca eſſent, literis Latinis expreſſere librarii, & crucem fixere ſic interpretibus, donec quod eſſet aliqui ſubodorarentur, & locos plane depoſitos inſigni felicitate facilitateque ex alia lingua reſtituerent, exponerentque.

XXVII. Quam varia vero commenti ſunt Critici ſuper illo Tertulliani *Apolog. c.* 9. *elaune ten matera*, donec qui ſimpliciſſimum eſſe, & plane Græcum, ἔλαυνε τὴν μητέρα, conjiceret, reperiretur? & in iſtis ejusdem, *l.* 2. *ad Nation. c.* 4. *Ajunt quidam propterea Deos fuiſſe adpellatos, quod thin & fiesta procurrere ac motari interpretatio eſt*: τὸ *thin* θέειν vel θεῖν, τὸ *theesta* (ita enim legendum) infinitivus verbi medii Græcorum θέεσθαι eſt. Lacunam in Agobardi Epiſcopi Lugdun. librorum Tertulliani *ad Nationes* exemplari, quod unicum, quantum ſcimus, ſuperfuit, & e quo CL. Gothofredus eosdem poſt 1400. annos Reip. literariæ bono nuperrime publicavit primus, hoc loco adparentem apte quidem explevit, quem laudavi, editor doctiſſimus: ſed mendam inſidentem non eluit pari felicitate. Ἐζίεσθαι enim, quod ſubſtituit edito *fiesta*, nihili verbum eſt, & etymon voculæ Ζεὺς ſubindicare ſic Tertulliano, quod viſum ipſi, non fuit in animo. Nam Ζηνὸς adpellatio unius Jovis propria eſt: hic autem de nomine Dei generali, & quod omnes Deos includeret, ejusque etymo agit Tertullianus. Emendatiuncula igitur e conjectura mea tantiſper obtineat, quæſo, dum ſagacior quis extundat melius aliud: ſpero autem ſe probaturam ſatis intelligentibus.

XXVIII. Anno 1512. Lipſiæ excudit Wolffg. Stockel. Sabellici Exemplorum libros, quibus præmiſſa eſt Epiſt. B. Rhenani *ad J. Fr. Apezonibus*, continens octo ſenarios Græcos. Ii Græcis typis exſcripti ſunt, ſine tamen accentibus, idque in Bibliis V. & N. T. ſic olim fuiſſe, teſtis eſt Epiphanius Salaminis Epiſcopus *l. de pœnitentibus Divinæ Scripturæ*, Fr. Ximenius *in edit. N. T.* Et obtinet id hodieque apud Cypri incolas Græcos, quorum vulgare dicterium hoc, Φάγε καὶ πίε ἰὶς τὸν τρόπόν σε, ἐνδύε ὴ κατὰ τὰς ἄλλας: quod eſt, *comede ac bibe more tuo, ſed veſti te juxta alios*; ſine accentuum notis ſic exaratum conſpicere memini, Φαγε καὶ πιειϛον τροπον σε ενδυε δε κατα τὰς αλλας.

XXIX. Non autem veroſimile eſt, Romanos Plauti ævo tam calluiſſe Punicarum literarum notas; ſatis habuere plerique linguam, quæ barbara ipſis, non in publicum, uti Græca cum ſuis literis, docta, quadantenus

Digitized by Google

tenus intelligere, id quod converſatione ſola cum Pœnis adquirebant; unde linguam barbaram ſcripto profituri, ſpretis figuris literarum barbaricis quadratis, & modo ſcriptionis a dextra ad ſiniſtram converſo, ſuis id faciebant literis; ea ratione qua Lucianus *Pſeudomante* verba oraculi Scythice, quia Scythæ id reſpondebat, concepta Græcis expreſſit.

XXX. De Etruſcis etiam indicarunt Docti, eos, omiſſis Syrorum aboriginum ſuorum characteribus, Græcorum confinalium, & qui colonias in Tuſciam mitterent, literas adſciviſſe; invertiſſe tamen figuras, & ſuo ſcribendi ritui a dextra ad ſiniſtram ſic aptaviſſe. Cujus rei ſpecimen inſigne, juxta nonnullorum ſententiam, eſt tabula ænea Eugubii reperta, figuris literarum Græcarum inverſis inſcripta; quam diligentiæ Johannis Metelli Burgundi debemus; videndam in *Op. Inſcript.* Grut. *p.* 142. & P. Merulæ *Par.* 2. *Coſmogr. l.* 4. *p.* 793.

XXXI. Fecere Etruſci, quod Phœnicibus, horum progenitoribus, adſcribit Herodotus, ſcil. quod, cum Cadmo in Græciam advenæ, χρόνῳ προβαίνοντι ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων, *juxta cum lingua etiam modulum literarum mutarint in alium ab eo, quo in patria utebantur*

XXXII. Non abſimiliter hodieque verpi Germanicam utcunque blatire callentes; literas vero ejus pingere neſcii, ſuis eam literis mutatis paulum quadratis Biblici characteris figuris, & ad ταχυγραφίαν adcommodatis, deſcribunt, quo fit, ut quæ Germaniciſſima ſunt, Germanica non videantur.

XXXIII. Iſto vero Romanorum, aliarumque gentium faſtidio, quod Punicam linguam ceu ἑτερογλώσσα βαρβάρα πλήθυς negligerent, Phœnicum etiam & Pœnorum ipſorum ſuamet culpa, dum ſuam incurioſius, alienas majore induſtria tractarent, (quod ſupra *c.* 6. *n.* 8. & 9. docui,) factum eſt, ut figuræ literarum Punicarum, modusque ſcriptionis, (ſed & hunc ante totale deliquium linguæ mutaſſe numi Carthaginenſium, in quibus literæ a ſiniſtra ad dextram procedunt, contra quam ſolebant in Phœnicum & Tyriorum τῶν ἐκ παλαιοῦ, produnt:) & quæ ad eum pertinerent reliqua, prius etiam quam ipſa lingua, interierint, neque quidquam eorum hodie reſtet.

XXXIV. Et ſciamus præter quæ in memoratis numis, quos Pœnorum fuiſſe veriſimiliter dicitur a Doctis, oſtenduntur quadratis Syriacæ linguæ elementis aliqua ſimiles figuræ, & quæ perinde ut Samaritice dictæ, item Æthiopicæ, Chinenſium & Malaccanorum ad Ebrææ linguæ

Digitized by Google

literas, ex iis scil. angulorum hebetatione, virgularum additione, ademtione, inversione, natæ, reduci facile queunt. Alphabeti vero Punici characteres XXII. qui cum Samaritanis & Phœniciis apud Scalig. *Anim. ad Euseb. f.* 103. plurimum conveniunt, Aldrete *l.* 2. *c.* 1. depinxit. Isti autem, quos pro Phœniciis e Thesei Ambrosii *Instructione delle lingue straniere* exhibet Mutius Pansa *Sermonum de Biblioth. Vaticana Italicorum P.* 4. *Disc.* 9. *p.* 276. non solum numero, (sunt enim XXV.) sed & figuris ab illis differunt, & si quid video, e Græcarum notis formati sunt, & propterea fictitii. Certe Phœnicum veterum, & ante Græcos celebrium, non fuere. Si vero Punica ista Plautina, Phœnicum sive Ebræorum litteris exarata, reperissent Docti, non dubito, quin de iis ad Ebraismum referendis dudum cogitassent aliqui, & de explicandis inde non desperassent.

CAPUT XIII.

SUMMARIA.

1. *Cicaion Ebræorum, Elcherva Arabibus, Elcheroa Pœnis & Syris est. Ergo diversa ista lingua.* II. *Ricinus Avic. est abhel meluch, q. d. granum regium: in eo correctus Saladinus.* III. *D. Hieronymi dormitatio.* IV. *Judicium grave B. Lutheri de Patribus, & candidum Photii.* V. *ἀμαρτήματα μνημονικὰ veterum quorundam scriptorum notabilia: levia etiam recentium nonnullorum.* VI. *Syri vocali o carent: eam exprimunt per a.*

I. TAndem non sine causa mirum & novum id alicui videri poterat argumenti genus, demonstrandæ Arabicæ & Punicæ linguarum ταυτότητι: D. Hieron. *Kikaion* Jonæ 4, 6. scribit, lingua Syra & Punica *elcheroa* dici. In officinis & glossis Arabicarum vocum Drusius invenit *elcherva*, *ricinus:* ergo Punica & Arabica linguæ sunt eædem. Ita & Syra & Arabica erunt eædem, quia Syram & Punicam jungit Hieronymus; quia quod in Syra lingua *elcheroa*, id etiam in Arabicarum vocum glossis *elcherua:* nulla hic consequentiæ necessitas; quin potius inde contrarium adstruerem ita:

II. Quod Syri & Pœni *elcheroa* dicunt, (pono hoc, quamvis mendam esse sciam; *cherva* enim verum *ricini* apud Arabas, Syros & Pœnos nomen; Κίκι apud Græcos ex Ebræo: Avicennæ *abhel meluch*, q. d. *granum regium*; quod Saladinus *Comp. Aromatariorum* corrupte *albe mesuch*:)

moſuch:) id Arabes *elcherva*: ergo Punice aliter, aliter Arabice: ergo linguæ eæ non parum diverſæ: ergo non eædem. Deinde poteſt vox una iiſdem literis & ſignificatione in multis reperiri linguis, quod & ſupra tetigi. Inde vero linguas illas eaſdem eſſe concludere, quæ διανόιας ἀῤῥωσίας?

III. & IV. Et quid ſi D. Hieronymum in re non magna, μνημονικῷ ἁμαρτήματι reum quis perageret, Punicamque nominaſſe, cum Arabicam deberet, vel quod alii prave ſuggeſſerant, ita tradidiſſe contenderet. Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis potius eſt, quam mortalitatis. Fuere Patres alti ſpiritus viri, &, ut ſic dicam, a Diis recentes; ingenia tamen omnibus conſummata fuiſſe, pernego: in Scripturis ob linguarum ignorantiam parum dextre quædam expoſuiſſe, notat B. Lutherus in aureo ſcripto, cui titulus: Schrifft an die Rathsherrn aller Städte in Deutſchland / daß ſie Chriſtliche Schulen auffrichten; *tom.* 2. *Jen. Germ. f.* 464. Druſius id probat de Chryſoſtomo ex ejus 7. *in Marcum Homilia*, *Comm. ad voc. Ebr. N. T. priore p.* 158. De Lactantio, *p.* 129. De Euſebio Emiſſeno circa vocabulum Σαβέκ, *Sabech*, apud LXX. Sen. *Geneſ.* 22, 13. D. Hieronymus; De Nazianzeno Caſaub. *Exerc.* 16. *ad Ann. Baron. n. XI.* Εὐσεβεῖς μὲν τὰς ἄνδρας, ἐις κέχρηνται, θείη ἄν τις. ἀκριβείᾳ δ' τῶν λογισμῶν τὴν τῶν γραφικῶν μαρτυρίαν προτείνειν ὐκ ἔτι ὁμοίως φήσειε; quod de Diodoro Tarſenſi Epiſcopo candide & cordate Photius *Cod.* 223. *f.* 697. Impertinentes allegationes & hallucinationes hiſtoricas in ſcriptis Patrum crebras offendi, & interdum valde miras & pueriles, oſtendit Scaliger divino *de Emend. Temp.* opere paſſim: *Proleg. in Chronol. Euſebii. Elencho Trihæreſii* Serar: & Caſaub. *libro laudato.* Occurruntque tales ὐκ ἀπροσέκτως legentibus ſæpiuſcule.

V. Fieri potuit, ut in exprimendo nomine, in re non magna, memoria laberetur, vel etiam manus menti præverteret. Ita Cicero (vetera enim recenſebo, quia recentiora odioſa ſunt, & hodieque quisque caſtigatoris ſui, etiam æquiſſimi, hoſtis eſt acerrimus.) *l.* 2. *de Glor.* Ajacem pro Hectore: *l.* 2. *de Divin.* Agamemnonem pro Ulyſſe: Diod. Sic. Semiramidem pro Nitocri, Nabuchodonoſoris conjuge, & *l.* 12. Eupolin pro Ariſtophane: ut & Cic. *de Orat.* (qui tamen errorem hunc ſuum indicat ipſe & corrigit *l.* 12. *Ep.* 5. *ad Att.*) Plautus *Pſeud. a.* 3. *ſc.* 3. *v.* 80. Peliam pro Æſone vel Jaſone: Plato *in Theæteto* Euripidem pro Sophocle: Ariſtides apud. *Phot.* Gell. *lib.* 13. *cap.* 17. Servius Heſiodum pro Theocrito, ubi de hippomane χυτῷ,

Digitized by Google

quod de φυτῷ seu planta exponit perperam: Aristot. 2. *Ethic.* & Mela *l.* 2. *c. ult.* Calypso pro Circe: Ausonius *Eid. 9. v.* 311. Achatem pro magnete: Clem. Alex. *l.* 7. *Strom.* ubi *de suibus*, Cleanthem pro Chrysippo; Seneca ex Ovidio allegat *l.* 4. *Qu. Nat.* quæ sunt Tibulli *l.* 1. *El.* 7. Eustat. ῥαψωδ. *Il.* λ. verba Xenophontis Sophocli: Hilarius in *Psal.* 131. illud *Pastorem altum*, quod Ezechielis est *c.* 34. Esaiæ: Clem. Alex. *Extr. l.* 2. *Padagog.* quæ Pauli sunt ex 1. *ad Tim.* 2. Petro; Chrysost. *Comm. in Ep. ad Titum*, versum, quem in hymnis Callimachi legimus, Epimenidi: Scaliger *ad l.* 3 *Hist. Anim. Arist. c.* 19. *apot.* 270. verba Luciani *Dial. de Dea Syria*, Herodoto adscribit: Anastasius Sinaita Patriarcha Antioch. *l.* 7. *Anagog. Contempl. in Hexaem.* apud Bignæum *Bibl. Patr. t.* 1. *f.* 227. istius, cujus & meminit Moses Bar-Cepha Syrus, *parte* 1. *de Paradiso*, sententiæ, quod Adamus die 40. in Paradisum fuerit positus, auctorem nuncupat Pyrrhonem Historicum & Chronographum; qui tamen Philon est: exstat enim sub hujus nomine, præter Chronicon Epitomen, etiam liber Antiquitatum Biblicarum, cujus fragmentum ab Adamo incipiens, pertextum usque ad Saulis obitum vidisse, profitetur Fr. Sixtus Sen. *Bibl. l.* 4. estque ille ipse, quem Mich. Glycas in *Annal.* Philonem Philosophum auctorem Historiæ Ecclesiasticæ adpellat: nisi, quod videtur verius, typographi id potius φφάλμα est: Bupalum, qui sculptor marmoris erat, Plin. *l* 36. *c.* 5. pictorem fuisse, dicit Acron, inque eum errorem & V. Obsopæum *not. ad Epigr. Grac. l.* 3. *t.* 25. induxit & πολυμαθέστατον Tiraquellum *Comm. ad Alex. Dier. Gen. l.* 3. *c.* 13. *f.* 53. quodque mireris in Pontifice Romano, Jeremiam pro Siracide allegat Alex. III. Epistola ad Henr. II. Reg. Angliæ, apud Hoveden. P. *post. annal. f.* 506. & in Theologorum γραμματικωτάτῳ, Erasmus Roter. Paulum Apostolum ex *Act. c.* 18. 3. aulæorum textorem fuisse docet, cum σκηνοποιὸς eo loco sit, qui tentoria seu tabernacula, quæ e pellibus tum constitisse indubium plane est, conficit; & hinc est, quod Chrysostom. 5. *in* 2. *ad Tim.* 2. *Orat.* 4. *de laudibus Pauli* 2. *in Ep. ad Rom.* Theodor. *l.* 5. & 9. θεραπ. adpellant σκυτοτόμον, qui ad concidendas pelles ante maceratas scalpello usus sit.

VI. Quis vero tandem de Syra lingua, in ea sc. *Cicaion* dici *elcheroæ*, Hieronymo id credere persuadebitur, nisi idoneum alium testem ejus rei habeat? Certe *Cicaion* Ebræorum, Syris est *Cicejan*; mutant enim hi solentes *o* in *a*; Drus. 1. *Qu. Eb.* 53. & hinc vocali *o* prorsus carere; *vekaphab* vero punctum vocale Syrorum non valere Ebræorum *bolem*, aut *o* μικρὸν Græcorum,

eorum, etsi figuræ ejus sit, sed resolvi in *pathah* sequente *scheva* literæ *vau* subjecta, vel in *schurek* mutari, & sonare *kametz* Ebræorum vel *a* obscurum, seu sono inter *a* & *o* medio οἱ τῶν τοιούτων τρίβωνες docent.

Caput XIV.

Summaria.

I. *Etiam in diversis linguis declinationum, conjugationum, constructionum, phraseon & literarum aliqua inter se cognatio.* II. *Id de Græca & Latina manifestissimum.* III. *Lingua vetus Latina fere eadem cum antiqua Græca.* IV. *Characteres Latini e Græcis facti.* V. *Abelonii, non ab Habel: repugnat enim orthographia.*

Quæ de Abeloniis Punica declinatione nominis ita dictis habet Augustinus, in ejus *ad Quod vult D. har.* 87. relegi sæpius. Sed quid inde sententia Dn. D. W. de identitate linguæ Arabicæ & Punicæ juvari possit, non video.

I. Declinationis aliqua cognatio, Conjugationis, Constructionis, Phraseon, imo literarum paritas etiam in diversissimis linguis reperitur. Non ergo erunt hæc omnia, multo minus singula, linguarum formalia constitutiva & distinctiva.

II. Græcam & Latinam mihi confer, & deprehendes pleraque, quæ dixi, in utraque similia; at eandem cum Latina Græcam esse, quis audebit pronunciare?

III. *Quanquam pene eandem veterem Latinam cum antiqua Græca fuisse, verum est*, ait Scal. *ad Festum:* quod e Dion. Halicarn. ἀρχαιολ. Ῥωμ. hausisse videtur: uti literæ veteres Græcæ eædem pene, quæ Plinii ævo Latinæ, teste ipso *l. 7. c. 58.*

IV. Et quomodo e Græcis characteribus formati Latinorum, Scaliger (Pater) *de cav. L. L. c. 6. & 7.* quomodo illi ex Ebræis *c. 40.* accurate docuit. De differentiis vero & societatibus verbi Latini & Græci exstat liber antiqui Grammatici Macrobii Theodosii, inter scriptores Gramm. Latinos antiq. Putschii *p. 2717. m.*

V. Placet autem quam maxime, Pater doctissimus, quod *Abelonios* ab Adæ filio *Abel* dictos esse, ex aliorum potius sententia, quam sua scribit. Certe enim hi in eo falsi sunt, quia adspirationem, quæ characteristica est in nomine *Habel*, Abelonii non ostendunt, vel senserunt ii, qui

Digitized by Google

primum his id nominis imposuere cum iis, qui *aleph* primam ejus nominis non *he* faciunt, quod est contra Orthographiam Biblicam. Vid. Druſ. *l. 4. de Tribus Sect. cap. 6. & 7. & Comm. ad voc. Ebr. Nov. Teſt. priore p. 5.*

EPILOGUS.

SUMMARIA.

I. *Æra pro epocha vox Latina eſt, ſed recentior multo ſeculi Auguſtæi Latinitate.* II. *Alla, Dei nomen apud Arabas.* III. *Lingua Arabica duplex idioma; antiquum nobiliuſque, & recens ac vulgare, dictum Moſt-Arabicum.* IV. *Hoc inde dictum, quia eorum, qui in Occidente, Arabum: garb enim occidens: unde nomen regno Al-garbia.* V. *Moſch-Arabes ſeu Muz-Arabes adpellantur ex Arabibus Chriſtiani facti in Hiſpania.* VI. *Differentia idiomatis Arabici per Aſiam & Africam.* VII. *Tria Arabum genera ſumma:* (1. *Ante-Iſmaelitici:* 2. *ab Iſmaele oriundi:* 3. *in Africam translati, qui Muſtheghemiin, i. e. barbari, dicuntur.*) VIII. *Arub Arabum conditor: ſed a Moſe præteritus.* IX. *Item Adami filia, filius Japheti Bul Caſchus, & Noæ Jonithus cum aliis ſedecim poſt-diluvianis.* X. *Henochi commentarii de creatione: ex iis fragmentum de Angelis Egregoris: ſunt inter apocrypha.* XI. *Idem dictus etiam Adris.* XII. *Priamus Trojanus Davidem Regem in Juda copias auxiliares rogat contra Græcos.* XIII. *Beroſus comparatus cum Moſe, & ex eo emendatus.*

HAbet ita Vir CL. pronunciati illius mei, *lingua veterum Punica non eſt Arabica*, quod amicus ex me audierat, dilucidationem paulo ampliorem: e qua cognoſcet, non temere id me ſtatuiſſe; ſpero etiam, qui candor ejus eſt, liberaliter communicata humaniter eſſe habiturum, bonique conſulturum, ſi plus præſtare non potui. Nulla alioquin mihi cura ſtruitur, in quamcunque partem tandem hoc mihi ſtudium caſurum ſit, ſola boni literarii adjuti conſcientia triumfare contento: οἱ τὰ τοιαῦτα σκώπλειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθότες fruantur ſibi familiari προσπλωσίᾳ καὶ ἀβελτηρίᾳ. Et quia large reſpondi, non ægre, puto, feret, ſi pro φιλοπευσίᾳ mea ἀμοιβαίως cum de paucis, *ex Oratione ejus de L. Arabica*, mihi natis dubiis, interrogavero.

I. Qui ſint illi multi doctiſſimi Viri, quorum ſententia *Epocha* adpellan-

Digitized by Google

pellantur *Æra* Arabica adpellatione? Latinam Æræ voculam esse, & significare numerum, computum, ψηφισμὸν, docuit Scal. *de Em. Temp. f.* 419. formatam ab ære, mutato genere neutro in femininum. Sero autem, seculi nimirum ab Augusto quinti fine, usurpari cœpit. Conjecturam Genesii Sepulvedæ Cordub. qui e trium vocum capitibus, A. E R. A. quæ significent, *Annus ERat Augusti*, conflatam esse seculo modi scribendi per siglas imperito, commentus est, quam tamen adprobavit H. Lignaridus *Oblect. Academ. cap.* 1. Explodit Scal. *l.* 4. *f.* 229. *& l. d.* fusius: Gabriel Loyasa *Collect. Concil. Hisp. notis ad Concil. Eliberitanum:* & L. Andr. Resendius *Ep. Historica de Æra Hisp. ad Joh. Vassæum t.* 2. *Scr. Rer. Hisp. f.* 128. τοιοῦτον καὶ ἐμὸν φρόνημα.

II. Quæ sit illa vox Pœnorum *Hal*, quæ cum *Allaho* Arabica congruat? E Caninio, quem linguarum Orientalium fuisse peritissimum, e *Disquisit.* ejus in loca obscuriora *N. Test.* adparet, didici *Alla* inter Dei nomina apud Arabas esse, quod Pœni pronuncient *Ille.*

III. Linguæ Arabicæ, perinde ut aliarum, duplex idioma celebratur; alterum antiquum & nobile, quo Avicennam, Mesuen, Razen, Hali, Aben-Zoaris Theisir, Elluchasin Tacuinos, & falsi Prophetæ Caram conscriptos, & in quod translata opera Platonis, Aristotelis, Euclidis, Galeni legunt Coraschones & Turci medici, qua & Suriani, Maronitæ, Kupti (per hos Jacobitas, seu Christianos in Ægypto, vel qui ad Ægyptum Habessinos ac Æthiopas vergunt, quorum Patriarcha Alexandriæ sedebat, intelligas licet, qui Syris sunt Ægophti, alias Gopti) Nestoriani & reliqui per Orientem Christiani sacra sua hodie celebrant. Alterum vulgare quoddam recentius & impurum. Hoc vocat in Orat. sua de lingua Arabica, *Most-Arabicum*; fortassis illo persuasus, quod librum *de lingua Arabica & Most-Arabica*, auctore Abuhanifa, cujus apud Pinedam *l.* 3. *de rebus Salom. c.* 11. mentio, circumferri noverat: cujus nomenclaturæ rationem maxime velim mihi exponi. Interea quid in lectione variorum auctorum observaverim ego, non gravate huc conferam. Mauritanorum seu Africanorum Arabum linguam vocant veri Arabes (hoc est, Asiatici, Persæ, & qui hodie Libanum montem incolunt, Maronitæ dicti, de quibus multa notabilia ὁ αὐτόπλης Rauwolfius *Itiner. part.* 3. *c.* 18.) *magaraby*, Clus. vers. *Garziæ Hist. l.* 1. *c.* 3. *p.* 17. quasi dicas, *eorum qui ad Occidentem habitant.* *Vide Add. nota 6.* *Vide Add. nota 7.*

IV. & V. *Ma* enim significat *eorum*; *garby* signif. *Occidentem.* (Ita enim Aldrete *l.* 2. *c.* 23. *Los Granadinos lamavan al Occidente garb, i al Occi-*

Occidental garbi, *en plural garbiin:* & hinc nomen regno *Algarbiæ*, quod inter ea, quæ per Hiſpaniam conſtituerant Saraceni, eſſet occidentalius; ad Luſitaniam quippe pertinens: Teixera *l.* 2. *c.* 1. *terras de Magareb* exponit *el Poniente.*) Quod ſi pronuncies *ſcarby* & *Maſcharaby* (nam *g* Gallicum ante *c* & *ſ* ſonat *ſch.* Cluſio autem Gallicæ ſcripturæ & pronunciationis ratio fuit vernacula fere & familiariſſima,) jam illius, quod forte corrupte *Moſt-Arabicum* vocatur, habebis verum nomen. Deinde in D. Eulogii Mart. & Archiepiſc. Tolet. *Memorialis Sanct. Cordub. l.* 1. (quod eſt in *Bibl. Patrum* Bignæi *Tom.* 8. *f.* 340.) lego: *Saraceni etiam tactum Moſcharabum vitant.* Ubi per *Moſcharabas* intelligo Chriſtianos, in divinis officiis Latina lingua utentes, & parentes tum Eccleſiæ Romanæ, Jacob. de Vitr. *Hiſt. Hieroſol. c.* 80. M. Sanutus *ſecret. fidelium Crucis l.* 3. *P.* 8. *c.* 4. Pappus *Epit. Hiſt. Eccleſ. p.* 367. e Saracenis factos, Spond. *Epit. Ann. Eccl. Baron.* ad *A.* 633. *n.* 2. H. Blancas *Comm. Rer. Arragon. ſub A.* 714. (qui quaſi *Mixt-Arabas* dici putat, quam bene, nunc non definio,) qui & poſt magno numero Cordubæ in Hiſpania Bætica martyrio adfecti ſunt. Et Ambroſ. Morales *notis ad l.* 3. *ejusdem c.* 8. *Erant*, inquit, *in Africa*, (circa An. Chr. 850. quando ſcribebat Eulogius) *tametſi a Saracenis occupata, Chriſtiani, quemadmodum in Hiſpania Moſſarabes.* Unde *Moſſarabicum* fieret, non *Moſt-Arabicum*: ſine dubio e ſuperiori *Maſcharabicum*, quia Saraceni ſeu Arabes Orientales, Tartari, Meſopotameni, & Perſæ, qui γνησίως Arabicam loquuntur, ita vocarunt Africanorum & Hiſpanorum idioma, non quod id lingua Arabica vera eſſet, ſed quia eorum, qui ad Occidentem, e ſua tamen gente.

VI. Differentia vero idiomatis Arabum Aſiaticorum & Africanorum valde notabilis eſt, adeo ut etiam in picturis literarum & alligatione eam obſervare liceat, ne quid de pronunciatione dicam: οἱ μεμνημένοι ἴσασιν. Victorum vero Arabum linguam a victarum gentium, præcipue Gotthorum in Hiſpania, Suevorum, Vandalorum, & Romanorum ſeu Byzantinorum in Africa idiomatis aliquid vitii contrahere, & inde alieni aliquid ab Orientalium Arabum lingua, matre ſua, ſonare nihil adeo miri eſt. Europæorum vero in Hiſpania Arabum dialectus Africanorum dialecto ſimilior eſt, quia Africani facti ſunt Europæi, cum ex Africa Hiſpanias invaſerint anno Chr. 713. Hegiræ 93. Erpen. *Hiſt. Sarac. l.* 1. *c.* 13. *p.* 85. Roderico ultimo Gotthorum Rege fugato, uti ante annos 65. Hegiræ 27. Chr. 647. ex Ægypto Africam reliquam ſubjugaverant.

VII. De

Digitized by Google

VII. De diverſis Arabum generibus, unde hiſce lux, puto, aliqua erit, e Johan. Leonis *Hiſt. Afric. c.* 19. iſta ſublegi; antiquiſſimos, & qui ante Iſmaelem Arabiam poſſedere, ab Africanis ſcriptoribus vocari *Arabi Ariba, cio è Arabi Arabici:* Luis del Marmol *l.* 1. *c.* 28. hos *Arab Arub* adpellari, tradit, quod ex Arub deſcendant, eſſeque Arabas genuinos & naturales: alteros, ab Iſmaele ſatos, adpellari *Arabes Muſtaharabas; cio è Arabi inarabati*, adoptivi & adſciti; Marmol *Arab Miſtaraba. que quiere dezir Alarabes Arabigos*, qui natu quidem Arabes non eſſent, linguam tamen Arabum adſumſiſſent: tertios eos, qui in Africam habitatum migraſſent, nuncupari *Muſtehgemiin, il che denota Arabi imbarberati*, inquit Leo, q. d. βεβαρβαρωμένοι, *depravati. Agam*, idem qui *Barbarus*; *Agamia, Barbaria, Perſia:* quidquid enim non eſt Arabicum, Arabes & Turcæ adpellant Agamæum.

VIII. Quis autem *Arub* iſte, Arabum ante-Iſmaeliticorum προπάτωρ, & e quo Noachi filio, fuerit, indictum reliquit Moſes, eoque excuſatur, quod non omnes uniuſcujuſque ἀρχιπάτορος generationes, ſed eas tantum, quarum propter hiſtoriam hanc vel illam mentio neceſſario faciенda fuit, & quæ ad populum ſuum aliqualiter pertinuiſſe videbantur, ut inquit Torniellus *Annal. Sacr. ſub A. O. C.* 1662. commemorare propoſuerit.

IX. Eo ipſo conſilio omiſit filias Adami, quas generaſſe hunc præter filios, natura rerum ipſa requirit, quarum etiam nomina non tantum per Cabalam quandam Ebræis tradita & conſervata ſunt, ſed & ad Græcos manavere, qui *Chalmanam* & *Deborram*, Auctor *Paraphraſ. Revelationum Methodii*, Epiphan. *Hær.* 39. & Cedrenus: Georg. Piſides *in Chron. Savam* ſeu *Aſuam* Caino, *Azuram* Setho, fratribus ſuis nuptas, adpellant. Inter Japeti filios *Bulcaſchum*, quem in poſteris Turcæ gentis ſuæ conditorem, defecta ſcil. ſtirpe Turaki, ferunt, itemque ſeptendecim Noacho e Titea, (concubinam ejus fuiſſe colligo inde, quod *Jonichus* aliter *Jonithus*, unus ex illis, una cum reliquis Noæ filiis ante-diluvianis hæreditatem non adierit, ſed muneribus tantum fuerit dotatus, ut e *Methodii l. Chiliadum* Abulenſis *Qu.* 5. *in c.* 10. *Geneſ.* Petrus Comeſtor *Hiſt. Scholaſt. Geneſ. c.* 37. Goth. Viterb. Nauclerus, tradunt; idem enim de Abrahami e concubinis filiis legimus Gen. 25. 6.) poſt diluvium natos filios præteriit ſimiliter; quos tamen e ſcriptis apocryphis, e gentilium documentis, & particularibus gentium genealogiis, ipſo etiam antiquitate nobiliſſimo ſcriptore Beroſo Chaldæo, Sacerdote Beli, hodie ſcimus.

Digitized by Google

X. Foretque plane temerarium rejicere, quod tanto consensu veterum instrumentorum, etsi quorundam ἀδεσπότων, adstructum reperimus, & quod in Scripturam Sacram non arietat, sed eam potius supplet ac illustrat. In Henochi, quem *Thargum Jonathan Gen.* 5, 24. סַפְרָא רַבָּא *saphra rabba*, *scribam magnum* adpellat, ut qui amanuensis tritavi sui Adami protoplasti fuerit, *Commentarii de Creatione*, quos Ecclesiæ Æthiopicæ Abassinorum summopere venerantur hodieque, leguntur, e quibus scripturis divinis lux nonnullibi, quam plurima: inde excerpsit Apostolus Judas vaticinium de futuro judicio, quod exstat in ejus Epistola Canonica: inde est fragmentum nobile de *Angelis Egregoris*, quod e Zosimi Panopolitani libro τῆς Ἰμεθ nono; (his libris ἱερὰν τέχνην, uti adpellabant Prophetæ Ægyptii, seu Philosophi *Chemiam*, pertractaverat Zosimus: ejusdemque argumenti videtur fuisse Apollonidæ Horapionis liber, inscriptus Σεμφυθῖ, cujus meminit Theophilus Antioch. *l.* 2.) Scalig. *Canon. Chronol. f.* 224. Ejusdem Henochæi scripti testimonio utuntur præter Judæos Tertullianus *l. de Habitu Muliebri c.* 2. *&* 3. *l. de Cultu Femin. c.* 10. *& l. de Idololatria c.* 4. Origen. *Homil.* 28. *in Numeros:* alii. Ex iisdem sine dubio Berosus ea, quæ a Mose prætermissa, ad Biblicæ historiæ seriem tamen pertinentia, habet *in Chaldaicis*, & Methodius sua περὶ τῶν ἀπὸ συστάσεως κόσμου συμβάντων, καὶ τῶν μελλόντων συμβαίνειν εἰς τὸ ἑξῆς, desumsere. Male judicavit Beda, dum *Comm. in Ep. Judæ*, in canonem fuisse aliquando receptos, scribit; adsentior non habentibus pro scripto canonico; sed nec omnia, quæ in eo falsa esse putantur, esse falsa, cuiquam adfirmanti credidero.

Vide Addenda n. 8.

XI. De supernomine hujus Henochi, quo *Adris* adpellatus fuit, nihil e monumentis Mosaicis doceri potest: at propterea hoc ei fuisse, negaverit nemo cordatior. Ita enim R. Samuel Schullam in *Additam. ad l. Jochasin f.* 134. *Postea Henoch, qui vocatur Adris. Idris Arabibus & Turcis.* Estque ille ipse, quem artis Chemicæ magistri in elencho Arabum artificum commemorant, *Idrid* adpellantes.

XII. Simile plane est, quod Constant. Manasses *Synopsi Historica*, versibus politicis scripta, *p.* 54. Priamum Trojanum, cum a Græcis bello peteretur, a Davide Rege Judæorum copias auxiliares poposcisse, narrat: cujus rei, etsi, si tempora convenire putemus, non improbabilis, ne tantillum quidem constat cuiquam e sacris Scriptoribus, qui tamen res hujus Regis copiose tradiderunt.

XIII. Unus autem Berosus, cum reliquis Curis, qui Mosi *Cusch*, Ca-

Digitized by Google

Canaanis e Cheme ſeu Chameſe frater, filiis, quos Gen. 10. כוּשׁ מִצְרַיִם פּוּט וְכַנָּעַן *Nimrodum*, *Sebam*, *Sabtham*, & *Sabthecam* adpellat, *Nimbroto*, *Saba*, *Sabatio*, & *Sabecre*, nominat *Arabum*: & hic ipſe eſt primus, de quo quærebatur, Arabum conditor. Paulum corruptum in editis Beroſi nomen unius horum quinque Curetum ſeu Chuſitarum e Moſe facile eſt reſtituere, literæ unius *t*, quæ in *r* adfinem abierat, transpoſitione: verum enim nomen סַבְתְּכָא *Sabtheces* eſt ejus, qui apud Beroſum *Sabecres*; & ſic cum illo huic quam pulcerrime convenit, alterque alteri lumen mutuatur.

Sed finio tandem, & Amicum, cujus petitioni hoc modo ſatisfacere volui, immo cui provocanti εἰς πεδίον parere debui, plurimum valere & ſalvere jubeo. Gera Non. Aug. Julian. Ao. 1625.

EXCERPTA

E Literis D. T. R. ad Dn. Super-Intend. WEIDANUM, *9. Sept. 1625. addenda ſuis locis Diatribæ de Lingua Punica.*

OBtulerunt ſe nonnulla, quæ poſt amandatam ad D. Wolfrum Diatribam de lingua Punica accuratius perpendi oportuit, & quæ V. CL. *Lectorem* ejus ſimul noſſe velim. Sunt autem iſthæc.

I. Cum de Vandalis Africæ incubantibus agerem, pulſum Gilimerem per Beliſarium, ſcripſi; at hic pulſus quidem Africa, ſed Conſtantinopolim, uti & anno quinto poſt Vitiges Gotthorum Rex Italiæ dominatu deturbatus, in triumpho ductus eſt, ut e Victore Tunnunenſi, Zonara *l. 3. f.* 43, 54. Cedreno, aliis, didici, quartum Conſule Juſtiniano, poſt 97. annos quam Africa potiti eſſent Vandali; Juſtinianus ipſe *l.* 1. *C. de off. P. P. Afr.* nonaginta quinque annos nominat.

II. Scripſi circa annorum a Chriſto nato centenarium ſextum Saracenos occupaſſe Africam. Ex *Hiſtoria Saracenica* Georg. Elmacini, Erpenio interprete *l.* 1. *c.* 4. didici, factum id eſſe anno Hegiræ, ſeu fugæ Muhammedis e Mecca 27. h. e. Chriſti 648. per tum Gubernatorem Ægypti Abdallam, ſub Othmane.

III. Cairoam primus Africæ ex Arabia invaſor Ocbas ſeu Hucba hibnu Nafich, uti adpellat Scaliger, Imperatore Muslimico Otſmane A. Hegiræ 27. Chr. 647. condidit; eam muro cinxit Muavias f. Chodbagi, Elmac. *l.* 1. *c.* 7. Aula fuit Principum Africanorum e Saracenis per annos fere trecentos, donec ea Mahdiam ab Abdalla Abu Muhamede Ma-

Digitized by Google

hadi circa A. 910. transferretur. De initiis Cairi Ægyptiacæ neſcio quos auctores ſecutus eſt Scaliger, quod defunctum bello, potitum rerum Ægyptiarum, & deſciſcentem a domino ſuo Elcaimo Calif Gehoarem ejus caſtri munimento ſibi caviſſe, ſcribat. Hiſtoricorum enim Arabum claſſicorum traditio eſt, Gheubarum militiæ Muazzi Liddinillæ e Fatimæis, cujus regia Kairowanum, Principem, poſtquam Ægyptum Abbaſidis extortam Muazzo adquiſiviſſet, Cairum nomine patriæ ſuæ, ut in ea habitarent milites, & arcem in ea Imperialem, exſtruxiſſe, Elmac. *l.* 3. *c.* 4. ipſumque Muazzum, abrogato Abbaſidis omni imperio, ad exigendum a populo juramentum fidelitatis, Ægyptum anno 970. ingreſſum eſſe. Sine ullo dubio igitur ingens metachroniſmus eſt, quod ad annum ſalutis quadringenteſimum refert, cum ante annum 647. Africam ne attigerint quidem Arabes; Gehoar Cairoctiſtes etiam circa annum 966. primum Muazzo imperium in Ægypto compararit; præterea res maxime turbat iſta narratio, quia Caſamus Abu Abdalla Cajimus Biamrilla, cujus miniſtrum fuiſſe Gehoarem vult Scaliger; Muazzi ejus avus, parens Abutaheri Almariſoris, ſecundus in Occidente ex Arabibus Kairowani Caliſa ſeu Princeps A. Heg. 302. Chr. 914. factus eſt, Elmac. 2. *c.* 19. Patet hinc error popularis, ſed quem Docti quidam ſparſerunt, duplex, *Cairum cum veterum Memphi eandem eſſe*, unus; alter, *Babyloniæ nomen Cairo communicari.* Eſt enim utraque multo recentior Cairus, & e neutrius ruderibus ſurrexit.

III. *Fatimæi*, quos modo nominavi, princeps inter Arabas familia, erant, qui a Fatima, unica Muhammedis & Aiſchæ filia, nupta Aly Muhammedis patrueli, genus ſuum deducebant: hi dicebantur & Hasjemitæ, quod Fatima mater Aly neptis eſſet ex Aſede Haſiemi. *Abbaſidæ*, qui ad Abbazum, fratrem Abdallæ, patruum Muhammedis origines ſuas referebant. Hiſce cognatis de Califatu perpetuæ fuere rixæ, ad bella usque & internecionem, ſolitique ſunt hi natales illorum ſolenniter quotannis Bagdadi refutare, de ſe ipſis vero, quod Muhammedem ſanguine attingant propius, probare, Elm. *l.* 3. *c.* 6. Inter Abbaſidas & Ommiadas ſimilis fuit contentio, & hinc odium capitale; hi ex Ommia ſeu Humeja, fratre Abdulmutalibi, avi Muhammedis ortos ſe eſſe, eoque imperii hæredes gloriabantur; dicti etiam Marwanæi, a Merwane Syriæ Califa e filiis Ommiæ, quarto Hakemi filio, Abulaſi nepote, Ommiæ pronepote. Hi omnes regia inter ſuos dignitate, axiomatici valde, non ignobiles obſcurive terræ filii fuere, ut de Muhammede hactenus falſo tradidere.

IV. De

Digitized by Google

IV. De *Mochi* Hiſtorici Phœnicii, qui Reuchlino *l.* 1. *de verbo mirif. c.* 1. vir Sidonius rebus Troicis antiquior, nomine, quod ſic expreſſum eſt in codd. Joſephi *l.* 1. ἀρχαιολ. *c.* 5. Tatiani *l. d.* Euſeb. *l.* 10. Πρεπ. Ἐναγ. & quod retinet Voſſius *l.* 3. *de Hiſtor. Græc. p.* 307. non temere ambigat quis, & vitiatum eſſe ſuſpicetur, qui Diog. Laertium inter primos apud Barbaros Philoſophiæ inventores ex Ariſtotelis *magico*, & Sotionis 23. *de ſucceſſione*, *Ochum Phœnicem* laudare, meminerit; hoc vero nominis homini Phœnici magis convenire ſciat, utpote Ebræum: eſt enim ab הָגָה *haggah* i. e. *meditatus eſt*, *excogitavit*, *elocutus eſt*, *enunciavit*; quæ verbi ſignificata officium Philoſophi, & in arte ſua aliis ducis auctorisque quam optime exprimunt. Hinc ſimul explico, cur Phœnices, auctore Cadmo, *Pallada* ſapientiæ & artium quarumvis præſidem nominarint *Hogam*, *Hoggam*, *Ogam*, *Ongam*, & Ὄγκαι; ita enim Stephanus *Byzant.* ex *Euphorione*, *apud Schol. Æſchyli* in ἕπτα ἐπὶ Θήβας: Ὄγκα ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ Φοίνικας: ſcil. quod ſcientiæ, artesque crebra meditatione & ſtudio indefeſſo adquirantur, & eloquentia vivaque voce propagentur diſciplinæ liberales. Immo quod Noem Pontificem primum & Monarcham aurei ſeculi, parentem humani generis, ut ita loquar, δευτερόπρωτον, & hæredem mundi a DEO conſtitutum, Epiphan. *in Ancor.* Ogygen etiam Græci, Beroſ. *l. d.* addito cognomine *Priſci*, Xenophon. *l. de æquivocis*, ut ab Attico ſeu Thebano, quem cataclyſmo eo, qui cum tempore obitus Abrahami coincidit, abſorptum ferunt, diſtinguerent, adpellarunt, vel quia ſcientiarum omnium, ſapientiæque tam divinæ quam humanæ omnis poſt diluvium mortalibus auctor exſtitiſſet, eosdem ſacros ritus, naturæ ſecreta, aſtrorum curſus & poteſtates, morum ſanctitatem, docuiſſet, vel quia præ mortalibus, quotquot unquam nati ſunt & erant naſcituri, emineret excelleretque omnibus, vocabulo a radice גָּאָה *gaah* derivato, *factum fuit*, eſtque idem cum *Ogo* ſeu *Oga* nomen, & *Ochus* Laertii ipſiſſimus Noes noſtras. Ineptire videas rideasque Grammaticorum nonnullos, qui Ogygen dictum fuiſſe velint, quia generis humani januam aperuerit, quod Græcis eſt ὀιγειν & ἀνοίγειν. Ab eodem locus terræ Canaan, in quo aliquandiu conſediſſe Abrahamum e Gen. 12, 6. ſcribit Joſephus *l.* 1. ἀρχ. *c.* 11. δρῦς ἡ καλαμβύη Ωγύτης, (vulgatam lectionem ſanam præſtare non auſim: malim autem Ωγίτις) *quercus quæ vocabatur Ogis*, ut eſt in verſ. Latina, ſive quercetum denominationem accepit, vel quod ante terrarum inundationem cum Syriæ incola, vel poſt, cum ex Armenia di-

Digitized by Google

greſſus eſſet, plurimum ibi ob loci amœnitatem commoratus fuiſſet Noa, vel quod quidquid præſtans, vaſtitate excellens, & antiquitate admirandum, (eam enim quercum, alii terebinthum adpellant, inde a condito Orbe eo usque, quin & ad tempora excidii ultimi Hieroſolymorum duraſſe tradidere) ad ipſum referrent homines. In eo ſolum fallitur Joſephus, quod χωρίον τῆς Χαναναίας eſſe ſcribit, ὑ πόῤῥω τῆς τῶν Ἑβρωναίων πόλεως; hoc enim de querceto Mambræ, altera Abrahami manſione, cujus mentio Gen. 18. *v.* 1. verum eſt: convallis autem ſeu quercetum *Moreh* Gen. 12, 6. quod & *Ogygis*, in finibus erat Sicimorum, haut ita procul a Jordane: eaque loca ſic diſtinguit Bould. *l.* 3. *c.* 1. & Mercerus *Comm. ad h. l. Gen.* Ad iſtam ſive querceti ſive convallis adpellationem a Joſepho undecunque hauſtam, traditamque tam LXX. qui, quod in Ebræo eſt, עֵר אֵלוֹן מוֹרֶה *ghad allon Moreh*, non expreſſere, ſed, ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλὴν, quam Latinus, qui *usque ad convallem illuſtrem*, reddidere, reſpexiſſe videri poſſunt, & inde commode explicari excuſarique: ſcil. LXX. voculæ *Ogis*, ſeu *Ogyges* etymon, quaſi eſſet a radice גָּאָה *gaah.* i. e. *altum*, *excelſum eſſe*, *excellere*, a qua & nomen Regis Baſan *Og*, Deut. 3, 12. hominis de reliquiis gigantum, Joſ. 12. & 13. & ipſum Græcis Latinisque uſitatum Γίγας deſcendit, ſecuti ſunt; Latinus expoſitionem Beroſi, qui *Ogygen* ſignificare *illuſtrem* tradiderat, & utrinque pro nomine proprio ejus ſignificationem adhibuere, cujus rei innumera in Bibliorum verſionibus exempla occurrunt. Immerito igitur, ſi quid judicare poſſum, CL. Amama Latinum interpretem, qui τὸ מוֹרֶה *Moreh*, *illuſtrem*, ineptiarum & erroris acuſat LXX. qui ὑψηλὴν verterint; non enim vertere τὸ *Moreh*, quod in Ebræo & Chald. Onkel. ſed τὸ *Ogis*, quod apud Joſephum, vel quos hic auctores ſecutus eſt, repererant: quo vero conſilio id fecerint, divinare equidem difficile eſt; ſufficit, cum interpretes a veritate Ebraica diſſentire videntur, oſtendere tamen poſſe, quid intenderint potiſſimum, & quos habuerint ad ſuam verſionem duces & occaſiones. Latini autem a LXX. nulla diſcrepantia eſt; cum, quod excellit alia, merito illuſtre dicatur; multo minus textus Moſaici ab hiſce. *Moreh* מוֹרֶה enim, quem ego Noam interpretor, quippe doctorem ductoremque generis humani tot nominibus apud omnes gentes celebratiſſimum, Ogin & Ogygen adpellare licuit Paraphraſtis ob cauſas memoratas: in eo ſolum differentia levis eſt, quod quercum, quæ Noæ Ogygis, h. e. excelſi & illuſtris contra omnes viri fuiſſet, & ab eo denominaretur, ipſam excelſam & illuſtrem nuncupent.

Sunt

Digitized by Google

Sunt propterea male ſolertes Græculi, qui Ωγύγιον interpretantur *in gloſſis ἀρχαῖον, antiquum:* cum ſit, quidquid quoquo modo ad Ogygem pertinet, vel de eo dicitur. Quamvis enim Noa *Ogyges* vocatus fuerit, & cognominatus *Priſcus*, lingua populari *Cadmus*; alia tamen nominis ratio fuit, alia cognominis, uti tradidi modo; quod ignorarunt pueri-ſemper in hiſtoria primarum ætatum mundi Græci gentiles. Judæorum autem magiſtris, qui, Ogum extra arcam evaſiſſe aquas diluvii, docuere, non adeo inſultandum erat propterea. Certe enim qui eas ſuperavit, Ogus fuit, ſeu Ogyges, qui & Deucalion, Janus, Proteus, Vertumnus, Prometheus, Cadmus, Noes, tam multi nominis ob naturam mirandam, famam per totum terrarum Orbem, & divina plane mundo collata beneficia; ſed, quod arcæ inequitans, vel corporis proceritate nixus enataverit, hoc jam fabulæ propius eſt, & rudioribus quis Ogus iſte fuiſſet ignaris, eoque de perſona ejus varie diſſonis הָאַחֲרוֹנִים *ha-Acharonim* Rabbinis poſterioribus, qui quod bene tradiderant הָרִאשׁוֹנִים *hariſchonim*, ſeu *priſci*, interpretatione prava corruperint, adſcribendum. Quin & Herculis, quem a Celtis Ὄγμιον adpellatum fuiſſe, ſcribit Lucianus in προσλαλιᾷ, Pighius Ογμίωνα, habitu ſenis decrepiti, rugoſa & fuſca cute, recalvaſtri, e cujus lingua in extremitate perforata ſubtiliſſimis ex auro argentoque pendentibus catenulis magna hominum multitudo auribus alligata trahentem ſequebatur depictum, nomen ab eodem Ebræo הַגָּה *haggah*, petitum eſt, ſed apud ſcriptores, qui ejus meminere, corruptum hactenus fuit. Id vero ſine dubio reformandum eſt in Ὄγκιον, Ὄγιον, vel etiam Ωγύγιον; & ita emaculandus Lucianus *l. d.* Gyraldus *Synt. de DIs X.* Alex. ab Al. *l. 2. gen. dier. c.* 14. Cæl. Rhodig. *l. 6. ant. lect. c. 7.* Cluver. *l. 1. ant. Germ. c.* 28. Vinc. Cartari *de imagin. Deor. apud veteres p.* 314. Iſta effigie vim eloquentiæ, conſilii & prudentiæ Celtas indicare voluiſſe, docent Mythologi: mihi ipſum Noam ſeu Ogum, cujus beneficiorum fama eos latere non potuit, etiam nomen ejus antiquiſſimum, ſed rarius & non in vulgus notum, cujus origines puto oſtendiſſe, ab Oriente in remotiſſimas obſcuriſſimasque Europæ inſulas usque pervagatum intimantes planiſſime, vivisque coloribus depinxiſſe ſic videntur. Circa vocem *Magus*, quam ſatagunt eruditi? Quidam a *Magogo*, quod fuit filii Japheti nomen, deducunt: alii a civitate Syriæ *Magog*, quæ & *Hieropolis* ac *Bambyce*, in qua ſodalitates & collegia Sophorum talium conſtituta fuerant, Bould. *l. 2. c.* 8. Nonnulli Græcam eſſe ἀπὸ τῦ μάπλειν putarunt, V. Caſaub. *Exerc. adv. Baron. 2. c.* 10.

Ple-

Digitized by Google

Plerique a Persis, ad reliquarum gentium linguas manasse, recte perhibent. Ii enim κρυφιαστὰς, sapientes suos, occultarum quarumvis artium doctores sic adpellarunt; ab his transsumsere Syri, Arabes, Græci, Latini, & Rabbini ipsi τὸ המגושא *hammaguscha* & מגושתא *maguschtha*, quo *veneficum*, *incantatorem*, *præstigiatorem* significant. Unde autem Persæ acceperint, nemo repertus hactenus est, qui docuerit. Ego ab Ebræo potius laudato formasse assero, solius labialis appositione: qua sine dubio etiam usi Phœnices posteriores ex *Ogo* seu *Ocho*, quod antiquius & verum nomen, fecere *Mochum*, & Arabes cum *Hagarenos*, ab *Hagar*, ancilla Abrahæ, sic dictos, adpellant *el-Magherin*; imitatique hos Græci recentiores, cum Μαγαρίζειν pro Ἀγαρίζειν, & Μαγαρισμὸν pro Ἀγαρισμὸν h. e. Μαομετισμὸν pronunciant: uti contra Ægyptiis ἀφαίρεσις erat familiarior; hinc ex Ebr. מִצְרַיִם *Mitzraim*, *Mesraim*, qui eorum conditor, abjecto ם fecere *Ozri*, *Osri*, & ex hoc Græci Latinique *Osiris*: Æthiopes ulteriori ἀποκοπῇ Σῖρις nomen principi gentis, ejusdem numini & fluvio regionis commune.

V. Christophorum Longolium immerito de Punicis Plautinis traduxi; est enim is, qui Plauti illi Punica pro næniis habuit, Gilbertus Longolius, editionis Plautinæ Colon. anno 1538. & Argentinensis auctor; alias circa auctores bonos, quos nonnullos recognitos edidit, non indiligens, nec laude sua fraudandus. Apud me est *Historia Philostrati de vita Apollonii Tyanei* ab Alemanno Rhinucci Florentino Latine reddita, quam ipse anno 1532. Colon. publicavit apud Joh. Gymnicum. Prior vero ille A. 1522. Patavii, epitaphii ibidem a P. Bembo structi fide, mortuus. Occasio παροράματος ejus mihi duplex: 1. Quod in frontispicio codicis Plautini Colonienſis G. Longolium, prænomine una tantum singularia litera *G* notato reperi; inter *G* & *C* vero talis adfinitas, quæ vel maxime oculato illudat. 2 Quod auctor editionis Plautinæ Colon. mentionem Romani codicis sibi visi facit circa Pœnoli Punica: Christophorum vero Longolium Romæ ut plurimum vixisse, & in magna Pontif. Leonis X. gratia, usuque variarum bibliothecarum, sciebam.

VI. Abuhanifa auctor libri *de Lingua Arabica & Most-Arabica*, ita eum nominat Pineda *l. d.* est Doctor ille in lege Mahumedana maximus, princeps sectæ peculiaris e quatuor Muhammedicis, & e posteris Regum Persicorum, quorum ultimum Jezdegirdem Saraceni subjugarunt, oriundus, Ismael Abul-chanifa. Is quantæ auctoritatis inter suos fuerit, vel inde patet, quod in ejus memoriam collegium seu gymnasium, inde Hani-

Digitized by Google

Hanifæum dictum, Bagdadi exſtruxit & immenſis reditibus ditavit Gielal-addolas Melic-ſchiahus e Salgucidis tertius rex Bagdadi, exſtinctis Boitis circa A. Chr. 1080. Vid. Elmac. *Hiſt. Sarac. l.* 3. *c.* 8. *Melic-ſiahus*, ut hoc obiter addam, eſt Arabibus, qui Latinis *rex regum*. Titulus regibus Bagdadi e familia Bujanorum conceſſus a Caliphis Saracenicis. Perſæ hodieque *Xa regem* vocant, ut *Xa-Iſmael*: *Adel-Xa*, i. e. *rex Aadilus*: *Kermon-Xa* ſeu *Kirman-ſchah*, Agathiæ *l.* 4. *Hiſtor.* Κερμασσὰ, *regulus Carmaniæ*. *X* enim in ſcriptura Hiſpanica τῷ *Schin* Ebræorum & Arabum æquivalet. Turcæ *Schah Imperatorem* vocant: *Kamſiah* Alexandriæ & Bagdadi adpellabatur templum auguſtius & magnificentius, q. d. *templum regis*. Elmac. *l.* 1. *c.* 7. *& l. d.*

VII. Quid de *Mocarabibus* mihi videretur, candide expoſui ex iis, quæ apud Garziam ab Orta Luſitanum, qui avorum memoria pro-Regis Indiæ Medicus fuit, & hiſtoriam aromatum ſtirpiumque Indicarum patria lingua deſcripſit, obſervaveram; quibus addo ſolum quid interea ſuccurrerit. Dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Didici ex hiſtoria Imperii Saracenici, quendam e genere Maravanæorum Muzam ſeu Moſen, filium Nutzir, principem militiæ Caliphæ in Syria Walid, miſſo Tarik ſtrenuo duce, in Hiſpanias primum trajeciſſe A. 709. occupata Inſula Viridi ſeu Andaluſia: tum oppida pleraque feciſſe tributaria, cepiſſeque Toletum, Roderico 25. Gothorum rege fugato, circa An. Chr. 714. & quindecim menſium ſpatio redacta in ſervitutem nobiliſſima provincia, quam Romani continuis ducentorum annorum bellis olim adquiſiverant, Hieron. Paulus in *deſcript. Barcin.* Idem Muza filio ſuo Abdulazi principatum tradidit, qui conſtituta apud Hiſpalim regia, uxorem Roderici Egibonem conjugem duxit, more regum Gothicorum diadema ſibi imponi juſſit, & inde abjuratæ Mahomedis ſectæ ſuſpectus, quaſi occaſione conjugii & regni Chriſtianus factus, ab Arabibus occiſus eſt, anno regni 3. Hinc mihi primum *Mozarabum* in Hiſpania initium, h. e. eorum, qui exemplo Muzæ (nam & hic a Walide omni potentia, & honore privatus, forte eam ob cauſam, ob quam filius interfectus) & filii ejus e Saracenis Chriſtianiſmo acceſſere. Et hinc eſt, quod qui Latine *Chriſtianus*, Arabice *Muza* adpellatur; Hier. Blancas *comm. rer. Arragon.* Mozarabes enim Saracenis, ut apoſtatæ ſuæ gentis, *mamzures* & *mumarim*, erant βδελύγματα & victimæ odii publici, uti dixi ſuperiuſcule. At quid multis? Clariſſime quinam fuerint, liquet ex Orderici Uticenſis Monachi, qui A. Chr. 1141. vivere deſiit,

Digitized by Google

ſiit, *Hiſt. Eccleſ.* quam inter *Scriptores Rerum Normann.* edidit nuper A. Ducheſnius, *l.* XIII. cum de Alphonſi regis Arragonum expeditione in Saracenos A. Chr. 1125. facta agit, hiſce: *Tunc*, inquit Ordericus, *Muceranii fere decem millia congregati ſunt, ac regem Hildefonſum humiliter adierunt. Nos, inquiunt, & patres noſtri hactenus inter gentiles educati ſumus, & baptizati Chriſtianam legem libenter tenemus, ſed perfectum divæ religionis dogma nunquam addiſcere potuimus. Nam neque nos pro ſubjectione infidelium, a quibus jam diu oppreſſi ſumus, Romanos ſeu Gallos expetere doctores auſi fuimus: neque ipſi ad nos pervenerunt propter barbariem paganorum, quibus olim paruimus. Nunc autem adventu veſtro admodum gaudemus, & natali ſolo relicto migrare cum uxoribus & rebus noſtris optamus. Muceraniis igitur rex, quod petebant, annuit. Magna igitur eorum multitudo de finibus ſuis exivit & pro ſancta legis amore, ingenti penuria & labore adflicta exulavit.* Et mox: *Porro Cordubenſes aliique Saracenorum populi valde irati ſunt, ut Muceranios cum familiis & rebus ſuis diſceſſiſſe viderunt. Quapropter communi decreto contra reſiduos inſurrexerunt, rebus omnibus eos crudeliter exſpoliarunt, verberibus & vinculis, multiſque injuriis graviter vexaverunt, multos eorum horrendis ſuppliciis interemerunt, & omnes alios in Africam ultra Fretum Atlanticum relegaverunt, exſilioque truci pro Chriſtianorum odio, quibus magna pars eorum comitata fuerat, condemnaverunt.* Hactenus Ordericus: cui quid addere præterea nihil attinet. Ita vero de *Moſt-Arabici* etymo mihi conjeciſſe licuerit; non enim contendo, neque eam pronunciationem ſcriptionemque adeo improbo: cum ſciam nunc Iſmaelis poſteros ab Arabibus litera tertia expreſſa *Al-Moſtarabuu* adpellari.

VIII. Ex iſtis Theophili non tantum, Plinio *l.* 30. *c.* 1. ubi de magice agit, lucem fœneror, ſed & ſphalma notabile, quod eo loco clam doctis, qui ſecure prætervecti ſunt hactenus, omnibus, hæſit, deprehendiſſe & corrigere poſſe videor. Ita vero Plin. editi codices: *Democritus Apollonicen Captidenem & Dardanum Phœnicem illuſtravit, voluminibus Dardani a ſepulcro ejus petitis, ſuis vero e diſciplina eorum editis.* Nomen ſcriptoris Ægyptii *Apollonides*, cognomen *Horapion* fuit, Ὡραπίων: nam in editis Theophili ſimiliter a mala manu eſt: Ως autem ων & ις Ægyptiacorum nominum terminationes ſunt, ut in *Sethon*, *Ammun*, *Apion*, *Manethon*, *Nechepſon*, qui Ægypti Imperator & Aſtrologus, cujus libros *de Gemmis* laudant Galenus & Aetius.) ſunt-

que

Digitized by Google

que veri hujus nominis in depravato vestigia satis manifesta. Argumentum ejus scripti religio Ægyptiorum seu superstitiones, Dii apud ipsos, & reges: item artes, quibus validissime omnium gentium favere, imperiosissimæ humanæ mentis, medicina, magice, mathematicæ disciplinæ, μαϊαιοπονία & insania in exstructionibus Pyramidum, studium μεταλλυργικῆς & χρυσοποιίας, quod a Prophetis in Ægypto prædicatum, in arcanis habitum & excultum maxime.

SEquentes Epistolæ, Lector, super Ἱερεμιάδος linguæ Punicæ natæ nobis sunt, eaque de nonnullis illustrant. Et edi igitur eas simul oportuit. Plures vero ejusmodi fuisses habiturus, nisi utrumque συμφιλολογητῶν meorum D. Wolfrumium quidem A. 1626. m. Aug. D. Schmuccium autem A. 1627. terris abstulisset

Μοῖρα λινοκλώστ δεσποίνις ἠλακάτης.

Nobis quid restat, nisi κλαίειν καὶ οἰμώζειν, & ne per hasce Barbariei minas, cum quibus vivimus, deficiant alteri secretioris literaturæ consulti & æstimatores, Deum precari?

Clarissimo & Excellentissimo Viro

Dn. THOMÆ REINESIO, Phil. & Med. Doct.

Experientissimo in Aula & Oppido Gera, Philologo & Polyhistori præstantissimo, Domino & Amico singulari plurimumque honorando,

S. P. VITUS WOLFRUM D.

NOvi anni felicem in-feliciorem pro-& felicissimum egressum ex mente animi precor, Clariss. Excellentiss. & Experientiss. Dn. D. amice & fautor singularis plurimumque colende. Quod ita humaniter generum meum excepisti & habuisti, & eruditum tuum consilium de meo illo mendicorum morbo ad ipsius petitionem sub manu tua ad me misisti, habeo & ago tibi gratias ingentes, relaturus ubi potero. Placet illud Dn. D. Zachariæ Limmero Senatori, & medicinam apud nos ultra 25. annos hic ordinarie facienti, viro optimo candidissimoque, & suadet, ut

Digitized by Google

obsequar, sicut etiam sine ejus persuasione facturus eram. Vereor autem, ne tuum illud de prurigine hac molesta συναποθνήσκει locum sit habiturum in me sene, nuper 63. annum ingresso. Fiat DEI voluntas, quæ semper est optima, & suo tempore mihi beatam ex hoc mundo migrationem pro clementia sua largiatur: &c. Diatriben de lingua Punica recipies, quando meus amanuensis descripsit. Laudat eam etiam Clariss. D. Smuccius, cui legendam tradidi, ut ex ἀνλιγραφῳ ejus epistolæ ad me cognosces. Sed nihil in Orat. mea, quam iterum nonnihil correctam mitto, inveniſti quod laudes? si maxime Præceptores mei me seduxissent quantum ad linguam Punicam. Libros multos non habemus, aut consequi possumus hoc loco, & pauxillum illud vitæ meæ, quod restat, totum Periculis Arabicis deputavi. Si tamen a prurigine nonnihil respiravero Dei gratia, quædam ad Te mittam, & Tibi Philologo acutissimo dijudicanda tradam. Interim habe quædam vetera meletemata mea; sed & specimen Periculorum Arabicorum, quorum 15. Decades jam in scriniis adservo, simul mitto, & ut legas & censeas, rogo. Vale vir clariss. & desideratissime. Cygneæ 30. Decemb. 1625.

Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo Viro

Dn. VITO WOLFRUM, SS. Theol. D.

Pastorique & Super-Attendenti Cygneo, Dn. Compatri, Amico, & fratri in Christo plurimum honorando.

DIscursum Dn. Thomæ Reinesii Doct. quo impugnat tuam assertionem de lingua Punica, legi cum voluptate; & quanquam argumentum ipsum magni momenti non est, tamen habet multa observatu digna, & miror ego acrimoniam judicii, ac deprehendo virum undiquaque doctissimum, multæ admodum lectionis, & cui parem ingenio in Academiis nostratibus hodie vix reperias. Ad caput causæ quod attinet, nondum mihi persuasit, Pœnorum linguam fuisse Hebræam. Nec tamen audeo contradicere, sed adsentior libentius, quam ut sine solidis fundamentis quidquam negem. Pænulo meæ Plautinæ adscripsi duos rhythmos Hebræos, in quos ipse cogit primum Hannonii sermonis versum. Sed dubito tamen, an ex *Uthalonim* possit fieri *Na eth elionim*, aut vice versa. Præterea particula *Na* an inveniatur pro *quæso*, mox initio

Digitized by Google

tio verſus; uſitate enim ſequitur Imperativum, ut in *Hoſianna*. Placuit mihi epigramma Græcum trium linguarum, antea, quod fateor, non obſervatum; ſed, in editione alia & quidem emendatiſſima in folio, reperio Phœnicum ſalutationem eſſe Ναίδι, pro qua veſter habet Αυδονις, quod, an indulgendum ſit, dubito. Tu mi Fide vale, & tibi gratulare, quod excitaſti æmulos in ſtudio tam laudabili. Dominus tecum. Lipſia, Dominica de regiis nuptiis, Anno 1625.

Tuus

VINCENTIUS SCHMUCC. D.

Seni Venerando, Viro Clariſſimo,

Dn. VITO WOLFRUM, SS. Theol. D.

Eximio, Paſtori ac Super-Intendenti per Diœceſin Cygneam Vigilantiſſimo ac Digniſſimo, Fautori & Amico meo Colendiſſimo.

NOſti, CL. Dn. D. Amice fidiſſime, Lucianæum illud *Anthолog. l.* 1. 30. ὠκεῖαι χάριτες γλυκερωτέραι. Nolui igitur differre reſponſum, cujus tibi nuper ſpem feceram, ad epiſtolam Smuccianam: eam κατὰ πόδας ſequar. Dicit Dn. D. Smuccius, me non perſuaſiſſe, linguam Punicam eſſe Ebræam. Neque hoc volui, neque docui, aut ſcripſi; ad Ebræam reduci, ex Ebræa Punica, quæ habemus, intelligi optime poſſe, ὁμοιότητα inter has linguas duas, quæ diverſis temporibus & locis modo major, modo minor, non ταυτότητα, hoc vero oſtendi; & probavi tamen, *Punicam non eſſe Arabicam*, quod probandum erat. Oſtendi præterea Punicam Cananæam eſſe, uſus in hanc rem teſtimoniis ſacris, profanisque variis, quia Pœni e Phœnicibus: Phœnices Tyrii & Sidonii. Hi Canaanis, qui, ſi Philoni Byblienſi fides, primus cognominatus eſt Phœnix, poſteri. Omnia ἀναμφίλεκτα & certiſſima e Gen. *c.* 10. Vid. Montanus *l. Canaan ſeu de* 12. *Gent. c.* 8. Et ipſe Auguſtinus *Expoſit. Ep. ad Rom. mulierem Cananæam* Matth. 15. ῥητῶς per *Punicam* explicat: utens vocula Punici in ea, qua Græci Φοινίκων, ut & Phœnicas & Pœnos comprehendat, latitudine. An vero Cananæa Tyriorumque ac Sidoniorum dialectus cum Ebræa in Bibliis reliqua eadem; vel

Digitized by Google

an Semi, Eberi, Abrahæque posteri eandem cum Cananæis, Chamitis seu ἀλλοφύλοις linguam locuti fuerint, hæc vero ἑτεροζήτησις est; & sive ajas, sive neges, sententiæ meæ id quidem nil officit. Adfinitatem aliquam inter eas, tam ex Hieronymi testimonio, qui *l. 7. Comm. in Esai. 19. v. 18. Lingua*, inquit, *Cananitis inter Ægyptiam & Ebræam media est, & Ebræa magna ex parte confinis*; quam ex eo quod Abram περάτης sensu *comm. 13. c. 14.* Genes. lingua inusitata ultra-amnana seu transfluviali (sunt enim qui ideo & ab *Eber*, עובר quod est *transire*, *Ebri* עברי *transitor*, Ebræos dictos putant, Theodoret. *Qu. 59. in Genesin*: Reuchlin. *l. 3. de Verbo Mirifico c. 13.* R. Abrah. Aben-Ezra *ad Exod. 21. v. 2.* R. Moses Gerund. *ad c. 11. Genes.* & Seld. *c. 2. Prolog.* non ab Ebero) loquens, ab Anere, Escol, & Mamre principibus Hebronitis, in terra Canaanis αὐτόχθοσι Gen. 13, 13. & Rahab meretrix Jericunte Cananæa a Josuanis exploratoribus fuerint intellecti: quin & e nomine regis Palæstinorum in Gerara Abimelechi, locorumque, urbium, fluviorum, montium, in Palæstina adpellationibus, colligere est. Diversas tamen etiam fuisse Cananæam & Ebræam, acute fortasse magis, quam solide, disputat & εἰκοτολογεῖ D. Augustinus *l. 16. de Civ. Dei c. 11. & l. 18. c. 39.* quod cum gentes communiter a Deo defecerint, fuerintque ideo confusione linguarum punitæ, ad Shemitas lectum Deo populum, maxime vero ad eos, quos ab Ebero, abnepote Semi, recta serie generationis descendentes ad Abrahamum & Jacobum usque recenset Moses Gen. 11. (collaterales enim Arphaxado sunt Aramæi & Assyrii, uti Abrahamo Ammonitæ & Moabitæ; Jacobo Amalecitæ & Idumæi;) non pervenerit supplicium hoc, lingua primæva inter eos, quasi depositum quoddam & justitiæ innocentiæque gentis testimonium, resederit. In quam rem etiam Eucherius Lugdun. *ad Genesin. l. 2. c. 9. Una Thare domus erat, de qua natus est Abraham, in qua unius veri Dei cultus; & quantum credibile est, sola Hebræa lingua remanserat*: V. Torniell. *Annal. Sacr. sub A. M. 1931. n. 12.* Alia etiam quæstio est, an idioma, hodie appellatum Ebraicum, sit cum primævo illo, quo ante diluvium populus Dei Sethitæ in terra Canaanitide (περιληπτικῶς ita nomino) utebantur idem, quæ huc non adeo pertinet. Affirmo autem. Sufficit demonstrasse, linguam Punicam Patribus memoratam, quorum testimoniis uteris in *Orat. de Arab. Lingua*, non esse Arabicam, Ismaeliticam, Cedarenam, Agarenam, Saracenicam, (tot enim nominibus adpellatur, & Ægyptiæ veteri fuit vicinior, Ebræa multo recentior, primum cum סבא *Seba*, filio Chusi, nepote Chami,

Digitized by Google

Chami, Gen. 10. *v.* 7. (alius enim שְׁבָא *Scheba*, Phalego natus, Eberi nepos, de quo *v.* 28. Sabæorum Indicorum: itemque alius Abrahami e Ketura filius, Sabæorum, proxime Perſas colentium, parens, Gen. 25, 3.) qui Arabiam Felicem ad Sinum, dictum Arabicum, tenuit, poſt cum Iſmaele & Eſavo nata, & a poſteris eorum exculta: Eſavus enim Iſmaelitida uxorem duxit, & hinc poſteri ejus Edomæi Arabibus quam Ebræis erant addictiores, imo in unius gentis corpus coaluiſſe cum Nabathæis & Arabibus, auctores habemus Strabonem & Stephanum, donec jure belli, Davide Rege, in Iſraelitarum manus convenere, 2. Sam 8, 14. & poſtquam Rege Joramo, (2 Reg. 8. *v.* 20. Ægyptiorum ſocietate nixi nexique 1 Reg. 11, 14. *& ſeq.*) defeciſſent, poſt ſecula pene octo ab Hyrcano ſubacti ritus Judaicos circumciſionemque admitterent, & ex eo tempore inter Judæos cenſeri cœpere; Joſ. *l.* 13. *c.* 17. id quod neuter veſtrum ulterius, puto, adfirmabit.

II. Lubens autem fateor, dedique id antea, rem hanc tanti momenti non eſſe. Quia vero ad Philologiam & πολυμάθειαν ſacram pertinet; in ſacris autem & de ſacris nulla cura hominis Chriſtiani nimia eſt, *cum*, ut ait D. Baſilius *ad Amphilochium*, *nihil ſit in Scriptura, quod non magni momenti ſit, utcunque nobis nihil aut parvum videatur*; & veritatis ea vis eſt, ut ad inquirendam ſe, etiam in minutiſſimis, ingenia περιοσότερα alliciat, eaque delectet, ſpero me ita non luſiſſe operam, qui rem impéditam, a nemine, quod ſciam, oſtenſam, multo minus eruderatam, accurate tractaverim. Ἄλλοις ἄλλα μέλει: Studium hoc poſt ſacrarum literarum lectionem & officii mei curas, mihi unice curæ cordique eſt. Certo enim id compertum habeo, & vel ob auctoritatem, qua fuit, experientiamque cum ſumma docendi dexteritate conjunctam, Ludovico Viveti adfirmanti credo, *cum e parvis componantur magna, neceſſe eſſe, ut quibus iſta ſtudia & ἀκριβολογήματα ſordent, ii parvis ſuo ipſorum judicio contemnendis aditum ſibi obſtruant rerum maximarum*: *l.* 1. *de cauſ. corrupt. art. p.* 40. Adeo minutiæ, ita enim adpellant iſti, neglectum ſui vindicant.

III. Ubi Plautinæ Pœnoli corrupte hactenus neglectæque Punica e Seldeni mente reſtituo, dubitat an ex *Uthalonim* fieri poſſit *Na eth elionim*. Rependo; 1. facile literam initialem per tot ſecula & librariorum oſcitantiam in re non intellecta perire potuiſſe. 2. In libris vetuſtis manuſcriptis quibuslibet capita dictionum, quæ κεφάλαια, ſive tmemata inchoarent, non fuiſſe adſcripta; ſed ſpatia pro iis quadrata relicta, ut

majore

majore forma, & plerumque miniata, pingerentur. Qui viderunt tales, sciunt me verum dicere. 3. Editio G. Longolii Colon. An. 1538. Hervagiana Camerarii & Lambini Lugdunensis An. 1577. signate adjecerunt τὸ *N. Nythalonim.* Et Seldenus ipse, cui debent hæc docti, in emendatissimis exemplaribus reperit *Ny eth alonim.* 4. Literæ unius, præsertim initio dictionis, adjectio pro eruenda sententia commoda, non est piaculum in Critice, maxime præeuntibus codd. manuscriptis bonæ notæ.

IV. Particula נא *Na* an præponi possit, ambigit, cum alias Imperativo postponatur, ut in *Hoschian-na.* Respondeo; eam præponere, ponere in medio sententiæ, post etiam ponere ἀδιάφορον est, quia est interjectio animi tantum, adfectum & excitantem, vocantem, hortantem, obsecrantemve προσωποποιΐσα: e qua formarunt etiam ἐπίρρημα suum Ναὶ Græci, quod poni in medio e Theocritæo illo *Idyll.* 5. Θρέψαι ναὶ λυκιδεῖς; itemque altero 18. *Idyll.* Ναρκῶ ναὶ τὸν Πᾶνα; præponi & postponi in sententiis solere, aliis auctorum classicorum exemplis patet. אָנָּא e quo per apocopen נא formatum est, præponi legitur Gen. 5. *v.* 17. & hinc tam *Hosiah nah,* vel *hosa na,* quam *na hosiah,* vel *na hosea,* rite dicetur. Erit ergo τῷ *Hosiah* adfixum *na* expletivum: qua potestate etiam esse *in comm.* 10. *c.* 40. *Jobi,* olim Mercerus docuit: & in *Gemara Sanhedrin cap.* 10. *n.* 4. קח נא ארי בנך *cape, age, filium tuum*; ubi R. Simeon, filius Abbæ, τὸ *Na* נא esse petendi formulam, seu vocem petentis, docuit. Sunt tamen inter τριβωμένους τὰ τοιαῦτα, qui unam vocem esse censent, quod נא cum verbis Ebr. nunquam componatur, & significare 1. fasciculum, summitates vel ramos salicum, myrtorum, palmarum, quos in festo tabernaculorum solebant Judæi gestare, & cum tripudio concutere, (id Patribus Græcis est τὸ βάϊα σείειν) subinde adclamantes e Psal. 118. אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא & a crebra unisonaque repetitione precum earum *hosannoth* adpellabantur rami illi, alias לולב: unde Arabes suum *Leblab,* quo *volubilem herbam* adpellant, formavere. Græci, teste Hesychio, lauri ramos, quos sacrificantes manibus tenebant, αἰσάνους vocavere. 2. Preces etiam ipsæ, seu hymni per dies septem festi concipi & cantari consueti, ad quassationem ramorum palmarium, *hosanoth* dicuntur a Thalmudicis: testimonia habet Buxtorf. *de Abbreviat. p.* 70. & *hosanah* primi diei, *hosanah* secundi diei &c. nota sunt. *Hosanna* igitur fuerit nomen solennis acclamationis, qua id, quod in duabus vocibus, quibus salutem auxiliumque vovebant,

Digitized by Google

vovebant, continetur: qua ratione in iſtis hymni Eccleſiaſtici: *Te noſtra ſupplex gloria per cuncta laudat ſecula*: vox *gloria* ponitur vel pro cantico Angelorum, Luc. 2. vel pro altero illo itidem Eccleſiaſtico εὐχαριστικῷ:

Deo Patri ſit gloria
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paracleto,
Nunc & per omne ſeculum.

Eoque reſpexit B. Lutherus, cum prius illud reddidit: Unſer armes Lied rühmet dich). Sed hæc παρεργον ὀδὲ.

V. In veteri Epigrammate Trilingui, ubi ego Αὐδονις lego, & Phœnicum ſalutationem ex *Hav-doni* eſſe, doceo, ſe in edit. (neſcio qua) Ναίδιϕ reperiſſe dicit, & propterea dubitat, num indulgendum mihi ſit illud Αὐδονις. Reſpondeo: dubitat vir CL. de re, de qua ne Carneades quidem. *Havo donni, & Hav-doni* eſt ipſiſſima Pœnorum ſalutatio. Ita enim Hanno Pœnus, quem & ſic explicat Plautus, & rurſus ita Punice ſalutare jubet, *a. 5. ſc. 2. v. 38. 39. 40.* Docuit me Illuſtris Scal. *Conject. in Varr.* & Doctiſſ. Druſ. *l. 4. Prater. ad Johann. 19. 3. & comm. priore ad voc. Ebr. N. T. p. 17.* Editio Flexiana Ἀνθολογίας, quam Jeſuitæ pro ſua juventute adornarunt anno proximo, eſt in Bibliopol. Schureriano. Eam ſuper hoc Epigram. niſi forte & id reſecuerunt, conſuli, & quomodo legat, notari velim. *Meam lectionem ita reperi in Eclogis, quas ante hos 23. annos puer in Gymnaſio patrio Gothæ ex omni auctorum genere concinnavi; & quia puer, ſuſpicione falſi alicujus vel arbitrariæ depravationis carere apud Doctos debeo, & ideo nec nunc muto. Qui Ναίδιϕ legunt, ſepiam adfundunt rei limpidæ, & fide bonorum codicum nitenti; & cur ita legant, ut probent Doctis, provocandi ſunt. Addo & hoc: quia epigrammatarius Syrum ſalutantem exprimere voluit, legendum eſſe, שלם *ſchelam*: שלום *ſchalom* vero Ebræum eſt, & propter vocalem longam *camez* a metro reſpuitur; quod ante non obſervaveram. Hæc mi Dn. D. ad Epiſtolam Smuccianam volui, ut CL. viri dubiis ſatisfacerem; debui, ut honorifici ejus de labore illo in re tenui (ſat enim mea frivola novi) meo teſtimonii & candidi judicii beneficio hoc officio aliqua reſponderem; quod ſi ei non in-

* *Hodie ſic reperio ſcriptum a Scal. adpend. l. de emend. temp. f. 29. Inde forte excerptum Præceptores mei (WULKIUSne an WEITZIUS? שלום) mihi in prælectionibus ſuis ſuggeſſerunt.*

Digitized by Google

gratum accidiſſe cognovero, eſt quod gratuler ſic mihi; & ſpero veritate ita viſa, diſſenſionem omnem ceſſaturam. Ad Pericula Arabica, pias & eruditas curas, alias; hoc tantum nunc quæro, cujus auctoris paraphraſis illa ſit, qua uteris, & cujus iſte ſeculi. Sunt enim in Bibliothecis & manibus Doctorum Arabicæ paraphraſes, præſertim Evangeliorum, diverſæ, non ejuſdem ſinceritatis auctoritatiſque omnes. Paraphraſis Arabica Pentateuchi ab Erpenio edita paſſim ab illa, quæ Raf Saadiæ Gaoni auctori Thalmude poſteriori, priori tamen Salomone Jario & Aben Ezra adſcribitur, differre deprehenditur; notumque eſt ἀυθεντίαν thargumim pendere ab auctoribus, eorumque ætate: quin & pias quorundam Chriſtianorum fraudes, dum libros a ſe compoſitos vetuſtis auctoribus, & qui auctoritatem iis conciliarent, ſuppoſuerunt, non ignoras. Evangelia Ebraica a Quinquarboreo, Mercero, Munſtero, & poſt ab ejus diſcipulo Er. Oſ. Schreckenfuchſio edita, Matthæo Apoſtolo adſcripta, ideo a Doctis merito exploduntur, & in capitibus fidei confirmandis nihil admodum probant, nemini perſuadent, nullum ἑτερόδοξον convincunt, tantum de auctorum ſuorum in Ebraicis peritia & ſtudio teſtantur. V. Pagninum *notis ad Theſ. L. Sanctæ*. Kirſten. *in vita Matthæi Præf. in Evang. ejus Arab.* Caſaub. *Exerc. adv. Baron.* 2. *c.* 10. Quod ne & de paraphraſibus in Arabicis dici poſſit, legitimandæ eæ ſunt, & quælibet ſuo auctori indubio vel ſeculo adferenda. Pretium cuilibet ſuum eſt ab antiquitate, & quo propius abeſt ab Apoſtolorum temporibus, doctrinaque.

Quod de *hinna* & *ketemo*, quibus ſe tingere conſueviſſe Abubecrum, Imp. Muſlimicum, Muaviam item, & Hasjemum Califas, a Βιογραφοις horum adnotatum ſcribis & quæris, ſcito, Califas Saracenicos, inprimis Syriæ & Bagdadi, quod Moſen fuiſſe πυῤῥαχῆ, capillis ruffis & criſpis, ſive πατροπαραδότως, ſive aliunde ſcriptorum (nam & Artapanus ἐν τῇ περὶ Ιουδαίων apud Euſeb. 9. Προπαρασκ. Ευαγγ. id tradiderat:) compertum haberent, eique adſimilari maxime ſtuderent, *henne* ſeu *alhanna*, quæ & *alcanna* barbaris e Maurorum *Kenne*, Dioſcor. *l.* 1. *c.* 107. κύπρῳ, Latinis *liguſtrum*, comam barbasque fucaſſe. Folia enim ejus arboris cum ſucco ſtruthii ſeu radiculæ permaduerint illitu ξανθίζειν τὰς τρίχας, *ruffare capillos*, e Dioſc. *l. d.* & Plin. *l.* 23. *c.* 4. notum eſt. Apud Turcas hinc hodieque maxime probantur rutilæ comæ; & ea ipſa Moſis reverentia fortaſſe fit, quod Judæi plagiarii, cum pueros Chriſtianorum ad ſua veneficia conquirunt, a ruffis capillitio, ceu ad magiam ſuam

Digitized by Google

am inutilibus, abſtineant, vel captos tales dimittant illæſos. De altero, in eoſdem uſus, *Ketemo*, jubeo te ἄλκην δρῦν βαλανίζειν. Andr. Alpagus *Interp. nomin. Arab.* Avicenna Annex. *alchetem eſſe aliquid ſimile alcannæ*: Pandectarius *c.* 349. *henne a quiſdam ſcotamum* (hoc e *Ketemo* depravatum eſt.) incongrue vocari, ſcribit. Sed non exſaturant animum ſciendi avidum iſta. In ὕλη κομμωλικῆς, quam ex Heraclide Tarentino, Archigene, Cleopatra & Critone Medico Imperatorio collegit Galenus 1. *de Compoſ. Medicam. ſec.* loca, Paulus *l.* 3. *c.* 57. *& ſeqq.* ubi περὶ ξανθισμοῦ καὶ τῆς τῶν τριχῶν ἀλοποιήσεως, diſpiciam aliquando, an quid *Ketemum* Arabum ſit apud Græcos, Latinosve indagare poſſim. Medici, a quibus talia exſpectes ceu Naturæ conſultis, hic quidem ſilent; adeo pauci ſunt, qui ſolidam doctrinam vel profiteantur, vel adfectent ſaltem: ſuperficies rerum & cortices extimos adradunt, ad nucleum pertingere terebrando non adeo laborant. Iidem de *ſandaracha*, de qua quærebas ſimul, & paucis tibi loquentur & ſatis frigide; ſcil. una ea voce a Græcis adpellari foſſile, quod inter arſenici & auripigmenti genera refertur, erodens & deleterium, ruffum ſeu colore flammeo. Plinius memint *l.* 33. *c. ult. & l.* 34. *c.* 5. 6. *in hiſtoria pigmentorum.* Dioſcor. *l.* 5. *c.* 81. ab Arabibus vero gummi juniperi, officinarum vernicem ſcriptorium; quod ultimum, (pace illorum dixero,) falſum eſt. Arabes enim *ſandaroſch* hoc nominant, Avic. *l.* 2. *Can. c.* 627. illud autem *Zarnich*, idem *c.* 49. & *harnet*. Cum igitur diverſæ omnino res, quibus nulla plane inter ſe cognatio vel ſimilitudo, & quidem in diverſorum populorum linguis ita ſignificentur, neutram vocum harum cum alterutra quidquam habere commune, ſequitur. Σανδαράκη quidem Græcis etiam vetuſtiſſimis nota uſurpataque, alia etiam ſignificatione vox eſt: Ariſtot. 9. *H. Animal. c.* 46. *apot.* 367. apum cibum dum operantur, durius quid cera & præſtantius, ſed melle vilius, ita a nonnullis nominari ſcribit: Plinius inde repetit *l.* 11. *c.* 7. addito, a quibuſdam *erithacen* adpellari, inveniri in favorum inanitatibus ſepoſitum, eſſe amari ſaporis. At *ſandaracha* pro juniperino gummi, vitio natum vocabulum eſt, & errore medicorum trivialium, qui Arabicam nomenclationem *ſandaroſch*, quæ Hiſpanis familiari ſcribendi ratione *ſandarax* eſt, in barbaro-Græcam, quia notior hæc erat, transfudere, literam *x*, quæ in ſcriptura Hiſpanorum æquipollet τῷ *ſch*, in *ch* perperam reſolventes, & ſimilitudine cum nomine Græco uſitato decepti. Barbaro-Græcam autem nominavi vocem Σανδαράκη, quia fortaſſe ea ratione, qua *ſandaſeros* & *ſandareſos* appellationes gemmarum ardentium,

Digitized by Google

a locis eorundem nominum in India per barbaros impoſita, Plin. *l.* 37. *c.* 7. acceperunt Græci. Pandectario *c.* 618. *Sandarax eſt regio quædam.* Scaliger *ὁ πάνυ Exerc.* 13. *ſ.* 3. vocem *Sandarax*, transmutatis elementis, e *ſamag agar* (librariorum ineptiæ hic ſunt: Scaliger enim ſcripſerat *shamagh harar*, quippe *shamagh* adpellant *gummi*, *harar juniperum.*) formatum eſſe ſtatuit. Sic ergo *τὸ Sandaroſch* non deſumſerint a barbaris Arabes, ut Græci *τὸ Σανδαράκη*. Vana ergo eſt iſta celebris adeo *Sandaracha* Græcorum & Arabum diſtinctio, cum horum, uti probavi, nulla fuerit, niſi quam inepti e linguæ ignorantia in eorum medicinam intulerunt. Sed nunc te mitto, CL. Dn. D. & ut longis hiſce logis ignoſcas, ſummopere a Te contendo. Ero, cum per argumentum Epiſtolæ licebit, brevior; nunc tali eſſe non licuit. Bene longumque vale, & amanti Te, Fave. Geræ 15. Jan. 1626.

Rever. digniſſ. T.

P.S. Beabis me, ſi excellentiſſimi Dn. D. Smuccii reſponſum, quod ille tibi pro amicitia veſtra non denegabit, communicaveris.

Obſervantiſſ.

D. REINESIUS.

D. VITO WOLFRUM S. P. D. TH. REINESIUS D.

SUbdubitare me fecit morula hæc bimeſtris, quod ad meas, 15. Jan. ſcriptas, non reſpondebas, Cl. & Excellen. Dn. Amice, & Fautor colende, eas Tibi rite traditas fuiſſe: ſed jam, factum bene! hoc nuncio ea me cura liberas. Velim autem quam maxime, CL. Dn. D. Smuccii *ἀμοιβαίας* ſive literas, ſive voces mihi communices. Spero me ipſi ita ſatisfeciſſe, diſſenſumque omnem penitus ceſſaturum. Paraphraſes Arabicæ Pentateuchi (de Chaldaicis Jonathanis, Anqueloſii proſelyti, & R. Joſephi cæci nunc non quæritur,) ſine dubio plures ſunt; colligo inde, quod in Bibl. Arabica Erpenii (deſcriptam habes in Append. Orat. Voſſii in ejus obitum) Pſalmorum liber in Quarto fuerit, cujus verſio liberior, & ſeſe diffundens pluſculum; unde quod Pſalmis, ut a diverſis auctoribus diverſisque ſeculis Arabice verſi fuerint, contigit, cur non & Pentateucho potuit? Druſius ea Pentat. Arabica verſione uſus eſt, quæ R. Saadiæ adſcri-

Digitized by Google

adſcribitur: meminit *Comm. ad voces Ebr. N. T. privre p.* 60. & Beza *ad Acta Apoſt. c.* 13. *v.* 8. edita Conſtantinopoli cum textu Ebraico, Chaldaico, & Perſico, teſte Voſſio *Orat. in obitum Erp. p.* 23. Ætatem vero illius *Raf Saadiæ*, *Saedi*, *Seadi*, *Saidi*, (tam enim varie hoc nomen efferunt) quem ſupernominant Gaonem, refero ad tempora poſt-Thalmudica. Fuere חכמים *Chacamim* Sapientibus & Magiſtris Judæorum quolibet fere ſeculo peculiares tituli ſui, & per eos Rabbini ætates mundi diſtinguunt. Vocabantur antiquitus *Thannaim*, i. e. *Deuterotæ*, (Druſ. *l* 2 *de* 3 *ſect. c.* 15 *l.* 1. *Qu. Ebr. c.* 34) *auctores Miſnæ*, ſeu *textus Thalmudici*, quos inter excidium urbis, & R. Jehudam, Sanctum dictum, floruiſſe docent: Schigk. *de Jure Reg. Ebr. p.* 128. Ordo Rabbinorum, qui auctores Gemaræ ſeu Commentariorum, alius erat, qui *Amorraim* dicti, & *Amuddaim*, q. d. γνωμολόγοι, *ſententiarum dictatores* & *interpretes* eorum, quæ Magiſtri ſubmiſſe dictaſſent: cœpitque is paulo ante Saporem Regem Perſarum, qui Valerianum Imp. ſubjugavit, poſt translatas e terra Iſraelis in Babyloniam ſcholas, mortuo R. Jehudah Haccadoſch, compilatore Thalmud Hieroſolymitani, filiisque ejus R. Gamaliele III. quem ſuccedere ſibi in principatu voluit, R. Simeone, qui cum fratre & R. Chaja conſcripſit *Barjeſoth* & *Mechiltoth*: atque hi ultimi fuere τῶν *Thannaim*, ut habetur in Cabala Abrahami: duravitque uſque ad Thalmudis Babylonici obſignationem, factam ſub Rege Kobade circa A. Chr. 490. Amorræos ſecuti ſunt qui *Seccoraim*, h. e. *Conjectores* ſeu *Arbitri*, adpellabantur: Zæmach David *p.* 48. Poſt iſta tempora obtinuit, ut qui per manuum impoſitionem, quæ & facta in iis, qui LXX. viralis Synedrii membra ſic futuri eſſent, claſſi ſapientum ac ſenatorum, e quibus & capita Synagogarum legebantur, transſcribebantur, ii adpellarentur *Haggaonim*, q. d. *Magnifici*, *Illuſtres*, *Excellentes*, a rad. גאה *gaah*. Eorum mentio fit in libro Mandatorum, cujus auctor Moſes Mikotzi ſeu Kotzenſis, (alii Cutſiacenſem adpellant) circa An. Chr. 1240. a R. Moſe Majem. in Moreh Nebochim, P. 1. c. 71. ubi jungit *Gaonim* & *Karraim*: (Hi a *Kara*, i. e. *ſcriptura* ita dicti, q. d. *ſcripturarii*, Poſtello *lecturarii*, בעלי מקוס *Baghalim paſuk*, *optime verſati in textu Biblico*: peculiaris inter Judæos hodieque ſecta, traditiones omnes ſeu legem vocalem rejicientium, ſoli addictorum Scripturæ, quos propterea ceteri Rabbanæi extreme oderunt. Lege Scal. *El. Trihæreſ. c.* 2. Druſ. 3. *de Tribus Sect. c.* 8. & 1. *Quæſt. Ebr.* 44.) & *P.* 3. *c.* 17. *Gaonæos* vocat recentiores, Thalmudicisque poſtponit: & apud Camium, libro quem

inſcripſit תשובות הגאונים *theſchuboth haggaonim*, h. e. *reſponſa illuſtrium virorum.* Ex iſtorum numero fuit circa A. Chr. 660. *Raf Iſaac Gaon*, Rector ſcholæ Pombedithanæ, quæ in tractu Nahardeenſi Babyloniæ ſita, ראש ישיבה tum, cum ab Haly (ita quidem eſt in Zæmach Davidis *de Pomis*, ſeu Pomarii p. 49. Verius autem eſt, factum hoc ab Abubecro, vel etiam Omare, tertio Muslimorum Imperatore; circa A. Chr. 640.) devictus eſſet, regnoque exutus Jezdegirdus Perſa. Item iſte *Saadias*, ſeu *Saidus*; unde κατ' ἐξοχὴν etiam ab Aben Ezra *Haggaon* cognominatur. Vixerit igitur inter annum Chriſti ſeptingenteſimum & milleſimum: Salomon enim Jarchi circa A. 1100: Aben Ezra quinquaginta annis ſerius ſcripſit: uterque vero ejus Saadiæ mentionem facit. Druſius *l. de voce Elohim p.* 1. refert ad A. M. 4702. & præfuiſſe ſcholæ, quæ tum in Sura Babyloniæ, quæ & Mattha Mechaſia auctori Gemaræ *tit. Sanhedrin c.* 1. *ſegm.* 7. q. d. *urbs tuti receptus*, ſcribit. Quam vero Erpenius Paraphraſin Pentat. edidit, *alterius cujusdam auctoris eſt, Chriſtiani non nuperi hominis, & melius cum fonte Ebræo convenit, quam Saadiæ*: verba Voſſii *l. d. p.* 23. Ex ætate ſc. auctoris de auctoritate verſionis judicare licet. Perpendes autem hæc, mi Dn. D. Audacter adſero; Chaldaicæ Paraphraſi multis modis cedere Arabicam. Modo ex Hiſt. Eccleſ. conſtaret, a viro quodam Apoſtolico, (Apoſtolorum enim aliquem Arabice ſacra vertiſſe, vel ſcripſiſſe, primum nondum a quoquam adſertum memini) confectam eſſe Paraphraſin Arabicam, eaque Eccleſias per Orientem, vel in Ægypto, alibive, uſas fuiſſe; tum ſc. ſalva res eſſet, & de auctoritate ejus nemo ultra dubitare poſſet. 1. April. 1626.

D. THOMÆ REINESIO VITUS WOLFRUMD.

Sal. in Chriſto p. cum obſervantia.

CL. Dn. D. Amice pl. colende & dilecte, binas tuas una hora accepi recte, ſicut puto me Rabenſteinium ad te tum ſcripſiſſe; & quia mihi luculenta ſpes facta fuerat de tuo ad nos adventu, magno te deſiderio exſpectavi. Etſi enim pro dignitate te recipere non potuiſſem; opinione tamen tua & aliorum gratior mihi profecto hoſpes fuiſſes. Dn. D. Smuccius, quibuſdam apoplexiæ ſignis motus, in thermis Carolinis jam agit; nolui igitur ad iſtum tua mittere. Fiet ſuo tempore, ſi ſoſpes & inco-

Digitized by Google

incolumis reversus fuerit, quod æternus Deus faxit. Quæ erudite de Chald. & Arab. Versionibus ad me scripsisti, probo, uno excepto, quod cum Jonathane Uzielide & Onkelo conjungis Rabbi Josephum cæcum, illum corruptorem Psalterii, qui 340. annis post Christum vixit. Sed nec credo, Paulum in Arabia Syro vel Græco sermone docuisse, cum Arabicus Act. 2. ita sit honoratus. Vale mi mellitissime Dn. D. Thoma in æternum. Cygneæ 12. Maj. 1626.

Dn. D. VITO WOLFRUM

THOM. REINESIUS D.

SCribis te non probare, quod R. Joseph cæcum auctorem thargum Psalterii jungam Jonathani & Anquelosio, qui Prophetas & Pentateuchum Chaldaice reddiderunt. Ego vero non scripseram me id sentire, sed vulgo eum Psalmorum Paraphrasten statui: & quia Pentateuchi paraphrasis Anquelosio, Prophetarum Jonathæ sine contradictione tribuitur; Hagiographorum etiam Paraphrastes nominandus erat. Imo testor Tibi, sentire id Jesuitam, suo quidem judicio acutum & eruditum, Possevinum: ejus verba habes *T.* 1. *Adpar. Sacr. f.* 221. & *T.* 2. *f.* 453. Sed Fr. Ximenium, quia nugamentis ea referta sit, in *edit. Bibl. Complut.* eam resecuisse. Et est, sicuti scribis, etiam me adstipulatore, verpus ille recentior, circa annum, ut Galatinus *l.* 8. *c.* 24. scribit, post eversum templum secundum, trecentesimum. Fuit igitur R. ille Joseph Paraphrastes Hagiographorum; sed nugax alicubi, &, ut tu nominas, corruptor. (Mercer. *in c.* 1. *Jobi.* Impuræ sunt sæpe paraphrases Chaldaicæ Hagiographorum, & somniis plenæ.) Si Galatini testimonio standum esset, Jonathas etiam Psalmos vertisse dici posset: hoc enim iste statuit, & discrepare a versione R. Joseph, monstrat *l.* 8. *c.* 24. Imo *l.* 1. *c.* 23. adserit, *Jonathanem totam Bibliam transtulisse, ejusque Psalterii versionem Chaldaicam esse in manibus pauciſſimorum, quod eam occultant Judæi ob mysteria Christianæ fidei, quæ contineat; non invidentes eam, quæ evertat & obscuret fidem, R. Josephi.* Viderint doctiores, qui utramque contendere possunt. Ex ista Jonathanis Psalmorum versione producit contra Judæos comma 1. Ps. 110. ita sonans: אמר יי למפריה שב לימיני *Dixit Dominus ad Verbum suum: Sede ad dextram meam:* P. Fagius *not. ad Paraphr. Chald. Onk. Deut.* 5, *v.* 4. Petrus Costus in *Typo Messiæ*

&

& Christi Domini p. 88. illoque Christianorum mentem scitissime expressisse testatur amplectiturque. Sunt praeterea Deuter. 33. & in fine Prophetae Habac. paraphraseos hujus Jonathanis aliqua, e quibus cum, imperante Tiberio, scripsisse suum illud Thargum, neque Thalmude recentiorem auctorem esse colligitur. De Pentateucho Jonathanis scio Buxtorfium dubitare, & quia contineat fabulas Thalmudicas plurimas, quod ei supponatur, sitque Thalmude recentius scriptum, autumare: Tract. de *Abbrev. & Recent. Op. Thalm. p.* 202. Buxtorfio tamen contradicere Helvicum, & hoc scio, qui vere Jonathani tribui existimat; in qua sententia etiam fuisse CL. Drusium, liquet ex hisce ejus *not. ad Sulp. Severi hist. p.* 26. *Jonathan is qui legem interpretatus est:* & Dn. Schigk. qui Jonathae Thargum Deuteronomii allegat *Comm. de Jure Reg. Ebr. c.* 5. Quin & auctoritate ejusdem Schigkardi, qui in *Bechinath Happeruschim p.* 37. *vulgo credi*, ait, *R. Joseph caecum Hagiographorum versionem adornasse, nondum vero certo constare*; & scriptoris anonymi, eruditissimi vero viri, auctoris *Diatribes de punctorum vocalium apud Ebraeos antiquitate c.* 9. Quod scripsi, tueri possum. Summa est: Paraphraseon auctoritatem humanam saltim esse, quarum auctores Interpretes agebant, non Prophetas; unde etiam de illarum sinceritate Ecclesia merito censuram sibi sumit, nec recepto uno omnia indifferenter adprobat. *Imo*, ut ait Bellarm. *ab Ecclesia magni adeo non fiunt, neque ex iis firmum argumentum sumi potest.* Id quod monere nos debet, etiam de Paraphraseon Arab. auctoribus & fide anquirere. Dedi nuper ejus rei ad Te nonnulla; quae, ut candide examines, summopere a Te contendo. B. V. & rem optime gere. Gerae 15. Maji 1626.

Eidem D. WOLFRUMIO REINESIUS.

SUppleo nunc, quae per nuperum praeproperum tabellarium, & curas officii alias, addere non licuit, de Versione Hagiographorum Chaldaica. Galatinus, qui Jonathanis Uzielidae Thargum Pentateuchi diversum ab Anquelosii, uti & ejusdem Psalmorum paraphrasin aliam a R. Josephi caeci, longeque puriorem vidisse se, scribit, non est adeo incredilis, quod e Judaeis (fide nonnullorum hoc scribo) natus, interque eos educatus, libros reconditiores, & quos supprimere solent illi plurimos, ignotos

Digitized by Google

ignotos Christianis, legisse potuerit; idque ex opere ejus, *Arcana Veritatis Catholicæ*, abunde patet. Hausisse autem id, e Jacobo Perez Valentino Episcopo Christopolitano, qui sub Frid. III. Imp. floruit, circa A. Chr. 1480. videri poterat. Hic enim *in Exposit. Ps.* 20. quam Roderico Borgiæ, qui post Alexander VI. Papa, dedicavit, eadem de Jonathæ Psalmorum Thargum habet. Et horum fide paraphrasis illa sincerior Jonathanis fuerit; cui & paraphrasin Pentateuchi adscribit Thalmud in Bava Batra, & in Succa: item Helvicus; cujus rationes, quæ huic etiam negotio aptari possunt, lege apud Schigk. *in Bechinath Happeruschim p.* 31. *& seqq.* Satis autem mirari nequeo, quæ ita viderunt Peresius & Galatinus, a nullo Bibliorum editore animadversa fuisse. Ximenius enim versionem Chaldaicam כְּתוּבִים *Hagiographorum* (quæ hoc ordine ponuntur, Psalmi, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Daniel, Esther, Esra, Chronica:) omisit in Bibliis Complutensibus: B. Arias Montanus eam, quæ R. Josephi dicebatur, quod multa apocrypha contineret, repurgatam edidit, supersessurus isto labore, si de Jonathanis & Aquilæ proselyti paraphrasi ipsi constitisset. Vulgatam vero sententiam, qua Jonathæ Prophetarum (qua adpellatione etiam Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, & Regum libri, comprehenduntur juxta Ebræos,) paraphrasis adscribitur, hausserunt Christiani e Thalmude. Locus est *Tr. Megillah c. 2. pag. 3. fac. a.* & apud Eliam Germanum *Præf. Methurgeman* seu *Lexici Chald. Quæsivit amplius Jonathan revelare Thargum Hagiographorum: & exivit ad eum vox de cœlo, dicens; an non tibi sufficit prodidisse mysteria Prophetarum; vis etiam prostituere arcana Spiritus Sancti? unde territus destitit a versione Hagiographorum.* Sed dubium non est, quin hæc confinxerint Thalmudistæ, ut paraphrasin Jonathanis, quam exstare tum sciebant, suspectam redderent, & Jonathanis non esse, persuaderent Christianis, neve ex illa convinci possent, & ut R. Josephi paraphrasi, utpote suæ impietati magis congruenti, auctoritas aliqua accederet; id quod & per credulitatem & inadvertentiam Christianorum obtinuere. Velim autem illi, qui figmento Thalmudicorum decepti, paraphrasin Hagiographorum nullam exstare, præter R. Josephi existimant, rationem mihi reddant, cur, qui multo antiquior Anquelosio Jonathan, Prophetas tantum, non vero Legem, cujus tamen quam Prophetarum Judæi omnes erant studiosiores, & sunt hodieque, verterit. Cur enim omiserit vertere Hagiographa, jam reddita sc. est ratio. Sed ea truffa, & quæ grossis tantum ingeniis, ac pueriliter credulis, satis-

Digitized by Google

faciat. Alia omitto, quæ ſententiam meam, Jonathanem ſc. & Legem & Hagiographa, præter Prophetas, vertiſſe, ſtabiliunt: ſuccurrent ea tibi, CL. Dn. D. paulum modo in hoc negotium attentiori. Alterum, quod ad meas 1. Apr. ſcriptas reponis, eſt, te non credere Paulum in Arabia Syro vel Græco ſermone docuiſſe: potius Arabico igitur. Ego, quid ejus rei in ὑποθέσει ſcripſerim, non memini, θεϊκῶς ſaltem hoc, Apoſtolorum aliquem Arabice docuiſſe vel ſcripſiſſe, nondum quiſquam dixit; id quod etiamnum aſſero, donec aliunde verius quid eruamus, ſciamusve. Neque vero, quia in Arabia Paulum prædicaſſe ex ejus ad Galatas *Ep. c.* 1. colligitur, Arabica id feciſſe lingua, continuo concludendum eſt: cum & Romæ prædicaſſe ſciamus, linguæ vero popularis ejus fuerit ignarus. Erant enim in illo Arabiæ Petrææ tractu, qui poſterioribus Cæleſyria vocatur, Syriæ Antiochenæ ac Damaſcenæ inter Jordanem & Euphratem conterminus, adque ulteriorem Jordanis ripam Galilææ obtendebatur, civitates Græcanicæ multæ, etiam ætate Pompeji Magni. Inter eas & Gadara ſeu Geraſa, & Gergeſa, cujus incolas, quia, ut e Matth. 8, 27. Marc. 5, 1. Luc. 8, 27. liquet, συνφορβοὶ & χοιροπῶλαι, gente Judæos non fuiſſe, certum eſt. Judæos tamen ἐκ διασπορᾶς & ἐλληνιςὰς Græcienſes potius, quam Græcos adpellandos, iſtæ alebant ſimul. Tractus autem ille tum, (Pauli ſc. tempore,) Arabia dicebatur, quia Arabum Regi parebat, ut qui & Damaſcum præſidio tenebat, non expulſis incolis prioribus, nec abolita lingua populari, ſive Syra, ſive Græca. Unde ſive Judæis, ſive Gentibus, ſive Græcis ibi prædicaſſet Paulus, Arabica ad id lingua opus non habuit. Et ſenſu iſto etiam Damaſcum Arabiæ adſignat Ptolomæus, & Tertull. *l.* 3. *adv. Marcionem*; ipſique illi ſive Syri, ſive Judæi trans-amnami, Arabes adpellantur διὰ τὴν ἐκ τοῦ ὁμορεῖν ἐπιμιξίαν αὐτῶν, ut notat Euſtat. *ad Perieget.* Sunt enim, quod in Geographorum lectione quiſque deprehendit, unius regionis modo anguſtiores, modo latiores termini, & modo hi, modo illi per tempora diverſa, & regionum vicinarum nomenclaturæ facile confunduntur. Hæc, puto, ſufficient adſtruendæ ſententiæ meæ, & tollendæ dubitationi tuæ; in quibus, ſi quid deſideras præterea, candide mone. Ego fideliter communico talia, & abunde mihi pro opera iſthac ſatisfactum rebor, ſi veritatem me perſuaſiſſe, & oſtensa hac opiniones vero contrarias dediſci cognovero. Verum eſt, ἀδεμία βαφὴ ἔτως δυσέκνιπτός τε καὶ δευσοποιός ἐςιν, ὡς τὸ πρὸς τὰ τῶν παλαιῶν δόγματα πάθος, & ſæpe plus auctoritati receptisque ſententiis datur, communique errori inveterato,

Digitized by Google

rato, quam veritati recens quasi se insinuanti. Et fit, dicamne cujus vitio, ut, *qui veritati magis nituntur, magis oppugnentur*; quæ Joh. Fr. Pici Mir. seria querela est. Saniores vero, ii tamen πάγχυ βαιοὶ, veritati cedunt, adsurguntque, &, ut triumphare ipsa possit, etiam proprias opiniones ei subdunt vel tollunt.

De adpellatione *picis* apud Arabas, *zerf*, quam e Scal. *Exerc.* 13. *s.* 3. hausisti, moneo, mendosam esse, & in quatuor literarum vocula bis peccatum. Verum autem nomen *zeft* est apud Avic. 2. *Can. c.* 546. Quod Te non vidisse, non culpa tua ulla, sed fatum, & humanæ naturæ lex est, quæ sancivit scilicet ἕνα ἄνδρα ὐ πάντα ἰδεῖν. Sed manum de tabula. Tu ignosce prolixitati, & me amare perge: & ut ament, ἀντιφιλήσει nostra digni alii, procurato. Scr. Geræ 27. Maji 1626.

Digitized by Google

THOMÆ REINESII D.

DE

DEO ENDOVELLICO,

Cujus

Memoria nullibi veterum monumentorum, præterea quam in Inſcriptionibus antiquis, in Villa Vizoſa Luſitaniæ repertis, & poſt RESENDIUM a CL. GRUTERO editis, exſtat,

COMMENTATIO PARERGICA.

Digitized by Google

Magnifico, Ampliſs. & Cl. Viro,

D. BERNHARTO BERTRAMO,

JCto Illuſtriſſim. Saxon. Ducum Altenburgi Cancellario Graviſſimo, Digniſſimoque, Mæcenati, & Amico meo magno.

ANTIQUITATIS Deorum filiæ habitæ majeſtate, ſacra, admirabili, & inviolabili apud omnes Sapientes, factum eſt, ut nihil ejus, qualecunque tandem ſit iſtud, inſuper haberi oportere non ſolum παμψηφεὶ conſtituerint, ſed & exemplo ſuo de æſtimanda, indaganda, illuſtranda & bene penitus pernoſcenda ea viam nobis præiverint magno numero. Nempe enim, cum ſtudia ferme hodie noſtra ad quæſtionem facti propius accedant, cui non pectus tacito gaudio pertentent, ſi quæ antiqua ſepulta, fide bona eruuntur? Ita ſcilicet paulatim quæ ἄπορα creduntur in omnibus diſciplinis definiri, veteris ſeculi memoriam recentari, & corruptelas in auctoribus antiquis, ad quas ſanandas nulla machina videbatur eſſe, medelaſque harum demonſtrari, ad extremum lacunas meliorum literarum hactenus deſtitutas pene expleri poſſe, ſpes bona eſt. Etiam minutiſſimum, quid ejus, contemtiſſimus apex ſtricturæve exigua in cognitionem rerum maximarum, utiliſſimarumque juxta ac jucundiſſimarum cupidos, deducit. Atque iſtam quidem ſententiam animo quoque Tuo, Cl. Bertrame, qui ſinceræ Antiquitatis admirator es, & rimator, quam ab imperitis crederis ſagacior feliciorque, ſedere tot experimentis συμφιλολογήσεως noſtræ habeo perſpectiſſimum, & ſunt, quæ docere id poterant ignaros, profecta abs Te quam plurima πολυπαλαιομαθημοσύνης illuſtria δείγματα. Non igitur cunctari

 debui

Digitized by Google

debui particulam ejus elegantiſſimam, de Deo ENDOVELLICO, in Luſitania avorum memoria repertam, cui origines ſuas provinciam nobiliſſimam debere, liquido oſtendi poſſit, explicatam & illuſtratam, ad Te potiſſimum, non tam cognoſcendi, quam emendandi cauſa, quod premi nefas eſſet, emittere. Ea ſane uti rariſſima eſt, (ex unis enim Inſcriptionibus, ſilentibus præterea Scriptoribus cujuſcunque generis omnibus, innotuit;) & obſcuriſſima, quippe a nemine, quantum ubique eſt literatorum, hactenus vel tentata: ita de conditu gentium Hiſpanarum, primiſque proximis a diſperſione populorum ſeculis Hiſpaniæ poſſeſſoribus, qua de re imperfecte narravere Græci, quorum qui ſunt vetuſtiſſimi, & putantur diligentiſſimi, e quibus Ephorus Cumanus eſt, ſic ignoravere res Gallorum, Hiſpanorumque, ut unam civitatem eſſe arbitrarentur Iberos, qui tantam occidentalis terræ partem noſcuntur inhabitare: Joſeph. l. 1. c. Apion. Recentiores vero plerique, cum a ſuperioribus nihil veri didiciſſent, vellent autem aliquid amplius quam alii de longinquis, incompertis, & obſcuris retuliſſe, ſtudio patriæ (ποθεὶ γὰρ πᾶς ἀρχαῖον λέγεσθαι, inquit Theſſalus Hippocratis in περισβευ.) libere multa nugati ſunt, purpura tamen alithina, quamvis non agnita, inter viles pannos ubique relucente, docet nos certiſſima & jucundiſſima rerum pulcerrimarum ſcientia, animos perfundit. Facit præterea, ut Hiſtorici veteres non intellecti hactenus, & fœde hanc partem maculati, in luce & nitore ſuo nunc conſiſtant, & Geographorum circa Populorum, Locorum, Urbium nomina & ſitus allucinationes variæ detegantur & corrigantur. Tot unius leviculæ rei, uti quidem incurioſis ineptiſque ſemiliteratorum, & iniquis judicibus videri poterat iſthæc Grammatica Hiſtoria de Deo ENDOVELLICO, utilitates ſi quem non alliciant, eum neque ſenſu literarum ullo vere tangi, & communi etiam carere, intrepide dixero. Sed, quid hæc verba tam indigne perdo? non confligam hic cum iſtis portentis, cum homines imperitos mores ſui ſævi & contemtus elegantiarum ſatis ulciſcantur, ut emanere ſcil. a talibus cogantur, & cum in literatorum congreſſibus de literis ſermones caduntur, feruntur ſuffragia, vel magis quam rana Seriphia muti adſideant, vel ultra triviales magiſtellos nihil ſapere deprehendantur. Debebatur vero, Cl. Bertrame, hæc Commentatiuncula Tibi, eo, quod cum crudam tumultuariam & minus comtam Amicus obtruſiſſet nuper, avidiſſime eam tamen exceperis, & humaniſſime habueris obferentem. Amplecteris vero nunc, me exhibitore ipſo, pro conjectura veritatem, pro nube Junonem ipſam. In erratis magna exempla valent ad defen-

Digitized by Google

defenſionem; ſunt autem e primipilis doctorum plurimi, quos, cum Veroſimilia, Conjectanea, Suſpiciones edidiſſent, Retractationes, Emendationes, Expoſitiones ſuperdare uſque adeo non puduit. Alphstandri communis Amici circa ENDOVELLICUM luſus eruditus revera ὄναρ ἦν, καὶ ἡμέρα γέγονε, καὶ τὸ ὄναρ διαλέλυται, ut verbis Johannis Chryſoſtomi loquar: de quo, an recte ſic cenſuerim, & pronunciarim τὴν δικαίαν, *jam penes Te, Cl. Bertrame, eſto judicare. Sufficit enim mihi judicium de quibuſcunque meis in hoc tempore tuum, cui principatum in literis merito hic deferimus & lubentes, apud poſteros, cum obtrectationis invidia deceſſerit, induſtriæ aliquod ſaltem teſtimonium habituro. Optime vale, Amicorum Optime, & cultori nominis Tui porro quoque fave. Scr. Altenburgi XVII. Mart. Ao. cIↃ IↃc XXXVII.*

THOM. REINESIUS D.

LECTORI.

NE Te, Lector φιλέπυξε, moretur in iſto negotio quidquam, e Corpore Inſcriptionum Antiquarum Gruteriano excerptas hic legito eas, quæ Dei ENDOVELLICI, de quo hic laboramus, meminere. Ex iis octo priores e L. Andreæ Reſendii *l.* 4. *Antiq. Luſitan.* ubi Villam Vizoſam deſcribit, deprompſit; reliquas quinque ab Ill. Scaligero habuit Cl. Gruterus. Sunt vero iſtæ:

DEO.ENDOVELICO. PRÆSTANTISSIMI. ET. PRÆSENTISSIMI. NUMINIS. SEXTUS.COCCEJUS. CRATERUS. HONORINUS. EQUES. ROMANUS. EX. VOTO.

ENDOVELLICO. SACRUM. MARCUS. JULIUS. PROCULUS. ANIMO. LIBENS. VOTUM. SOLVIT.

C.JULIUS.NOVATUS. ENDOVELICO. PRO. SALUTE. VIVIENNIÆ. VENUSTÆ. MAMMÆ. SUÆ. VOTUM. SOLVIT.

Translat. e Villa Viz. ad arcem opidi Lendroalis.

EN-

Digitized by Google

ENDOVELICO.
CRITONIA.
MAXIMA.
EX.VOTO.PRO.
CRITONIA.C.F.

Q. SEVIUS.
Q. F. PAP. FIRMANUS. VOTUM.
DEO. ENDOVOLICO.
S. L. M.

ENDOVELLICO.
ALBIA.
JANUARIA.

DEO. ENDOVELLICO. SAC.
JULIA. ELIANA. VOTO. SUSCEPTO.

ELVIA. YBAS. MATER. FILIÆ.
SUÆ. VOTUM. SUSCEPTUM.
ANIMO. LIBENS. POSUIT.

D. ENDOVELLICO. SA.
AD. RELICTITIUM. EX.
T. NUMIN. ARRIUS.
BADIOLUS. A. L. F.

DEO. SANCTO.
ENDOVELLICO. M. V. M.
ANIMO. LIBENS.
VOTUM. SOLVIT.

DEO. ENDOVELICO. SACRUM.
BLANDUS. SCALIÆ. RUFINÆ.
SERVUS.
A. L. V. S.

ENDOVEL.
SACRUM.
ANTONIA. L.
MANLIOLA.
E. V.
SIGNUM. ARGENTEUM.

ENDOBOLICO.
TUSCA.
OLIA.
TAURI. F.
PRO. QUINTO.
STATORIO.
TAURO.
V. A. L. S.

ENDOVELLICO.
SACRUM.
EX. RELIGIONE.
JUSSU. NUMINIS.
POMPONIA. MARCELLA.
A. L. F.

Johan. GeorgI Herwarti JC. Consil. Elect. & Statuum utriusque Bavariæ Cancellarii opinionem de Deo isto traditam in *Admirandis Theologiæ Ethnicæ mysteriis*, *c.* 34. cujus scripti argumentum est: Lapidem Herculeum seu Magnetem antiquissimis temporibus pro Deo cultum, & artem, qua navigationes magneticæ per universum Orbem instituerentur, a veteribus sub involucris Deorum Dearumque, & aliarum fabularum cortice fuisse summo studio occultatam, ex hisce ejus discere poteris: *Ego non dubito*, inquientis, *Deum hunc Endovellicum fuisse sagittam seu acum magneticam, pyxidi nauticæ inclusam & vitro tectam. Dictus ab* ἔνδον & βέλος, *quod* ἔνδον, *intus* (in cavo & cavea pyxidis nauticæ) *sit inclusum* βέλος *telum, sagitta seu acus.* Quid vero de hac pronunciandum, docebere, si voles, in sequentibus.

DE

Digitized by Google

THOMAS REINESIUS D.

DE

DEO ENDOVELLICO.

DE DEO ENDOVELLICO, re obſcuriſſima, & tacta a nemine propter ſecretum materiæ, conjectare mihi liceat interea, opinarique, dum certius quid eruatur a ſagacioribus: Palma in medio poſita eſt. Suſpicor autem Deum Endovellicum peculiare Celtarum ſive Celtiberorum alicui corpori, quos Hiſpaniam pene omnem, maxime Luſitaniam Gallæciamque a magno promontorio, Olyſſiponenſi, uſque ad Celticum dictum, antequam Pœni Romanive eo trajicerent, tenuiſſe, manifeſtum eſt, & locale uni cuidam exiguoque diſtrictui proprium Numen fuiſſe, quod Inſcriptiones pleræque, quæ illum Deum nominant, in Villa Vizoſa Luſitaniæ, Brigantii Ducum ſede, e fano vetuſto ad oppidulum Therennam eo translatæ, hodie reperiantur, teſte L. Andr. Reſendio *l.* 4. *Antiq. Luſit.* ejusque alibi locorum per Luſitaniam Hiſpaniamque repertarum nulla meminerit. Ubi Scaliger, quas communicavit, viderit, ipſe docere poterat; nunc haud liquet.

Celtiberos, & in hiſce Segedæ civitatis incolas, locant Geographi recentiores in Tabulis Hiſpaniæ ad ripam citeriorem fluminis Sucronis, (hod. Xucar,) qui regnum Valentiæ ad urbem Alzeſiram perlabitur, & ἐκβολῇ iſta Sinum Sucronenſem conſtituit, Balearibus oppoſitum: repugnat autem tam Strabo, qui *l.* 3. Segedam Arevacorum, hi autem in Tarraconenſi, oppidum eſſe, ſcribit, quam narratio Appiani in *Ibericis*, qui tradit, miſſo contra Segedanos Imperatore Fulvio Nobiliore, hos ad Araſchos in tutelam transfugiſſe: Araſchi autem fuere vicini Numantinis, & ab his unius noctis itinere tantum aberant, quod ſimiliter e verbis Appiani liquet; Numantini vero omnium conſenſu in agro, hodie dicto Soriano, ad fluvium Durium, qui ortus in Arragonia, haud procul urbe Teruela, mediam Caſtellam permeat, & Luſitanos a Gallæcis diſterminans in Oceanum Atlanticum defertur; ad eumque ſitum erat oppidum Arevacorum Clunia, quod Plin. *l.* 3. *c.* 3. finem Celtiberiæ adpellat. Quia

Digitized by Google

& ſitum Celtiberorum e Mart. *Epigr.* 50. *l.* 1. diſcere licet. Is, Bilbilitanos quinque dierum itinere Tarracone diſtantes, & Salonem eorum fluvium, agro Aracelitano ortum, Congedumque, qui hodieque in Arragonia ad Cæſar-Auguſtam cenſentur, attribuit Celtiberis: atque hic verus eorum ab Occidente Aſturibus, a Septentrione Ibero, ab Oriente fontibus Tagi & Lobetanis, ab Auſtro Oretanis & Oroſpeda incluſorum ſitus. Belli igitur, quos Appianus appellat, Celtiberorum natio, quorum urbs Segeda, etiam ibi quærendi erunt, non in Murcia; ut delinearunt in Tabulis moderni Geographi. Cum ergo Celtiberos ab Iberi & Durii ripis, ad quas plurimi & quidem primum conſederant, in Luſitaniam migraſſe circa annum ante natum Servatorem 760. lateque ab Ana ſcil. fluvio ad Mundam uſque tenuiſſe, protenſos Salamancam uſque fuiſſe, probetur e Strabone *l.* 3. a Joh. Margarino *Ep. Gerund. paralipom. Hiſp. v.* 10. & a Joh. Vaſæo *Chron. Hiſp. c.* 10. cum Celtiberæ nationis inter Garumnam & Ligerim conſidentis partem Helvios dictam, utrumque Anæ fluvii litus a Turdulis ad Turdetanos uſque habitaſſe, e cognomine ipſis civitas Elvas, hodieque ſic dicta, pateat; Eburones etiam Belgas, ſeu Celticæ Gallicæ populos Eboram ibidem condidiſſe, probet pluribus Jac. Menœtius *Comm. de Municipio Eborenſi*; mirum non eſt, etiam ſacra eorum & nomen *Dei* eo ſimul translata, *Deumque* ENDOVELLICUM in Celtica ad Anam, in cujus vicinia inter Elvem & Portalegrem ſedes Brigantii Ducum Villa Formoſa, diſtans a Pace Auguſta VIII. m. paſs. quæ Inſcriptiones iſtas hodie exhibet, plurimum celebratum cultumque fuiſſe. Etſi vero ſententiam Phil. Cluverii, totam ſc. Hiſpaniam Celticam fuiſſe dictam ab Aſchenaze Gomeris F. qui & Celtes, & Celtiberiam, ac Hiſpaniæ incolas, cum Celtis qui Galliam, Germaniam, Britanniam tenebant, ejuſdem nationis exſtitiſſe, eandemque linguam uſurpaſſe, quod is *l.* 1. *Ant. Germ. capp. prioribus octo* probat, ſequamur; veriſſima enim eſt, ſi alium priorem in Hiſpania dominum populum, antequam Celtæ in eam venirent, fuiſſe, non neget tamen; nihilominus Endovellicum Deum Celtiberorum Celtarumque, qui Gallæciæ Tarraconenſis & Bæticæ hodie dictarum partes incolebant maxime, fortaſſe etiam Iberorum fuiſſe, neque repetendum igitur a Romanis & eorum lingua, quod palmarium hic eſt, rite adſeremus.

Qui autem, qualisve fuerit, & quod ejus ſimulacrum, in tanta veterum memoriarum circa κτίσεις gentium & regionum caligine, quis definiat? MARTEM coluiſſe Luſitanos, eique caprum immolaſſe, equos, capti-

Digitized by Google

captivoſque, e ſcriptoribus Græcis Latiniſque, idemque feciſſe Celtas, e Julio Cæſare notum eſt. Accitanos etiam, Martis ſimulacrum radiis ornatum, (quem *Neton*, alii malunt *Necyn*, adpellent,) coluiſſe, conſtat e Macrob. 1. *Saturn. c.* 19. ſed an ille Luſitanorum Accitanorumque Mars, & noſter hic Endovellicus, Endovelicus, Endobolicus, (tam enim varia ejus nomenclatura eſt,) iidem ſint, æque incertum eſt. Certiſſimum tamen, non a *duello*, nec a *bello*, Romanis voculis, multo minus a Græcorum aliqua ita denominatum eſſe. An enim Celtæ, & a quibus hi forte accepere populi, qui lingua ſacriſque a Romanis Græciſque erant diſtincti maxime, Numini, quod colerent, nomen in ſuis linguis non poterant reperire? Et quia Strabo *l.* 3. Celtiberos, & confinales ipſis Boream verſus habitantes, (interpretor Aſtures, Cantabros, Gallæcos,) Deo cuipiam innominato, plena Luna tempore nocturno, παννυχὶ, pervigilium celebrare choreas ducendo, ſcribit, ei nominis ignorantiæ ex hiſce unis Inſcript. mederi poſſumus, quæ adpellationem ejus Dei nobis intimant, alibi non temere reperiendam, neque hactenus a quoquam repertam uſpiam.

De incunabulis vero hujus Celtarum per Hiſpanias Numinis idem ſentire par eſt, quod de aliarum gentium, quas hominibus genere, copiisque amplis, bene meritis, (hanc enim ſolum partem ἀποθεώσεως delibabo,) & a quibus beneficia accepiſſe meminiſſent, divinitatem tribuiſſe, & hinc divino cultu adfeciſſe, tralatitium eſt; & quia Regum, virorumque aliorum fortium ac illuſtrium merita maxime ſplendida eſſent, quorum opibus aperte præſenterque juvarentur, factum eſt, ut tam hos in Deos adſumerent; (Ita enim Horatius *l.* 2. *Epiſt. v.* 5.

Romulus & Liber Pater, & cum Caſtore Pollux
Poſt ingentia facta, Deorum in templa recepti:)

quam nomina Deorum ſuorum non ſolum Regibus ſuis imponerent; ſed & ipſi cujuſque gentis privati iiſdem lubentes adpellarentur & ſolenniter. Mauri manifeſte Reges uti Deos coluerunt, nec ullo velamine hoc nomen obtexuerunt: Cypr. *l. de idolis:* Lactant. *l.* 1. *Inſtitut. c.* 15. Minut. Felix *in Octavio:* Gothi *Thorum*, qui idem cum Jove tonante, Taranes (Lucano *l.* 1.) *Otthinum*, qui Marti ſimilis, & *Friggam*, ſeu *Freiam*, quæ Veneri: Joh. Magnus *Hiſt. Gothor. & Sv. l.* 1. *c.* 9. & 10. a quorum primo, ceu potentiſſimo, nomen *Thoronis*, quo lubentes vocantur Gothi hodieque, mutuati ſunt. De Nabathæis eſt apud Stephanum (ex Uranii *Arabicis*,) eos *Obodam*, quem Regem habuerant,

θεοποιήσαι; *Obodamque* & *Duſſaren* huic πάρεδρον Arabum Numina de cetero fuiſſe, apud Tertull. *l.* 2. *ad Nation. c.* 8. Ægyptii Regem *Remphin*, ob ſervatam in cariſtia per annonæ procuratam copiam Ægyptum, (qua de re Geneſ. 41. legere eſt,) pro Deo habuerunt, ſub imagine bovis, *Apin* vocantes; ad eam horum religionem conformarunt Iſraelitæ ſuam in vitulo aureo, quæ ipſis & ab Amoſo Propheta *cap.* 1. & a S. Stephano Act. 7. *v.* 43. exprobratur. *Taunaſin* Regem, qui, Velocce Ægyptio victo, totam Aſiam ſubjugaverat, Gothi mortuum inter Numina ſui populi retulere, Jorn. *de Reb. Getic. Radagaiſum* Scytham, qui a Gothorum quodam corpore Rex electus in Pannoniis, adſumtis Hunnorum Vandalorumque copiis, cum ducentis millibus Italiam inundaverat, circa A. Chr. 400. ut eſt apud Jorn. & J. Magnum *l.* 18. *c.* 7. Vandali Obotriti ſuperſtitione ſua in Deum refinxere nomine *Radegaſt*, cujus ſimulacrum in urbe Rethere venerabantur, teſte Krantzio *l.* 2. *Vand. c.* 22. *&* 25. *l.* 3. *c.* 4. Metrop. *c.* 43. *Teut* ſeu *Tuitonis* nomen, quo Deum adpellavere noſtri retro majores, (quem ſcriptores Romani alii ſuæ linguæ vocabulo *Ditem*; ita enim Cæſ. *comm.* 6. *de B. G. Galli maxime Mercurium coluere, & ſe a Dite patre prognatos Druidum proditione prædicarunt*: alii, ut Lucanus *l.* 1. retinentes barbaram & propriam Germanorum adpellationem, *Teutatem*;) varie adſumſere etiam privati inter antiquiſſimos Teutonas, quod hodieque apud nos tenere ex adpellationibus Gotthardt / Gottlieb / Gottfried / Gottlob / Gottwalt (e quibus illa Vandalorum, ſeu potius Vinidorum, adpellatio Bohußlawa eſt, h. e. *Deo laus*, quam Germani παραλαλινίζοντες *Boguslaus* efferimus; hæc Bohuchwala / h. e. *Deo gloria*) Gottwalt / & aliis talibus conſpicitur. Cum igitur inter Reges Celtiberorum Hiſpaniæ proximis a diſperſione gentium temporibus imperantes (quos Aſchenazæ filii Gomeri, Japeti nepotis, poſteros fuiſſe a nonnullis conſtitutum eſt: alii, iique plures a Tubale, Japeti filio, ortos eſſe volunt; utrique, ſi tempora diſtinguantur, & gentes in una Hiſpania diverſæ, recte:) tertius, juxta Beroſum, fuerit *Idubela* vel *Idubeda*, (utrumque enim obtinuit; neque inſolens eſt τῶν D & L commutatio) qui & nomen monti, regiones ſibi ſubjectas includenti, a Strabone & Ptolemæo *Idubeda* dicto, impertiit. Oritur hic a Pyrenæo, ejuſque brachium quoddam eſt, juxta Iberi fontes in Cantabris, proferturque verſus Auſtrum, quicquid Petrus Olivarius de ejus a Pyrenæis ad Portugalliam procurſu dicat, per Hiſpaniæ latitudinem uſque ad Mare Mediterraneum non procul urbe Der-

Digitized by Google

Dertoſa; & Hiſpanos omnes in citeriores & ulteriores diſterminat: veroſimillimum ſit, eum a gente ſua divinis honoribus adfectum, ſive vivum ſive mortuum, progreſſu temporis inter Numina relatum, & ENDOBELLICUM hunc ipſum, de quo quæritur, eſſe. Non autem offendet vel litera initialis E. vel ἐπένθετον N. eum, qui, quam vocales mutare ſoleant, præſertim in vocibus barbaris, cum eas Græci Latinive enunciant, & quod ſolennis ſit utriſque tam intercalatio, quam extritio literæ N. novit. Ita *Indigetes* populus Hiſpaniæ, olim regione, quæ hodie Catalonia dicitur, conſidens, Plinio *l.* 3. *c.* 3. Ἰνδικῆτοι Stephano, Ἐνδίγετοι Ptolemæo, Avieno *Endigetes: Iliberis* Livio, Plinio, Ptolemæo, Ἰλιβύρρις Straboni, *Eliberri* Melæ, *Oliberre* Tabulis Peutingerianis: *Emporiæ*, *Impuriæ*, *Ampuriæ*, ejuſdem oppidi in finibus Catalanorum ad Mare Gallicum nomen; *Bruttates* & *Bruttii*, Calabriæ populus, Βρέττιοι Ptolemæo, *Bryttii* in Cod. Theodoſ. *Brettii* in numiſm. Βρέτλιοι Straboni, Βρέντιοι Diod. Sic. *l.* 16. & Dion. Afro. Interpoſitionis literæ *N.* exempla ſunt apud Græcos, Latinos & Barbaros in κιγκέρνη, κιρκίνσιον, *thenſaurus*, *herens*, *menſa:* e Græco enim μέσα eſt; *Inculiſma*, *Engoliſma* ex *Egoliſma*. Iſtius & Regis & Deaſtri ſui nomen Celtas filiis ſuis imponere conſueviſſe, vel ſola *Indibilis*, qui Polyb. *l.* 10. Ἀνδοβάλης, adpellatio evincet; vocabatur ita Regulus quidam Hiſpaniæ, qui, abſente Romæ Scipione, circa A. U. C. 550. ſocio quodam Mandonio, res novas contra Romana præſidia molitus erat, matureque cum ſuis oppreſſus: itemque altera *Abilix*, Ἀβίλιξ Polyb. *l.* 3. quod erat cujuſdam præcipua apud Hiſpanos dignitate viri nomen. In illo & noſtro terminatio *Is* & *Us* a Græcis Latiniſque eſt, cum populares ipſi fortaſſe & Deum & Regulum ſuum *Endobel*, *Endovel*, *Endebel*, *Endebellic* aut *Endebellix*, quæ terminationes nominum propriorum Germanis, Gallis, Hiſpanis, Britannis, uſitatiſſimæ fuere, adpellarent: idemque plane cum iſta eſt nomen *Idubilius*, quod apud Tacit. in 12. *Annal.* Regis Hermundurorum, & *Indo*, quod Regis cujuſdam Hiſpaniæ partis, qui, teſte Hirtio *l. de B. Hiſp.* Julio Cæſari copias ſuas contra Pompejos FF. adduxerat. Præterea conjecturam meam, montem, quem ad unum omnes *Idubedam* adpellant, *Idubelam* etiam eſſe vocatum, firmat, quod *Ebulleus* (quam adpellationem tamen in edito Codice ſine menda eſſe non receperim) a primis habitatoribus dictus ſit, teſte Margarino *l.* 1. *f.* 7. & 25. per quos, quin *Bellos* Appiani ſignificare voluerit Margarinus, non eſt dubium, ut gens a monte, ad quem colebat,

Digitized by Google

& mons a Domino regionis, qui & ſimul Numen gentis, denominata fuiſſe videantur. Certe ad hunc modum *Alpes Penninæ*, montanorum Italiam a Gallis Germaniſque diſterminantium pars, itemque *Vallis Pennina*, quam idem jugum in Helvetiorum finibus ſecundum Rhodani curſum uſque ad Dranſæ εἰσβολὴν deducit, Salaſſorum hodie, a Deo *Pennino*, cujus Liv. *l.* 36. meminit, cui in iſtarum ſummo vertice incolas Celticæ nationis, *ſemi-Germanos*, uti vocat Livius, ſacrificaſſe ferunt, adpellatæ ſunt; ſimilique plane ratione *Rugiæ*, Inſulæ maris Suecici & Balthici, ejuſque incolis Vinidorum gentis, *Rugiemus* Numen gentile Slavicum, cujus fanum in urbe Karentia, Krantz. *l.* 5. *Vandal. c.* 15. nomen impertiit.

Et quia Galli Germanique Celtarum in Hiſpania erant conſanguinei; ab uno quippe πρωπάτορι Aſchenaze, perinde ut Illyrii ac Britanni, uſos ſacris etiam iiſdem & Numinibus fuiſſe, conſentaneum eſt, & idcirco Gallorum Deus *Abellio*, quem nominant Inſcriptiones in Convenis Novempopulaniæ, ſeu Vaſconiæ exſtantes, exhibitæ a Scalig. *l.* 1. *Auſon. lect. c.* 9. & Noricorum *Belis*, *Belinus*, *Belenus*, quem Herodian. *l.* 8. *c.* 7. & *Tibilenus*, quem Tert. *Apolog. c.* 23. commemorant, cujus fanum fuiſſe Aquilejæ, in collimitio Norici & Illyrici, loquuntur Inſcriptiones plures ibi repertæ, productæ a Pighio in *Herc. Prodicio p.* 182. cum *Endobellico* Celticorum iidem plane fuerint; conſtatque, præterquam in Theologia, ſacrorum ritibus & divinationum generibus, etiam in politica adminiſtratione, judiciis, diſciplina militari, armorum generibus, ſtudiis, veſtitu, corporum habitu, victu, animi moribus, conjugiis, virtutibus, vitiis, bellica fortitudine, inſtitutis & conſuetudinibus aliis, ſummam fuiſſe gentium Hiſpanias, Gallias, Germanias, & Inſulas Aquilonares colentium ſimilitudinem, ut quæ de Luſitanis, Celtiberis, Cantabris aliiſque Hiſpanicæ nationis populis traduntur a ſcriptoribus, ea omnia etiam inter Gallicarum Germanicarumque, h. e. Celticarum gentium alia συσήματα fuiſſe obſervata, minimo negotio doceri poſſit. Præter Senecæ, auctoris graviſſimi, qui *Conſolat. ad Helviam* ſcribit, *Pyrenæum non inhibuiſſe Germanorum tranſitus*, auctoritatem, teſtatur de Germanorum cis-Rhenanorum per Hiſpaniam ſive coloniis ſive incolatu diu ante Pœnorum ex Africa trajectum (non enim commemorabo eorum, antequam adſociati Cimbris, tranſcenſis Alpibus, Italiam cis-Padanam popularentur, expeditionem in Hiſpaniam, & moram aliquantam cum ſuis conſanguineis, qua factum fuit, ut anno ſerius, quam Romæ puta-

Digitized by Google

putabatur, Italiam aggrederentur, nec inde nisi post errorem suum reversi, teste Plut. *in Mario*, quia recentior est;) *Mercurii Teutatis tumulus*, cujus mentio apud Livium *l.* 26. ad Carthaginem novam, in agro Spartario, hodie inter sinum Illicitanum & Virgitanum, ipsaque adjacens regio sive *Deitania*, sive *Teutania*, Plin. *l.* 6. vocata, ab eodem sive *Dite*, sive *Teutate*, sive *Teutonis* denominata; a quibus ipsis nec fuere alii *Titthii*, quos inter gentes Celtiberorum cum Bellis & Arevacis nominat Appianus: nihilque adeo est, quod impediat, quo minus statim *Titthios*, sive *Dittios*, ipsos *Teutonas* esse agnoscat quis, nisi dialectorum linguæ Celticæ varietas, & scripturæ aliqua vocis, præsertim alius linguæ literis factæ, diversitas, quam tamen etiam in ipsa Germanica lingua ob diversa idiomata hodieque observare est. Quam enim varie voculam unicam *Theut*, quam ab Ægyptiis, vel juxta cum Ægyptiis in Oriente acceptam in Europam detulere Celtæ, exprimunt? *Thiet*, *Tiet*, *Thioth*, *Tieut*, *Thiad*, *Thiat*, *Dieud*, *Diad*, *Died*, *Diet*, quod notavit Cluv. *l. d. c.* 9. *f.* 82. Immo Numantinos, populorum per Hispaniam fortissimos & fide admirabili, (hi enim sunt, qui soli quatuor millibus Celtiberorum quadraginta Romanorum millia per annos quatuordecim non solum sustinuere, sed etiam vicere, pudendisque vulneribus adfecere: oppressi nullum de se gaudium hosti reliquere:) quod ad arma conversi sunt contra Pompejum, duce *Megara*; id vero viri nomen Germanicum Meyer est, hinc Germanicæ alicujus gentis manum sub imperio hominis Germani πολιτευσαμένην fuisse, non absurde colligitur.

Eosdem Teutonas coluisse aliquando cis Pyrenæos saltus proximam planitiem, (ubi hodie Vascones,) colligere inde possumus, quod *Teutomarum*, qui de gente, cui imperaret, vel nomine suo testatur, Regem habuerint Nitiobriges tum, cum Cæsar esset in Galliis, teste ejus *Ephemeride* 7. & cum hosce Cantabrorum ferocissimorum Hispaniæ populorum trans-Pyrenaicorum sive coloniam, sive partem fuisse, similiter testimoniis auctorum fide dignissimorum constet, nihil restat, nisi ut Teutonicæ gentis fuisse illos *sera domitos catena Romanorum*, ut canit Horat. *lib.* 3. *Ode* 8. formidabiles, balluinaque in adeundis deposcendisque periculis audacia *Cantabros* dicamus. Iis cum Celtiberi & Celtici, (quorum proprius erat *Endovellicus*,) fuerint conregionales ammixtique nonnullibi, de identitate Numinis, quod hi in Lusitaniæ finibus, illi in Vasconum territorio venerati sunt, ultra dubitari nequit. Immo utrique, & Vascones cis-Pyrenæi, & Celtiberi in Hispania, Cantabrorum, qui medii inter utrosque interjacent,

ἀπορρώξ

Digitized by Google

ἀπορρῶξ videntur fuisse, (si quis plane eandem gentem fuisse, dicere non sustineat, quod tamen, me judice, non esset absurdum:) & *Endovellicum* ab his accepisse. Sunt enim ejus manifestissima in metropoleos Cantabrorum, *Vellica*, (nomenclatura, capitali syllaba scil. minuta, vel idiotismo linguæ Cantabricæ, vel facinore librariorum vel editorum,) ad cujus mœnia primum, cum in Cantabros duxisset, prælatum esse Augustum Cæsarem, Florus *l.* 4. *c.* 12. prodidit, vestigia: quæ Numini nomen tam debet, quam aliæ civitates multæ Diis aliis, quorum honoribus exstructæ sunt sua. Meminit istius etiam Ptolomæus: ajunt eam esse, quæ hodie *Victoria* dicitur. Resendio vero *Endovelicam*, quam Helvis, vicinæ regionis, opidum fuisse, & Numini nostro nomen impertiisse, comminiscitur, ingratiis Chorographorum omnium, suam sibi remittimus lubentes merito. Remotiores autem, & in alio plane climate Norici Illyricique, etsi ὁμοεθνεῖς, (nam & hos Teutonicæ originis fuisse, vel nomen *Teutonæ*, quod erat mulieri Venetos seu Liburnos Illyriosque circa A. U. C. 525. regenti, ut est apud Florum *l.* 3. *c.* 5. prodit: expresse vero Stephanus Ἰάποδας πρὸς Ἰλλυρίᾳ colentes ἔθνος Κελτικὸν adpellat:) nomen ejus Dei ἀπέκοψαν, pro *Abellione*, *Belenum* adpellantes & *Belinum*. Hujus adpellationis adeo tenaces, in eamque tam ἐυεπίφοροι fuere Celticæ nationes, ut in diversis earum φρατρίαις vestigia ejus reperire liceat plurima. Est tale in nomine *Bellovesi*, quo duce, Tarquinio Prisco Romæ regnante, Ambigato Celtarum Rege, ob prægravantem multitudinem exonerari suas Gallias jubente, Celticæ copiæ Italiæ se superfuderunt, & Insubriam, pulsis inde Thuscis, sibi adseruere: simile est in Cimbrorum inter Celtas antiquissimæ nominatissimæque gentis Regis, cujus auspiciis Italiam circa A. U. C. 644. irrupere, sive is *Beleus* fuerit, sive *Beleris*, sive *Bæloris*; (variant enim codices Plutarchi & Flori, nomine) Britannorum cuidam corpori, *Cassiis* nominatis, quos Dobunis ad Ortum conterminos fuisse, ejus gentis historiarum conditores tradunt, præerat, ut est in 5. *Ephemeride* Cæsaris, *Cassivellaunus*; & ab eo ipsi populo *Catvellanis*, uti Dio *l.* 60. nominat, nomen. Icenos, vicinam Trinobantibus gentem moderabatur, imperante Cajo A. *Cinobellinus*, Suet. *c.* 44. hujus compositi vocem alteram lingua populari principem dominumque significare, auctores sunt non ignobiles, ut *Cinobellinus* dictus fuerit, q. Icenorum Dominus: *Decebalus*, q. Dacorum Princeps: eidemque τὰ *Vellaunus* & *Vellas*, quæ a diversis dialectis tantum sunt, commutatis litera *V* & *B* æquipollere.

Est

Digitized by Google

Eſt vero evidentiſſimum, voculam *Bellin* e Chaldæa Syriaque, omnium gentium vagina, reliquam eſſe, & plane eandem cum *Baal* & *Bel*: qua primum ſummum omnium rerum Creatorem unum & verum Deum adpellarunt ibi, antequam ad profana Numina, & Regum ſuorum ὀνοματοθεσίας eadem abuterentur, & a Japeto, ejuſque filiis ac nepotibus in hanc Europæ continentem, adjacenteſque inſulas inſtinctu ductuque divino diffuſis, ſimul aſportatam: qua præter Celticas gentes ipſi etiam Pœni, Canaanis poſteri, & Aſſyrii, Chuſo orti, uſi fuere, ut e nomenclaturis Ducum Carthaginienſium, & Regum Babyloniorum apud O. Heurn. *Antiq. Phil. Barb. l. 2. c. 4.* liquet, plurimum: prætereaque adpellationes *Idubellæ* & *Endovellici* ad hanc, ceu originem ſuam primitivam, ſine ulla hæſitatione referendas eſſe. Si enim demas ſyllabam capitalem *IN*, *EN*, quam articulum Germanicæ linguæ, een vel ein eſſe exemplo nominis proprii *Indutiomarus*, quod Regulo Trevirorum fuit, apud Cæſ. *l. 6.* & forte aliorum ſimilium apud Celtas, probare poſſum: (Id autem aliud nomen non eſt a *Teutomaro*, quo erat Rex Sallyorum, ſeu Sallubiorum, in Liguribus cenſitorum, & Celtarum pronunciatione fuit een Deutſchen Meyer / i. e. gubernator, bailivus, præfectus, judex, inſpector, adminiſtrator Duitiorum ſive populi, quem Latino-barbari modo *majerum*, modo *villicum*; hinc *Villicus Civitatis* apud Joh. de Leidis in *Chron. Holland.* pro eo, quem Conſulem, Burgi ſeu Burgariorum Magiſtrum nominamus, ſemi-Latini *Majorem* adpellare ſolent) & *D* literam lingualem εὐφωνίας χάριν, ob ſequentem labialem *B* inſertam itidem ſeponas, ipſiſſuma *Baalis* ſive *Beli* adpellatio nuda & integra ſe tibi offeret. Vox autem Celtica Diet ſive Diede etiam adpellativi formam a Germanis accepit, & *populum* ſignificat, abiitque in τὰ *Liti*, pro ſervis; Λῆτοι, quos Ptol. *l. 2. c. 11.* inter Germanicas gentes; *Læti*, quos *Notit. Imp. Occid.* additis Batavorum, Nerviorum, Suevorum, Francorum, Lingonenſium, &c. adpellationibus, nominat, & voce ea numeros ſive milites, e Batavis, Nerviis, Suevis, Francis, Lingonenſibus lectos, ſignificat. Quod vero Pancirolus *Comm. ad Not. Imp. Occid. c. 90.* de Lætis Gallico populo interpretatur, error eſt, & metaplaſmus nominis adpellativi in proprium: ſed in quem a Zoſimo, homine Ægyptio, & rerum adpellationumque Celticarum ignaro, qui *l. 2.* Lætos Gallicam nationem fuiſſe ſcribit, inductus eſt. Neque enim verosimile eſt, ex unico gentis alicujus corpore, quale inter Gallicas juxta Zoſimum erant Læti, tot legiones ſeu præfecturas præſidiorum, quot

Digitized by Google

Notitia illa nominat, fuisse lectas. Et si Gallicus populus fuere Læti, cur nomini horum addita sunt cognomina gentium Germanicarum, Belgicarumque? Sunt igitur Læti eo loco, adpellativa forma, id quod dixi.

Nullam autem *Endovellici* Dei apud scriptores alios quoscunque, etiam apud eorum, quos Hispania, & recentes a facta provincia, & post florente Imperio Romano, dedit quamplurimos & nobilissimos, neminem esse mentionem, ignorantia remotissimarum a memoria hominum originum & antiquitatum Celticarum factum est: quas cum non aliunde quam e Græcis Latinisve citerioribus petere licuerit; Celtæ enim ipsi illiteratum genus omnes: Turdetanos solum, qui infra Celticos, intra Anam & Bætim habitavere, Strabo *l.* 3. a sapientia literarumque studiis commendat, & habuisse propriæ usum linguæ, qua poemata legesque ante sex annorum millia conscriptæ, apud eos conservarentur; Augusti autem principatu Latinos prope factos, propriæ linguæ memoriam habuisse fere nullam: (Græci autem Latinique serius res horum, sive peregrinationibus sive relationibus, iisque paucis ac mutilis, sæpe etiam parum fidis, addidicerint, illarum maximam partem nescivere,) & nos hodieque, quæ domi nostræ fuere quondam, juxta ignoramus. Etiam Romanorum, qui tamen ad tantam potentiam sensim creverant, nomen, sero Græcis fuit auditum. Unde nec Herodotus, nec Thucydides, nec alius eorum æqualis scriptor, horum meminere: Chr. Roffiniacus *Comm. Rer. ab Orbe C. Gest. p.* 475. Accedit quod parvæ alicujus & obscuræ nationis, extra unum alterumque Hispaniæ tractum pene ignotæ, proprium fuerit illud Numen, cujus privata, religio & consuetudines, qui innotescere potuerunt dissitioribus, ipsa tacente? Non nescimus autem nunc, solo indicio lapidum literatorum, qui hanc Antiquitatis elegantissimam particulam uni ad nos transmittunt. De *Camulo*, Deo Camulorum sive Camunorum, quos inter Euganeos seu Alpinas gentes, Plinius *l.* 3. *c.* 20. & Dio *l.* 54. nominant, Lepontiis, Rhætis, & Noricis interjacentes, quorum memoriam post tot secula in istis Alpibus *Vallis Camonica*, vel *Camunia* hodie dicta, quam fluvius Ollius emetitur, refricat, nemo sciret quidquam, nisi in medio esset numus argenteus ab Octavio Rossio *Antiq. Brixian.* descriptore, cum ἐπιγραφῇ, CAMULO INVICTO CAMULI: itemque altera, CAMULO DEO: sub imagine Martis. Hujus nomen in Pharisæorum sectæ Judaicæ Matheſi, teste Epiphanio *Panar. Hær.* 16. Ὀκμωλ, *Ocmol* est; quod an e Romana adpellatione, inversis prioribus elementis, formaverint Ebræi, an Latini suam e peregrino, dijudi-

cent

cent Docti: alterutrum ſane perſuadet παρήχησις ſeu adſonantia. Idem de *Coſoſo* Deo, qui & ipſe locale Numen, & ex unis Inſcript. notus eſt. Idem de *Beſa* Deo, localiter ſic adpellato a Beſa, Partium Thebaidis in Ægypto urbe, Amm. Marc. *l.* 17. idem de *Salambona Venere*, Sevilianis feminis olim culta; imperante Diocletiano, præſide Hiſpalis Diogeniano, feſtum honori Salambonæ ab Hiſpalenſibus celebratum fuiſſe, eſt in vitis SS. martyrum Hiſpal. Juſtæ & Ruffinæ apud Petr. de Natal. *l.* 6. *c.* 117. Vinc. Beluac. *l.* 13. *Spec. Hiſt.* 33. Laur. de Padilla *Cent.* 3. *Hiſt. Eccl. Hiſp. c.* 21. Hoſpin. de *Orig. Feſt. Chriſt. m. Jul.* accepta a Babyloniis, quibus juxta Heſych. Σαλαμβὼ adpellabatur, ſentiendum. Nam & hæc obſcura adeo eſt, quia una ſolum urbe Hiſpaniæ recepta, eoque paucis innotuit; de rebus vero Babyloniorum Syriorumque, maxime Bybliorum & Antiochenorum, parum admodum memoriarum ad Europæos pervenit. Unicus vitæ Heliogabali ſcriptor tradit, hunc, Syrorum gentilium ſuorum ſuperſtitionibus innutritum, Romanorum ſacra abolere molientem & introducere exotica, *Salambonem etiam omni planctu & jactatatione Syriaci cultus exhibuiſſe:* cujus ῥήσεως interpres melior obtingere nobis haud poterat Julio Firmico, qui *l. de Errore Profan. Relig. c.* 10. *In plurimis Orientis civitatibus*, inquit, *licet hoc malum etiam ad nos* (auctore quippe Heliogabalo) *tranſitum fecerit, Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, & percuſſor ejus* (aper a Marte rivali immiſſus, Apollod *l.* 3. *Biblioth.* N. Comes *l.* 5. *Mythol. cap.* 16.) *vulnusque monſtratur.* Lucianus *Dial. de Dea Syria* copioſe rem deſcribit, cujus verba non pigrabor repetere: Εἶδον, inquit καὶ ἐν Βύβλῳ μέγα ἱερὸν Ἀφροδίτης Βυβλίης ἐν τῷ καὶ τὰ ὄργια εἰς Ἄδωνιν ἐπιτελέσσιν. Ἐδάην δὲ καὶ τὰ ὄργια. Λέγουσι γὰρ δή τὸ ἔργον τὸ εἰς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος τύπλονταί τε ἑκάστοτε, θρηνέουσι, καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι καὶ σφίσι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσαται. Ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνταί τε καὶ ἀποκλαύσωνται, πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἔοντι νέκυϊ. μετὰ δὲ τῇ ἐτέρῃ ἡμέρῃ ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι καὶ ἐς τὸν ἠέρα πέμπουσι καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅπως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντι Ἄπι: *Vidi & in Byblo magnum fanum Veneris Byblię: in quo & ſacra Adonidi peragunt. Eorum ſacrorum ſpectator etiam fui. Ferunt autem Byblii eadem Adonidis ab apro in ſua regione factam eſſe, & in memoriam caſus quotannis ſe cædunt, lamentantur, ac ſacrificant; magnusque adeo luctus per totam regionem tum exoritur. Cum autem evapularint eluxerintque, inferias Adonidi perſolvunt*

ſolvunt tanquam mortuo; poſt die altera vivere ipſum fingunt, mittunt in aerem, & detondent capita, ut ſolent Ægyptii defuncto Api. Orientis autem civitates, quibus Ἀδωνιασμὸς anniverſarium feſtum fuerit, Ammian. Marcell. *l.* 22. Antiochiam, Procop. in *Eſ. cap.* 18. Alexandriam Ægypti, & Byblum in Phœnicia, nominant. Hinc res omnis de *Salambone* ſeu *Salamba* claret; eſſe ſcil. ipſum *Adonin*, cujus ἀφανισμὸν, & caſum deplorabant mimo ſolenni planctus; mox etiam ejus ἕυρεσιν, inventi apud Plutonem, tripudiis celebrabant, Venerem & hoc & iſto orgiorum ritu repræſentantes: quod Græcorum Ἀδωνίοις fieri quoque ſolebat, in quibus, quod tam Veneris honori, quam Adonidis memoriæ inſtituta eſſent, utriusque ſimulacrum producebatur, quod a Theocriti Ἀδωνιαζούσαις docemur. Is ipſe Adonis Ebræorum תמוז *Thamuz* eſt, de quo apud Ezech. 8. 15. quod ſolennis ſuper eo planctus, ſeu Ἀδωνιασμὸς a vicinis Syris & Phœniſſis ad Judæas etiam manaverit. Conſentiunt in hoc D. Hieron. *comm.* 3. *in Ezech.* Auctor *Chron. Alexandrini*, & e recentioribus CL. Seldenus 2. *Syn. de Dis Syris c.* 10. Sine hæſitatione autem affirmo, etiam adpellationes ipſas *Salamba*, *Salambus*, vel ob labialium *b* & *m* ſymbolismum *Salammus* & *Thammus*, quam Arabica verſio Ezech: *al Thammuz* effert, eſſe eaſdem, & ex una detortam alteram. Reſecta enim initiali *S.* ex illa, hæc ſeſe prodit manifeſtiſſime. Neque appoſitio literæ *S.* inſolens eſt, ſi cui forte videatur audacius hoc. Ita quam Æoles ſolebant ἀφαιρεῖσθαι, (dicebant hi pro σπίζα, πίζα, unde Latinum *Paßer*; pro σφαῖρα, παῖρα, unde *parula*, i. e. *unio*, & *Germ.* Perle) modo ſimpliciter in adſpirationis vicem προστίθενται Latini; fecere hinc e γρύτη, *ſcruta*: item ex ὅλος, *ſolus*: ex ἕρπω, *ſerpo*: ex ἕπομαι, *ſequor*: ex ἑκὰς, *ſecare* & *ſecta*: ex ἕλη, *ſol*: ex ἁπλῆς, *ſimplus*: ex ὑπὲρ, *ſuper*: ex ὑλίας, *ſolea*: ex ὔμος, *ſullus*: quod ipſum Græcos, & horum ſimios Latinos, in voce barbara, cujus etymon ignorarent, feciſſe, & hinc ex *al Tammus* exiiſſe Σαλάμβας, ut Auctor *Etymolog. Magn.* vel Σαλαμβῶ, uti Favorinus & Heſychius efferunt, nihil eſt quod impediat credere admittereque: & propterea de vocabulo Σαλαμβῶ a Græco σάλα, quod curam, agitationem mentis, & fluctuationem ſignificat, unde σαλαΐζειν, i. e. *lugere*, *& in luctu pectus tundere*, & σαλαϊσμὸς, i. e. *planctus*, *luctus*, derivando, non tam laborandum CL. Salmaſio *Not. ad Lamprid.* fuit. Videre poterat Vir oculatiſſimus ad talia & ἀγχινοέστατος, cuique debemus & deferimus plurimum, τὸν σαλαϊσμὸν non convenire, niſi uni ſacrorum Adonidis parti, qua ſuper mortuo planctus exprimebatur, & propterea Adonim, quia lugeretur,

Digitized by Google

tur, ſive Venerem, propterea quia lugeret, non potuiſſe adpellari Salambonem; non enim luxerat ſolum de mortuo ſeu amiſſo, ſed & de vivo ſeu reperto exultaverat Venus. Et cur a priori ſeu planctu potius, quo inchoabantur Adonia, quam a poſteriori ſeu gaudio, quo terminabantur, nomen Numini impoſuiſſent Græci? Veroſimilius igitur eſt, cum caſus Adonidis in vicinia Bybli Phœnices contigerit, ut patet e narratione Luciani, cum ejus memoriam feſto anniverſario celebrarint inter omnes primi Byblii & Syri alii, etiam antequam ad Græcos fama ejus rei quæcunque perveniſſet, nomen quoque, perinde ac Adonidis & Gingræ, Salambus vel Salammus ab his impoſitum Numini eſſe; Græcos autem Latinoſque ab Orientalibus acceptum, litera capitali auxiſſe, quod pace CL. Salmaſii dixero. Paſſive nugari Græcos magiſtros vocum barbararum, origines e ſua lingua deducendo, norunt Docti, ſuppetuntque exempla, maxime e Theologia Gentilium, & Goropianis ſcriptis innumera. Convenit autem feſto Adoniorum, per quod horti in feſtis, Ἀδώνιδος κῆποι proverbio noti, vicatim ſolebant circumferri, quod feminæ Hiſpalenſes in uſum ſacrorum Salambonæ a Ruffina, poſt martyre, vaſa fictilia, quibus coemendis divendendiſque vitam tolerabat paupercula, petierint, uti adnotarunt οἱ μαρτυρολογιογράφοι. Sacra igitur *Adonidi* a Græcis, & τῷ *Tammus* a Judæis peragi conſueta, eadem plane ſunt cum iis, quæ a Syris *Salamboni*; & Numina igitur plane eadem: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Tandem Romanos homines fuiſſe, quos *Endovellico* Deo in lapidibus Villa-Vizoſanis legimus feciſſe, ipſa eorum nomina & dignitates produnt: ſed quod Numinis externi, nunquam a Romanis recepti, cultum profitentur, indicio eſt, eos vel a majoribus Hiſpaniæ retro incolis αὐτόχθοσιν, & a diſperſione gentium primis, ſive Celtis ipſis, ſive Iberis fuiſſe oriundos, vel ab indigenis, ad quorum connubia cognationeſque tranſierant, Numinis iſtius ἐπιχωρίου præſentiæ præſtantiæque famam accepiſſe, & prætuliſſe domi cognitis. Perſpicient hinc, puto, me non monente, eruditi quivis, non eſſe adcredendum hic Jacobo Menœtio, qui *Not.* ad *Reſend. Ant. Luſit.* a *Vellendo* dictum putat *Endovellicum*; particulam vero *endo* ſignificare *valde*; quaſi is ſagittas, tela, oſſa corporibus infixa evellere, exiſtimatus ab antiquitate fuerit: cujus etymi putiditas vel tirunculo ſuboleat, etiam non emunctæ naris. Fortaſſe felicius paulo conjicient ii, qui *Endovellicum* Hiſpanicarum gentium, a Romanis in *Vulcanum* ſeu *Volkanum* transformatum eſſe, contenderint. Is cum ignem & artes, quæ per ignem exercentur, primum

Digitized by Google

inveniſſe feratur, cum per eum calor omnium naturæ operum δημιουργός, cujus utilitas ac neceſſitas juxta ſumma eſt, ſignificatus fuerit a gentilibus, qua de cauſa etiam IGNIS ἀποθέωσις cœpta in Oriente apud omnes fere nationes fuit frequentata, merito præſtantiſſ. & præſentiſſimum Numen adpellabitur: eoque nugari Grammatici deprehenduntur, *Vulcanum* quaſi *Volicanum*, *quod per aerem volet*, dictum eſſe ariolantes. Quod CL. Herwartus de acu magnetica pyxidi nauticæ incluſa, interpretatur *Endovellicum*, acutum magis eſt quam ſolidum, & commentum in Viri doctiſſimi εἰς διατριβὴν καὶ ψυχαγωγίαν ludicro ponendum. Pyxis enim nautica ſeu vaſculum, in quo ſuper axiculo, cui incumbit mobilis, libratur, operculo vitreo tecta, chalybea acus ſeu regula ferrea, cujus caput unum, cui magnes adfrictus adplicatuſve, ſemper Septentrioni obverti, alterum autem ſemper ſuam lineam Meridianam ſpectare is facit, recentius inventum eſt civis cujuſdam Amalfitani Flavii Giojæ, ante annos trecentos & qui excurrunt, teſte Joh. Ant. Summ. *P.* 1. *Hiſt. Neapol. p.* 468. & *P.* 2. *p.* 366. regnante Neapoli Carolo, ex Andegavenſibus II. Claudo dicto, cujus mors in annum Chriſti 1309. incidit, quam ut Endovellicus eo referri poſſit, quem retroſioribus multo, primis Hiſpaniæ ſubactæ temporibus, & florente re Romana ſub Cæſaribus, ut liquet ex Inſcriptionibus productis, homines Romani per Hiſpaniam coluere: quod, quia non ſuccurrit viro ſine controverſia πολυμαθεςάτῳ, & qui e ſcriptis, quibus rem literariam promovere & dignatus liberaliter, & conatus eſt laudabiliter, ceu leo ex ungue nobis innotuit, humanitati id reſcribimus, non vellicamus inciviliter: ἄπαγε, μηδ' εἰς νῦν ποῖ ἔλθῃ ἡμέτερον. (Magnis ingeniis ut laus ubique tribuenda eſt in iis, quæ perite ſcribunt: ſic venia danda, ſi quando licentius errant. Error enim illorum eruditionem ſemper aliquam habet.) Quomodocunque vero ſive Phœnices, & ex his Tyrii, qui naupectices peritiſſimi maritimis peregrinationibus ad loca longinqua dediti, & inter θαλατλοκρατῦντας fuere primi, ſive Græci inſulares, magnetem ſeu Herculeum lapidem navigationum ſuarum adjumentum & ὁδηγὸν, viarum ducem indicemque adhibuerint, quem varium comminiſci poſſumus, certe ad inſtar ſagittæ eum efformaſſe, & vitreo vaſculo incluſum circumtuliſſe, figmentum eſt: vel rudem & ſolum plano cuipiam inſtratum, vel ſtylo adfixum uſurpaſſe, pro curſus ſui gubernatione, multo veroſimilius.

Hæc de re obſcuriſſima conjectura mea eſt, dum doceat dies certiora. Conſideret autem lector, ſi ſcopum non attigi, rei difficultatem, & intritum

intritum hujus viæ; prætereaque non tam quid ego hic fecerim; (frivolum enim est, novi, & fortasse conatus tantum; at cotis Horatianæ instar;) quam quid alii, a quibus, ceu ab Ebræorum Elia, talium nodorum solutiones exspectabantur, hactenus præstare non potuerint.

Altenb. 12. Febr. A. 1635.

DEI ENDOVELLICI

Indigitamentum, dante

LUDOVICO ALPHITANDRO,

Pastore in Nischwitz / Diœcesi Ronneburgensis, Mensi Januar. A. 1637.

QUæ ego, lectis cum voluptate CL. REINESI nostri de DEO ENDOVELLICO φιλολογήμασιν exquisitissimis, per somnos veluti ducto, sic jam perpendiculo videre ulterius mihi visus sum, chartæ huic adsignare non pigrabor, neque ea vigilantiorum oculos delibare adeo pigebit;

Sua quippe comitas inest & somniis!

Quum de Deo ENDOVELLICO sive ENDOBOLICO duo jam constent liquido feliciterque evicta; cujas, quodque ipsi nomen fuerit, nimirum Celticus & Celtibericus, quique fere Cupidini Latinorum respondeterit, ut ab his tanquam cynosura ducamur ad nomenclaturæ ejus notitiam germanius adaperiendam, hunc in modum argutari mihi liceat. Celtiberorum utique Belus & Jupiter, hoc est, conditor, extra controversiam fuit *Tubal*, quod adeo manifestum, ut & *Thobelos* inde dictos fuisse *Iberos* norimus; horum itaque ore nihil tritius sanctiusque nomine patris sui Tubalis celebratum exstitisse, facile colligimus. Quapropter, quum tam *Tubal* quam *Endovellicus* primarium Celtiberorum Numen habeatur, hoc tanquam obscurius ex illo manifestandum erit, & quantum linguarum flexione alterutrum degenerare visum, iterumque ambo conveniant, ex idiotismo Celtarum eruendum. A.

Celtarum porro linguam germanam fuisse Germanicæ, auctores habeo gravissimos: D. Hieron. *præf. l.* 2. *Ep. ad Galat.* Æg. Schudi *Descr. Rhæt. c.* 38. Is. Pontan. *Itin. Gall. Narb. & l.* 5. Orig. *c. ult. fol.* 608. Cluver. *l. 1. c.* 5.

Digitized by Google

p. c. 5. Guil. Paradin. *Tr. d. Antiq. Burgund. c.* 15. Cambden. *in Britan. in princ.* Goldast. *de Boh. Jur. c.* 1. *f.* 5. Befold. *de Nat. Popp. c.* 20. Barthium *Adverſ. l.* 4. *c.* 17. Jun. *in Batav. c.* 22.

B. Ergo veſtigia priſcæ Germanicæ hoc in negotio ſobrie indaganda ſunt. Celtica igitur lingua patrium illud Numen ſonuiſſe Döubel, quod Hebræis תבל *Tybal*, a Romanis vero tranſcriptum, evaſit in *Endovellicus*.

C. Ceterum Chriſtianæ religionis luce Celtæ illuſtrati, quo in profeſſione fidei ſuſceptæ eo cordatiores viderentur, nomen Deaſtri ſui hactenus famoſiſſimi tranſtulere in Chriſtianæ ſalutis hoſtem infenſiſſimum Satanam, quomodo & idem hodieque a primævæ Germanicæ linguæ cultoribus ſalutatur Döubel, ex quo migravit noſtras illud Teuffel.

D. Neque ævi ſuperioris nationibus infolens fuit, ſub auſpiciis Chriſtianæ religionis inductæ nomina ſua idololatrica in cognitum jam idololatriæ auctorem Cacodæmona abjicere; talia ſunt: Kobald: Faland: Krodo/ quod Dirarum imprecationi deſtinaſſe Saxones teſtatur Cranzius *l.* 2. *c.* 12. & hodie dum cui peſſime cupiunt, audit Kröte, id eſt, bufonis inſtar deteſtandus. De Vandalis notatu dignum eſt, quod hi, quum primitus geminos colerent Deos Bohu & Zern: in agnitione verbi Divini jam facti ſolidiores, ea hac diviſione nomina retinuerint ſibi, Chriſtianiſmoque ſuo infarſerint, ut Deo ter Opt. Max. nomen Bohu/ Cacodæmoni vero alterum Zern remaneret. Sic de Fauno illo Zuttiber (noſtrisht Bär) de quo Ern. Brotuf. *in Chron.* defluxit nefandum iſtud Zotten.

E. Adeo certarunt in univerſum aperta jam luce Evangelii nomina Numinum fictitiorum devovere reſtus Diabolicis. Dilucide vero res ſeſe prodit in nomine תבל Döubel; quid enim maximopere præſtiterit *Tybal* ille Deaſter pro divinitate admirandum, id ſignanter commonſtrat verbum ex nomine Döubel/ quam proxime deductum töuberen/ quod lingua jam politior effert zäuberen; & quid deinde effectum in ſui cultoribus reliquerit, docet alterum cognatum betäuben/ quod noſtrates dicunt betäuben. Certe præſtigiari, atque in obſtupefactionem rapere Cacodæmonis eſt artificium primarium, veſtigiumque ſolenne.

Quid contra ſit, quod pro proprietate Dei Domini noſtri in univerſum hoc continuo non tam deſtillat, quam pleno veluti Oceani alveo diffunditur, unde undiquaque beamur ſcilicet, animamur & ſuſtentamur, id belle iterum prodit Germanica nominis Gott originatio. Etenim gen eſt *munificus*, hine vergenbig/ extreme liberalis, prodigus; geben/ geben/

Digitized by Google

geben / *dare*: gand / gut / *bonus*; gädlick / *delectabilis*; & tandem Godt / Gott / *Deus*: id quod ſcite concinnat Pſ. 34. 9. wie gand vnd gädlick iſt Godt? Et tritra ἐκφωνήσις: O gendiger Godt! *Prodigus ipſe ſui.* Godt kan nich leven (leben) er muß geven (geben.) Adeo verum ipſius Veritatis veriverbium eſt: οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ ΘΕΟΣ. Matth. 19. 17. Quanquam & Diabolus mancipatum ſibi nomen Tôubel varie ideo in pronunciando detorqueri ſtudeat, ut tandem in ſonum שׁוּבָעִיל *Tobel*, quod eſt, *bonus Deus*, tranſeat: permanet tamen ipſe בְּלִיַּעַל Βελίαλ, id eſt, καὶ ἐξοχὴν Πονηρὸς, der Böſe / Böſewicht; Matth. 5. 37. c. 6. 13. Eph. 6. 16. & ὁ Κόσμος ὅλος ἐν τῷ Πονηρῷ 1. Joh. 5. 19. poſitus, nam hic illius Princeps, Joh. 12. 11. c. 14. 30. c. 16. 11. Eph. 2. 2. ideoque Κοσμοκράτωρ Eph. c. 12. & ὁ ἐν τῷ Κόσμῳ 1. Joh. 4. 4. dicitur, nomenque תֻּבַל *Tubal* ſumit a תֵּבֵל *Tebel*, quod eſt *Mundus*, in quo nil niſi תֵּבֵל *tebel*, *confuſionem* molitur iſte ὁ Θεὸς ἀκαταστασίας 1. Cor. 14. 33. & confuſionis. Immo ne vel ſonus bonitatis טוֹב *tob* ſentiatur in adpellatione Diaboli, ἀφαίρεσιν admittere præſtat, ut audiat בְּלִיַּעַל *Belial* & בָּלַע quod *deglutiat*, ut eleganter ἐτυμολογῶν placet Prophetæ Ezech. 39. 16. & voracitatem Diabolicam vel Beli confirmat hiſtoria Dan. 14. & hinc ipſius ſtudium dicit Apoſtolus καταπίειν *devorare* 1. Petr. 5. 8. Tam nativus præterea eſt ſonus hic literalis Satanæ, ut & conſonare debuerit, dictante ita Spiritu Sancto, nomenclatura Germanica ΔΙΆΒΟΛΟΣ.

Probe etiam animadvertendum, quam pulcre conſonet Hebræum & F. Germanicum par illud vocum: טָבַל *tabal*, tôupen / tâuffen / & תֻּבַל *Tubal*, Tôubel / Teuffel: Baptiſma etenim diluvium eſt Satanæ in hominibus, ut locuti ſunt veteres: Tâuffen ſondert von Teuffeln.

II. Jam quomodo caput & cauda dictionis *Endovellicus* conveniat *Tubali* Tôubel vel Tôuvel / videre reſtat. Præfati autem ſumus ſuperius, Endovellicum redolere Numen Cupidinis Latialis, quantum quidem ex divino illo cultu, quem Celtiberorum & confinium eſſe, meminit Strabo *l.* 3. atque deinde ex Inſcriptionibus Gruterianis, quæ ex poſitis auctorum nominibus, ut ſunt feminarum maxime, & deinde *Proculi*, *Blandi*, & ſimilium, non niſi vota Cupidinea arguunt, conjicere licet. Neque cuipiam mirum videbitur, tale quid Numinis adoptaſſe Celtas, quum certum ſit, nullius Numinis cultum in univerſitate gentium communiorem exſtitiſſe, quam Amoris. Factum reor, quod norint Amorem univerſi hujus eſſe vinculum, & ut vinciat, vim exſerere tantam, quæ non niſi divinitus demiſſa credatur; accedit, quod Satanas Dei conditoris ſi-

Digitized by Google

mius perpetuus, naturæque non tam Mimus quam Momus, ut haberet, quo primam Summi Numinis in mundo ſanctionem, quæ amoris fuit conjugialis, mimico luſu inverteret, palmarium ſibi duxerit, effectum daret, ut æſtu ſanctioni divinæ contrario Regnum Mundi flagraret. Itaque & Celtis antiquiſſimis viſum fuit, ſe de Tybale ſuo chariſſimo melius haut poſſe mereri, quam ſi eundem Amoris Numine venerarentur; atque pro hoc negotio ipſum verbum Baul/ Buel/ ex *Tubal* deduxiſſe eos, perſuaſus ſum. Sed & hic recolendum moneo, quod in amoris negotio talem ſe præſtet impurus ille *Tubal*, Dôubel/ qualem nomenclaturæ propago adumbrat tôuberen & tôuben; præſtringat ſcilicet animos, effaſcinet, & occæcet. Hujus porro honoris gratia nomen iſtud forma deminutionis uſurpari cœptum videtur, ut quod nobis *Tubaliſcum* vel *Tybalillum* efferre liceret, ipſi pro linguæ ſuæ indole formarint Dôubelicke/ quod obſervantes Latini ad ſuæ linguæ majeſtatem expoliere in *Endovellicum*, & *Endobolicum*.

Neque alienam quis æſtimet hujuſmodi adpellationem, quum & Maximus ille Deus in Sacroſancto Codice nominibus deminutivis invehatur in deunculos gentilium, quod vocula עֵלִילִים exhibet. Et pro comperto nos habemus atque explorato, Cacodæmona per obſeſſos etiam hodiedum verbis deminutive flexis loqui amare.

Cumprimis vero Amoris Numini ſubſervit deminutiva vocum forma, quod ea vis blanditiarum, quæ amoris condimenta ſunt, quam apertiſſime exſeratur. Unde eſt, quod a Poetis *Puer perennis* fingatur Cupido, idque ipſum intelligi voluerant Celtæ in ſuo Dôubelicke/ quem ad modum omnium nationum linguæ pueritiæ verbis nanis atque deminutivis blandiuntur. Huc congruit, quod pueruli adhuc tenerrimi Germanis vocitentur Beulike: en kleyn/ en jung Beuliken. Conſtat itidem Sagas incubos ſuos generali nomine vocitare mien Beulike/ quo blanditim ſignificant amatorculum tenellum, ἐρωτάριον, vel ἐρωτύλον. Et ſic vox Beulike/ quod & antea de primori illa Baul/ Buel/ monebamus, per ἀφαίρεσιν ex jam decantatiſſimo Dôu Belike expullulat.

Ea enim eſt vetuſtioris Germanicæ linguæ proprietas, ut in decurtandis nominibus propriis ſibi ſervandam deligat partem vocis poſteriorem, quamquam Miſnici ament anteriorem. Exempla ſuppedito:

	Sax.	Miſn.
Andreas-	Dreas:	Andre.
Nicolaus-	Claus:	Nicol.

Joachi-

Digitized by Google

Joachimus-	Chim:	Jachim.
Lucia-	Zia:	Lutze.
Urtia-	Tia:	Urte.

Pro *Magdalena* Lena/ pro *Margareta* Gerta/ & sic in ceteris. Simili igitur modo Dôulike/ pro succinctiore nomine, & veluti abortivo, nasci voluerunt ex Dôubelike.

Immo quam labilis etiam alia in lingua exstiterit syllaba prima in voce Tubal, exemplum adhuc adfinius evictum dat; siquidem quem Hebræi vocant תּוּבַל־קַיִן *Tubalcain*, Latinis placuit pronunciare *Volcanum*, extrita initiali syllaba, retentis ceteris.

Quum itaque & terminationis ratio in nomine *Endovellicus* pensitanda erat, eam æquilibrio stare autumo, & taliter a Romanis cautum esse, ne quid in adpellatione Numinis alieni adulterarent, verentes, ut de suo idiotismo huic aliquid literalis soni vel adsuendo, vel respuendo alieno, gravem sibi ultionem accerserent.

Endovellicus igitur idem est ac Deubelike/ id quod auribus nostratium sonat immane illud Teuffelichen. Utrum vero magis genuinum fuerit Celtis, Dôubel an Dôvel/ ut huc consonet Endovellicus & Endobolicus, non morose moror, quum de minus comtis comte dicere non liceat, neque literaturam apud ipsos simul natam atque adultam esse censeamus; itaque & scriptionem neutri tam Tôubal quam Dôubel succenseamus.

III. De præfixa denique particula *En*, in voce *Endovellici* quod adseritur, repræsentare eam articulum Germanicum een/ ein/ id mihi parum arridet; jejunitas enim exemplorum, quæ articulum istum cum nomine proprio unam in vocem coalescentem exhibeant, hæsitare me facit, ut & usitata omni seculo Germanorum locutio, qui, quamquam articulis suis nomina adpellativa frequenter stipent, ab iis tamen in nominum propriorum, mentione abhorrente, dicis caussa eorum, quæ pro Celticis laudarunt Cæsar, Suetonius, Livius, Ennius, Columella, Lucanus, Festus, Plinius, Tacitus, Polybius, Strabo, Quinctilianus, Martialis, Ammianus, Ausonius, Pausanias, Varro, Cicero, & similes, farraginem aliquam huc ponere libet.

Alauda, (Gall. Lut:) *Alpes*, (a Fauno Alp) *Ambactus*, *Arepennes*, G. *Bardi*, *Barritus*, *Beccus*, *Benna*, *Bodincus*, *Braca*, *Bria*, *Brogæ*, *Bulga*, *Candetum*, *Casnar*, *Dunum*, *Eporedicus*, *Framea*, *Glastum*, *Leuca*, *Minare*, *Marca*, *Marga*, *Pades*, *Petoritum*, *Planarati*, *Rheda*, *Soldurii*, *Vergobretus*, *Urus*. Ut nomina propria hoc in theatrum producere supersedeam. Quod si in uno alterove particulam ein

Digitized by Google

tamquam individue prævium faculam nominum Germanicorum semel observarint Romani, qua quæso religione inducti eam neglexerint in pluribus? At sane solœcon perpetrat, qui hodieque dixerit: ein *Athanaricus*, ein *Alaricus*, ein *Rodericus*, ein *Hermenricus*, ein *Theudericus*! hæc enim Regum nomina percrepuere olim in Celtiberia. Quin potius phosphorum hic agat, necesse est, articulus nominibus propriis selectior Der: der *Athanaricus*, der *Arioviſtus*, & sic etiam der *Tubal*, & hoc modo non *Endovellicus* nobis dicendus, sed Der-*dovelicus*. Atqui talem combinationem nunquam intenderunt Romani, quippe quæ & ipsa ceu minus lepide, si qua datur in nominibus propriis, admissa feriat Germanorum aures.

Alia igitur via insistendum, & eo usque intendendum erit, ut ex præfixa illa particula prodatur significatum, quod cum deminutivo tali se masculo connecti gaudeat.

H. Prodeat ergo hanc in scenam avita illa Saxonum vox Oet/ quæ medii mihi ordinis esse videtur inter Nomen & Pronomen, cum neutro enim connubium admittit, solisque feminis, iisque virgunculis, adtribuitur. Et huic respondere in Genere Masculino voculam Oen/ linguæ illius gnari non abnuent. Ex Oen puto factum Soen/ quod *filium* deno-

I. tat. Deastro Oen Dôubelike consonat alter Oen Dômnike/ quem hodie pronunciant fere Soen Dômnike: de quo fabula decantatissima: Oriona autem ita adpellitant. Correlatum hujus est Aen/ âene/ *avus*; Aenen-ahnherrn/ *natales* & *majores*, quomodo & aen præpositio *propinquitatis* significationem habet: & Oen/ quoniam *minorennem* designat, de se parit Encke/ ex En-acke/ quod est, *arator minor*: Enckel ex Enbôckel/ *nepos*; ut enim Aeſtbôckel est *postremo genitus*, sic En-bôckel *filio genitus*. Colludunt quoque Anfang & Ende/ illud ex An/ hoc ex En conflatum, quod temporis & successionis ratione principium quasi avitum quid sapiat, finis vero juvenari adhuc & florescere videatur. A parvitate simul dictum est En-ge: gôe/ γῆ, *terra*, kleiner Raum: Engeren/ *Angrini*, *Angrivarii*: geren *circuitores*, idcirco & in imaginibus caballigeros se statuere ii ipsi: En-gelen *Angli*; gelen/ *agiles*, quomodo & hos paucos at nobiles & bellicosos esse prædicat Tacitus. Simplex autem illud etiam a nobilioribus nominum propriorum censui fuit adscriptum, & ab historicis aliquanto vestitius profertur *Enno*, hodiedum Frisiis solenne. Quemadmodum similiter historici alterum Oet/ ut venustius inter Musas micaret, conformarunt in *Ada*; & hinc *Adilla* & *Editta*;

&

Digitized by Google

& composita *Metta*, *Methildis*: ita ex Oet sive Oed mavis, conflatum est Meyd / quasi dicas, mie Oet / mein Oet; quemadmodum meune *mater* q. mie âume / *mea origo*, unde aen *natales*. Et sic Meydburg erit *Edithæ-burgum*; quoniam Edithæ ager iste fuit dotalitius, urbisque ibi condendæ ipsa auctrix exstitit; & quemadmodum etiamnum Princeps patriæ a suorum quolibet nuncupari adsolet Mein Herr; ita Bardianos illos, die in der Bôurde (quod *planitiem* significat, & Longobardis nomen dedit) dominam suam urbisque conditricem Meidit / Mein-Edith Mie-Edith honorifice & plausibiliter adpellasse, verosimile fit.

Ea enim fuit primævæ Germanicæ linguæ rotunditas, ut dictionibus constaret quamplurimum monosyllabicis, quarum primitivæ trium literarum numerum raro excederent, eæque tam fecundæ atque habiles, ut in compositionem illico colliquescerent. Unde est non nemo, qui Germanica talia congerere ausus ultra bis mille dinumeravit. Et quomodo hoc nomine Goropius, & quomodo alii admiranda Germanica exsculpere & evehere conati fuerint, Mercurio res non indiget.

Esset itaque ex his, quæ dissertatio nostra habuit, *Endovellicus*: Oen-Dôubelike: Junger Herr Dôubelike / vel si mavis: Jungherr Teuffelichen: NEO-Τυβαλίσκος.

Vera abstrusa suis puteis antlare laboras? *Joh. 2.*
Sit labor, haustus erit; spe cadis? hæret aqua! *2. Machab. 15. 40.*
Perpetuata movent stomachum mera, temperat unda:
Præsto est! ex unda dat mera vera, DEUS. *Joh. 2. v. 9.*

AUCTARIUM.

HIs, quæ posuimus, stantibus utcumque, videtur denominatio Endovellici ex Belo Chaldæo longe alienior: Belum enim Chaldæorum etiam transfundere in Celtiberos, mihi idem est ac miscere Orientem cum Hesperia. Pro meritis quidem suis Belus a Chaldæis, at & regnorum ceterorum conditores quisque a suis, bene audiit, honoresque ut plurimum divinos consecutus est. At neque vola neque vestigium apud historicos exstat, ad Orbis undique terminos adeo pertigisse Belum. Immo ipsum meditullium ignoravit, vel certe despexit. Quidni enim recepisset una inter suos Græcia Orienti vicinior, Deorum alias fertilissima, a qua Beli nomen quidem cognitum & decantatum, non item Numen. An igitur sono huic æqualia in qualibet etiam lingua matricem suam K.

Digitized by Google

agnoverint in Belo Chaldæo omnino ſingula? Quid in Balearibus, Balthico, Bela, Belgio, Bellerophonte, Bellua, βήλω, βέλει, Belare, Bellen/ & ſimilibus exſpectandum? Neque Pœnorum migratio aliquid huc adferre poteſt, quum ea longe poſteriori ſeculo contigerit.

L. Quare de Belo Chaldæorum divinare in Endovellico, modo is Celticus eſt, (quod tamen luculenter, & ut ſolet, ſolerter evicit CL. REINESIUS) non admittit & Numinum & Nominum Germanicorum αὐτάρκεια.

M. Ceterum præter Beroſum erunt forſitan & alii graviores, qui Tubalem Iberorum conditorem dicant; hos vero inde Tobelos vocari, adſerit Alſted. *Theſ. Chronolog. c.* 20. Et nomine *Tubal urbs in Batica* recenſetur a Pomp. Mela. Idemque nominis apud Prophetam Ezechielem terræ Ibericæ tribui non obſcurum erit.

N. Porro quam facile Iberi literam *T* elidant, videre eſt, ubi quod olim fuit *Tarraconia*, ævo ſequiori pronunciari cœptum eſt *Arragonia:* ita & eliſa ſimiliter *T*, *Iberos* ex *Tybal* denominatos eſſe congruit. Adducam præterea, quæ ad literaturam illam alludunt olim hodieque Hiſpanica: *Belo*, *Abula*, *Avila*, *Tebula*, *Tevila*, *Beliaco*, *Belſinum*, *Bilbilis*, *Villena*, *Balbaſtro*, *Corduba*, *Ebellanum*, *Bilbao*, *Hiſpalis*, *Sevilia*, *Ebora*, *Torbelli*, *Vellica*, *Velis*, *Setabis* &c. Quidni & Belgium inde deducam & ex gõe/ γῆ, *terra*, ut Brisgõe/ Nordgõe: & tritum illud Belgarum Well/ Well/ quantum ego hariolor, reſpondet noſtro Voß/ Gotts! *me Chriſte*! ut ita Belgium idem ſonet ac Gottland. Et tales a Celtarum Numine *Tybale* denominationes.

Διάκρισις ſomnii circa

DEUM ENDOVELLICUM,

per notas breviculas inſtituta, & vera ejus notatio cum omni eſſentia eruta tandem.

JUcundiſſimum vero mihi ſomnium, & felicem hac φαντασίᾳ Alphitandrum noſtrum, cui ad levia iſta ſtudiorum & minora ſacra a majoribus, quibus mancipatus eſt, diverti libuit! Etſi enim eumece, quam gemmam capiti ſuppoſitam vera ſomnia oſtendere prodiderunt, Plin. 37. *c.* 10. *nunc quidem cæruerit; credo, quod Baſtra, unde quarenda*

Digitized by Google

renda erat, tam procul abeſſent; neque fortaſſis caput helleboro, quod facere jubentur, qui oracula in ſomnis exſpectant, purgaverit, quod ſub Bruma, quando difficiles ſunt medicationes, ſomniaturus eſſet; error tamen iſte, ſive luſum potius adpellem, circa etymon DEI ENDOVELLICI e lingua Saxonica, quæ ipſi cum Celtica & priſca Germanica eadem eſt, accerſendi, in quem a conjectura quondam mea inductus fuit, neque ſic male cecidit. Quippe factum eo eſt, ut confuſam ejus notitiam, quam venia ſuſpicioni interim impetrata tradideram, ulteriori inquiſitione & curis iteratis excolerem ac obſcurum, ἄγνωσον, & ὄντως κρύφιον Θεὸν in clara luce, præfiſcine dixero, conſtituerem. Præſtiti autem hoc ſuccinctis ad Alphitandreana adnotatiunculis, ne ſcilicet maxima de minimo naſceretur hiſtoria, & quod collatio harum ad illa, indicibus alphabeti literis, rem omnem optime, tam in ἀνασκευάσει, quam in κατασκευάσει doctura eſſe videretur. Puto curioſiſſimo cuivis me ſic ſatisfeciſſe; non ſuſpicor nunc ultra, ſed certo, quis & quorum fuerit Endovellicus, ſcio.

NOmen *Idubelæ*, qui & *Idubeda*, in profana literatura, quem ego **A.** Hiſpaniæ populis Iberis, & poſt e Celtica advenis, cumque his in unam gentem coaleſcentibus Celtiberis adpellatis conditorem conſtitui, & inde utriſque commune Numen, idem plane cum *Tubalis* Moſaici. Indigitavi autem e Pſeudo-Beroſo Regem Celtiberorum, qui φύλαρχος ἐξαγωγεὺς, & dux profectionis ex Aſiæ Borealibus in Europæ continentem Occidentalem iſti Japetigenarum corpori contribulibus ſuis, cognominibus ſeu potius Φερωνύμοις, & ab eo denominatis fuerat. *Rudi enim & ſimplici ſeculo non Reges, ſed familiarum capita in ſuo genere erant*, Jorn. *de Regn. ſucceſſ.* Neque migrationis gentium primævæ ratio & tempora patiuntur, *Tubalem* ipſum, qui filiorum nepotumque ſuorum familiis capiendis alendisque ſatis ad aliquot ætates futuram regionem, & vaſtiſſimas Scythiæ Sacarumque ſolitudines, a meridie Caucaſo & Hyrcano Mari, a Septentrione Alanis & Rhymnicis montibus, ab Oriente Imao, ab Occidente Sarmatarum Ceraunïis Hippicisque jugis determinatas, ſive avi Noachi, ſive parentis Japeti inſtituto nactus fuerat, ſive elegerat habitandas, in Hiſpaniam remotam adeo incultam horridamque, tranſitis aliis æque talibus vicinioribus, deduxiſſe colonias, regio imperio ſtabilito, & conditis civitatibus *Setubale* & *Tudella*; multo minus credi debet, *Noam* urbes in ea, *Noegam* in Aſturiis, *Noelam* in Gallæcia, nominibus nuruum e Chamo

Digitized by Google

Chamo & Japeto ſuarum, exſtruxiſſe: quod figmentum ſecure nimis ex Annianis lacunis in fontes Beroſanos corrivatis hauſere ſcriptores Hiſpanicarum originum plerique, maxime nugator Fr. Tarapha, Canonicus Barcinonenſis: unus J. Vaſæus cautior, ſe Beroſum, Manethonem, Antonium Beuterum in his ſequi, profitetur, & horum igitur fide ſeriem regum eorum, qui fabuloſi tamen plerique (ſubeſt enim narrationibus iſtis etiam aliquid veri & ſani,) & ἀχ ἱσορίας, ἀλλὰ κυρεακῆς καὶ πανδήμων λαλιᾶς ἐμοίγε δοκεῖσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν, tradit.

Non eſt operæ pretium immorari confutandis Annianis iſtis nugis; quod fecere quoad iſtos Hiſpaniæ domicellos accuratiſſime J. Goropius in *Hiſpanicis*: J. Mariana 1. *Rer. Hiſp.* c. 7. L. Nonius a Sanctarena *Deſcr. Hiſp. c.* 3. Ab adpellatione vere *Idubelæ* potius, quam a *Tubalis*, ENDOVELLICUM repetere volui, quod cum illo magis, quoad ſcil. capitalem etiam ſyllabam, quæ utrimque una eſt eademque, ut docebo infra, quam cum hoc, convenire videretur.

Eum *Idubelam* non eſſe fictitium, uti voluit Mariana *l. d.* & Gorop. *l.* 2. ſed a γνησίῳ Beroſo ipſo ab intima Antiquitate acceptum traditumque, vel adpellatio montis *Idubelæ*, quæ tam vetuſtiſſimis Geographorum, Plinio & jam Ptolemæoque, quam recentioribus omnibus commemoratur, totidem literis, iiſdemque ſyllabis, docuerit. Mons iſte de *Idubela Tubaleve* certiſſimus index eſt; & viciſſim de monte cognomine *Endovellicus* Deus teſtatur adeo liquido, ut neuter a quoquam ultra negari ullo modo poſſit. Fallitur ergo Goropius, qui, *quod nullum in tota Hiſpania vel quondam exſtiterit, quantum quidem memoriæ veterum ſcriptis traditum habemus, vel nunc exſtare audiatur Tubalis monumentum*, adſerit *l. d.* f. 4. itemque Johann. Margarinus Ep. Gerundenſis, qui *l.* 1. *Paralipom. Rer. Hiſp. de Tubale in Hiſpania, & Cetubalibus ab eo ſic dictis, primis Hiſpaniæ cultoribus, nulla authentica teſtimonia ad nos perveniſſe*, ſcribit. Præter enim *Idubelam* dominum aliquarum ad Iberum maxime partium in Hiſpania, & montem ibidem cognominem, habemus nomen ipſius populi expreſſiſſimum, & adpellationem conditoris ſui exacte repræſentans *Tobelios*, *Tobelos*, Θοβήλιος, apud Joſephum *l.* 1. ἀρχαιολ. *c.* 7. Θοβεήλιος, *Thobeelos* apud Euſeb. *l.* 9. ἀποδειξ. ἐυαγγελ. ubi Joſephi locum citat, Ἠντουίλιος, *Entovilos*, apud Strabonem *l.* 3. ſi prava, quæ hactenus tamen apud omnes doctos in quibusvis editionibus obtinuit lectio, & vox nihili Πληντουίσοι, e qua nomen populi Hiſpaniæ *Tuiſi*, qui ſimiliter fictitii & nulli plane, Geographi ſublege-

Digitized by Google

legerunt, emendetur: & Deum *Endovellicum*, horum proprium, q. d. *Tobelicum*, *Tovelicum*, *Dovellicum*, ex ſolis Inſcriptionibus Villa-Vizoſanis notum.

Si igitur Joſephum legiſſet Goropius, ſi Strabonem prave deſcriptum correxiſſet, ſi Inſcriptiones Luſitanas Villæ-Vizoſæ expendiſſet, jam ſatis de Tubale in Hiſpania teſtimoniorum comperiſſet. Idem reponimus Ill. Scaligero, qui *Epiſt. ad M. Freherum*, quæ 226. eſt *l.* 3. ſcripſit, *Joſephum* Ρηγῖνας nomen genti ab Aſchenaze conditæ a Græcis impoſitum commemorantem *c.* 7. *l.* 1. *hoc, ut & alia*, (ſcil. quod de Θοβήλοις paulo ante dixerat) *quia alibi ea gentium nomina non exſtent, confinxiſſe.* Parcius iſta, ὦ γαθὲ. Ignorantiam noſtram menſuram veritatis rerum conſtituere illicitum plane eſt, & intolerabile.

Certe undecunque nomen Tobeliorum ſeu Tobelorum hauſerint Judæi ἐπλαγιάσαι, non eſt id commentitium, ſed ſive culpa noſtra, ſive defectu ſcriptorum, ac deliquio vetuſtatis factum eſt, ut hactenus Doctis ignorabiles ii fuerint objecti. Agnoſcimus vero eos hodie liquido & bene-penitiſſime inde, uti modo dixi. Eorundem Tobelorum veſtigia Scaligero Goropioque monſtrare præterea poſſumus in Vardulorum, qui Hiſpaniæ populi itidem ſunt Cantabris orientaliores, & e Gallia Pyrenæum emenſis primi occurrunt, urbe *Tritio*, quam Mela *l.* 3. *c.* 1. *Tobolicum* cognominat; Ptol. *l.* 2. *c.* 6. Τρίτιον Τουβόρικον: ubi ου pro ο more Jonum vel Ptolemæus, vel quos hic auctores ſecutus eſt: τὸ ρ vero pro λ incurioſi librarii poſuere. Quin & eodem tractu, Tritio dicto, vicina opida Τέβαλα & Ταβάλαικα, quæ ibidem nominat Ptolemæus, (ita vero legi oportere pro eo, quod amanuenſes τ in adfinem γ transformantes Γέβαλα & Γαβάλαικα ſcripſere, indubium plane eſt) Tobelos, ignotos hactenus, qui, & quarum partium Iberiæ fuerint, manifeſtant.

Et hinc, quod iſto inter Iberum & Pyrenen non adeo multorum miliarium ſpatio tot loca eadem adpellatione conſona reperio, Tobelos ſeu Τουίλας, (ubi τὸ υ conſonans eſt, & conſonanti labiali ב, τῷ β, *b* vel *f* Latinorum æquipollet, ut in Ραυέννα, *Ravenna*, Καλαυρία, *Calabria*, Καυταυρικὴ, in *cod. mſcr.* Strabon. *Cantabricæ*: Πατάυιον apud Ptol. *l.* 3. *c.* 1. *Patavium*: καλυελανοὶ, *Catvellani*, *l.* 2. *c.* 2. Λουία, *Lovia* inter urbes Vaccæorum, *l.* 2. *c.* 6. Γραυίσκα, *Graviſcæ*, urbs ad mare Tyrrhenum, *l.* 2. *c.* 1.) quos Strabo *l.* 3. ad Iberi fontes, qui ſunt in Cantabris paulo infra Vellicam metropolin, locat, ibi coluiſſe, & conſequen-

Digitized by Google

ter Deum Endovellicum ibidem celebratum cultumque primum, post cum Celtiberis, qui ea loca, cum e Celtica cis-Pyrenaica provincia advenissent, insedere, μεταναστασις in Lusitaniam progressis, & ad Anæ ripas in Celtica dicta considentibus eo, ubi hodie Inscriptiones istæ conspiciuntur, commigrasse, colligo. Idem plane, quod in Strabonis Τουίλοις, forte etiam *Dovellica* Flori *l.* 4. *c.* 12. & Ptolemæi Τουέλλικα *l.* 2. *c.* 6. (syllabam enim initialem *Do* in illius, in hujus vero codicibus, quotquot hodie exstant, literam *T* abjecere inadvertentes librarii, nisi Cantabricæ veteris linguæ idiotismo apocope facta est) commisere descriptores in Appiani *Bellis.* Is *l. de Bello Hispaniensi* Celtiberorum quoddam σύστημα, quorum urbs Segeda a T. Semp. Graccho deditione captorum & susceptorum in fœdus, *Tobellos* adpellaverat, sed qui in Bellos, ob veri nominis ἀδοξίαν transformati sunt.

Coluerunt hi, secundum Appianum, juxta Titthios & Arevacas seu Arbaschos; hi autem, uti in tabulis Geographi depinxerunt, inter Numantinos & Pelendones; quorum sedes cum Autrigonibus ad Iberum usque & citeriora ejus tetendit: quod indicio est, eosdem plane esse *Bellos* sive potius *Tobellos* Appiani cum Ητουίλοις Strabonis, Josephi Θοβήλοις, Eusebii Θαβηλοις, & loca ultra cisque Durium multo, quam depingunt Geographi, septentrionaliora habitasse. Illorum vero memoria, etsi obliterata pene undique, in *Dovellica* sive *Vellica*, quam paulo supra fontibus Iberi condiderant, proximis ante solutam per Romanos ἀυτονομίαν gentium Hispanicarum, maxime Cantabrorum, nobili urbe, ad quam primum præliatus esse D. Augustus a Floro commemoratur, restat omnino illustrissima & notabilissima.

Insuper testantur de iisdem montes, Hispaniarum nominatissimi, *Ebulei:* ita editum est in *Paralipom. Hispan.* Johann. Margarini Ep. Gerund. *l.* 1. *f.* 7. & 25. in Flori codd. *Edulius* & *Medullius:* in Orosii membraneo *Idilius.* Docti, meo judicio, imo veritate jubente ipsa, legant *Tobulei* seu *Tobilei.* Hi, quia radicem habent a Pyrenæo, & a Cantabris magnam regni Navarræ partem secludunt: (Ptolemæus enim circa Edulii situm falsus est, quod inter Bergistanos & Suessitanos Vasconibus contiguos, qui omnes Cantabris sunt orientaliores, eum reponat, & alium ab Idubela faciat:) itemque, quia Durius fluvius ex iis procedit, uti scribit Margar. *l. d. f.* 27. tam illud vero, quam hoc de Idubela monte verissimum est & manifestissimum; cum Idubela plane iidem sunt, patetque clarissime e descriptione prælii ad Vellicam, & Cantabrorum

Digitized by Google

rum ἁλώσει apud Florum, etsi adpellatio, (capite scil.) truncata, paulum deflectat.

Et quia a primis habitatoribus ita dictos esse tradit idem Margarinus, nomen horum fuisse *Tobilos*, consequens est, simulque vero consentaneum, a *Tobele*, *Tubale*, *Idubela*, (quæ ταυτώνυμα sunt,) ortos & denominatos. Solenne autem in gentium migrationibus fuit perpetuum, ἐπήλυδας in recens inventa patria ad fontes fluviorum & ripas in amœnis convallibus, & locis pascuis considere aliquantisper, dum aucti juventute ad interiora & inaccessa magis penetrarent. Istud tam Iberi ex Asia, cum vicinis Scythiæ & Paropamissiæ incolis, (hi enim de Tubalis familia, Tobelii veri, fuere) quam post Celtæ e Gallis in Hispaniam delati, procul dubio tenuerunt, eoque utrique ad Iberum, quem denominarunt illi, quique Pyrenæo Hispaniam intrantibus proximus & nobilior, utpote propter quem universa provincia Iberia dicta est, Plin. 3. *c.* 2. occurrit, moraturi sedes fixere.

De re igitur tot testimoniis firmata, scil. *Tobelis*, *Tobellis*, *Dovelis*, *Tobeliis*, *Doveliis*, primis Hispaniæ incolis non dubitabunt ultra, si qui Scaligerum de Josepho, & ἑλληνισαῖς Judæis sic quidem recte censuisse, sibi persuaserint; quod mihi longe videtur secius. Fugit Lynceum istum adpellatio gentis, apud alios scriptores omnes corrupta, sed quam feliciter, puto, restitui, & e Josepho Strabonem, Florum, Appianum emendavi; illum vero ex his explicavi, & contra importunam censuram defendi:

—— *alterius sic*
Altera poscit opem res & conjurat amice.

Nihil proderit antiquitatum linguæ Celticæ, seu priscæ Germanicæ in partes advocatio. *Tobeli* enim nomen hoc suum inde a Caucaso sive Tauro, ad cujus jugum, quod Paropamissum dixere, in regione Paropamisadarum Ptol. *l.* 6. *c.* 18. Τοβολίτας, qui interpretibus Latinis *Bolitæ*, locat: & Hyrcani Maris litoribus e Scythia Iberiaque Asiatica in Europæam attulere, a Tubale ἀρχιπάτρῳ suo lingua Ebræa sic dicto, cujus patri tota Scythia ab Imao monte, usque ad Hyperboreos contigerat, acceptum. A *Tobelorum* seu *Doveliorum* (*b* enim & *v* alternant solenniter) allato ex Oriente nomine gentili barbaro, formavere typo suæ linguæ Romani sive possessivum, sive gentile possessivi formam habens *Dovellicus*, *Dobolicus*, *Dobelicus*, ut Dovellicus Deus sit, qui proprius Doveliorum, gentis Hispanæ. B.

Digitized by Google

Hi igitur *Tobeli*, qui & *Dobeli*, Latina ſcriptura, nomen dedere *Tobelia*, *Dobelia*, *Tovelia*, *Dovelia*, *Tubalia* ſeu *Dubalia*, (corrupte *Setubaliam* adpellant ſcriptores moderni Hiſpani) regioni, quam colebant, Hiſpaniæ: hinc τύπῳ τεχνικῷ Romanorum formatum *Dobelicus*, & geminatione τῦ *l*, quam imitatione Græcorum Latini, auſpice Ennio, teſtis Feſtus in *Solitaurilia*, frequentant, *Dobellicus*, & *v* conſonantis ſubſtitutione τῷ *b*, *Dovellicus*: quem homines Romani, ſive facti, ſive nati, fide lapidum Villa-Vizoſanorum, Hiſpaniæ incolæ, ceu patrium Deum coluere. Præterea non Celtarum ſolum hoc Numen fuit, ſed Celtiberorum: & ſi maxime Celtarum, acceptum tamen a Tobelis ex Aſia inde in Europa hoſpitibus, & ab his traditum illis in Hiſpaniam advenis. Quo ſic conſtituto, in nudo ſomnio habendum plane eſt, *nomen* Endovellici *forma diminutiva apud Celtas ſignificaße*, *quem Latini* Tubalillum, Tubaliſcum, *minorem* ſeu juniorem *Tubalem vocarent*; & de ejus vanitate non diſquirendum ultra.

C. Chriſtianos Doctores, pietatem nefariam, & antiquas ſuperſtitiones, quas hominum animis evellere penitus non poſſent, ad Chriſtianum ritum adcommodaſſe, & honores Cacodæmonis ad Deum & Sanctos transtuliſſe, voces etiam, quæ divinis poteſtatibus innocentibus ſeculis & primum datæ fuerant, ad fœdam autem idololatriam degenerarant, ad doctrinam & ritus ſuos reduxiſſe, in confeſſo eſt apud omnes. Neſcio ergo an verum ſit, nomina Deorum gentilium, quæ fuerant idololatris uſitata, a converſis ad verum Deum populis Cacodæmoni fuiſſe populari uſu loquendi impoſita; hoc vero ſcio, ei probando exemplum a Vandalorum more peti non debuiſſe, neque enim quadrat, neque narratio ſatis fida eſt.

Res autem ita habet: Vinidi, (quos qui Vandalos adpellant, improprie loquuntur,) duplicem Deum, unum boni, alterum mali auctorem, coluere: illum dobreho Boha; hunc zleho Boha adpellantes, Perſarum hac ſuperſtitione ἀποφυάδες & aſſeclæ, quos ejusmodi ἀνλιπράττοντας δαίμονας coluiſſe, e Laertii *Proœmio* notum eſt. Chriſtiani autem facti, Vinidi Deum verum Boha; at Diabolum Czerneho Boha / i. e. *nigrum Deum*, qua ratione eum D. Paulus 2. *ad Cor.* 4. 4. θεὸν αἰῶνος τύτε, & Patres Latini adpellarunt *Æthiopem*, hodieque, ut & Czertha nominant: & abſolute zleho, i. e. πονηρὸν, *nequam*, *malignum*; imitationeque Patrum Eccleſiaſticorum etiam majores noſtri Germani eundem Hellemohre / i. e. *Æthiopem infernalem* indigitarunt. Exſtat

hæc

Digitized by Google

hæc adpellatio in vetuſtis rhythmis Germanicis, quibus Eccleſiæ ſub Pontificibus Romanis ſtatum ante hos 400. annos, Imperatore Philippo, deplorat Waltherus von der Vogelweide / ejus familiaris & conſiliarius domeſticus, laudante Gold. in *Repl. pro Imp. c.* 28. Hinc adparet falſum in narratione de Zern Vandalorum. Eſt enim ea vox adjectiva, & ſignificat *nigrum*.

Vulgus in quibusdam Franconiæ, Thuringiæ, Saxoniæ, Miſniæque partibus Diabolum adpellat Lucifer / Lutzibet: idemque fieri ab Italiæ provincialibus, e colloquiis Trajani Boccalini adparet, ſine dubio arrepto ab Homiliaſtis, qui Luciferum e male intellecto *comm.* 12. *cap.* 14. Eſaiæ, imitatione Græcorum Latinorumque (nam & Jobius Monachus ap. Phot. *C.* 212. *f.* 660. & Bernh. *Hom.* 17. *in Cant.* & legis Muhammedanæ Alcorani d. compilatores hac ſignificatione uſi ſunt.) indigitant, nomine. Hoc unius literæ immutatione in Zuttiber abiit, ut ridicula eſt plerumque plebs rudis ac ſimplex in exprimendis linguarum aliarum, maxime Latinæ, vocabulis: ſed cujus conſuetudines tamen legem faciunt tandem. D.

Nomenclaturam Cacodæmonis in lingua Germanica a nomine Tubalis deſumptam eſſe, vel ad hunc reſpexiſſe impoſitione nominis iſta noſtrates, temere adſeritur. Formaverunt enim e Græco διάβολος, in qua ſignificatione voce ea ſacri Scriptores Græci ſoli uſi ſunt, & poſt hos Latini: a quibus, quia lux Euangelii ad Germanos traducta eſt, & cum hoc doctrina de Angelis & Diabolis, etiam adpellationes tam Angelorum, quam Dæmonum hi ab illis mutuati ſunt, & ſuo idiomati transſcripſere. E.

Frigidum vero etiam hoc etymon voculæ Buel inter ἐρωτικὰς. Veroſimilius eſt, deduci rite ab Ebr. בעל *Baghal*, i. e. *Dominus*, quod inter amatoria fuiſſe olim, uti & eſt hodieque, vel uno Martialis venuſto Epigrammate conſtat. F.

At hoc multis, poſtquam Celtiberi exoleviſſent toti in Hiſpania, ſeculis, & hi, quos nominat, Gothorum Reges fuere, non Celtiberorum, nihilque cum his commune illis. G.

De hiſce e ſupra dictis judicari poteſt, inutilem ſc. laborem omnem eſſe, voculam *Endovellicus*, quæ origine Ebræa eſt, terminatione autem Latina, ex antiqua Germanica lingua exponere. Summa negotii hujus omnis eſt: Iberos in Hiſpaniam veniſſe auctoritate M. Varronis, Plin. *l.* 3. *c.* 1. tradidit: & adparet ex adpellatione, qua antiquiſſimi Græ- H.

Digitized by Google

corum hiſtorici, Scylax Caryandenſis, Dario Perſarum Regi σύγχρονος, Herodoto prior, ut qui eum citet *l.* 4. Ephorus apud Strabonem, Poeta jamborum Periegetes, quem Apollodorum Nicomedi Regi Bithyniæ notum fuiſſe, probat CL. Salmaſius: vel Iberos occidentales denominarunt, vel inter Europæ populos cenſuerunt, Ἰβήρας, quos Romani etjam ante Ennii tempora, uti ex hujus fragmento apud *Chariſ. l.* 2.

Hiſpane non Romane memoretis loqui me,

colligitur, Hiſpanos: contra Dionyſ. Periegetes, & commentator hujus Euſthatius, Priſcian. *l.* 6. Socrat. *l.* 1. *Hiſt. Eccl. c.* 16. Niceph. Call. *l.* 8. *c.* 4. Europæos Iberos, i. e. Hiſpanos conditores Aſiaticorum, traduxerunt. Propter iſtos omnium primos ex Aſia poſſeſſores, qui Tubalis erant poſteri, Tobelos, Tovelios, Tubalios, Tubalæos, Hiſpania dicta fuit, ut paulo ante tetigi, Tobelia, Tovelia, Dobelia, Dovelia, Tubalia, Tobolia. De literarum enim *T* & *D*, ſimiliter *b* & *v* alternatione non curandum eſt, multo minus de vocalium *e* & *i* in præfixo, *o* & *u* in nominis ſyllaba prima, item *a e* & *o* in ſecunda ſyllaba permutatione. Ei nomini gentili Ebræo *Tovelorum*, ſeu *Dobeliorum*, ſi vel juxta Ebrææ linguæ conſuetudinem ה *He*, ſive adſpirationem, ſive articulum, ſive pronomen, vel articulum Het / quem Goropius Vertumno p. 40. & alibi paſſim, linguæ Cimbricæ proprium eſſe, & exprimere notationem vocis Latinorum IPSI, docet, præfixum eſſe imagineris, exeunt *het Toveli*, *het Tovelii*, *het Tobeli*, *het Tobelii*: item *hed Dovelii*, *hed Dobelii*, *hed Dovelia*, *hed Dobelia*, *het Tovalia*, *hed Dobalia*, *hed Dubalia*: perinde ut e nomine primitivo proprio *Tubal*, *Tobel*, *Tovel*, *Dubal*, *Dobel*, *Dovel*; fit *het Tubal*, *het Tobel*, *het Tovel*, *hed Dubal*, *hed Dobel*, *hed Dovel*, e θοβήλ, uti LXX. efferunt, & Θόβηλος, uti Joſephus præfixo *He*, fit *het Tobel*, *hed Dobel*, *hed Dovel*: quamvis hoc modo nomina propria irregularia fiant: ut הָאֲרוִנָה *Arauna* 2. Sam. 24. 16. הַפְּלִשְׁתִּים ὁ Πλάτων, *Plato*. Geminationem vero τῦ *daleth* ſive *thau* in voce barbara abhorrentes Romani, alterutri horum τὸ *N* ſubſtituere, eodem plane modo, quo ex Ebr. הוֹדוּ *Hoddu*, a Græcis Latiniſque vocula Ἰνδική *India*, formata eſt, puncto *dages*, quod geminandi vim habet, ſubſtituto τῷ *N*, euphoniæ gratia; ſonat enim certe τὸ *N* ante *D* plenius, quam *dd* geminata ipſa. Inde, uti claret, factum *hen Dovel*, *hen Tubal*, *hen Tobel*, *hen Tobol*, vel litera prima ſubſtituta quintæ *han Dovel*, *han Tubal*, *han Tobel*, *han Tobol*, *han Dobal*: & abjecta adſpiratione, ut adſuevere Romani *en Tobel*, *en Tovel*, *en Tobol*, *endóvol*, *endo-*

Digitized by Google

endobal, *endoval*, *en Dobel*, *en Dovel*, *en Dovellicus en Dobolicus*, Græci utrumque, tam vocalium permutationem, quam τὸ *N* interpositionem in barbaris vocibus frequentare similiter solebant. Qui enim Ebræis *Thubal*, *Tubal*, *Tybal*, *Dubal*, & cum præfixo הַתּוּבַל *hat Tubal*, *hat Tybal*, *had Dubal*, Latinis *Indibilis*, *Indubela*, *Indobela*, *Idubela*, *Endobal*, *Endobel*, *Egdubela*, *Edubela*, (idem enim nomen toties reperimus variatum) ipsis Ἀνδοβάλης est: Hispani etiam sic adsolent ἐπεντίθεσθαι τὸ *N:* dicunt enim *Mandan*, quem Ebræi *Madian*, qui Abrahami e Ketura filius fuit, Gen. 25. 4. adpellarunt. Varios populorum circa vocum, quas ex aliis inde linguis in suam quisque transsumsere, capita (de extremitatibus hic non attingam, quas Æoles, Dores, Osci resecare soliti sunt, multo minus de literarum, tam vocalium, quam consonantium permutationibus, quæ infinitæ sunt, & harum potestatibus,) lusus.

Præterea cuique pro suo idiotismo peculiarem propriumque fuisse, & hinc natas adeo diversarum linguarum tot dialectos, & harum simul innumerabiles corruptelas obsérvo, quemadmodum e vario puncti fluxu lineæ infinities diversæ, & ex harum similiter vario situ figuræ literarum tot Alphabetorum maxime diversiformes prodiere. Modo vocabulis sibilum præposuere: e *Pania*, quæ a Pane sic adpellata est (Plin. *l.* 3. *c.* 2.) fecere *Spania:* ex Ἰβύλλα apud Stephanum, *Sevilla*, *Sevilia*, *Sivilia:* e Μαρακάνδα, quam Ptol. *l.* 6. *c.* 12. & *l.* 8. *tab.* 7. in *Bactriana*, Arrianus & Curtius in Sogdiana locant, *Samaracanda* hodie Tartarorum Zagathajorum, Arabes & Geographi pene omnes: ex *Amastris*, quo nomine opidum Bithyniæ est ad Pontum Euxinum, *Samastro*; ex *Athenæ*, *Sathines:* Latini asperum flatum in Græcis vocibus in sibilum mutarunt; inde *sues* ex ὗες, *sulcus* ex ὅλκος, *sopor* ex ὕπαρ, *sal* ex ἅλς: *Salamantica* ex Ἑλμάνλινα apud Polybium. Alii συριγμὸν vitantes ceu κακέμφατον, sibilum abjecere, ut Æoles & Græci recentiores, πίζα, παῖρα, μάραγδος, pro σπίζα, σφαῖρα, σμάραγδος: Galenus 5. *m. m. c.* 12. Ταβίας monticulum inter Surrentum & Neapolin ob aeris siccitatem pulmonum vitiis ex humiditate & putredine salubrem stationem adpellat: quem Latini Ovidius 15. *Metam.* Colum. *l.* 10. Seneca 6. *Nat. Qu.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Symmachus *l.* 6. *Ep.* 17. *Stabias:* modo initia dictionum quæcunque detruncarunt; inde e Græcis ὁδὸς, ἐπικίρνης, ἐπίκρος, ἐλύδρης, Attico, ἐδέσκω, Æolico, fecere *dens*, *pincerna*, *piurus*, *lutra*, *esca*. *Iturissa* Melæ & Ptolemæo, *Turissa* Antonino *in Itin.*

Digitized by Google

Itin. Asturia, Straboni *Sturia: Secusteron*, opidum Provinciæ, Antonino, hodie Gallis *Cisteron*, civitas Episcopalis. Ἄσπα urbs Parthiæ Ptol. *l.6.c.5.* Arabibus, Ebræis & Latinis *Izpahan*, *Isfahan:* scriptoribus Italis hodie *Spahan: Interamnia*, vulgo Ital. *Terani: Ariminum, Rimino.* Vallis *Prettigoa* in Rhætiis incolæ Germani vocabulis Latinis Italicisque incipientibus ab *f.* præponunt p: dicunt enim Pfummet pro *fundamentum*; Pfenster pro *fenestra*: Pfavers pro *Favaria*, seu *Fabarium* Monasterium D. Benedicti intra Rhætiam in terra Rhucantiorum, & thermæ, aliis per Germaniam provincialibus Pfefferbad: contra Saxones, & horum dialecto adsueti, e voculis Germanicis a Pf incipientibus τὸ p abjiciunt: dicunt enim ferd/ farr/ flug: & ista tam πρόσθεσις, quam κολόβωσις, quæ per leges non licuisset, vulgi pronunciantis consuetudine apud quamque gentem introducta est, & paulatim invaluit. Est ubi adspirationes, articulos, præpositiones cum ipsis vocibus fecere coalescere. Factum ita ex ἡ Σπανία, *Hispania*; ex ἡ Μοψουεστία, *Hemopsovestia* apud Procopium περὶ κτισμ. Ιους. e *Ruha*, quæ & *Rohai*, i. e. *Edessa*, urbs Syriæ, adsumpto articulo Arabicæ linguæ *al*, *Alruha* & pronunciatione *Arruha*, *Erruha*, *Erroha*, *Orrhoai*, *Osroi*, *Osdroi*; unde *Osroena*, *Osdroe-na*, *Osdruena* regio: e *Racca*, urbs est in termino Mesopotamiæ sita, *Alracca* & *Arracca*: e *sere*, *sare*, *sore* (sic Arabes vocant tumoris seu tuberculorum quoddam genus, Græcis Latinisque indictum, non insolens tamen nostris regionibus) *alsere*, *elsere*, *essere:* e *Phrath*, qui Arabibus *Elphrat*, *Euphrates:* e Σινᾶις, *Sinis*, populo & regione Asiatica contigua Sericæ, *Alzina* & *Azzina*: e nomine vetere die Vr / vel de Vr/ quo fluvium ortum in finibus diœceseos Curiensis, valle S. Johannis, & in ditione Tigurina in Rhenum decurrentem adpellarunt, facta est hodierna ejus nomenclatura Dur/ *Duras*: unde nomen *Durgovia* regiunculæ, Osw. Molitor *Not. ad Henr. Glareani Descr. Helv. Arime* insula in sinu Puteolano, Virgilio & Latinis aliis *Inarime* ex coalita præpositione Jonica εἰν cum ipsa voce: *Comites a Metsch*, inter illustres Rhætiæ familias, *Amasii*, *Florianus a Campo* Hispaniæ historicus recentior, *Occampius*, præpositione nomini quod regit copulata: ita *ater* Latini dixere colorem in summo suo fastigio nigrum, quasi *a terra.* Græculi recentiores vocabulis Latinæ, Italicæ, aliarumque linguarum provincialium a *b* vel *p* incipientibus, μ præponunt: in ab *s* incipientibus, hoc resolvunt in Tz: inde μπάϊουλος, Τζηκούρη, Τζίκολος, Ντζιν, *Bajulus*, *securis*, *Siculus*, *Sina*, qui & Chinæ. Convertuntur etiam & transponuntur

nuntur elementa ac ſyllabæ diverſimode. Ita *Alarante*, nomen opidi, ad ripam dextram Durantii in Provincia, *Tab. Itin.* Peuting. hodie *Talart* eſt: hoc modo e Græco καρκῖν & Latinorum vox *cancer: Nam* conjunctio Latinorum e Græca Dorica μὰν formata eſt: modo conſonans, quæ ſequebatur initialem vocabuli vocalem, huic præponitur; hinc *Urſa* fluvius e monte Furca in Helvetiis ortus, & ſub Brugis Herogoæ opidulo in Rhenum labens, hodie *Ruſa* adpellatur, Molit. *l. d.* modo vocalis una, modo plures ejiciuntur retentis conſonis; ita e Græco κάραβ& fecere Krebs Germani.

Quæ quiſquis accurate expendit, de nomine *Endovellici* ex *Idubela*, & hujus e TUBALIS formato, facile mihi adcrediderit, & hoc omnino veriſſimum eſſe, quodque in rei ipſius cognitionem perfectiſſimam ducat, etymon: videritque me primum omnium indice apud ſcriptores rerum Hiſpan. Roder. Tolet. *l.* 1. *c.* 3. Johan. Ep. Gerund. in *Paralip. f.* 15. Taraffam: P. Anton. Beuterum, Flor. a Campo; Annium Viterb. Chriſtoph. Roffiniacum *Comm. Rer. a Cond. Orbe Geſt. p.* 477. qui primos Hiſpaniæ incolas *Cetubales*, ipſam vero provinciam *Cetubaliam*, q. d. cœtum Tubalis, & *Setubaliam* dictam fuiſſe, tradiderunt, & mendas, & earum correcturas. Utrobique enim *C* & *S* in locum adſpirationis *H* præfixi vel *He* irrepſit: qua de re, quia nova & παράδοξ&, pluribus agere oportuit.

Hic vero in ſuamet patria hoſpitem videas, dum, quid Saxones Mag- **I.**
deburgici vulgari adpellatione Soen Dömnike indicare ſoleant, docet: id vero perperam. Ea enim neque Germanica eſt, neque diminutivæ formæ, ſed Latinam *Sancti Dominici* nomenclaturam exprimit. Ipſi Pruſſi, qui idiomate ſuo a Saxonico non adeo abſunt, dum nundinas anniverſarias Dantiſci die S. Dominico, Nonis Auguſti, ſacro celebrari conſuetas nuncupant den Dömnicks Marckt/ docuerint.

Ergone voces linguarum Europæarum ex Orientalibus, ſic ubi licet, **K.**
non erunt deducendæ? Ergone qui id hactenus præſtitere feliciter viri docti, Orientem cum Heſperia miſcuere? Certe quia Oriens primum cultus in Occidentem protruſit incolas ſuos, hunc ex illo derivare oportebit, tam quoad populos, quam quoad linguas. De *Baale* vero ſeu *Belo* in *Endovellico* ſine mora παλινωδῶ; inventis enim frugibus ἐκ ἔλι βαλανηφαγητέον, & urſa præſente quis ultra ejus veſtigia quærat?

Eſt ſane Celticus, ſed apud Tubalæos ſeu Tobelos in Aſia natus, & **L.**
traditus ab his, acceptus vero a Celtis: & hinc ad ſucceſſores horum in Hiſpania Romanos propagatus.

Digitized by Google

M. Recenſetur, non a Mela, ſed a nugatoribus & falſariis Anniis, Taraſſis, & ſi qui incautiores hos ſecuti ſunt; ſed quorum credulitas error potius ſit, quam culpa: ea enim in optimi cujusque animum irrepit, juxta Planci ad Ciceronem ſententiam.

N. Ezechiel Propheta *commate* 1. *c.* 38. 1. & 2. *c.* 39. 13. & 14. *c.* 27. meminit Tubalis, h. e. poſterorum ejus, eosque ceu vicionos populos jungit cum Meſcheco, i. e. Moſchenis, ſeu Moſchis (Euſeb. 9. *αποδ.* Ἐυ. *Myſos* interpretatur) & Thogarma, i. e. Thogarmæis ſeu Sarmatis: & hos omnes inter ſubditos imperio Gogi computat. Atqui convenit tractatores Sacræ Scripturæ plerosque, fereque eſt ut dicam, *οἱ ἑξήκοντα εἶπον*, per Gogum a Prophetis reges Aſiaticos & Syriacos ſignificari: (de typico ſeu tropico potius ſenſu, quia arbitrarius fere eſt, nihil hic attinet dicere: ſunt enim qui de Antichriſto Romano: V. Doling. *l.* 2. *de fin. Antichr. inſt. capp. prior.* 6. ſunt qui de Turca; ſunt qui Apocal. 20. 18. de quibusvis capitalibus Dei hoſtibus & perſecutoribus Eccleſiæ generaliter exponunt; Euſebius *l. d.* de imperio Romano, in Ez. hoc & Bileami vaticinio Num. 24. 7. ubi tamen in Ebr. eſt מאגג *me Agag*. i. e. *præ Agag*.) Moſchos autem Iſthmum inter mare Caſpium & Pontum Euxinum ad Cautaſum uſque montem, ubi Colchis, Albania, Iberia, tenuiſſe & Armeniæ quaſdam partes ad Euphratem: conterminos Georgis, Albanis, Armeno-Chalybibus ad Iberum amnem, in Cyrum, qui Armeniæ eſt, defluentem, faciunt Geographi. Juxta eos ultra Caucaſum verſus Boream conſederant Thogarmæi, i. e. Sarmatarum nationes plures: ſecundum Mare Hyrcanum vero in Aſiæ Euro aquilonaribus Scythæ multorum populorum nominumque; hique ipſi a Propheta per Tubalem denotantur.

Minimum autem vero ſimilitudinis habet, Iberos Europæos Πυρήνηθεν, ut loquitur Dion. Afer, ab extremo Occidentis angulo inde Gogi Regum in partibus Aſiæ Borealibus, h. e. Seleucidarum Antiochorum vaſallos & auxiliares in oppugnatione & excidio Hieroſolymorum fuiſſe: quod de Meſecho, Tubale & Thogarma, h. e. Ponticis gentibus, Iberis, Scythis & Sarmatis intimat Propheta: conſtatque e Joſepho & Juſtino, Syriæ Regibus Antiochis cum Arſacidis ſeu Parthis geſta in iſtis partibus bella, & imperium aliquando in dictas per Aſiæ Septentrionalia gentes fuiſſe. Igitur Tubal Ezechielis non ſignificat Iberos Europæos ſeu Hiſpanos. Vide in hanc rem Beroald. *l.* 4. *Chron. c.* 6. B. Ar. Mont. in *Adpar. Biblic.* Cluver. *l.* 1. *Ant. Germ. c.* 4. *f.* 45. Merulam *Coſm. P.* 1. *l.* 3. *c.* 14.

Aſia-

Digitized by Google

Asiaticis quidem hoc prærogativæ fuit, quod a Tubale ipso conditi, & eo ipso duce & capite familiarum profecti, proximis a Diluvio seculis in Asiæ aquilonaria fuerint; Europæi vero aliquanto post (definire enim tempus migrationis hujus in tanto veteris historiæ Japetinarum tribuum deliquio non licet.) ex Asia inde emensa totius Europæ latitudine in Occidentalissimam ejus plagam & terminum, qui Oceanus Atlanticus est, vel Idubela quodam Tubalis primitivi cognomine & successore duce, vel a Tubale principe suæ gentis denominationem adepti, tandem sive terrestribus, sive maritimis itineribus, quæ non adeo invia fuisse, e Melæ *l.* 1. *c.* 3. didicerimus, devenerunt: V. Torniellus *Annal. Sacr. sub A. M.* 1391. *n.* 22.

Videas igitur hic τὸ ἄμετρον τῆς ἀνθολκῆς in prolabentibus in contraria eruditis. Alii D. Hieronymi testimonio nixi, Tubalem ipsum primum mortalium in Hispaniam venisse, eamque imperio justo moderatoque tenuisse; Mariana *l.* 1. *c.* 1. & magna præterea turba pedaneorum: alii Tubalem, aut de domo ejus quemquam, Hispaniam habitasse, negarunt, sed Aschenazen Gomeris filium, patrem omnium in Europæ continente insulisque adjacentibus populorum, promulgarunt; Cluv. *l. d.* Tobelosque in Hispania nunquam quemquam audivisse adserverunt, Gorop. *l. d. f.* 5.

Medio tutissimi directissimique incedimus, qui e posteris Tubalis collectam manum ex Asiæ Borealibus, sedibus suis motam, eo migrasse, & gentem ibidem conditam ΘΟΒΗΛΟΥΣ, ΤΟΥΙΛΟΥΣ, *Tobelos*, *Dovelos* nuncupatam inde fuisse tot testimoniis relatis supra, confirmati adminiculatique adstruimus: ad quos successu temporis consanguinei sui Gomere & Ascanio in Celtica ortus populus commigrarunt.

Sed hic J. Goropio, cujus Viri summam eruditionem certatim prædicarunt Docti, & nos admiramur merito, iterum, etsi ab illubentibus nobis, contradicendum est, quia de Josepho aliud nobis, contrarius D. Hieronymo, persuadere voluit.

Scilicet ad defendendam thesin suam *de Tobelis solum in Asia*, tam sollicite tota Hispania eos submovit; sed id sine caussa. Fuisse enim & hic, & illic, demonstrabitur.

Verba Judæi Historici *l.* 1. ἀρχαιολ. *c.* 7. ista sunt: Κατοικίζει ἢ κατὰ Θοβήλους Θόβηλος, οἵτινες ἐν τοῖς νῦν Ἴβηρες καλοῦνται. In his eos accipiendos esse opinatur, qui tum temporis Iberi a Romanis nominabantur: Caucasæis autem jugis inclusos, hinc Pontum Euxinum, illinc Mare

Digitized by Google

Caſpium adcolentes, tum Iberos ab iis fuiſſe nominatos. At cum Græce ſcripſerit Joſephus, adpellationem Ἰβήρων, ea ſignificatione, qua Græci tum temporis uterentur, adhibuiſſe cenſendus eſt. Conſtat autem Polybium & Strabonem, priores Joſepho, quandocunque Hiſpania vel Hiſpani nominandi erant, Ἰβηρίαν & Ἴβηρας adpellaſſe. Præterea cum ridiculum errorem Ephori, qui cum Philippo Alexandri M. patre vixit, *Iberos unam civitatem eſſe* rati, redarguit *l.* 1. *contra Apion.* Iberos explicat per eos, qui partem terræ Occidentalis habitare noſcuntur. Liquet ergo, quid notatione Ἰβήρων ſignificet Joſephus.

Imo ipſi Romani, quos hic ſecutum fuiſſe Joſephum argutatur Goropius, συνωνύμως Ἰβηρίαν dixere καὶ Ἱσπανίαν, teſte Strab. *l.* 3. & adpellatione utraque eandem in Europa gentem denominaverunt. Hinc Ἴβηρες σολάτοι ἢ τογάτοι nominabantur a Romanis Hiſpani, qui Reip. Romanorum formam per colonias receperant: eamque adpellationem Latinam & a Romanis eſſe, nemo ſanus negaverit: Iberes igitur etiam Romanorum ſermone erant Hiſpani. Sive igitur Græcorum, ſive Romanorum ſua ætate loquendi modum adtendiſſe, Joſephum dicamus, eum per Ἴβηρας non illos Aſiaticos, ſed Europæos, h. e. Hiſpanos ipſos deſignare voluiſſe, &, D. Hieronymum, qui de Hiſpanis exponit, optimum ejus interpretem fuiſſe, ſequitur.

Quæ vero idem Goropius de Tobelorum in Aſia ſedibus, & e Margianæ, in qua utpote cœli ac ſoli commodis inclyta, Solin. *c.* 51. Noachum vitem primum plantaſſe εἰκοτολογεῖ, vicinia trajecto Caſpio Mari, e directo Oxi fluminis in Albaniam Scythiæque partes migratione, cujus teſtimonia ſint opidum inter Gerrhum & Caſium amnes conditum *Tobilaca*, θοβιλάκα, Ptolemæo *l.* 5. 12. & aliud ibidem *Chabala*, Χαβάλα, docet, ſatis quidem ſunt probabilia: (Ex eo enim altera mundi ætas, quæ a Diluvio ad turris Babylonicæ tempora & Sheruchi, a quo idololatria cœpit, computatur, *Scythiſmus* a primitivæ Eccleſiæ Doctoribus, quos ſecutus in hoc eſt Epiphan. *l.* 1. *Panar.* adpellata eſt, quod homines a Noacho inde & filiis ejus Japeto in Scythia habitarint, donec auctiſ familiis, ulteriora maxime Europæ quærere, in eaque deſidere occiperent:) ſed ex eo quærere poteramus, ποῦ ϑ κεῖται. Sine teſte enim facti loqui, hiſtoricus erubeſcat.

De *Bolitis* ſeu Τοβολίταις vero, qui Paropamiſadarum regionis Septentrionalia tenuere, ab Occaſu Ariis & Parthis, ab Auſtro Arachoſiis, & ab Oriente Ambautis & Indis cincti, ſcimus nos, teſtemque habe-

Digitized by Google

habemus locupletiſſimum, ἐναμυρίους, Ptolemæum *l. 6. c.* 18. & hi a Tubale proximi & primi fuere aborigines omnium ejus familiarum, ſucceſſu temporis inde in Scythiam, & hinc in Iberiam propagati, tandemque ipſorum adeo in Hiſpania Tobeliorum progenitores.

Neque dubito, quin eoſdem nominaverit Æthicus, dum in Catalogo gentium Oceani Septentrionalis cum Scythis, Maſſagetis, Sauromatis, Iberis, Albanis, Boſphoritis, Heniochis, Sogdianis, Pælicis, Paropamiſſiis, aliisque commemorat Igdobilos. Quod enim in editis hodie legimus, *Ignobiles*, a deſcriptoribus eſt, inſolentiam nominum barbarorum non adſequentibus, qui pari facinore, quæ adduxi poſteriora ſeptem populorum vera nomina, in *Barbaros albos*, duorum adpellationibus in unam conflatis, *Fosfulgoritas*, *Eunicos*, *Sogatonos*, *Raſicas*, *Baroponiſſos*, monſtra vocabulorum, ibidem deformarunt. Prodit ſe τὸ νόθευμα vocabuli *Ignobiles* eo loco cuivis: quid enim vox Latina adjectiva pro nomine proprio gentis inter tot barbara? accedit autem proxime ad Tobolitas Ptolemæi, & Igdobelam, de quo ſuperius, nec abludit ab edito, quod ego ſubſtituo, *Igdobilos*.

Non invenias facile, in quibus plura & mage mira peccarint exſcriptores, quam Geographorum opera: quot mendis hodieque poſt doctiſſimas curas J. Simleri & H. Suritæ ſcatet *Itinerarium Antonino Imp.* adſcriptum? quot in Plinio & Mela circa nomina gentium & locorum variantes lectiones, & in his perpaucæ veræ? quot in Ptolemæi Latina verſione circa eadem diſcrepantes a Codice Græco, quarum rationem tamen nemo Interpretum reddidit? quæ labes in *Onomaſtica*, *Lexica* & *Nomenclatores*, in ipſum tandem Abr. Ortelii *Theſaurum Geographicum*, quo tamen non eſſe poſſe abſolutius in eo genere opus, plerique credunt, cum ſummo ſtudiorum juventutis detrimento, irrepſit, ut corruptæ plerunque nomenclaturæ gentium & locorum ei obtrudantur: quo facto, jam primus ad veræ Antiquitatis abolitionem & oblivionem gradus ſtructus eſt, & miſeris trivialis eruditionis reliquiis paſcimur.

Accedit, quod maxima monumentorum Geographicorum pars, e quibus depravata in σωζομένοις emendari poſſent, temporis injuria interciderit; Damaſtæ Sigeenſis enim Catalogum gentium & urbium: Hellanici ἐθνῶν ὀνομασίας: item κθίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων: Dercylli κλίσεις: Demaratum de mutatis nominibus provinciarum & locorum: Pytheam Maſſilienſem, Eratoſthenem Cyrenæum, Euhemerum Meſſenium, Hippiam Delium, Bætonem, Diognetum, omnes ad unum antiquiſſimos orbis

Digitized by Google

descriptores, periegetas & mensores Strabonis, Plinii, Plutarchi, Athenæi, Stephani & posteriorum aliquot indicio nomine tenus hodie tantum scimus.

Fatali hac & deploranda jactura factum est, ut si qua in aliis ejusdem generis, quæ inde plerunque desumpta sunt, conturbata, obscura, prave descripta occurrunt, ad ea restituenda vera amussi & adminiculis idoneis destituamur, reliqua unica στοχαστικῇ, & plurimarum Antiquitatis latissimæ reliquiarum sæpe ob unius voculæ ambiguum perlustratione.

Tuisos, Τεισους Hispanicam gentem apud Cantabros circa Iberi fontes fuisse, docent Lexica Geographica, & Dictionaria nominum propriorum, testemque laudant Strabonem. Sed si ῥῆσιν hujus *l.* 3. consideres, immanem hominum ἀπεριβλεψίαν & simplicitatem, quibus nomen corruptum imposuit, deprehendes. Egerat Strabo de Cantabrorum extrema ferocia, belluinaque plane audacia, & Romanorum in iis subjugandis periculis & laboribus. Ii vero ab Imperatore, Augusto puta, mitefacti domitique sunt, inquit, καὶ ἀνλὶ τῦ πορθεῖν τὰς τῶν Ῥωμαίων συμμάχους στρατεύεσι νῦν ὑπὲρ τῶν Ῥωμαίων, ὅτε Κωνιακοὶ καὶ οἱ πρὸς ταῖς πηγαῖς τῦ Ἴβηρος οἰκοῦντες, πλὴν Τεισοί: quod ultimum interpres reddidit: *Tuisis exceptis.* Doctissimus Casaubonus de sanitate hujus lectionis merito dubitat: sibique non fieri verisimile, hunc unicum Augusto invictum totis Hispaniis populum fuisse: nec vestigia hujus rei in historia se reperire: sed nec nomen Τουίσων ait. Bene id quidem; at quod legendum esse vult, πόλιν Τόυισι, ut hoc urbis nomen sit, non gentis; pari ambiguitate laborat. Urbs enim ad Iberi fontes Τόυισοι tam ignota est & ἀκέφαλος, quam gens ipsa Τουίσοι. Quod cum videret Vir perspicacissimo ingenio, & se ferrum frigidum sic tundere, addit ἐπανορθωϊκῶς, præstare hic ἐπέχειν; vulgatam vero lectionem ne ἐλληνίζειν quidem.

Quid igitur faciamus loco destituto? Tentemus ex ingenio, deficientibus modis aliis omnibus, adferre medelam. Cantabrorum aliquot fuere populi, sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant, ait Mela *l.* 3. *c.* 1. Plinius *l.* 3. *c.* 3. ideo ignobiles, & barbaræ adpellationis vocat, inque Cantabricis septem populos solos Juliobrigenses commemorat.

Etiam Strabo Asturum, Callaicorum, Cantabrorum, Vasconum & vicinarum inter Pyrenæum & Iberum sitarum gentium nomina se non omnia recensere, ait διὰ τὸ ἀηδὲς τῆς γραφῆς; nisi quis citra fastidium audire possit, Πλευταύρους, Βαρδυήτας, qui & Βαρδύαλοι, Ἀλλότριγας, h. e. *Autrigonas*, καὶ ἄλλα χείρω καὶ ασημότερα τύτων ὀνόματα. Nominat

Digitized by Google

nat tamen alibi Καντάβρους Κονίσκους, finitimos Beronibus, itemque Κωνιακὰς; (pro quibus alii malunt Κογκανὰς, quod Horatius *l.* 3. *od.* 4. *Concanum equino lætum ſanguine*, & ſic etiam Silius *l.* 3. nuncupet. Videtur autem verum gentis nomen fuiſſe Κουκανοὶ, *Coucani*, a Κουκάνα, *Coucana* urbe mediterranea cum aliis ſeptem a Ptolem. *l.* 2. *c.* 6. inter Cantabricas nominata:) & barbaro ac male effabili ore Græcorum nomine, Ἠντουίλους, *Entovilos*, diphthongo ου reſoluta, & υ habita pro conſonante *b* vel *v:* de qua ejus poteſtate ſupra. Falſitas enim editæ lectionis ſatis adparet e dictis: hanc autem, quam damus, ad editam accedere proxime, & eſſe hoc nomen antiquum gentis, quæ ad Iberum conſederat, quod docui ſupra, liquet ſimiliter.

Senſus igitur verborum Strabonis de Cantabriæ populis fuerit iſte: *Qui ante ſolebant infeſtare Romanos & horum ſocios, nunc pro iis militant, maxime Coucani, & qui ad fontes Iberi habitant, Entovili*; h. e. Romanorum linguæ typo, *Endoveli*, *Endovelii*, *Endovellii*. Hujus populi primi ex Aſia Hiſpaniæ incolæ id fatum fuit, ut ubique ſcriptorum Græcorum Latinorumque, Joſepho & Euſebio exceptis, nomen ejus, quippe barbarum, mutilaretur & deformaretur; ſed me rite reſtituiſſe & e ſuperioribus conſtare poteſt, & patebit ſatis ſuperque vel inde, quod, uti docui, Tobilei montes cum Idubela adpellato ſint iidem: hi autem a primis habitatoribus, quos *Tobilos* ſeu *Tovilos* adpellatos fuiſſe, neceſſe eſt, hanc denominationem acceperint. Inſuper quod Idubela conſenſu Geographorum omnium Iberum de ſe fundat; ad hujus vero fontes, ubi hodie opidum *Fontibile*, aliter *Fuentibre*, agri Juliobricenſis, Strabo gentem, cujus nomen in ejus ſermone corruptum erat, *Entovilos* locet.

Arragonenſes adpellari eliſa *T*, qui olim *Tarraconenſes*, Æl. Anton. O. Nebriſſenſis, primi per Hiſpaniam bonarum literarum ſub exordiis proximi ſeculi reſtauratoris ſententia eſt: quam auctoritate viri perſuaſi etiam alii meritis in Remp. literariam non inferiores amplectuntur. Sed cum axioma Comitum Arragoniæ demum poſt A. Chr. 800. a Garſia Innici I. Rege Suprarbienſi cuidam Azenario e Cantabriæ Ducum genere orto, virtutis in bello Pompelonenſi contra Mauros præmium collatum, & tunc nomen *Arragoniæ* primum natum eſſe conſtet; ipſa vero regio, quæ vix ultra ſedecim millia paſſuum patebat, a fluvio *Aragone*, cujus duobus alveis includeretur & circumlueretur, nominata ſit, ut ex authenticis Hiſpaniæ Provinciarum tabulariis H. Blancas *Comm. Rer. Arragon.*

Digitized by Google

ragon. ſub A. 730, & 802. tradidit; contra *Tarraco*, utpote Tyrrhenorum, qui eam denominarunt etiam, colonia longe ſit antiquiſſima, & ſub initiis Romanorum in Hiſpania nobiliſſima, nomenque hoc ſuum quibusvis ſeculis, etiam poſt inſtitutos Arragoniæ Comites, retinuerit integrum, & *Tarraconenſis* cum aliis provinciis multis Arragoniam ipſam complectatur, Tarracoque ad Arragoniam non cenſeatur, hujus adpellationem ex illius formatam eſſe, ut Alphitandro noſtro viſum per ſomnos dicere, nequaquam licet.

Multo vero minus iſta vocabuli truncatio Iberis auctoribus adſcribenda eſt, quod hi, cum Arragoniæ nomenclatura naſceretur, cum omni ſuo idiotiſmo Aſiatico in Hiſpania dudum eſſe deſiiſſent. Conſit hinc præterea, Iberorum nomen, undecunque tandem ſit, a Tybalis derivari non poſſe.

Nunc igitur poſt tot indagines tenemus rem omnem. A *Tubale* conditos in Paropamiſadarum regione *Tobolitas*, *Igdobilos*, & *Scythas* multis nominibus; & ab iis profatos cum vicinis Albanis & Colchis *Iberos*: tum hos in Hiſpania Τουβάλων, Ἰντουβάλων, *Tobeliorum*, *Endoveliorum* genitores: quorum, quia proprium Numen fuit, de quo adeo laboravimus, Deus ENDOVELLICUS ſermone Latino nuncupatum eſt. Eum

—— profugi a gente vetuſta
Gallorum Celta miſcentes nomen Iberis;

iique de Gomeris & Aſchenazæ clientela & poſteris in Hiſpania repertum, nomen antiquiſſimæ, & primæ omnium Hiſpaniæ poſſeſtricis gentis repræſentantem, habitumque præſentiſſimæ opis in diverſis Hiſpaniæ provinciis coluere, & ab his ſimiliter acceptum homines, quos loquuntur Inſcriptiones, Romani in Luſitania. Numen autem, cujus cultum a *Tubale*, conditore & doctore ſuo, ſub infantia orbis poſt-diluviani acceperant imbiberantque in terra natali Scythia *Tobelii* vel *Dovelii*, a DEO Opt. Max. Unico, Vero, Suprema omnium rerum cauſſa, יהוה, non fuit aliud. Eum traditione proavi ſui Noachi arreptum pura, integra, incorrupta & mente & voce, metuentes ejus, quem ſcelera majorum immiſſis undarum cataractis ſeveriſſime plexiſſe, recens memoria erat, venerati ſunt, donec communi mortalium, conſanguineorum ſuorum, proximorum vicinorumque errore abrepti, & ipſi rebus creatis divinitatem adtribuere, & ſpreto vero Numine ἐμωράνθησαν καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ΑΦΘΑΡΤΟΥ ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ΑΝΘΡΩΠΟΥ καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν, ut loquitur D. Paulus

Ep.

Digitized by Google

Ep. ad Rom. c. 1. v. 22. (cujus nefariæ rei, idololatriæ, initia referunt ad Serughi tempora, quibus propterea Helleniſmi exordia recte definiuntur ab Epiphanio *l.d.*) honorem debitum Deo Creatori ſuo in *Tubalem* ſeu *Idubelam* deflectentes: tanto ſcil. adfectu & veneratione, ut ab eo denominari etjam amarent. Ea Dobeliorum religio cum coloniis in Hiſpaniam commeavit, & hinc ad delatos eo alienæ gentis & novos homines, Celticos puta & Romanos, etſi ſero, manavit. Hi, cum nomen Dei proprium vel neſcirent, utpote vetuſtatis ſitu obductum totum, & propterea ἀνώνυμος eſt Straboni *l.* 3. hic ipſe Celtiberorum Deus, vel ſuo ore barbarum, quippe Aſiaticum, efferre non poſſent, a populo, cujus nomen Latinæ formationis modulo adaptatum proferre tandem didicerant, & qui eum inter maximos potentiſſimosque habuerat, adpellavere *Endovellicum*, i. e. qui fuiſſet *Endoveliorum* ſeu *hed-Dobeliorum, in regione ab ipſis primum reperta, habitata, & denominata hed-Dobelia, quæ poſt Hiſpania, cultum*; ſimili plane ratione, qua Belus Sidonius, Belus Phegorius, Belus Babylonicus: Apollo Delius, Apollo Delphicus, Apollo Delphinius, Apollo Selinuntius: Juppiter Tarpejus, Juppiter Capitolinus, Juppiter Latiaris, Juppiter Cretenſis, Juppiter Olympius, dicti ſunt, qui, cum re pene eſſent iidem, gentilibus & localibus adpellationibus ita diſcrepabant; &, ſi e Sacris profana exponere velimus, ad modum loquendi eum, quo Verus & Unus Deus, Deus, Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob adpellatur Exod. 3. 6. Matth. 22. 23. quia nimirum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo ſingulariter manifeſtatus, & peculiariter cultus fuiſſet; & id nomen e Sacro Codice quomodocunque excerptum acceptumve tanquam divinæ poteſtatis διὰ τὸ τερατῶδες καὶ ἄσημον jam olim in carmina magica transſumſere, (teſte Origine *l.* 4. *adv. Celſum*,) gentiles, tam quis ille Abrahami, Iſaaci & Jacobi Deus ignorantes, quam Celtæ & Romani, quis fuerit Endovellicus, quem tamen ſic nominare noverant. Eſt hæc vera de *Deo* ENDOVELLICO ἀρχαιολογία. Si quis acutior melius divinet, (neque enim hinc excludimus quenquam, qui cenſere de literis melioribus fuerit quitus) τὸν πυραμᾶνται λήψεται τὰ κοτλαβεῖα καὶ τῶν παρσῶν ἣν θέλῃ φιλήσει. Si quid hic corrigendum, ſibi ſumſerit peritior quis,

Non ero ſtulte repugnans aut amans prave mea:
Quin ſtatim culpanda delens præbeam rectis locum.

Altenburgi 12. Mart. 1637.

THOM. REINESIUS D.
Phyſ. Ordinar. p. t.

Digitized by Google

HERMANNI CONRINGII

DE

ASIÆ ET ÆGYPTI

ANTIQUISSIMIS

DYNASTIIS

ADVERSARIA

CHRONOLOGICA.

Digitized by Google

Doctrina multiplici, & medendi uſu
Excellentiſſimo Viro

JOANNI HENRICO MEIBOMIO,

Archiatro Reipublicæ Lybecenſis,

AMICO MEO,

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

COnſcribenti librum de Hermetica Medicina, cum recurrendum ſubinde veniat ad illos ὑπομνημάτων commentarios, in quibus, more Peripateticorum antiquiſſimo, illa, quæ ad hiſtoriam univerſæ ſapientiæ faciunt, admodum adoleſcens conſignavi, dant ſeſe in manus etiam iſthæc Adverſaria, in quibus cum χρονολογικὰ alia, tum nonnullas teneræ ejuſdem meæ ætatis, de primorum Aſiæ & Ægypti regnorum temporibus, meditationes, tumultuarie, ut fieri ſolet, annotavi. Nec enim vel tum credidi, operæ me aliquod pretium facere in hiſtoria poſſe, niſi temporum doctrina ſic ſatis probe perſpecta. Quamvis vero ab illo ſtudiorum genere dudum fuerim alieniſſimus, tamen neſcio qui adeo me uſque afficit illa, pene jam oblita primorum annorum exercitatio, ut non dubitaverim in ordinem redigendis ſaltim meis iſtis paradoxis meditationibus, (alia enim tangere non viſum: ἀδολεσχία γὰρ τὸ φανερὰ λέγειν) hiſce aliquot diebus horas

pauculas ſucciſivas rurſum impendere. Video ſane, ne nunc quidem abire me poſſe ab iis, quæ in mentem tum venere: licet a vulgaribus Chronologorum, imo ſummi viri Joſephi Scaligeri placitis, plurimum diſſentiant, neque me hodie omnino lateant cum aliorum, tum Dionyſii Petavii hoc in argumento ſubtiliſſime (utinam & ea, qua par erat, animi moderatione) diſputata; quæ cum primum iſthæc mihi naſcerentur, vel nondum prodierant in lucem, vel fugerunt adoleſcentis manus. Perſtat enimvero ſententia, Herodotum præ aliis Græcis, in barbararum gentium rebus, ſequendum, & per ſummam injuriam hiſtoriæ illum Græcæ patrem vulgo exſibilari. Cumprimis autem per mihi eſt hæc revolventi jucundum, etiam in hiſce minutiis Sacræ Hiſtoriæ veritatem denuo advertere, firmis rationibus ex antiquiſſimis variarum gentium monumentis ita comprobatam, ut oblatrantium frontes in ruborem non poſſint non agi, ſi quis impiis pudor ſupereſt. Verum fallarne ego animi, an autem ſim aſſecutus, ut exiſtimo, veritatem, longe me rectius Tu, Excellentiſſime MEIBOMI, *judicaveris: nec enim hominum quiſquam ſibi non blanditur interdum plus juſto, eoque de meis quidem laboribus non idoneus ego judex ſum. Tu vero ad Philoſophiam & Medicam artem, raro exemplo, eam omnium temporum, omnium gentium ex Græcis Latiniſque ſcriptoribus peritiam adjeciſti, ut nihil eorum temere te lateat, quæ in arcanis jactitant ipſa Philologorum Eleuſinia. Id ſane cum mihi aliunde notum eſt, tum poſteritati tutemet oſtendiſti jam elegantiſſimo in Hippocraticum ὅρκον noſtrum commentario, luculentiſſime probabis in Mecenatis hiſtoria, & Medicorum vitis, quorum deſiderio orbem literatum feciſti flagrare. Quod ſi tibi operam luſiſſe videbor: tantum ut me tueri velis adverſus illorum ὁμοτέχνων noſtrorum obtrectationes, qui ultra artem, quid tentare Medico nefas, judicant, etiam atque etiam rogo; quo ut antehac, ita & inpoſterum liceat, tempus, quod illi forſan alea, vino, otio, conterunt, ſine famæ Medicæ diſpendio ſtudiis alienis nonnunquam concedere. Vale. Helmeſtadii ex Academia Julia Kalend. Martiis Anno* CIↃ IↃ C XLIIX.

HER-

Digitized by Google

DE

ASIÆ ET ÆGYPTI ANTIQUISSIMIS DYNASTIIS ADVERSARIA CHRONOLOGICA.

CAPUT I.

Quæ Cteſias, & illum ſecuti alii, de Medici regni temporibus tradiderunt, omnia eſſe falſa.

MEdorum defectione Aſſyriacum vaſtum aliquod Aſiæ Imperium multum fuiſſe debilitatum, ejuſque loco cumprimis creviſſe Rempublicam Medorum, conſtanter veterum eſt monumentis traditum. Utrum vero Aſſyriacum Imperium eo ipſo omnino corruerit, an etiam poſt aliquamdiu manſerit ſuperſtes, viribus tamen fractis, quo præterea tempore Medica illa Reſpublica cœperit, non una veterum omnium ſententia eſt. Videas nimirum in duas quaſi factiones hic diviſos hiſtoricos. In quorum capita inquirentibus haud difficile obſervatu fuerit, alteram Herodotum, alteram Cteſiam Cnidium ſequi auctorem. Eoque recte Diodorus Siculus *l.* II. *c.* 32. utriuſque narrationes in medium proponit.

Primum, quæ Cteſias de tempore Medici regni prodidit, examinabimus. Nactus enim ille eſt ſectatores plures, quam Herodotus, & doctrinæ fama illuſtriores: quos inter ipſe princeps Chronologorum eſt Joſephus Scaliger. Cteſias autem retulit, per rebellionem Medorum concidiſſe ſtatim omne Aſſyriacum Imperium, Medoſque novem Regibus ordine ſibi ſuccedentibus regnatos, uſque ad Cyrum Perſam, per annos plus quam trecentos. Ut quidem ex ejus mente narrat Diodorus. Etenim, illo teſte, regnavit Arbaces poſt Sardanapalum annos XXIIX, Mandauces L, Soſarmus XXX, Artycas L, Arabines XXII, Arſæus XL, Artynes XXII, Aſtybaras XL. Apandas, Græcis Aſtyages dictus, quot annos regnaverit, non addit quidem Diodorus, veroſimile tamen eſt, cum proximis Regibus totidem annos tribuerit, quot iis adſcripſit Herodotus, etiam hunc, ex Cteſiæ ſententia, regnaſſe annos XXXV. Hi autem anni collecti ſummam faciunt CCCXVII. Joſephus Scaliger cum cetera

Digitized by Google

recenſeat ex Diodoro *l.* 2. *Canon. Iſagogicor. p.* 131. Aſtyagi tribuit annos XL, ut anni dynaſtiæ Medorum ſint CCCXXII. Sed quinque illi anni nulla nituntur fide, eoque haud conſtat, illos a Cteſia eſſe agnitos. Cteſiam itidem ſecutus eſt Euſebius. In Græcis tamen Euſebianis Scaligeri, Regum anni & nomina aliter ſe habent, & quidem, ut ſumma temporis Medici fuerit tantum annorum CCLIX. Etſi vero haud facile ſit dictu, quid horum Cteſiæ menti ſit propius, Euſebiana autem omnia errorum & mutationum ſint plena, veroſimilius tamen eſt, Diodori illa fidelius ex Cteſia expreſſa eſſe.

Ceterum, quidquid horum Cteſias dixerit, neutram ſummam Medorum imperio convenire, nec Medorum defectione omnino everſam eſſe Aſſyriorum potentiam, certum habeo; rationibus inductus (niſi fallor) ponderis maximi. Seorſim nunc adducemus, quæ tempora attinet regni Medici: ſigillatim poſt videbimus, num Medorum defectione ſtatim Aſſyriacum Imperium omne exſpiraverit.

Primum igitur apud omnes utique conſtat, & notatum ipſi quoque eſt Cteſiæ, eo tempore, quo Medi defecerunt, patuiſſe Aſſyrium regnum quam latiſſime per omnem Aſiam. At profecto nec illo ab Euſebio, nec iſto a Diodoro indicato tempore Aſſyrium regnum memorabili fuit amplitudine. Neque enim Aſſyrios vel proximam Syriam tum tenuiſſe, quæ tamen tota ab Aſſyriis imperantibus nomen eſt conſecuta, luculenter docet Hiſtoria Sacra. Etenim hæc nuſquam memorat, per Syriam & Syriæ proximam Aſſyriorum aliquam potentiam, ante Phul, qui Cyrum non niſi ducentos decem annos præceſſit. Quando vero ſecundum Diodorum Medi defecerunt, per Syriam late dominabantur Damaſceni Reges, quorum potentia demum fracta eſt ab Jeroboamo, id nominis ſecundo, Iſraelis Rege, ea tempeſtate, qua ſecundum Euſebium deſiit Aſſyriorum Monarchia. Quin hoc unum ſufficiat Cteſianæ ſententiæ confutandæ, non dubito.

Addemus vero & aliud majoris ponderis. Etenim conſtat ex eadem Sacra Hiſtoria, eam fuiſſe Aſſyriorum potentiam a Phul uſque ad Aſſarhaddon, adeoque fere ad tempora Dejocis, vel Arſæi Medorum Regis, ut terminos imperii in Ægyptum uſque extenderint, imo Medis ipſis & Babyloniis fuerint dominati. Phul nimirum Iſraelitarum Regem Manahemum tributarium ſibi reddidit: Teglath-Phul-Aſſar plurimos Iſraelitarum abegit in Aſſyrios: idem Damaſco everſa, ejus incolas eduxit in Cyrenen: Salmanaſſar integras decem Tribus Iſraelis tranſtulit in civitates

Digitized by Google

tes Medorum, in vacuas terras, reductis novis incolis ex Babylone & Perside: Sennacherib usque in Ægyptum excurrit. Et vero illam Salmanassaris & Sennacheribi potentiam memorarunt olim, teste Josepho, etiam Tyriorum, Ægyptiorum, & Babyloniorum annales. Indicant autem hæc omnino, vastissimum & longe potentissimum fuisse tum per Asiam Assyriorum imperium, longe amplius, quam antehac unquam: item Medos, Persas, Babylonios fuisse in numero servientium populorum, utpote quos huc illuc transferre, non minus atque Israelitas, regii arbitrii fuerit.

Quibus nihil potest adversa magis fronte eum Ctesia pugnare. Nimirum nunquam magis floruerunt Assyrii, quam quo tempore, secundum Ctesiam, gemuerunt sub Medis & Babyloniis: ex adverso, Medi atque Babylonii durissimam servitutem passi sunt ab Assyriis, quando Medi Assyriis, secundum Ctesiam, imperarunt.

Vidit has salebras ex parte Eusebius: ut tamen Ctesiam tueretur, finxit, Salmanassarem tantum fuisse aliquem Medorum Regis Satrapam, Assyriis præfectum, quasi ille omnia egerit in commodum Reipublicæ Medicæ. Videantur Eusebiana Græca Scaligeri *p.* 38. At vero, præterquam quod in Sacra Historia nullum hic sit vestigium Medorum regni, sed omnia ipsorum adscribantur Assyriorum auspiciis, quod unum satis est commento illi explodendo; tantum velim observari, Rabsacen Sennacheribi legatum hisce superbiæ plenis verbis Hierosolymitanos esse allocutum: *Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum*; item: *quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis Domini mei minimis?* item: *quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?* Hi ejusdem Sennacharibi legati dixerunt: *Tu ipse audivisti qua fecerint Reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverint eas; num ergo tu solus poteris liberari?* Ezechias in precibus suis fatetur: *Vere Domine, dissipaverunt Reges Assyriorum gentes & terras omnium.* Hisce certe verbis sole clarius fit, ipsorummet Assyriorum auspiciis & robore omnia gesta esse, eorumque potentiam fuisse tum multo maximam. Accedunt in pondus verba ipsius Dei apud Esaiam x. 8. *Dicit enim Assur: nunquid non principes mei simul Reges sunt.* 12. *Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur & super gloriam altitudinis oculorum ejus: Dixit enim: in fortitudine manus meæ feci, & in sapientia*

Digitized by Google

tia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, & principes eorum depredatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi inſidentes: & invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum; & ſicut colliguntur ova que derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret pennam & aperiret os & ganniret. Præter hæc ſane, ut Euſebio aliquid reponam, non eſt neceſſum.

Scaliger, & qui eum ſequuntur, evidentia illa permoti, fatentur quidem, Reges illos Aſſyriorum, laudatos in Sacris, fuiſſe juris ſui; cauſantur autem illos Medorum jugo abjecto ſeſe rurſum in libertatem vindicaſſe, parte Mediæ occupata. Verum hoc quidem non tam eſt Cteſiam defendere, quam prodere. Mediæ enim regnum defeciſſe iterum, revireſcente Aſſyriorum potentia, non memoravit ſane Cteſias, fidus ſcilicet ille διφθερῶν Perſicarum interpres, non dixit veterum Cteſiæ laudatorum aliorumve quiſquam. Ex Sacris porro liquet, non tam iterum vires aliquas recuperaſſe Aſſyrios, quam eorum imperium omnium antegreſſorum temporum potentiam ſuperaſſe. Quod, qui factum fuerit, ſalva Medorum republica, aut ſalva Cteſiæ fide, equidem non video. Medorum præterea non niſi partem ab Aſſyriis occupatam fuiſſe, mera Scaligeri hariolatio eſt, omni teſtimonio carens veteris ævi. Tamen ſi ne ſua quidem domi potuerunt Medi defendere ab Aſſyriis, quantum fuerit eorum imperii ſpatium? Certe vicina quæque juris fuiſſe Aſſyriaci manifeſtum. Quamcunque ſane in formam Cteſiani ſe verterint, dicendum ipſis venit: aliquandiu floruiſſe per omnem Aſiam Aſſyriorum Imperium maximum, quod, etſi fuerit ipſo Olympiadum principio longe recentius, a nemine tamen ſit Scriptorum memoratum, qui tamen tenues ejus gentis res vetuſtiſſimas & procul remotas, magni per Aſiam Imperii titulo, venditarint. Quo nihil profecto eſt dictu abſurdius. Quid quod ipſe Scaliger *l.* 3. *Canon. Iſagogicor. p.* 314. fateatur, Eſaiam c. XIII. Aſſyriæ exitium minari a Medis. Bis ergo deleverint Aſſyrios Medi, quod nemo veterum dixit. Neque enim huc facit Oroſii illud, quod Scaliger laudat: *Exin Regum Aſſyriorum imperium in Medos conceſſit, deinde multis præliis undique, quæ per ordinem diſſerere nequaquam aptum eſt, per varios proventus ad Scythas Chaldæoſque, & rurſus ad Medos pari vi rediit.* Loquitur enim Oroſius tantum de fortuna inter Medos, Scythas, & Babylonios reciprocante, quam etiam Herodotus memoravit: ad Aſſyrios veteris gloriæ aliquid rediiſſe, ne quidem ille dicit.

Igitur ante Sennacharibum profecto a Medis res Aſſyriorum eſſe fractas,

Digitized by Google

ctas, procul eſt a vero. Dixeris tamen forte, mereri fidem Cteſiam. *Hic enim*, ut ait Diodorus, *e regiis membranis* (in quibus res antiquas Perſæ, juſſu legis cujuſdam, ordine deſcriptas habebant) *ſtudioſe indagavit ſingula, inque hiſtoriarum ordinem redacta ad Græcos tranſtulit.* Non diffiteor iſta profeſſum Cteſiam, atque hunc in modum ſeſe jactitaſſe. Fateor etiam iſtis maximis promiſſis homines doctiſſimos in fidem Cteſiæ adductos. At vero Ariſtoteles, homini ætate pene ſuppar, judicio certe maximus, fabulantibus illum annumerat. Verba ejus *l. 2. de Generat. Animal. cap. 2.* ſunt: Κτησίας γὰρ ὁ Κνίδιος ἃ περὶ τὸ σπέρματος τῶν ἐλεφάντων εἴρηκε φανερός ἐστιν ἐψευσμένος. Φησὶ γὰρ ἄτω σκληρύνεσθαι ξηραινόμενον, ὥστε γίνεσθαι ἠλέκτρῳ ὅμοιον. *Cteſias Cnidius in iis, quæ de ſemine elephantum dixit, manifeſto mendax eſt. Inquit enim ita denſari exſiccatum, ut electro fiat ſimile.* Item *l. 8. Hiſtoriæ Animal. c. 28.*: ἐν ᾗ τῇ Ἰνδικῇ, ὡς φησὶ Κτησίας, ἐκ ὧν ἀξιόπιστος, ἔτε ἡμέρος ἔτε ἄγριος σῦς. *In India, ceu dicit Cteſias, auctor non fide dignus, nec manſuetus eſt, nec ferus ſus.* Ejuſdem operis *l. 2. c. 1.* de mantichora Indica Cteſiæ fide cum non nihil eſſet narrandum, additur: εἰ δεῖ πιστεῦσαι Κτησίᾳ. Non alium videtur tangere Ariſtoteles etiam v. *Polit. c. 11.* cum narraſſet illa, de Sardanapali inter mulieres, putida converſatione, ſcribens: εἰ ἀληθῆ ταῦτα οἱ μυθολογοῦντες λέγουσιν. Princeps enim Cteſias videtur hoc Græcis narraviſſe, utpote qui Græcorum primus res Aſſyrias memoriæ tradidit poſt Herodotum, qui nihil tale habet de Sardanapalo. Non vero Ariſtoteles tantum ita ſenſit, ſed Cteſiam vanitatis arguit etiam gravis ſcriptor Plutarchus *in vita Artaxerxis.* In Æneæ Gazæi Dialogo confutaturus Axiotheus Apollonii Tyanæi fabulam de Indorum ſapientibus, quaſi illi noverint animarum ſuarum ante nativitatem variam fortunam, addit: ἔτε γὰρ Κτησίας πολλὰ καὶ μυθώδη περὶ τῶν Ἰνδῶν συνλεθεῖς, ἐδαμῶ τοῦτο μυθολογεῖ. Idem judicium eſt Photii, acerrimi cenſoris: qui, cum nobis Excerpta Cteſiana tranſmiſerit, invitos etiam lectores trahit in ſententiam: neque enim illis quidquam eſt vanius & mendacius. Idem olim judicaſſe merito dixeris Jubam, qui Aſſyriorum hiſtoriam perſecuturus Beroſum ſequi maluit, quam Cteſiam. Joſephus Scaliger *Notis ad Fragmenta Operi de Emend. Temporum ſubnexa p. 39.* ſic judicat: *Ineptum Græculum, modo Herodoto adverſetur nihil penſi habere: multa ab eo humanitus, multa etiam conſulto per ζηλοτυπίαν peccari, atque id non obſcure cognoſci ex Photii parietinis.* Ut proinde merito mireris, non dubitaſſe eundem Scaligerum hiſce verbis uti *l. 3. Canon. Iſagogic. p. 34.*

Digitized by Google

Medorum reges & annos ordine exponit Diodorus Siculus: ita ut regna aut annorum numerum alium ab hoc ſtatuere, hoc ſit inſanire; quum & numerum regum & annos ipſos conceptos haberent διφθέρας ſive κεφαλίδας Perſicas, in quibus omnes reges & geſta regum, tam Medorum quam Perſarum, perſcribi ſolita perhibet Diodorus. Itaque ab illis diſcedere, eſt hiſtoriæ præſcribere. Tanta nimirum confidentia ad unum Cteſiam διφθέρας Perſarum jactitantem provocare, non profecto convenit illi ſententiæ, paulo ante ab eodem pronunciatæ.

CAPUT II.

Cteſianam Medorum æram a Scaligero male ad Periodum Julianam eſſe collatam.

ANteaquam Cteſiam dimittamus, videtur etiam admonendum aliquid de illa Cteſianæ Medorum æræ ad Julianam Periodum collatione, quam Scaliger inſtituit. Finem ejus collocat anno 4162. initium 3841. Neutrum videtur eſſe ad Cteſiæ mentem. Neque enim Cteſias voluit, (ut ex Diodoro liquet) Aſtyagem aliquot annos una cum Cyro regia potitum fuiſſe dignitate: Scaliger tamen ultima Aſtyagis conjicit in Cyri annum Perſicum octavum. Non item Cteſias Aſtyagi annos adſcripſit quadraginta, quod Scaliger fecit ſine ullo teſtimonio. Certe per eſt veroſimile, a Cteſia tantum xxxv. annos Aſtyagi eſſe adſignatos. Si Cteſias vero annos Aſtyagis non protendit ultra initia Cyri, (quod veteres in annum I Olympiadis LV. remittunt) ſed in proximo illam præcedente terminat, finis imperii Medorum pertinebit ad annum Periodi Julianæ 4153. A quo ejuſdem regni annorum ſummam, quæ eſt ſecundum Cteſiam tantum CCCXVII, ſi retro computes, initium Medici Imperii incidit in annum 3837.

Latet error partim in quinque ſuppoſititiis Aſtyagis annis, partim, & quidem potiſſimum in eo, quod Scaliger loco certiſſimi argumenti habuerit, Cyaxarem Medorum Regem cœpiſſe anno ſecundo Olympiadis ſeptimæ triceſimæ. *Actum*, inquit, *l. 3. Canon. Iſagog. p. 314. tum de epocha Beli atque regibus Medis eßet, tum etiam de epocha Arbacis, niſi initium Cyaxaris haberemus, quem anno ſecundo Olympiadis* XXXVII *imperium iniiſſe, & Euſebius noſter & alii veteres auctores ſunt. Deprehenſo itaque Cyaxaris initio non ſolum Arbacis, ſed etiam Beli initium adipiſcimur.*

Digitized by Google

piſcimur. Jamdudum mendum apud Diodorum notavimus, apud quem legimus, Cyaxarem regnum iniiſſe anno 2. Olympiadis XVII, *quum legendum ſit* Ὀλυμπιάδος λξ *non autem* ιζ: *eſt enim error librarii non auctoris.* Videtur quidem Euſebius id dicere, quod ait Scaliger; poſſit tamen videri initium Cyaxaris in primam Olympiadis illius XXXVII collocare potius quam in alterum, ſi Latinum ſane videas Chronicon Euſebianum. Dixerit vero id Euſebius. Nondum certo tamen conſtat, vero etiam conſentaneum id eſſe, aut omnino tale, cui ſtatim tuto poſſis credere. Certe ipſemet Scaliger Euſebiana plerumque ſolet accuſare neglectæ τῆς ἀκριβείας, atque interdum perſtringit acerrime. Diodorus vero non loquitur de vero Cyaxare, Ayſtiagis patre, ſed de Dejoce, quem per μνημονικὸν ἁμάρτημα, ut arbitror, Cyaxaris appellat nomine. Certe Herodoti ille ſententiam recitat de tempore Medorum regni ſatis recte, tantum quod primum Regem appellet Cyaxarem, qui Dejoces eſt. Dejocem vero non quidem ſecundo, tertio tamen Olympiadis XVII cœpiſſe, omnino verum eſt: cum Cyri initium pertineat ad annum 1 Olympiadis quinquageſimæ quintæ, & Medorum regnum βασιλευτὸν duraverit annos CL. quod poſtremum docuit nos Herodotus.

Hinc ſimul liquet, nihil eſſe cauſſæ, quare verba Diodori contra exemplarium fidem mutemus cum Scaligero, & pro Olympiade XVII trecesimam ſeptimam ſubſtituamus. Verba omnia Diodori recitabimus, tantum prout illa vertit doctiſſimus Rhodomannus, ut clariſſima ejus fiat ſententia. *Herodotus ſane, qui Xerxis tempore floruit, Aſſyrios cum quingentis annis Aſiæ imperium antea tenuiſſent, a Medis ſubactos eſſe, tradit. Hinc per multas ætates nullum fuiſſe regem qui ſummum imperium ſibi vendicaſſet, civitatemque ſuo quamque loco populari ſub adminiſtratione ſe continuiſſe. Tandem poſt multorum annorum decurſum Cyaxares* (ait) *vir juſtitia inſignis a Medis ad regnum evectus fuit. Et hic primus vicinos Medis populos ſuæ ditioni ſubjunxit, ſummoque imperio initium dedit. Cujus poſteri ſubinde prolatatis in propinqua finibus regnum ampliarunt, ad uſque Aſtyagem: quem Cyrus cum Perſis bello edomuit. Quorum nunc ſumma tantum capita perſtrinximus, ſingula deinceps, ubi ad competentia illis tempora deventum eſt, ſtylo noſtro diligentius evoluturi. Nam ſecundo decimæ ſeptimæ Olympiadis anno, ut Herodotus tradit, Rex a Medis Cyaxares evectus eſt.* Hæc Diodorus.

Digitized by Google

CAPUT III.

Tempora regni Medici ab Herodoto tradita exacte cum Sacris historiis convenire, eoque veritati esse consentanea.

CTesiacis fabulis longe sunt, me judice, veriora, quæ de Medici regni temporibus habet Herodotus. Imò non dubito illa verissima pronunciare, quod exactissime conveniant cum monumentis Sacris, ad quæ, tanquam ad cynosuram, omnia sunt exigenda. Sed optimi viri, & historiæ Græcæ patris, sententia primum ab obscuritate est liberanda. Quod, nisi fallor, hunc in modum fieri potest. Herodotus *l.* 1. scribit: *Medos centum ac duo de triginta annos, omni supra Halym fluvium Asiæ dominatos, excepto tempore quo Scytha regnaverunt.* Idem testatur, Scythas Asiæ imperium obtinuisse annos viginti octo, Cyaxaris Medorum Regis ætate. Hinc consequens est, ab initio ad finem usque Asiatici Medorum imperii fluxisse annos centum quinquaginta sex. Cum vero, eodem teste, regnaverit Dejoces annos LIII, Phraortes XXII, Cyaxares XL, Astyages XXXV, qui anni collecti sunt tantum centum quinquaginta; necessum est sex reliqui fuerint ἀβασίλευτοι: quales aliquot Dejocis initia antecessisse, idem Herodotus narrat. Hos centum & quinquaginta sex annos si retro numeres, ab anno Julianæ Periodi 4154. qui primus est Cyri in regno Persico, incidit initium Reipublicæ Medorum, adeoque eorum ab Assyriis defectio, in annum Julianæ Periodi 3998.

Hæc temporum Medicorum historia pulcherrime cum Sacris nostris monumentis consonat. Primum enim illa testantur, maxime omnium floruisse rem Assyriorum, circa illa tempora, quando hæc ab Herodoto indicata Medorum defectio contigit. Florentissimas certe Assyriorum res indicant Teglatphulassaris, Salmanassaris, Sennacharibi gesta, in Sacris memorata. Ante Medorum vero defectionem potentissimum fuisse Assyriorum imperium, in id profecto consentiunt omnia scripta, etiam τῶν ἔξω, quotquot hanc rem attigerunt. Ex Sacris porro literis itidem manifestum est, Salmanassare Rege, hoc est, paulo ante defectionem, Medos non tantum paruisse Assyriis, sed & adeo aspere habitos, ut in eorum civitates Israelitarum colonias Assyrii deduxerint. Quæ ratio subjectionis

Digitized by Google

jectionis sane durissima est. Quid enim durius quam si cogaris agros & urbes tuas aliis incolendas tradere? Imo haud obscure colligere est, jam tum, id est, septennio ante defectionem, Medos Assyriis fuisse suspectos affectatæ libertatis. Inter artes enim tyrannicas est, isthuc colonias ducere peregrinas, ubi motus metuendi sunt. Nullum sane est dubium, coloniis illis novis Israelitarum, & quidem valde copiosis, irritatos Medorum animos, adeo ut ex eo maxime cœperint rebellandi occasiones quærere. Cumprimis huc facit, quod codices Sacri memorant anno, qui defectionem antecessit, Sennacharibum ingentem cladem passum, divina peste 185000 militibus una nocte amissis, nec multo post a duobus filiis in sacra æde interfectum esse. Tanta sane mala nunquam non in maximis imperiis motus atque seditiones civiles concitant, præsertim si qui potentiores male erga Rempublicam affecto sint animo: quo erga Assyrios non potuerunt non esse Medi adeo serviliter habiti, nec adeo pridem coloniis peregrinorum validis irritati.

In illud vero Sennacharibi tempus incidere hæc Medorum initia, certissimum ex Sacris est. Ut enim accuratior docet Israeliticorum temporum supputatio, quartus decimus annus Ezechiæ Judæorum Regis, quem signat clades illa divina & mors Sennacharibi, idem est cum Periodi Julianæ anno 3997. cui proximo defeciisse Medos, Herodotus perhibet. Quid? quod Herodoteo anno illo defectionis Medorum Sardanapalum, a quo Medos defeciisse vulgaris est fama, Assyriis imperasse, itidem Sacris nostris codicibus significetur. Referunt videlicet illi, Sennacharibo successisse filium Assar-haddon: quem LXX Interpretes Ασορδᾶν adpellant; hanc autem vocem peraffinem esse Sardanapali, nemo non videt. Et vero forte audiit ille Asardan-bal; ut Græcis facile fuerit inde suum Sardanapalum conficere. Nisi mavis Nabal a suis dictum per contemptum, Regem luxu & stultitia perditum. Deformitatem aliquam in nomine videtur & Cicero notasse *l. 3. de legibus*: *Sardanapalus ille vitiis multo, quam nomine ipso deformior.* Josephus Scaliger in *Animadversionibus Eusebianis p.* 59. notat, in manuscriptis nomen illud scribi *Sardanapallus*, *pallum* autem & *phallum* idem esse: ut nomen non minus fuerit obscœnum, atque vita.

Quod de Belesis Babylonii rebellione, Medorum defectionem comitante, refert fama, itidem fidem aliquam accipit ex Sacris literis nostris. Memorant quippe, Merodach Baladan Babyloniorum Regem, forte eodem, quo Sennacharibus interiit anno, ad Ezechiam, tanquam ad amicum misisse legatos, sci-

Digitized by Google

ſcitatum de prodigio retrogradæ ſolaris umbræ. Quis crediderit vero ad hoſtem Aſſyriaci imperii amicam adeo miſſam legationem, niſi ab eo, qui itidem in illam rempublicam malo erat animo? Certe præfectus aliquis Regis Aſſyriorum, integris Reip. rebus, non id fuiſſet auſus.

Denique id etiam haud parum confirmat Herodoti hiſtoriam, quod luculenter pateat ex Scripturis, poſt Sennacharibum illico decreviſſe horribilem illam Aſſyriorum potentiam. Non ſolet autem potentia tantum decrementum pati, niſi mutato Reipubl. ſtatu & defectione ſubditorum. Per Medorum autem defectionem magnam & primam jacturam paſſos Aſſyrios, certum eſt. Taceo nunc, quod quæ de Scythis, Ægyptiis, Babyloniis, Aſſyriis cum Medorum hiſtoria connectit Herodotus, Cteſias autem ſilentio præteriit, itidem conveniant plane cum hiſtoria Sacra, neque præter Cteſiacas fabulas ab Herodoto temere quid diſſentiat. Quod magnum veritatis argumentum eſſe, nemo prudens negaverit.

Ceterum hiſce omnibus expenſis, nihil ſupereſt dubii, quantum arbitror, tempora Medorum defectionis ab Herodoto recte aſſignata eſſe. Superpondii tamen loco addemus teſtimonia duo, alterum Dionyſii Halycarnaſſei, hominis κριτικωτάτου, alterum Joſephi, qui primus ſuorum ad hiſtoriam Sacram aliarum gentium annales contulit. Dionyſii verba ſunt *lib. 1. c. 2. Antiquitatum Romanarum: Antiquum illud Aſſyriorum Imperium retro ad fabuloſa uſque pertingens tempora, modicam quandam Aſiæ partem obtinuit: deinde in Medos translatum, & auctum etiam opibus, non longo duravit tempore, ſed in quarta ætate deſiit.* Hoc videlicet illud eſt, quod ſcribit Herodotus, imperium illud in rege quarto Aſtyage finem ſuum accepiſſe. Joſephus *libro decimo Antiquit. Judaicarum c. 3.* ubi de Ezechia agit: ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ συνέβη τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι.

Habent igitur ſeſe tempora Reipubl. Medorum ad Periodum Julianam comparata, quemadmodum in ſubjecto laterculo videre eſt.

Anni reipubl.	Anni periodi Jul.	Anni collecti.
1 ἀβασίλευτος	3998	1
6 ἀβασίλευτος	4003	6
1 Dejocis	4004	7
53 Dejocis	4056	59
1 Phraortis	4057	60
22 Phraortis	4078	81

1 Cyaxa-

Digitized by Google

1	Cyaxaris	4079	82
40	Cyaxaris	4118	121
1	Astyagis	4119	122
35	Astyagis	4153	156

CAPUT IV.

Post Medorum defectionem satis diu superfuisse Assyriorum rempublicam, idque recte ab Herodoto esse traditum, ex sacra historia demonstratur.

NUm defectione Medorum interierit statim omne Assyriorum imperium nec ne, jam ante diximus, itidem inter se dissentire Herodotum & Ctesiam. Prius narrasse Ctesiam, liquet ex Diodoro Siculo, qui late excidium illud ex Ctesia recenset *l.* 2. *Biblioth.* Quin videntur secundum Ctesiam Medi in omne Assyriorum imperium simul successisse. Posterius Herodotus memoravit. Nam principes Medos in libertatem sese asseruisse, eorum autem tantum exemplum, dein alios populos secutos: Medos porro solius suæ gentis libertate fuisse contentos usque ad Phraortem regem, h. e. per annos quinquaginta novem: Phraortem vero primum Persas, mox alium atque alium Asiæ populum Medorum imperio subjecisse. Ea vero potentia etiam tum adhuc floruisse Assyrios Nini incolas, ut Phraortes *expeditione adversus illos susceptâ secundo ac vicesimo quam regno potitus est anno, cum plerâque exercitus parte perierit.* Hujus filium Cyaxarem statim initio regni in paternæ necis ultionem Ninum urbem obsedisse; non tamen, nisi post Scythas deletos, circa ultima tempora Cyaxaris, admoto iterum exercitu, Ninum in Medorum potestatem venisse. Hæc omnia narrat Herodotus *l.* 1. ubi Medici regni gesta potissima recenset. Alibi in eodem libro satis clare significat, pene eadem tempestate bellum, quod inter Lydos & Medos erat exortum, Labyneti Babylonii regis interventu compositum esse: imo post Nini urbis interitum Babylonem a Nitocri regina operose demum munitam, suique juris mansisse ad Cyri usque tempora.

Etiam vero hanc Herodoti narrationem Ctesiacis illis longe esse veriorem, imo Ctesiaca illa omnia a vero esse alienissima, non minus luculenter ex Sacris literis discere est, quam illa de temporibus Medicæ defectionis. Etenim Medos in omnia Assyriaci imperii nunquam successisse (ut de

illo

Digitized by Google

illo dicam prius) argumento est, quod in Sacris nullum exstet vestigium Medorum potentiæ in Syriam trans Euphratem porrectæ, etsi de illarum regionum statu omni haud pauca commemorentur. Imo tradunt codices illi, Babylonios a Nabochodonasare usque ad Cyrum late per omnes illas terras in Ægyptum usque imperitasse. Nabuchodonosor certe Danieli audit c. 11. 37. *rex regum, cui Deus cæli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dederit.* Non corruisse porro illico cum Medorum defectione Assyriorum imperium, constat ex eo primum, quod Manasses Ezechiæ filius, Judæ rex ab Assyriorum exercitu captus, ac catenis vinctus Babylonem deductus sit, 2. *Paralipom.* xxxiii. 11. Manasses vero regnare cœpit anno Periodi Julianæ 4013, Medicæ defectionis xvi. Hinc sane discere est, Babylonem ipsam, quæ Mardokempado rege videtur Medorum exemplo defeciisse, sub jugum Assyriacum iterum rediisse, eoque Assyriis non tantum Cœlesyriam & Phœniciam, sed Mesopotamiam quoque & Chaldæam, postquam Medi jam dudum defecerant, paruisse. Quamdiu illa potentia duraverit, haud equidem dixerim. Manasses enim libertati restitutus, sui videtur fuisse juris, nulli fortassis amplius obnoxius, ut qui aluerit in omnibus Judææ munitis urbibus exercitum. Ne quidem posteri ejus imperio Assyriaco fuere subjecti, quantum liquet ex Sacris. Solum Josiam Manassis nepotem Assyrios, non nisi comiter tamen, observasse, colligere est ex illo, quod Ægyptiis in Assyrios ducentibus exercitum sese ac suos opposuerit. Neque enim aliam temere caussam conatuum Josiæ attuleris: ut patet ex verbis Nechi Ægyptii, 11 *Paralipom.* c. xxxv, 25. Id certum est, ultimo Josiæ anno, h. e. periodi Julianæ 4100. cum Assyriis ad Euphratem pugnare conatum esse regem illum Ægyptium, 11 Reg. xxiii, 29. *In diebus ejus ascendit Pharao Necho rex Ægypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphratem.* Ejusdem adhuc Josiæ regis ætate Zophonias Nini urbis excidium tanquam futurum prædixit. Verba ejus cumprimis sunt memoranda c. 11. 13. *Et extendet manum suam super aquilonem & perdet Assur, & ponet Niniveh in solitudinem & vastitatem sicut desertum. Et accubabunt in medio ejus greges, & omnes bestiæ gentium, etiam onocrotalus, etiam ericius in superliminaribus ejus commorabuntur: vox avis cantabit in fenestris, desolatio erit in postibus, quum cedrum ejus nudaverit. Hæc est urbs illa lætabunda, quæ habitabat confidenter, quæ dicebat in corde suo, Ego sum, & extra me non est alia præter me. Quomodo ergo facta est in desertum cubile bestiæ?*

Hæc

Hæc Propheta. Incidunt autem Josiæ tempora in ætatem regis Cyaxaris, a quo Ninum penitus excisam tandem esse, memorat Herodotus. Mirifice vero & Ezechiel cum Herodoti narrationibus consentit. Anno enim duodecimo (quem credibile est, esse captivitatis Jechoniæ, adeoque periodi Julianæ 4122) futurum interitum regni Ægyptii exemplo Assyrii jam excisi quasi confirmat. Verba ejus sunt c. XXXII. 22. *Ibi* (in inferno scilicet) *Assur & omnis multitudo ejus: in circuitu illius sepulchra ejus: omnes interfecti ceciderunt gladio, cujus sepulchra posita sunt in lateribus sepulchri: estque multitudo ejus per circuitus sepulchri ejus: omnes ipsi interfecti ceciderunt gladio, qui dederunt formidinem in terra viventium.* Est vero ille annus ab Ezechiele designatus, Astyagis quartus, atque ita quartus a Cyaxaris obitu, quem ultimis imperii annis Ninum evertisse, testis est Herodotus. Ezechiele adhuc proximior Herodoto est Jeremias, cujus hæc sunt verba capit. L. 18. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego visitabo regem Babylonis & terram ejus sicut visitavi Assur.* Contigisse nimirum hoc vaticinium anno quarto Zedechiæ, liquet ex capitis LI. versu 59. quartus autem Zedechiæ est periodi Julianæ 4115. & Cyaxaris trigesimus septimus. Quo confirmatur, hoc demum tempore Assyrium regnum funditus eversum esse: id quod & Herodotus docuit. Eum sane in modum eversam iri Babylonem, cernere est in capite L. Quid? quod ejus cladis, quam Medos passos esse ab Assyriis Phraorte rege, idem docet Herodotus, luculenta exstet memoria in Judithæ hagiographis? Sane c. 1. 6. legitur a Nabuchodonosore Assyriorum rege victum ingenti prælio Arphaxadum Medorum regem. Hunc autem non esse Dejocem, ut quidam volunt, argumento est, quod Dejocem solis Medis imperasse, nec in prælio ab Assyriis superatum, perhibeat Herodotus: Arphaxadus autem multas gentes imperio suo subjugaverit, & in prælio adversus Assyrios perierit, ut habet Judithæ historia. At de Phraorte Herodotus: *Phraortes solo imperio Medorum non contentus, bellum ante omnes intulit Persis, eosque primus in potestatem redegit. Quibus nationibus potitus, valida utraque, mox Asiam subegit, aliam deinceps atque aliam invadendo gentem, donec ad Assyrios oppugnandos pervenit; ad eos Assyrios, qui Ninum incolebant, quondam omnium principes, sed tunc a sociis per defectionem desertos, alioqui per se bene habentes. Adversus hos expeditione susceptâ Phraortes, secundo ac vicesimo quam regno potitus est anno, cum plerâque exercitus parte periit.* Quæ omnia Arphaxado pulchre conveniunt.

Digitized by Google

In uno dissensio est, quod Herodotus Ecbatanam scribat conditam a Dejoce, auctor historiæ Judith ab Arphaxado. Sed forsitan incepit Dejoces, Phraortes perfecit: sat frequens autem est scriptoribus, ut opus alii primo auctori, alii illi, qui ultimam imponit manum acceptum ferant. Est autem annus ultimus Phraortis periodi Julianæ 4078. Josiæ regis Judæorum nonus. Quo tempore a populis etiam Syriæ, Mesopotamiæ, Ciliciæ & Phœniciæ Assyrios fuisse per defectionem desertos, clare itidem loquitur Judithæ liber: *Tunc*, inquit *c. 1. 7. exaltatum est regnum Nabuchodonosor & cor ejus elatum est, & misit ad omnes qui habitabant in Cilicia & Damasco, & Libano, & ad gentes quæ sunt in Carmelo & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, & omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ. Ad hos omnes misit nuncios Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui omnes uno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abierunt. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex ad omnem terram illam, juravit per thronum & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Ceterum post cladem illam Medorum Assyrii veteris potentiæ jura acerrime iterum vindicarunt, per Holofernem ducem; ut hagiographa illa luculenter narrant. Quin verosimile est, hinc ortum esse cultum illum, quo multis post annis Assyrios adhuc prosequutus est Judæorum rex optimus Josias.

Indubie vero brevi rursum defecit rediviva Assyriorum illa potentia, turpi fuga Holofernis, exercitu Palæstinam relinquente, & Scytharum illa inusitata felicitate in Ægyptum & Palæstinam usque excurrendi, quam memoriæ commendavit nobis unus Herodotus *l.* 1. præterquam quod indicia quædam ejus in Sacris etiam, apud Jeremiam & Ezechielem præcipue, reperire sit. Accessit, post Scythas, Cyaxaris isthæc potentia eximia, qua potuit ipsam Ninum tandem excindere, teste Herodoto. Cum excidio autem tam vastæ urbis simul funditus quoque eversum esse imperium Assyriorum, nemo est, qui dubitet. Contigit autem ille Nini interitus ultima Cyaxari ætate, ut ex Herodoto haud obscurum collectu est. Labascentis Assyriorum potentiæ circa annum Nabonassareum CXL. argumentum est, Babylonici pariter & Ægyptii regni per illa tempora ingens robur. Etenim Sacræ nos historiæ docent, ausum tum Nechum Ægyptium omnia, quæ juris erant Assyriaci cis Euphratem, sibi subjicere. Sic & Nabuchodonosarem Babylonium Assyriis obnoxium non fuisse,

ex

Digitized by Google

ex Sacris, ut & aliis, qui ejus meminerunt ſcriptoribus, perſpicuum eſt.

Verum de ſtatu Aſſyriorum poſt Medicam defectionem plus ſatis forte dictum eſt.

CAPUT V.

Herodoti de Medici regni temporibus narrationes conſentaneas etiam eſſe antiquiſſimis finitimarum gentium hiſtoriis.

TEmpora & fortunam Medici regni recte ab Herodoto deſcripta eſſe, ex iis, quæ attulimus in medium, ſole clarius eſt. Ne quis tamen putet, tantum Sacræ hiſtoriæ auctoritate fidem omnium ſtare, argumenta veri ex Syriorum, Babyloniorum, Ægyptiorum aliorumque populorum antiquiſſimis annalibus addemus.

Primum autem, Aſſyriorum imperium paulo ante Medorum illam ab Herodoto indicatam defectionem, non tantum fuiſſe ſuperſtitem, ſecus quam tradidit Cteſias, ſed omnino maxime tum floruiſſe demonſtrabimus. Salmanaſſaris potentiam ex Tyriorum annalibus hiſce verbis narrat Menander Epheſius apud Joſephum *l.* IX. *Antiquit. c.* XIV. Καὶ Ἐλουλαῖος ὄνομα, ἐβασίλευσεν ἔτη τριάκοντα ἕξ, οὗτος ἀποστάντων Κιττάιων, ἀναπλεύσας, προσηγάγετο αὐτοὺς πάλιν. ἐπὶ τούτοις πέμψας ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, ἐπῆλθε Φοινίκην πολεμῶν ἅπασαν. ὅς τις σπεισάμενος εἰρήνην, μετὰ πάντων ἀνεχώρησεν ὀπίσω. ἀπέστη τε Τυρίων, Σιδῶν καὶ Ἄρκη καὶ ἡ Παλαίτυρος, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἱ τῷ τῶν Ἀσσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. διὸ Τυρίων οὐχ ὑποταγέντων, πάλιν ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοὺς ὑπέστρεψε, Φοινίκων συμπληρωσάντων αὐτῷ ναῦς ἑξήκοντα, καὶ ἐπικώπους ὀκτακοσίους, αἷς ἐπιπλεύσαντες Τυρίοι ναυσὶ δεκαδύο, τῶν νεῶν τῶν ἀντιπάλων διασπαρεισῶν, λαμβάνουσιν αἰχμαλώτους ἄνδρας εἰς πεντακοσίους. ἐπετάθη δὴ πάντων ἐν Τύρῳ τιμὴ διὰ ταῦτα. ἀναζεύσας δ' ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς. κατέστησε φύλακας ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ καὶ ὑδραγωγῶν, οἳ διακαλύσουσι Τυρίους ἀρύσασθαι, καὶ τοῦτο ἔτεσι πέντε γένομενον ἐκαρτέρησαν πίνοντος ἐκ φρεάτων ὀρυκτῶν. *Is deinde qui Elulæus nominabatur regnavit annos triginta ſex. Hic deficientes Cittæos cum claſſe eo profectus ſub imperium ſuum retraxit. Contra quos miſſo exercitu Aſſyriorum rex Phœnicem totam invaſit: facta deinde pace, cum copiis domum reverſus eſt. Paulo poſt Sidon, Arce, Palætyrus cum multis aliis oppidis a Tyriis ad Aſſyriorum regem defecerunt:*

runt: Et cum ſoli Tyrii facere ejus imperata detractarent, reverſus eſt contra eos cum ſexaginta navibus, quas Phœnices inſtruxerunt, impoſitis & octingentis remigibus. Quibus occurrentes Tyrii, cum duodecim navibus diſjecta hoſtili claſſe, quingentos ex ea captivos abduxerunt, quo facinore non mediocrem rei navalis gloriam ſibi comparaverunt. Revertens autem rex Aſſyrius cuſtodes ad fluvium & aqua ductus diſpoſuit, qui aquari Tyrios prohiberent: quod cum per continuos quinque annos fieret, coacti ſunt effoſſis puteis inde ſe ſuſtentare. Hæc omnia Tyriorum annales.

Sennacheribi in Aſiam & Ægyptum expeditiones commemoravit Beroſus Chaldæus apud Joſephum *l.* x. *c.* 1. Sed ipſa verba Beroſi exciderunt. Joſephus ita loquitur: Βηρωσὸς δ' ὁ τὰ Χαλδαϊκὰ ἐγγραψάμενος, μνημονεύει τε βασιλέως τε Σεναχηρίβε, καὶ ὅτι τῶν Ἀσσυρίων ὑπῆρχε, καὶ ὅτι πάσῃ ἐπεστρατεύσατο τῇ Ἀσίᾳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ, λέγων ἅτως. *Beroſus autem Chaldaicarum rerum ſcriptor Sennacheribi regis meminit; & quod apud Aſſyrios regnaverit, totamque Aſiam atque Ægyptum bello infeſtaverit, his verbis narrat.* Ex Ægyptiorum ſacerdotum narrationibus refert Herodotus *l.* 12. hujus Sennacheribi, quem Aſſyriorum & Arabum regem adpellat, validam expeditionem in Ægyptum.

Porro cum Sardanapalo non defeciſſe Aſſyriorum regnum, teſtis locuples eſt etiam Caſtor Rhodius, Joſepho, Africano, Euſebio, Patinio & aliis laudatus chronographus, quem libros duos de Babylone, unum de Nilo, unum χρονικῶν ἀγνοημάτων, unum de iis, qui imperio maris ſunt potiti, edidiſſe, auctor eſt Suidas. Liber ille de temporum ignoratione forte dictus eſt Canon, & ex eo deprompta illa, ſive Julii Africani, ſive Euſebii, quæ habentur in Græcis Euſebianis Scaligeri *pag.* 38: Ἕτεροι φασὶ (verba Euſebiana ſunt) μετὰ Σαρδανάπαλον κρατῆσαι τῆς Ἀσσυρίων ἀρχῆς Νίνον. ὡς πᾶ καὶ Κάσιος ἐν τῷ κανόνι αὐτᾶ φησὶν ὧδε. Πρώτους μὲν εἶναι τᾶς Ἀσσυρίων βασιλεῖς πατετάχαμμον, τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Βήλε πεποιημένους, τῶν δὲ τὰ τῆς βασιλείας αὐτᾷ ἔτη μὴ παραδεδόσθαι σαφῶς, τᾷ μέν ὀνόματος μνημονεύομεν, τὴν δ' ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας ἀπὸ Νίνε πεποιήκαμεν, καὶ κατηγάγομεν ἐπὶ Νίνον τὸν διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν παρὰ Σαρδαναπάλε. Idem fortaſſe teſtati ſunt illi, quibus auctoribus Africanus prodidit, Aſſyrios quadraginta unum reges habuiſſe, eorumque imperium duraſſe annos mille quadringentos & octoginta quatuor. Quinque enim illi reges & annos centum viginti quatuor plures, quam Cteſias numerarunt.

Non

Digitized by Google

Non in omnia porro Assyriorum successisse Medos, sed saltim Babylonios latissime dominatos esse omni Syriæ, non minus fere ex Berosi, Megasthanis, Alexandri Polyhistoris fragmentis est discere, quam ex codicibus Sacris. Pertinent enim huc illa Berosi de Nabuchodonosare, ejusque posteris, quæ recitat Josephus *l.* x. *Antiq. c.* 12. & *l.* 1. contra Apionem, ut & quæ Abydenus habet ex Megasthene apud Eusebium *l.* IX. προπαρασκευῆς *c.* 41. quæ denique ex Alexandro Polyhistore idem Eusebius recitat *l.* IX. *cap.* 39.

De tempore quoque eversæ Nini haud multum ab Herodoto, plurimum vero a Ctesia dissentit Josephus. Libro quippe IX. *Antiquit:* c. XI. Naumi Prophetæ de Nini excidio vaticinium, centum quindecim annos post regem Jothamum eventu ait esse comprobatum: quod tempus cum primordio Cyaxaris convenit, qui tamen sub finem demum vitæ Ninum destruxit.

Cum Herodoto præterea facere Josephum, ut & Dionysium Halycarnasseum de tempore Medicæ defectionis, jam tum supra dictum est. Licet vero addere & Vellejum Paterculum. Ille enim *l.* 1. *c.* 6. ita loquitur: *Insequente tempore imperium Asiaticum, ab Assyriis, qui id obtinuerunt annis mille septuaginta, translatum est ad Medos, ab hinc annis ferme septingentos septuaginta.* In hunc modum enim habent constanter codices cum typis excusi, tum manuscripti, non vero DCCCLXX. ut Lipsius & Scaliger legendum censent. Edidit autem historiam suam Vellejus Marco Vinico Consule, h. e. (ut Fasti Consulares monstrant) anno periodi Julianæ 4743, a quo retro si numeres annos septingentos septuaginta, pervenis quidem ad annum periodi ejusdem 3973, qui viginti quinque tantum annis defectionem antecessit: attamen ipse quoque Vellejus satis significat, justo longius esse intervallum illud inter Vinici consulatum, & Medorum initia, eoque diserte tot *ferme* annos effluxisse scribit.

Magnum postremo veritatis argumentum est, quod posita Herodoti sententia de tempore defectionis Medicæ, longe magis vero appareant consentanea, quæ de Assyriaci imperii duratione passim traduntur, quam si Ctesiæ fabulis inhæreas. Verum hoc seorsum demonstrare fortassis fuerit haud absque operæ pretio.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Epocham aliaque ampliſſimi Aſſyriorum imperii definire ob ſcriptorum veterum diſcordiam, difficile quidem eſſe, aliquid tamen de illis colligi poſſe ex Hiſtoria ſacra.

INitio Medici regni conſtituto, Aſſyriorum tempora digeri certius poſſunt, utpote quum Medicum initium quaſi regat horum ἀποχήν. Omnes enim pene Aſſyriaci imperii tempora ad Medorum defectionem uſque numerant.

Numerant vero alii aliter. Eoque primum narrationes potiores recenſebimus. Herodotus *l.* 1. inquit: *Aſſyriis annis quingentis viginti ſuperiorem Aſiam obtinentibus, primi Medi ab ipſis deficere cœperunt.* Diodorus Siculus *l.* 11. *c.* 15. *Ad eum prope modum & ceteri reges ad XXX hominum ætates per ſucceſſionem paternum imperium adminiſtrarunt ad Sardanapalum uſque, cujus tempore Aſſyriorum imperium, cum annos ↀIↃ CCC LX (ut Cteſias Cnidius libro ſecundo tradit) duraviſſet, ad Medos devolutum eſt.* Idem c. 28. *Hoc ergo modo Aſſyriorum imperium, quod a Nino ad trigeſimam uſque progeniem ↀIↃ CCCC, amplis annos ſteterat, a Medis everſum eſt.* Sed poſteriore hoc loco indubie irrepſit nota unius centenarii, adeoque ſcribendum eſt ↀIↃ CCC. Juſtinus Trogi epitomator *l.* 1. *Imperium Aſſyrii, qui poſtea Syri dicti ſunt, annos ↀIↃ CCC tenuere. Poſtremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior.* Vellejus Paterculus *l.* 1. *Inſequenti tempore imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis mille ſeptuaginta, translatum eſt ad Medos.* Cephalion neſcio quis in Euſebianis Græcis Scaligeri *p.* 30. ubi Nini Semiramidis filii meminiſſet, addit: καὶ τῶν λοιπῶν εἰς χίλια ἐτῶν ἀριθμὸν ἦρχον παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος τὴν ἀρχήν. Proxime autem hic convenit cum Vellejo, utpote quum mille annos velit a ſucceſſoribus Nini & Semiramidis regnatum eſſe. Euſebius in chronico Latino *edition. Scaligeri p.* 111. *Uſque ad id tempus fuiſſe reges Aſſyriorum hiſtoria refert. Et fiunt ſimul anni M CXCIIX. Omnes autem regni Aſſyriorum a primo anno Nini ſupputantur MCC XL.* In ejuſdem Græco chronico, Julio Africano auctore, adſcribuntur imperio Aſſyriaco anni ↀIↃ ↀↀↀC LXXXIV. Joſephus Scaliger ab initio Beli ad Sardanapali obitum

Digitized by Google

obitum colligit annos M CCCC LXXXIV. Mitto aliorum dissonas sententias.

Non minor autem est dissensio & de Imperii illius cum amplitudine, tum regum numero. Etenim Africanus quadraginta unum, Eusebius triginta sex recenset. Vellejus Paterculus: *Sardanapalum tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide natum*, refert. Cephalionis verba sunt: Τὰς δ' βασιλεῖς εἴ τις ἐιδῆσαι βάλεται, Κταισίας ἐστιν ὁ λέγων τὰ ὀνόματα αὐτῶν, ϰ οἶμαι ϰαὶ γ. Diodorum audivimus jam tum; imperium illud ad triginta hominum ætates, item ad trigesimam usque progeniem durasse. Idem Sardanapalum appellat a Nino trigesimum. Scaliger tamen a Diodoro vult agnosci reges triginta quinque, eoque corrigendum ultima illa, & scribendum Σαρδαναπάλῳ δὲ τριάκοσος ϰαὶ πέμπτῳ, quoniam ita legerit Eusebius. Et sane legitur ita in Græcis Eusebianis Scaligeri p. 29. l. 49. attamen cum alibi etiam, & bis quidem, non nisi triginta reges habeat Diodorus, verisimilius est, nihil mutandum in tertio isto loco, & in Eusebiana perperam illud ϰαὶ πέμπτῳ, præterque Diodori mentem irrepsisse. Consuli tamen Scaliger potest, si ita libet, *Notis ad Eusebiana p.* 254. *Libro* 3. *Canon. Isagogicor. p.* 281. *& p.* 312.

Porro idem Diodorus ita narrat, quasi a Nino & Semiramide omnia Asiæ a Tanai usque ad Nilum, præter Indiam, fuerint domita, quasique tam latum imperium ad posteros constanter propagatum primum in Sardanapalo defecerit. Idem & alii nonnulli memorant. Herodotus vero Asiaticum illud imperium restringit ad solam Asiam superiorem. Hunc sequitur Dionysius Halycarnassensis *l.* 1. *c.* 2. *Antiquum illud Assyriorum imperium retro ad fabulosa usque pertingens tempora, modicam quandam Asiæ partem obtinuit: deinde in Medos translatum, & auctum etjam opibus non longo duravit tempore. Persæ porro Medis devictis, Asia quidem pene tota tandem potiti sunt, ceterum Europæas etiam gentes bello tentare ausi, non multum profecerunt.*

In tanta scriptorum discordia verum a falso discernere, quam sit difficile, nemo non videt. Indubie tamen illa sunt verissima, quæ sacris historiis magis sunt consentanea. Produnt autem illæ, principem filium Chusi Chamique nepotem Nimrodum cœpisse potentem esse in terris. *Fuit autem*, (inquit Mos. Genes. x.) *principium regni ejus Babylon & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur & ædificavit Ninivem, & plateas civitatis, & Chale, Rasin quoque inter Ninivem & Chale, hæc est civitas magna.* Est autem Sennaar

naar regio Babylonica, Σενααὲ τῆς Βαβυλωνίας dicta etiam Heſtiæo Mileſio apud Joſeph. *l.* 1. *Antiq. c.* 7. Atque ita omnes Nimrodi urbes unius illius regionis ambitu fuerunt definitæ. Et vero Arach videtur eſſe Aracca, urbs a Ptolomæo in Suſiana collocata; Chalanne Calliniſum oppidum ad Euphratem, Ammiano etiam memoratum *l.* 23: nec inſcite creditur ab Acad Acabenen dictam, corrupte tamen pro Acadene. Hoc regnum itaque Sennaar ſeu Babylonium, Nimrodo auctore, eſt a diluvio inter magna antiquiſſimum, indubie tamen recentius, utut haud multum, gentium diſperſione & confuſione linguarum. Inſequenti demum tempore cœpit Aſſur (incertum Semi filius, an unus poſterorum Nimrodi, an denique populus Aſſyriorum) Nino aliiſque urbibus exſtructis novum regnum in Aſſyria circa Tigrim amnem condere. A Chale enim videtur regio Calachæna, Straboni memorata *l. XI, & initio XVI.* ut Reſin audit Reſaina, Ammiano *l. XXIII.* Ceterum quo demum tempore cœperit illud Aſſyrium regnum, in Sacris haud definitur. Etſi enim ſtatim poſt Nimrodum recitetur Aſſur, familiare tamen Sacris eſt ſcriptoribus, ut & aliis, connectere hiſtorias rerum magno temporis intervallo ſeparatarum.

Abrahami ætate, anno circiter periodi Julianæ 2794, certum eſt, per Syriam nihil valuiſſe Aſſyrios, ſed ſuperfuiſſe etiam tum Babyloniorum regnum, ut tamen latiſſime tum imperaverint Elamitæ. Sunt enim Elamitæ illi, qui Elymei alias uſurpantur, Medis contigui apud Strabonem *l.* XVI. Plinium *l.* V. *c.* 26. & 27. Livium *l.* XXXVII. adeoque trans Tigrim habitarunt: & tamen horum regi Cedar-Laomari ſervierunt aliquamdiu reges Sodomæ & Gomorræ, Geneſ. XIV, 4. Ut proinde, quidquid a Medorum finibus uſque in Palæſtinam porrigitur, Elamitis tum videatur paruiſſe. Comprehenditur vero illo ſpacio etiam Aſſyria. Forte igitur tum nondum inſtitutum erat regnum illud. Certe ſi jam cœpit, veroſimile eſt Elamitis paruiſſe.

Numeror. XXIV, 22. ait Bileam de Cinæis: *Aſſur capiet te.* Indubie igitur tum jam ortum erat Aſſyriorum regnum. Ceterum potentiam illius imperii trans Euphratem ſeſe haud porrexiſſe aliquammultis poſt ſeculis, & quidem ante Iphiti fortaſſis æram, argumento eſt, quod ejus imperii cis Euphratem nulla vel minima fiat mentio in Sacra hiſtoria ante regem Phul, quæ tamen defectionem Medicam tantum quinquaginta circiter annis præceſſit. Meſopotamiæ itidem illos haud imperaſſe anno periodi Julianæ 3288, liquet ex libro Judicum *cap.* III, 8. ubi Chuſanri-

Digitized by Google

ſanriſathaim Meſopotamiæ rex ea ſcribitur fuiſſe potentia, ut Iſraelitas, ſatis longe diſſitum populum, integros octo annos ſervire ſibi fecerit. Eandem ſui adhuc juris fuiſſe ætate Davidis, haud obſcure patet ex iis, quæ narrantur 1 Paralipom. XIX. Imo videntur ultimo demum tempore, Phulle fortaſſis rege, Meſopotamiæ potiti Aſſyrii. Ita enim inter alia loquitur Sennacheribi legatus II Reg. XIX, 12. *Numquid liberaverunt dii gentium ſingulos quos vaſtaverunt patres mei, Gozam videlicet & Haran, & Reſeph, & filios Eden qui erant in Thalaſſar?* Haran ſane eſt notiſſima Meſopotamiæ urbs Charræ.

CAPUT VII.

Quæ Herodotus aliique Herodoti ſectatores de Aſſyriaci regni fortuna & exordio prodiderunt, quam optime cum Sacris hiſtoriis convenire; quæ Cteſias autem, & ex illo habent alii, fabuloſa eſſe.

HIs poſitis, non adeo forte difficile fuerit de illis diſcordibus ſententiis ſcriptorum aliquid certi affirmare. Primo enim id utique jam ſole eſt clarius, fabuloſum eſſe, Aſſyrios a Tanai ad Nilum & Indos, atque per omnem Aſiam, mille trecentis amplius annis imperium tenuiſſe. Salmanaſſaris & Sennacheribi regum ductu auctum per omnem Syriam Aſſyriorum imperium, nemo negaverit. Verum hæc felicitas tantum fuit ultimorum temporum; paulo poſt Medica defectione ſubſequente. Num primus Nini urbis conditor bello per omnem Aſiam fuerit graſſatus, eamque ſubjicere ſibi tentaverit, incertum arbitror. Certe ſi tempora ejus ad ætatem Nimrodi accedunt, nihil eſt in Sacris monumentis, unde illam famam vel convellas, vel affirmes. Ex adverſo videtur, omne illud de præclare geſtis Nini & Semiramidis, ad Græcos per Cteſiam deveniſſe. Ex hoc uno ſane omnia deſcripſit Diodorus Siculus: Herodotus non tantum nihil horum habet, ſed plane alia. Quis autem fabuloſo, imo mendaciſſimo ſcriptori fidem tuto commodet? Si ſane Ninus, ut fama eſt, gentes Aſiaticas perdomuit, non tamen magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmavit. Multis enim ſeculis omnem Syriam, etiam illam, quæ Aſſyriis finitima maxime eſt, ſui juris fuiſſe, certe haud paruiſſe Aſſyriis, ex Sacris codicibus fecimus manifeſtum.

Digitized by Google

Quantum patuerit per Asiæ reliqua imperium Assyriorum, aut quamdiu invaluerit illorum potentia, itidem affirmari haud posse existimo. Plato in *Epinomide*, Trojanum Phrygum regnum scribit, partem fuisse Assyriorum in Nino monarchiæ per Asiam. Trojæ vero excidium contigit, secundum Scaligerum, circa annum periodi Julianæ 3530. h. e. quadringentis sexaginta circiter annis ante Medicam defectionem. Scribit autem hoc Plato fortassis fide Ctesiæ æqualis sui. Namque ex Ctesia idem narrat Diodorus *l.* 1. *cap.* 22. sed ita, ut Ægyptiorum historiis coarguat Ctesiæ fabulas de subsidio Trojanis ab Assyriis misso. Nihil vetat tamen, quin credamus cum Dionysio Halycarnassensi, Assyrios *modicam Asiæ partem*, aut cum Herodoto, quem Dionysius omnino sequitur, superiorem Asiam annos DXX tenuisse ante Medorum defectionem. Non assenserim tamen illi, quod de suo adjecit Dionysius, per Medos auctum imperium. Neque enim illi in Babylonios aut cis Euphratem potentiam extenderunt: quæ tamen omnia fuerunt in ditione Assyriorum saltim ab ævo usque Salmanassaris.

Tempora Assyriaci imperii illius, quod superiore Asia fuit circumscriptum, certo definire in illo scriptorum dissensu haud licet. Etenim de rebus Transeuphratensibus, multo magis de remotioribus, rara est in Sacris memoria, eoque nihil est ad quod tanquam ad regulam exigas dissensiones. Herodotus tamen quod adfert a vero non est alienum: nempe annos quingentos viginti ante Medorum defectionem Asiæ superioris imperium penes Assyrios fuisse. Incideret vero, illo auctore, epocha regni illius Assyriaci in periodi Julianæ annum 3478. adeoque pene in tempora expeditionis Argonauticæ. Haud inquam a vero illa sunt aliena, si de imperio per superiorem Asiam loquaris: diu alias autem ante condidisse aliquod regnum Assyrios, exstructis urbibus maximis, certum est.

Quæ Cephalion & Vellejus Paterculus habent de mille & quod excurrit annis, fortassis per errorem ex Ctesiacis sunt descripta. Ctesias videlicet tradiderat, ut habet Diodorus, ultra mille annos imperium jam Assyrios tenuisse, cum bellum Trojanum oriretur: id forte per incuriam, minime tamen tolerandam, ad Medicam defectionem est translatum. Cephalionem sane pessima fide aliorum scripta tractasse, vel pauca illa, quæ ejus nomine supersunt in Eusebianis, magno sunt documento. Quale enim illud est, quod non dubitavit Herodotum quoque in testem citare rerum a Nino & Semiramide gestarum? Verum est tamen mendo laborare Cephalionis fragmentum: namque eodem loci scribit: Χιλίων δ' ἐτῶν

Digitized by Google

ἐτῶν ἀπὸ Σεμιράμεω εἰς Μητρᾶσον βασιλέα ἂν ἀριθμεῖτο, περιτελομένων Μηδέα Κολχὶς ἀνεχώρησεν Αἰγέως. Huic addit ſucceſſiſſe Teutonum, quo tempore bellum Trojanum ſit geſtum.

Diodorus indubie tempora imperii Aſſyriaci fide Cteſiæ tradidit. Incidit vero epocha illa, ſi Medicam defectionem cum Herodoto colloces, & numeres annos mille trecentos ſexaginta imperii Aſſyriaci, in annum periodi Julianæ 2638. qui eſt ætatis Peleg, adeoque confuſionis linguarum CXIIX. Quo tempore Ninum urbem conditam aut imperium aliquod Aſſyriorum cœpiſſe, late per Aſiam factis excurſionibus, non eſt vero abſimile. Quod ſi autem Cteſiam ſequare in temporibus defectionis Medicæ, adeoque colligas retro annos illos Aſſyriacos ab anno periodi Julianæ 3827. incidis in ejuſdem periodi annum 2467. qui natalem Peleg antecedit annis 53. Id quod a vero alienum eſt: conſtat quippe, ante linguarum confuſionem non eſſe conditam Babylonem, Babylone vero Ninivem eſſe poſteriorem. Ut proinde etiam ita pateat, juſto longius Medorum tempora Cteſiam produxiſſe.

Cum Cteſia fecit & Trogus Pompejus, etſi ejus epitomator Juſtinus, ut rotundum numerum exprimeret, ſexaginta annorum haud meminerit. Quod Euſebius vero tantum CIↃ CC LX. ſupputaverit, fide unius Caſtoris eſt factum, ſi credimus Georgio apud Scaligerum in *Animadverſionibus ad Euſebium pag.* 59. Annumeravit tamen Caſtor iſti imperio Aſſyriaco annos tantum M CC LXXX. Ceterum nihil ſuppetit quo vel refellas hunc, & illum vel defendas.

Julius Africanus vero quæ tradit, nimium quantum a vero abludunt; ut qui in Medicis temporibus Cteſiam quoque ſit ſequutus. Longe ſane ultra diluvium ita excurrit Aſſyriaci imperii initium. Fortaſſis vero ille ſecutus eſt aliquem auctorem, qui annos illos Aſſyriacos definierit ultimo Nini urbis excidio, quod cum ultima Cyaxaris ætate convenit. Eſto ergo ultimus Aſſyriacus ſecundum illum computum annus periodi Julianæ 4118. primus fuerit 2641. qui eſt confuſionis linguarum CXXI. In hunc modum profecto ſi inſtituas computum, proxime acceſſeris ad illa paulo ante a nobis allata, neque aliqua in multitudine annorum fuerit abſurditas.

Scaligeri porro ratio, cum ultra diluvium itidem excurrat, non eſt quod nos moretur.

Id dignum eſt obſervatu, videri Æmilium Suram in temporibus regni Medici ſecutum Herodotum, in Aſſyriacis autem proxime ad nume-

Digitized by Google

rum Cteſiacum accedere. Canonion ejus neſcio qua manu Paterculo inſertum ita ſeſe habet: *Aſſyrii principes omnium gentium rerum potiti ſunt, poſtea Perſæ, deinde Macedones; exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo poſt Carthaginem ſubactam devictis, ſumma imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus & initium Nini regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni mille nongenti quinque.* Joſephus Scaliger *l. 3 can. Iſagogic. p. 313.* verba Suræ recitat, tanquam ille numeraſſet annos MDCCCCXCV. at profecto totos illos nonaginta annos addit de ſuo, contra quam habent codices Vellejani. Suram quoque perperam accipit, quaſi annos putaverit, ad everſam a Scipione Carthaginem; cum tamen ille loquatur de fine regni Macedonici, utpote quo uno iſta imperii gentium poteſtas ad Romanos quaſi devenerit. Nec vero ille meminit everſæ, ſed ſubactæ Carthaginis: quorum hoc bello Punico ſecundo, illud tertio contigit. Eſt autem ultimus Macedonici regni annus periodi Julianæ 4545. ultimus ſcilicet etiam Perſei, qui, cum Philippo ſucceſſiſſet, meruit ut hujus anni Philippicis annecterentur. Quod ipſum factum quoque eſt a Polybio, numerante ab initio Philippi annos LIII. ad finem regni Macedonici. Excluſo autem anno periodi Julianæ 4546. ſi retro numeres annos mille nongentos quinque, initium Nini incidit in annum ejusdem periodi 2641. illum ipſum, quem modo collegimus, putantes tempora Aſſyriaci imperii cum ultimo Cyaxaris, quo præter propter videtur Ninus exciſa.

CAPUT VIII.

Regum Aſſyriorum nomina pleraque incertæ eſſe fidei.

REgum Aſſyriorum nomina primus forte Cteſias ad Europæos tranſmiſit. Certe a Cteſia memorata eſſe nomina, teſtatur Diodorus *l. 2. c. 22.* & Cephalion *in Euſebianis.* Recenſuerat autem tantum triginta, ut refert Diodorus. Cephalion, dubitanter tamen, ſcribit tradita Cteſiæ nomina regum viginti trium. Forte vero numerus eſt mendoſus, ſcribendumque κ οἵμαι ἡ λ: eodem enim loci a Cephalione rex viceſimus ſextus Aſſyriorum refertur in tempora Argonautica. Unde Cteſias illa ſit nactus, incertum; procul dubio autem eadem fide tradidit qua cetera, hoc eſt, nulla, vel vehementer dubia. Hæſiſſe ipſummet in hiſce, vel

Digitized by Google

vel ex eo apparet, quod in fragmentis apud Photium ſcribat, Sardanapalum ab aliis Anacindaraxis, ab aliis Anabaxaris filium cenſeri.

Julius Africanus, quæ dedit nomina, num eadem ſint cum Cteſiacis, haud dixerim: imo veroſimile eſt, eſſe diverſa & prorſus alia. Totos enim undecim reges numerat ille præter Cteſiam. Primus porro illi eſt Belus, de quo nihil Cteſias, ultimus Monos concoleros, quod nomen cum Sardanapali voce nihil commune habet.

Ex Julio Africano ſua deſumpſit, ſed ex ingenio interpolata, Euſebius; ex hoc Jornandus aliique deſcripſerunt, librariorum tamen culpa plurimum mutata & deflexa in prorſus alia. Unde vero acceperit Africanus, latet.

Id notandum, non apparere illo in catalogo nomina Aſſyriorum regum Sacris literis memorata. Et tamen tantæ olim fuere iſthæc famæ, ut Salmanaſſaris nomen in Tyriorum annalibus ætate Joſephi fuerit ſuperſtes, Sennacheribi hodieque ex ſacerdotum Ægyptiorum παραδόσει apud Herodotum reperiatur.

Ut fatear quod ſentio, regum illorum cum nomina, tum anni incerta admodum fide videntur niti; imo conficta potius videntur, quam vera accepta traditione. Saltim enim aliquod in iis veſtigium reperiretur nominum in Sacris laudatorum. Quid, quod fortaſſis Nini nomen deflexum ſit ex Nimrod, adeoque in regum Aſſyriorum numerum detruſus rex Babyloniorum? Certe Belus, quem primo loco habet Africanus, Chaldæum numen eſt: num & Aſſyrium fuerit, merito dubites. Ita a Semiramide Aſſyriaca femina conſtructam eſſe Babylonem, Beroſus in Chaldaicis jam olim negavit, teſte Joſepho *l.* 1. *contra Apionem*, Philonis Byblii & Dorothei Sidonii teſtimoniis confutavit idem Julius Firmicus. Ut proinde & Aſſyriaca femina ſit perperam detruſa in res Chaldæorum. Sed de his ſatis.

CAPUT IX.

Quæ de temporibus olim Babylonii docuerunt, aut falſa eſſe, aut incerta.

DE temporibus ſuis ipſi olim Babylonii non idem tradiderunt. Diodorus Siculus *l.* II. *c.* 31. ſcribit: *Chaldæorum collegium ad expeditionem Alexandri in Aſiam quadringenta & ſeptuaginta duo millia*

Digitized by Google

numerare, ex quo ſidera obſervari cœptum ſit. Cicero *l.* 1. *de divinat. Contemnamus etiam Babylonios. Condemnemus inquam hos aut ſtultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ, qui CCCC LXX millia annorum, ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continent.* Idem ex Panætii ſententia *l.* 2. *Nam quod ajunt, quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundiſque pueris, quicunque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt.* Codices quidam Ciceroniani longe minorem numerum legunt, ſed eadem plane ex libro primo Lactantius inſeruit *l.* 7. *Inſt. c.* 14. Itaque recte ſeſe habet vulgata lectio. Proclus Lycius *l.* 1. *commentarior. in Timæum Platonis*, auctoritate Jamblichi coarguit Hipparchum, quod dixiſſet, Chaldæos per ſeptem & viginti myriadas annorum ſidera obſervaſſe: illos enim totas circumvolutiones & periodos ſeptem mundi dominorum memoriæ prodidiſſe. Fortaſſis autem & ille Hipparchus non xx. ſed xl. ſcripſerat myriadas. Et vero ita ejus relatio exacte Ciceroniano numero convenit.

In Euſebianis Græcis *p.* 5. & 6. habentur quædam ex Beroſo, partim ab Apollodoro, partim ab Alexandro Polyhiſtore excerpta. Et Alexander quidem ſcribit, dicere Beroſum: ἀναγραφὰς πολλῶν ἐν Βαβυλῶνι φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπὸ ἐτῶν πε ὑπὲρ μυριάδων ι ε περιεχούσας χρόνον. περιέχειν δὲ τὰς ἀναγραφὰς ἱστορίας περὶ τῆ γῆ καὶ θαλάσσης, καὶ πρωτογονίας καὶ τῶν κατ' αὐτὲς πράξεων. Igitur a condito mundo ad Alexandrum M. effluxerint pluſquam centum quinquaginta annorum millia, & tot annorum hiſtorias habuerint Chaldæi. Longe ſuperatur tamen hæc ſumma a ſolis ix Babyloniæ regibus, quos ante diluvium Beroſus ſcripſit rerum potitos per ſaros centum viginti. Enimvero Abydeno interprete, ſarus Babyloniis eſt numerus trium millium ſexcentorum: eoque ſari centum viginti ſunt annorum quadringenta triginta duo millia; quæ ſumma propius ad prius dictam accedit. Aut mendum igitur eſt in Polyhiſtore, aut Abydenus perperam interpretatus eſt numeros illos Chaldaicos, ſarus, nirus, ſoſus. Poſterius vero eſt ſimilius; quis enim ſanæ mentis crediderit, regnatum a novem regibus quadringentis triginta annorum millibus? Superat hoc portenta omnia mendaciorum. Hinc Panodorus & Georgius monachi non annos, ſed dies intelligendos cenſuerunt, ut ſarus unus ſignificet ter mille & ſexcentos dies, h. e. decem annos Chaldaicos, exceptis quinque epagomenis. Quam illorum ſententiam reperias in notis Scaligeri ad Euſebium *p.* 246. Sed vereor ne hæc interpretatio mera ſit ex ingenio conjectura.

Nihil

Digitized by Google

Nihil enim præter ſolitum fuerit, ſi regum aliquis ante diluvium regnaverit annos centum triginta aut paulo amplius: & tamen, Joſepho teſte *l.* 1. *Antiquit. cap.* 4. etiam Beroſus conſenſit cum Scripturæ doctrina de hominum longævitate ante diluvium. Quod enim idem, teſte Plinio *l.* 2. *c.* 49, negavit, vita humana excedi poſſe annos CVII. id de ſtatu hominum a diluvio eſt accipiendum. Igitur in dubio maneat, quid ſit ſarus Chaldaicus: maneat etiam, ſecundum Beroſum, ab initio mundi ad Magnum Alexandrum numerata centum quinquaginta millia annorum. Ab initio inquam mundi. Etſi enim ſcribat Diodorus *l.* 2. *c.* 30. Chaldæos ſempiternam mundi naturam perhibuiſſe, procul tamen id a vero eſſe, liquido apparet ex illa ſacra Oannis doctrina, quam ex Beroſo recitat Alexander Polyhiſtor.

Plinius *l. ſeptimo naturalis hiſtoriæ cap.* 56. ſcribit: *Epigenes apud Babylonios DCCXX annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor inprimis: qui minimum, Beroſus & Critodemus CCCC LXXX annorum.* Simplicius *com.* 46. in librum alterum de cœlo Ariſtotelis, ut quidem Latine verſus eſt: *Propterea quod nondum obſervationes illæ cœleſtes, quas Ariſtotelis mandato Calliſthenes Babylone miſit, in Græciam pervenerant: quas quidem annorum fuiſſe mille nongentorum trium, auctor eſt Porphyrius, ad Alexandri uſque Macedonis tempora ſervatas.*

Hæc fere Chaldæi aut Babylonii olim de temporibus prodiderunt. Quæ multum inter ſe diſſonare, nemo non videt. Docet vero vel ſolus ille diſſenſus, nihil certi illos habuiſſe. Neque enim multum adeo diſcrepaſſent ſententiis. Adhoc autem, qui per tot myriadas annorum annotaverint Babylonii naſcentium fata, ſi omnis ſiderum obſervatio tam brevi tempore, quale vel Calliſthenes vel Epigenes vel Beroſus memoravit, fuit circumſcripta? Alterutrum certe falſum ſit oportet. Ceterum omnes illas annorum myriadas inani mendacio eſſe confictas, ex Sacra quidem hiſtoria abunde omnibus eſt perſpicuum: licet tamen etiam inde ſcire, quod omnes Chaldaicæ obſervationes ſiderum, quæ ad Græcos pervenerunt, æra Nabonaſſaræa terminentur. Nemo autem dixerit, in Græcorum notitiam pleraque non veniſſe. Qui enim victi fuerint auſi victores horum aliquid celare ſciendi avidos? Cupidiſſimos autem ſciendi victoreſque fuiſſe Græcos, utique certum eſt. Non tantum vero non Ptolemæum, ſed nec Hipparchum ullam cognoviſſe obſervationem ſideralem Chaldaicam, quæ Nabonaſſari excedat æram, liquidum profecto eſt ex utri-

Digitized by Google

utriuſque, cum primis autem Ptolemæi codicibus. Quid, quod videatur ipſe Beroſus ultra Nabonaſſarum nullam prodidiſſe ſideralem hiſtoriam? Hujus ſane libris aſtrologicis & Hipparchus uſus eſt & Ptolemæus. Illi etiam quadringenti octoginta anni, quos Beroſus ſideralibus Chaldæorum obſervationibus adſcripſit, teſte Plinio, numerati ab initio Nabonaſſarææ æræ, id eſt, ab anno ſecundo Olympiadis 111. attingunt extrema Antiochi Σωτῆρος tempora. Huic Antiocho autem Chaldaicam hiſtoriam Beroſus inſcripſerat, ut affirmat Tatianus: Βηρωσσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τὰ παρ' αὐτοῖς βήλ, κατ' Ἀλέξανδρον γενόμενος, Ἀντιόχῳ τῷ μετ' αὐτὸν τρίτῳ τὴν χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας. Euſebius *l.* x. *præparat.* perperam habet Αντιόχῳ τῷ μετὰ Σέλευκον. At Soter Antiochus tertius eſt ab Alexandro, ſi & hunc in tribus illis numeres, & ſecundo loco habeas Seleucum.

Si recens autem adeo eſt fides hiſtoriarum ſideralium apud Babylonios, id ſaltem manifeſtum eſt, vana jactantia myriadas annorum illos oſtentaſſe. Ab Hipparcho id mendacii approbatum fuiſſe, haud crediderim Jamblicho ſive Proclo: uterque ſane in iis, quæ Chriſtianæ fidei ſunt, cujusmodi eſt mundi creatio, ita ſeſe gerit, ut aperte falſa, inepta, imo portentoſa mendacia non dubitent profiteri. Ne Epigenis quidem, aut Porphyrii narrationi tuto fidem adhibueris. Mirum enim, ſi Calliſthenes miſerit Ariſtoteli complurium ſeculorum hiſtorias ſiderales, ipſi Beroſo, imo omnibus aliis Græcis ignoratas. Quis temere crediderit plures Babyloniorum obſervationes Epigeni, quam Beroſo homini Babylonio obtigiſſe? Niſi forte Epigenes multum ſit Beroſo recentior, adeoque vixerit fortaſſis æræ Nabonaſſarææ ſeptingenteſimo anno & vigeſimo, atque ita ad ſuum uſque ævum hiſtoriam ſideralem numeraverit. Unde Porphyrius acceperit illam Calliſthenis epiſtolam ad Ariſtotelem, in medio relinquendum eſt. Ecquis enim illud definierit, quod alius nemo memorat? Fortaſſis non tam de obſervationibus aſtrorum locutus eſt Calliſthenes in literis ad Ariſtotelem, quam de hiſtoria temporum Babyloniorum. Et vero annis mille nongentis ac tribus deductis ab periodi Julianæ 4384. quo Babylon ab Alexandro Magno eſt capta, caput illius æræ incidit in ejuſdem periodi annum 2481. qui eſt a diluvio 62. A quo uſque tempore fortaſſis haud defuit Babyloniis certior rerum hiſtoria. Etſi enim turris Babylonicæ inſanum opus nondum moliti tum fuerint ſtulti mortales, eoque Babelis nomen nondum auditum, tamen jam tum terra iſthæc a maxima hominum parte videtur habitata.

Si

Digitized by Google

Si autem Babyloniorum hiſtoria illo annorum numero fuit incluſa, profecto falſum eſt, quidquid ſive alii, ſive Beroſus de annorum myriadibus tradiderunt. Mirum vero ſi & Hipparchus teſtimonio ſuo probaverit myriades illas, cum tamen ille nullam obſervationem ſiderum potuerit conſequi Nabonaſſare antiquiorem. Mihi ſane non ſit probabile, ab Hipparcho id proditum eſſe. Certe ſi dixit, perfecit imprudenter; vanam oſtentationem re ipſa ſtatim confutante. Scite Tullius ex ſententia Panætii, doctiſſimi Stoicorum: *Quod ajunt quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundiſque pueris, quicunque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt: ſi enim eſſet factitatum non eſſet deſitum, neminem autem habemus auctorem, qui aut fieri dicat, aut factum ſciat.* Optime. Qui enim verum ſit, tot annorum experimento Chaldæos iſthæc γενεθλιακὰ didiciſſe, ſi uſus doceat, omne hoc inanis eſſe operæ? Bene etiam Phavorinus apud Gellium *l.* 14. *c.* 1. *Diſciplinam iſtam Chaldæorum tantæ vetuſtatis non eſſe, quantæ videri volunt: neque eos principes auctoreſque eſſe quos ipſi ferunt, ſed id præſtigiarum atque offuciarum genus commentos eſſe homines aruſcatores & cibum quæſtumque ex mendaciis captantes.* Ipſe etiam Diodorus numerum illum annorum, quibus Chaldæi dixere mundi ſeſe obſervationibus vacaſſe, *haud facile credi*, confitetur. Porro ſi aliquot millibus annorum, non multis tamen, effluxis, fit ἀποκατάϛασις rerum omnium, ex ſententia ipſorummet Chaldæorum, qui potuit apud Babylonios eſſe memoria tot myriadum? Profecto illa univerſi mutatio non poteſt non oblivionem omnium inducere. Taceo Beroſum ipſum prodere, falſo jactari, apud Babylonios ſupereſſe per tot annorum myriadas ἀναγραφὰς rerum ab orbe condito. Quæ ſane de mundi creatione diſſerit, fatetur deberi narrationibus Oannis, qui aliquot demum viſus ſit ſeculis poſt rerum initia. Fabuloſa vero illa omnia de Oanne eſſe, vel Ægyptii docuerint; cum enim illis iſthæc debuerint eſſe eo notiora, quo propiores ſunt Erythræo mari, unde dæmonii illud monſtrum prodiiſſe volunt Babylonii, in Ægyptiacis tamen monumentis de Oanne, & traditis per ipſum mortali generi artibus ac ſcientiis, altum eſt ſilentium.

Digitized by Google

CAPUT X.

Berosi Historiam Chaldaicam non fuisse omni ex parte fide dignam.

ANtequam pergamus, fortassis haud abs re fuerit paucis quædam de Berosо addere, quoniam ille, ut homo Chaldæus, præ aliis laudatur, vulgo Chaldaicas res memoriæ diligenter commendasse. Nec tamen est animus verbulum miscere de Annii Viterbiensis fictitio Berosо, sed tantum de illo veteribus deprædicato. Hunc tribus libris Chaldaicam historiam scripsisse, cum ipse esset gente Chaldæus, diserte testatur Tatianus florentissima illa ad gentiles oratione. Τὴν χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας. Tertium ejus librum χαλδαϊκῶν citat Joseph. *l. I. contra Apion. l. X.* ἀρχαιολογίας, & Clemens Alexandrinus in *protreptico*. Primo libro videtur persecutus historiam mundi conditi: altero res Chaldaicas ad initium æræ Nabonassaræ: tertio reliqua ad Alexandrum Magnum. Etenim Alexander Polyhistor apud Eusebium *l.* 1. *Chronicor.* edit. Scaligeri *pag.* 6. ubi quædam de regione Babylonica & mundo condito ex Berosо recitasset, subjungit: Ταῦτα Βηρωσσὸς ἐν τῇ πρώτῃ φάσκει. Ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ τὰς ι βασιλεῖς τῶν χαλδαίων, καὶ τὸν χρόνον τῆς βασιλείας αὐτῶν σάρως ρκ. Idem Alexander ex secundo libro nonnulla habet de diluvio. Quæ ex tertio autem libro Josephus de Nabopolassare, Nabuchodonosare, & eorum posteris ad Cyrum, aut Clemens Alexandrinus de Veneris Tanaitidis imagine per Artaxerxem Ochi filium erecta, memorat, illa post Nabonassarem contigisse, liquidum est.

Historiam illam insigni præconio mactavit Josephus *l.* 1. *contra Apionem: Berosus*, inquit, *antiquissimas secutus historias de facto diluvio, de hominum in eo corruptione sicuti Moses conscripsit: simul & de Arca, in qua generis nostri princeps servatus est, devecta scilicet ea in summitatem montium Armeniorum. Deinde scribens eos qui ex Noe progeniti sunt, & tempus eorum adjiciens usque ad Nabupolassarum pervenit.* Ceterum etsi multa ex vero admiscuerit Berosus, tamen pleraque non bonæ fuisse notæ, saltim illa, quæ ante Nabonassarem contigerunt, non ea qua par erat fide fuisse tradita, haud difficile est perspectu. Certe quæ primo libro narravit de mundo condito, illa fabulosa fuisse, docent fragmenta illa Eusebiana. Pari ratione habuisse sese quædam libri secundi,

ex

Digitized by Google

ex iis, quæ modo diximus, jam apparet. Illo libro nihil ab ipso dictum fuisse de Turris illa immani structura eamque subsecuta confusione linguarum, videtur; & tamen quam maxime hoc pertinuisset ad res Babylonias. Indicio autem hoc certissimo est, falso multorum seculorum annales a Babyloniis & Beroso fuisse jactatos. Quæ a Nabonassaris ætate usque contigerunt, forte rectius tradidit Berosus ex annalium fide. Etenim haud injuria dixeris, quod Græcis Olympiades, id Babyloniis æram illam fuisse Nabonassaris, ut quæ hanc præcesserunt, fuerint & apud illos ἢ ἄδηλα ἢ μυθώδη.

Et vero nescio num & Berosus ipse fucum facere voluerit suis plusquam centum quinquaginta mille annis, quorum memoriam Babylone scripsit consignatam reperiri, in animo habens non nisi Nabonassaræa illa tempora. Sane si pro annis dies substitueris, confecta & plana res est: utpote cum totidem dies conficiant annos quadringentos sedecim & dies centum sexaginta, quot forte præcise Nabonassaræi anni effluxerunt ad Alexandrum Magnum, licet Canon Mathematicus tantum numeret annos ccccxvi. Certe illius tantum æræ initio clausisse omnes observationes siderum Babylonias Berosum, ex Plinio constat *l.* vii. *c.* 56. Quadringenti nimirum & octoginta anni, quanto spacio ævi apud Babylonios exstare siderum observationes ille prodiderat, si a capite Nabonassaræ æræ numerentur, attinguntur tempora Antiochi Σωτῆρος, cui videtur historiam suam inscripsisse Berosus, ceu ex Tatiano jam ante notavimus. Indubie vero id ipsum traditum fuit a Beroso in opere aliquo, quo ἀςρονομίαν aut Chaldæorum philosophiam docuerat, cujusmodi ab eo fuisse scripta, etiam Josephus *l.* i. *contra Apionem*, testatur, ut qui tantum illo in loco valuerit, si Plinio credimus *l.* vii. *c.* 36. ut illi *ob divinas prædictiones Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua posuerint.* Verum huic famæ sive ademeris sive præbueris fidem, perinde est. Fortasse certius est id, quod de horologiis variis Vitruvius scripsit: *Hemicyclium excavatum ex quadrato ad enclymaque succisum Berosus Chaldæus dicitur invenisse.*

Digitized by Google

CAPUT XI.

Babylonici regni, fabulis rejectis & confutatis, fortuna ex verissimis monumentis eruitur, monstrato cum Sacris literis consensu.

ANte κατακλυσμὸν decem regibus Babylone esse regnatum, Berosus sane tradidit; ut perspicere est ex iis, quæ Abydenus, Alexander Polyhistor, & Apollodorus ex illo exscripserunt, & nunc in Eusebianis Chronicis recitantur. Neque enim vel Eusebius, vel Africanus Berosum ipsum videntur legisse: eoque illi semper recitant Berosiana aliena fide. Verum illi reges fortasse sunt fabulosi. Cum Sacer codex tamen decem itidem generationes hominum ab Adamo ad Noachum numeret, videtur hinc orta fabula.

Quæ de Babyloniorum regibus post diluvium tradidit Berosus, illa omnia desiderantur usque ad Nabopolassarem & Nabuchodonosarem. Attamen de insana Turris constructione & subsecuta confusione linguarum in Babylone, haud multum Sacris nostris historiis dissimilia recitat Josephus quædam, ex nescio qua Sybilla *l.* 1. *Antiq.* & Eusebius *l.* 9. προπαρασκευῆς *c.* 14. ex Abydeno, quæ inde, quantum videtur, more suo, transcripsit Cyrillus *l.* 1. *Contra Julianum.* Habentur autem illa Abydeni etiam in Chronicis Eusebianis Græcis Scaligeri. Ubi & fragmentum illustre exstat Hestiæi Milesii, de linguarum confusione & separatione gentium, acta in Sennear post diluvium. Videtur vero de his omnibus nihil tradidisse Berosus, quod jam ante diximus: alioquin enim ejus testimonio illustrasset hunc locum saltem Josephus, quem Berosi libris esse usum, satis liquet.

A diluvio Julius Africanus (si credimus Scaligeri Eusebianis Græcis) primos Babylonios scribit reges sibi constituisse: οἱ Χαλδαῖοι πρῶτοι ἀνηγόρευσεν ἑαυτὸς βασιλεῖς; recenset idem mox duas dynastias regni in Babylone, alteram Chaldæorum regum septem, qui regnaverint annos CCXXIII. alteram Arabum quinque regum, annorum CCXVI. Hos demum subsecutum Ninum, reliquosque quadraginta Assyriorum reges. Quo auctore illa narret Africanus, incertum est.

Primum autem apud Chaldæos cœpisse regnum aliquod solito majus & potentius, ex Sacris quoque historiis novimus. Etiam vero ex Ctesiæ

siæ fabulis constat, ante Assyrios imperio Babylonios floruisse. Diodorus Siculus Ctesiæ fide *l. 2. c. 1. Ninus Assyriorum Monarcha Arabis subsidio instructus immenso cum exercitu finitimos sibi Babylonios invasit. Babylon autem, quæ nunc est, illo tempore nondum erat condita, sed alias Babylonia urbes non contemnendas habebat. Cujus incolis tam facile in potestatem redactis, quod discriminum belli rudes & imperiti essent, ipsis quidem annui pensionem tributi imperavit, regem vero debellatum cum liberis captivum abduxit & interemit.*

Ceterum an integris quadringentis & quadraginta annis libera republica fuerint usi Chaldæi, dein ab Assyriis subacti, omnino est incertum. Si ita est, cœperunt Assyriis subjici circa annum periodi Julianæ 2963. Nam a nativitate Peleg præter propter, non autem ante, cœpisse Nimrodum, manifestum est ex Sacris. Et vero Chaldæos non paruisse Assyriis Abrahami ætate, jam tum supra docuimus contra Ctesiæ fabulas. Ratio vero fugit Africanum, quando statim in Nino primo Assyriorum rege exstinctas vult Babyloniorum illas dynastias: utpote qui ipso auctore haud multum a diluvio cœperit. Fortassis Assur, primus in Nino urbe Assyriorum Monarcha, vicit quidem Chaldæos, hi tamen recuperata libertate propagaverunt potentiam per annos quadringentos & quadraginta, inde demum omni sunt ab Assyriis exuti imperio. Falsum vero & illud est, quod significat Africanus, quasi post Ninum usque ad Monon-Concoleron nulli fuerint Chaldæorum proprii reges. A Nabonassare enim saltim usque ad Cyrum non defuisse illis reges, solus Canon Astronomicus Nabonassaræus doceat: ne nunc dicam, in ipsis Sacris Merodach Baladanum memorari, quo tempore debilitatum quidem defectione Medorum fuit Assyriorum imperium, at nondum exstinctum.

Porro ex Sacris quidem monumentis, quemadmodum habuerint sese Babylonii ab Abrahamo usque ad Ezechiam regem, non potest peti. Ne quidem in aliis scriptis quidquam hujus argumenti exstat, usque ad Nabonassarem, qui paulum ætate Ezechiam præcessit, præter unum illud de Semiramide Assyria. Berosus enim, teste Josepho *l. 2. contra Apion.* μέμφεται Ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσιν, ὡς μάθην οἰομένοις, ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ἀσσυρίας κτισθηναῖ τὴν Βαβυλῶνα, καὶ τὰ θαυμάσια κατασκευασθῆναι περὶ αὐτὴν, ὑπ' ἐκείνης ἔργα ψευδῶς γεγραφόσι. Qui factum vero, ut a Nabonassare rege nova cœperit Chaldæorum numerari æra, divinare difficile est. Quidam suspicantur, illo rege priscam Chaldæis li-

Digitized by Google

bertatem redditam: ex Sacra tamen hiſtoria, etiam procedente tempore, Aſſyriis Babylonios paruiſſe, paulo poſt demonſtrabitur. Mihi veroſimile fit, Babylonem dudum exhauſtam & prope deſolatam ab Aſſyriis rurſum fuiſſe præclare reſtitutam, dato ipſi primo rege Nabonaſſare, qui tamen præeſſet jure clientelari. Videtur huc ſpectaſſe Eſaias c. XXI. ubi de Tyriorum clade, quam a Babyloniis paſſuri erant, divinavit: ait enim *verſiculo* 13. *Ecce terra Chaldæorum, iſte populus non erat: Aſſur fundavit eam navibus, erexerunt arces illas.* Ita enim hunc locum vertit Santes Pagninus. Jam Eſaiæ autem ætate urbem illam fuiſſe pulchre excultam & ædificiis ſuperbam, liquet ex *c.* XIII. & XIV.

Nabonaſſaris ævo Babylonem Aſſyriis fuiſſe ſubditam, liquidum eſt ex Sacris noſtris hiſtoriis. Etenim Salmanaſſar, cui decimo ſexto Nabonaſſaræ æræ anno tributarius factus eſt Hoſeas, Iſraelis rex, uſque adeo habuit addictos Babylonios, ut in coloniam eos miſerit: ceu legitur II Regum XVII. 24. Poſt defectionem Medorum & Sennacharibi interitum Merodach Baladan, ſive Mardokempadus, videtur alieniore fuiſſe ab Aſſyriis animo, utpote qui auſus fuerit cum Ezechia Aſſyriaci imperii hoſte colere amicitiam, quod colligere eſt ex iis, quæ narrantur II Reg. XX. Eſaiæ XXXIX. Paulo poſt rediiſſe Babylonem in Aſſyriorum poteſtatem, docet hiſtoria Manaſſis regis. De hoc enim II Paralip. XXXI. *Locutus eſt Dominus ad eum & ad populum illius, & attendere noluerunt; idcirco ſuperinduxit eis principes exercitus regis Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem, & vinctum catenis & compedibus duxerunt in Babylonem.* Quinimo in eodem obſequio manſiſſe Babylonios uſque ad Nabuchodonoſarem, colligas haud perperam ex iis, quæ de Aſſyriorum ſuperſtite, poſt Medorum defectionem potentia, ſupra diſſeruimus. Etiam hinc ſane videtur dictus Nabuchodonoſor Danieli *caput aureum.* Enimvero illum fuiſſe ſui juris, imo regem regum fuiſſe, certum eſt. Jam tum Nabopolaſſari tamen videtur Beroſus magnam vim & potentiam tribuiſſe. Ita enim loquitur apud Joſephum *l.* I. *contra Apionem*, & qui Joſephum deſcripſit, Euſebium *l.* 9. *præparat. c.* 40. quaſi Nabopolaſſar Satrapam conſtituerit, qui præeſſet Ægypto, Syriæ, & Phœniciæ: contra illum enim rebellantem miſſum a patre ſene Nabuchodonoſarem. Verum falſus eſt Beroſus, & fefellit alios. Conferentibus enim Sacram hiſtoriam eſt manifeſtum, illum, contra quem duxit exercitum Nabuchodonoſor, quemque omni Syriæ & Phœniciæ ditione exuit, imo Ægypti parte aliqua mulctavit, eſſe Nechum Ægypti regem. Hic vero non contra Babylo-

Digitized by Google

bylonios, sed adversus Assyrios insurrexit, ut diserte legitur 1 *Reg. c.* xxiv. 29. Nec in Sacra historia ullum exstat vestigium potentiæ Babyloniorum, per Syriam aut in Ægyptum usque sese porrigentis, ante Nabuchodonosarem, utpote quæ indubie involvisset res Judaicas. Sed & ex Herodoti *l.* 2. constat, illum, qui tum Ægypto præfuit, Nechum regem multum valuisse potentia, nec alterius arbitrio fuisse obnoxium.

Primus itaque libera potestate Babyloniis Nabuchodonosor imperavit. Et vero hunc cum Medis, Assyriaci imperii summis hostibus, imo eversoribus, summam coluisse amicitiam, ex Beroso est manifestum. Uxorem enim habuit Medicam, adeo sibi adamatam, ut in ejus gratiam hortum pensilem construxerit. Testatur id Berosus apud Josephum *l.* 1. *contra Apionem*; cui potius crediderim, quam Ctesiæ, quo auctore refert Diodorus *l.* 2. *c.* 10. hortum illum a Syro quodam rege in gratiam pellicis Persicæ institutum esse. Dixeris illam Cyaxaris fuisse filiam. Pacem inter Lydos & Cyaxarem Babylonii regis interventu coiisse, testatur Herodotus *l.* 1. qui, etsi regem illum Labonitum appellet, non potest tamen alium, quam Nabuchodonosorem significare, ut qui unus tum regno Babylonio præfuerit. Megasthenes, teste Abydeno apud Euseb. *l.* 9. *præparat. c.* 41. narrat, conquestum Nabuchodonosarem de nimia auctoritate aulici cujusdam Medi, quem Darium Medum esse, post Ewilmerodachi parricidam simul & Nabuchodonosaris generum, alias demonstratur. Si Alexandro Polyhistori credimus, Medico auxilio usus est Nabuchodonosor in expugnanda Hierosolyma. Verba Alexandri refert Eusebius *l.* 9. *præparat. c.* 37. neque caussæ satis est, cur illud in dubium vocarit, vel negaverit potius, Josephus Scaliger. Usque adeo vero Medis conjunctus non potuit non ab Assyriis alieno esse animo. Et vero certum est, primis imperii illius annis Ninum ipsam a Cyaxare esse destructam.

Primum igitur a Nabuchodonosare cœpit novum illud augustum Babylonium regnum; non quidem cum Assyriaco comparandum, superans tamen forte ejus terræ omne anteactum ævum. Certe potentiam Nabuchodonosaris non Sacri tantum codices loquuntur, verum etiam Alexander Polyhistor, Abydenus, & qui primo loco erat memorandus Berosus, locis ante laudatis. Attamen minus videtur verosimile, quod Abydenus habet ex Megasthene, Nabuchodonosarem in Lybiam atque Iberiam facto impetu, utriusque jam domitæ colonias in dextram Ponti plagam deportasse, aut quod ex Megasthene scribit Strabo *l.* 15. Ναυσιδρόσερον

ὑρύτερον δὲ τὸν παρὰ Χαλδαίοις ἐυδοκιμήσαντα Ἡρακλέης μᾶλλον, ἐὼς ςηλῶν ἐλάσαι. *Nabuchodonoſar, cujus apud Chaldæos fama, Herculem vincit, ad columnas venit cum exercitu.* Aut denique, quod ex Megaſthene habet Joſephus *l.* 1. *contra Apion.* illum magnam Africæ & Hiſpaniæ partem ſubjugaſſe. Etenim & Sacræ literæ videntur Ægypto claudere Nabuchodonoſaris potentiam, & Herodotus Medis attribuit Aſiaticum illud ad Pontum imperium. Quidquid tamen ejus ſit, a Nabuchodonoſare condita eſſe miranda illa Babylonis mœnia, quæ ad Alexandri uſque ætatem duraverunt, certum eſt. Hinc illa vox glorioſi Regis, Danielis IV. 27. *Nonne hæc eſt Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum meam, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Prolixius hiſtoriam ædificatæ ab illo Babylonis perſequitur Beroſus apud Joſephum atque Euſebium, ut & Abydenus apud eundem Euſeb. *l.* 9. *præparat. c.* 41. Ut illa de Nitocri regina, (quæ tamen videtur fuiſſe Medica illa uxor Nabuchodonoſaris) Herodoto memorata, omnino ſint falſa. Neque vero eſt quod dicas cum Scaligero, opera illa exſtructa ab uxore, quo tempore furore laborabat maritus. Antequam enim fureret, jam ſtructa erant Babylonis mœnia, ut ex Daniele eſt manifeſtum. Omnino tamen digna ſunt lectu, quæ de Babylone habet Herodotus, ut & quæ de eadem urbe refert Strabo *l.* 15. Diodorus *l.* 2. Curtius *l.* 5. Plinius *l.* 6. *c.* 26. Inter alia dignum animadverſione eſt, a nemine horum ſtructuram Turris alicui regum attribui; quam tamen ita deſcribit Herodotus, ut prope fidem ſuperet. Veriſimile ſane hinc fit, illam Herodoto laudatam Turrim eſſe illam Babylonicam, tanta mole poſt diluvium ſtructam, & ſequente demum ætate quaſi redintegratam. Certe rudera ejus longe vetuſtiſſima Babylonicæ Turris, ſaltim ejus, cujus meminit Herodotus, ſuperant hodieque, inacceſſa tamen ob ſerpentum aliorumque venenatorum animalium copiam. Illam vero Turrim ſtatim a diluvio exſtructam, & quidem a gigantibus, etiam Eupolemus & Artapanus tradidit, teſte Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium *l.* 9. *præpar. c.* 17. & 18. ne dicam de Abydeno & Sybilla, quorum teſtimonia habet Joſephus *l.* 1. *Antiquit.* Potentia porro Nabuchodonoſaris non ex Sacra tantum hiſtoria patet, ſed etiam ex monumentis Beroſi, Abydeni, Megaſthenis, locis jam laudatis, apud Joſephum, Euſebium, Strabonem. Videndus etiam Demetrii locus apud Clementem *l.* 1. *Stromat.* & Philoſtrati, ut & alterius ex publicis Tyriorum actis apud Joſephum *l.* 2. *contra Apionem.*

Duraſſe præterea illud regnum, a Nabuchodonoſare conditum, uſque ad

Digitized by Google

ad Cyrum, discere est ex Berosо cumprimis & Abydeno. A quibus perperam videtur dissentire Herodotus, in eo, quod Labynetum ultimum regem, quem illi Nabonidum appellant, tradiderit Nitocri regina fuisse genitum. Idem tamen, quæ de capta per Cyrum Babylone, de exsiccato amnis alveo, deque pavore Babyloniorum refert, mirifice illustrant ea, quæ Jeremias prædixerat *cap.* L. & LI.

Post Cyrum nunquam hactenus terris illis Chaldæorum proprius aliquis rex fuit Babylonis. Ipsius fatum quale suo ævo fuerit, docet nos Plinius *l. 6. Durat adhuc ibi Jovis Beli templum, cetero circuitu in solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicatore intra nonagesimum lapidem.* Illud Jovis Beli templum vetustate jam fuisse collapsum, testatur Diodorus Siculus *l.* 11. *c.* 9. qui de Babylone ipsa ita loquitur *c.* 10. *Regias & alias structuras partim tempus omnino abolevit, partim corrupit. Nam & ipsius Babylonis exigua quadam portio nunc habitatur, maximaque intra muros pars agrorum cultui est exposita.* Solitudinem urbis, ipso illo templo etiam diruto, latius descripsit multo post Benjamin Tudelensis Judæus in *Itinerario.* Quibus si addas, quæ de ruderibus Babyloniæ urbis Leonhardus Rauwolfius, ἀυτόπτης & dignissimus fide testis, patrum memoria scripsit, veneraberis nobiscum divinam veritatem prædictionum Esaiæ & Jeremiæ de fatali florentissimæ quondam urbis excidio.

CAPUT XII.

Canonem Mathematicum Nabonassaræum, in annis Regum Babyloniorum, non mereri fidem.

NOmina regum Babyloniorum a Nabonassare ad Nabonidum, quem devicit Cyrus, ex Canone quodam mathematico depromsit Josephus Scaliger *l. 3. canonum Isagogicorum p.* 285. Illum misere contaminatum esse, merito deplorat, eoque ex conjectura regum tempora aliter partitur. Post Scaligerum Calvisius & alii eundem Canonem, aliter tamen conformatum, dederunt. Videtur autem vel hoc vel alio simili jam tum usus Ptolemæus. Non tamen annos regum, quos ille designat, licet cum Canone nostro componere: ex. causa, refert Ptolemæus *l.* 5. *c.* 15. defectionem Lunarem observatam anno quinto Nabopolassaris, centesimo vicesimo septimo Nabonassaris: ille autem annus Nabonassaris non potest esse Na-

Digitized by Google

bopolaſſaris quintus; ſed, ſi ſane decimus ſeptimus Nabonidi eſt Nabonaſſaræus ducenteſimus ſeptimus juxta Canonem meliorem, annus Nabonaſſaræus 127. fuerit Nabopolaſſaris ſeptimus. Quo ſimul liquet, quantum falſus ſit Joannes Bainbridge Anglus, qui Canonem illum, tanquam ſit a Ptolemæo ipſo profectus, & poſt a Theone ad Theodoſium Magnum productus, cum Procli Sphæra & Ptolemæi hypotheſibus Planetarum Londini publicavit excerptum ex MSS. libro Κανόνων Προχείρων. Nec enim a Ptolemæo eſſe poteſt, quod a Ptolemæo diſſentit. Ne a Theone quidem eſſe illa additamenta Canonis, argumento eſt, quod in iis Julianus Cæſar audiat παραβάτης, quo nomine profecto non fuit dictus Theoni, homini pagano.

Ut autem, quod res eſt, de auctoritate illius Canonis dicamus, videtur nulli illius Canonis exemplari, quoad regum quidem Babyloniorum tempora, multum fidei tribuendum. Quod illorum attinet tempora inquam. Nec enim nunc in dubium vocaverim, utrum hiſtoriæ illæ Eclipſium, quas habet Ptolemæus, vere contigerint illis Nabonaſſarææ æræ annis, quos notavit Ptolemæus. At in Babyloniorum regum calculo, (ut de his ſolis nunc agam) quis vel Ptolemæo vel Canonibus illis noſtris crediderit, cum certum ſit, abire illos a luculentiſſimis illis fragmentis Beroſi, quæ Joſephus recitavit libro primo contra Apionem, & ex illo Euſebius retulit *l.* 9. προπαρασκευῆς *c.* 40. Neque vero in aliquo, quod nunc exſtat, exemplari Canonis fit mentio Laboſoroardochi, quem integros tamen novem menſes regnaſſe, teſtatur Beroſus. Præteriit vero eundem & Ptolemaicum, ſi quintus Nabopolaſſaris eſt CXXVII. Nabonaſſaræus. Paulo etiam poſt oſtendemus Ewilmerodacho tribuendos annos quinque, Canon tamen non niſi duos agnoſcit.

Id mirum, Joſephum Scaligerum tempora (ut de prioribus non dicam) ultimorum Babyloniæ regum ex libitu ordinaſſe, non tantum contra mathematici Canonis fidem, verum etiam adverſus ea, quæ aperte Beroſo ſunt prodita. Etenim Nabopolaſſar regnavit Beroſo 21. annos, Scaligero 29. Nabuchodonoſor Beroſo quadraginta tres, Scaligero XXX. Ewilmerodach Beroſo (ut quidem vulgo legitur) 11. Scaligero VI. Nirigliſſoroor Beroſo IV. Scaligero V. Laboſoroardochus a Scaligero omittitur, cui Beroſus tribuit menſes novem. Tanta audacia in mutandis temporibus contra fidem veterum monumentorum profecto ferenda non eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Belſaſarem & Darium Medum Babyloniorum Reges Danieli memoratos, illum Ewilmerodachum, hunc Nirigliſſoroorem Beroſi eſſe, Scaligeri ſententia rejecta, oſtenditur.

BElſaſar & Darius Medus Danieli commemorati, quibus nominibus a Beroſo, aliiſque ſcriptoribus appellentur, non una eſt Doctorum ſententia. Ut cum uno Scaligero hodie agamus: viſum illi eſt Belſaſarem eſſe Laboſoroardochum, alterum autem Nabonidum. Neutrum verum eſt. Nabonidus enim non Medus fuit, ſed Babylonius. Diſerte Beroſus: ἀπολομένυ δὲ τύτυ, συνελθόντες οἱ ἐπιβυλεύσαντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννίδῳ τινὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυρράσεως. Darius item, ubi regnum aggreſſus eſt, natus jam fuit annos ſexaginta duos, teſte Daniele *c.* v. *v.* 31. Nabonidus vero longe videtur fuiſſe junior ætate: ut qui non tantum ſeptem decem annos regno Babylonio præfuerit, ſed victus etiam a Cyro diu ſuperfuerit in Caramania, ut narrat Beroſus. Veroſimile porro eſt, quin etiam placuit ipſi Scaligero, Medum illum, de quo apud Megaſthenem conqueritur Nabuchodonoſor, quod cives Babylonios ſit proditurus, eſſe Darium Medum. Nabonidus vero prælio decertavit contra Cyrum pro Babylonico regno, nec non urbis mœnia ſolito ſplendidiora fecit, quod eſt regis rempublicam non prodentis, ſed amantis. Belſaſar præterea filius fuit Nabuchodonoſaris; ut quinquies diſertis verbis legitur Danielis *V.* Laboſoroardochus vel Labaſoaraſchus autem filius fuit Nirigliſſorooris, teſte Beroſo & Abydeno. Laboſoroardochus, eodem Beroſo atque Abydeno teſte, adhuc puer regni gubernaculis admotus fuit, pariter & a ſuis jugulatus: Belſaſar autem jam aluit uxorum & concubinarum gregem, & a Daniele perſtringitur, non ut puer aliquis, ſed jam adultior, & qui ex ſuo arbitrio dudum rem geſſerit. Laboſoroardochus novem tantum menſes regno præfuit, quod ſcribit Beroſus: Daniel vero *cap.* IIX. *v.* 1. memorat annum tertium regis Belſaſaris. Cauſatur quidem Scaliger, patrem Laboſoroardochi regnum nomine filii adminiſtraſſe, itaque annos Belſaſaris eſſe eoſdem cum annis Nirigliſſorooris. Verum hæc nullo fulta teſtimonio Scaligeri hariolatio eſt.

Digitized by Google

Scaligeri itaque rejecta ſententia, videtur nobis veriſimillimum, Belſaſarem eſſe ipſum Ewilmerodachum, adeoque Darium Medum Beroſo dici Nirigliſſoroorem. Enimvero Ewilmerodachum Nabuchodonoſari patri ſucceſſiſſe, non Beroſus tantum & Abydenus, ſed ipſæ Sacræ literæ aliquoties prodiderunt. Alium ejuſdem filium itidem regno admotum eſſe, contra Beroſum eſt pariter & Abydenum. At vero jam tum dictum eſt, Belſaſarem regem filium fuiſſe Nabuchodonoſaris. Non poteſt itaque Belſaſar eſſe alius, quam ipſe Ewilmerodach. Idem confirmat vita, quam Belſaſari Daniel, Ewilmerodacho Beroſus attribuunt, Ἐυιλμαλέρεχος, inquit Beroſus, πρὸς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς. Talem vero omnino ſe præbet Belſaſar apud Danielem, ut qui in convivio nocturno ebrius fuerit interemptus. Unum videtur opinioni huic obſtare: quod nempe Beroſus huic annos tantum duos tribuat, tertium autem Belſaſaris annum commemoret Daniel. Sed nos infra demonſtrabimus, mendoſum eſſe Beroſi illum locum, & Ewilmerodacho tribuendos annos quinque.

Si Belſaſar autem eſt Ewilmerodachus, non poteſt non Nirigliſſoroor eſſe Darius. Nirigliſſoroorem autem fuiſſe alienigenam, etiam Beroſus tacite ſignificat, narrans, interfecto hujus filio, electum aliquem Babylonium in regem. Pulchre etiam congruunt regni anni quatuor homini jam ſexaginta duos annos nato, ubi regia potiri cœpit dignitate. Quod Daniel quoque memorat, interfecto Balſaſari ſucceſſiſſe Darium, convenit apprime homini, qui regi interfecto quaſi jure quodam ſucceſſit. Jure autem aliquo Nirigliſſorooris ſucceſſio nititur, utpote qui fuerit Nabuchodonoſaris gener. Nec vero eſt quod mireris, hominem Medum allectum eſſe in generum Nabuchodonoſaris, maximi regis Babyloniorum. Videtur enim & ille Darius natus familia regia Medorum, eoque dictus Danieli c. IX. filius Aſſueri de ſemine Medorum. Adhoc uxor Nabuchodonoſaris Meda fuit, eoque ſuæ gentis homines indubie, quoad potuit, ad dignitates ſummas evexit. Medici autem ſanguinis fuiſſe Nabuchodonoſaris uxorem, diſerte teſtatur Beroſus apud Joſephum *l.* I. *contra Apionem.* Accedit, quod Medus ille, de quo conqueritur Nabuchodonoſar apud Megaſthenem, fuerit jam tum vivo Nabuchodonoſare τὸ Ἀσσύριον ἄνχημα. Quam exiſtimationem rebus præclare geſtis indubie commeruit.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De initio & fine Septuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, eorumque cum historia Babyloniorum Regum collatione.

UNde initium capi, & ubi finis poni debeat septuaginta annorum servitutis Babylonicæ, res est haud parum decisu difficilis. Nos de fine agemus primum.

Scaligeri quidam sectatores illum connectunt cum anno periodi Julianæ 4183. Cyri Persici regni vicesimo nono, qui sit decimus post devictum in Nabonido regnum Babylonium, idemque liberationis primus a servitute. Quod omne est falsum. Primo enim Sacræ literæ septuagesimum illum annum ab anno liberationis per Cyrum diserte distinguunt. 2 Paralipom. XXXVI. 21. *Ut compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra sabbatha sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbathum, usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum.* Jeremiæ XXV. 11. *Et omnes gentes istæ servient regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis.* Danielis etiam IX. 2. scribitur, complendos esse septuaginta annos. Si completi autem fuerunt anni septuaginta, annus liberationis per Cyrum proxime demum est consequutus. Secundo, adversatur etiam Sacris literis, integrum decennium durasse captivitatem post potentiam Babyloniorum jam sublatam e medio. *Servient* (ait Jeremias) *gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis: cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis.* Septuaginta itaque annis illis captivitatis salva fuit potentia Babyloniorum regum. Tertio, absurdum est, Judæos alium annum Cyri primum appellasse quam eum, quo ille Judaicæ genti incepit imperare. Vulgaris sane loquendi mos id haud patitur. Certe Daniel illum a Scaligeri asseclis designatum annum non agnovit primum Cyri. Memorat enim ille *cap.* X. 1. tertium annum Cyri: cum autem Cyrus omnium veterum consensu regnaverit tantum annos triginta: sive eundem velis esse cum Scaligero annum ultimum captivitatis cum primo liberationis, sive diversum, quod Scripturæ esse consentaneum, modo demonstravimus, adeoque si annus liberationis & Cyri primus, Scripturæ

Digitized by Google

laudatus, fuerit vel viceſimus nonus vel triceſimus regni Perſici, ſatis apparet, tertium aliquem Cyri annum non potuiſſe a Daniele numerari. Eſdras porro ita etiam loquitur, ut haud obſcure pateat, Cyrum poſt primum illum, imo & ſecundum annum aliquamdiu ſuperfuiſſe. Meminit enim & ille anni ſecundi reditus ex captivitate *cap.* III. 8. & *cap.* IV. narrat poſt demum in aula Cyri per delatores fuiſſe impeditam exſtructionem Templi. *Conduxerunt autem*, inquit, *adverſus eos conſiliatores, ut deſtruerent conſilium eorum, omnibus diebus Cyri regis Perſarum.* Quomodo profecto non ſolet loqui Scriptura, niſi de aliquot annorum ſpacio. Nulla præterea cauſſa fingi poteſt, quare demum decennio poſt devictos Babylonios libertati reſtituerit Cyrus populum Judaicum. Falſum etiam eſt, illo anno primum per Aſiam rerum potitum eſſe Cyrum, adeoque hunc annum imperio per Aſiam dediſſe initium. Deſtructis enim dudum regnis Medorum, Lydorum, Babyloniorum, quid defuit, cur Cyrus jam ante non audierit Aſiæ dominus? Quid vero etiam Judæis, cum Aſiæ regionibus aliis extra Babylonicam ſitis, fuit rei, ut ab illis ſuperatis annos Cyri numeraverint?

Omnia hæc planiſſima ſunt, ſi ſeptuageſimum annum ſervitutis dixeris eſſe decimum ſeptimum Nabonidi, & primum liberationis annum primum Cyri in regno Babylonico, qui ſcilicet ſeptimum decimum Nabonidi ſequitur: ut ultimus ſervitutis, ultimus etiam ſit regni Chaldæorum, & primus liberationis, primus ille, quo ſubjecti fuerunt cum Babyloniis Judæi Cyro. Ita ſane omnes illi ſeptuaginta anni fuerunt ſub regibus Babyloniæ: ita primus Cyri fuit primus imperii illius in Judæos: ita denique ſuperfuerunt aliquot anni a primo Cyri aduſque mortem illius, utpote quum Cyri poſt Nabonidum primus ſit Nabonaſſaræus 210. ultimus autem Nabonaſſaræus 218. ſi ſane credimus calculo Canonis mathematici.

Si autem finis ſervitutis illius ita ſeſe habet, nemini non liquet, initium ejus minime omnium eſſe computandum a clade & carcere Babylonico regis Zedekiæ. Veriſimilius illud duxeris cum Scaligero & aliis, a captivitate Jechoniæ: præſertim cum favere videantur Jeremiæ verba *c.* XXIX. 10. ad exules: *Hæc dicit Dominus, cum cœperint impleri ſeptuaginta anni, viſitabo vos, reſuſcitabo ſuper vos verbum meum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Attamen ne ita quidem ſeptuaginta annos compleveris. Rectiſſime videtur numerari exordium illud ab anno quarto Jojacimi, qui eſt Nabonaſſaræus, obſervante quidem Scaligero, centeſimus quadrage-

Digitized by Google

drageſimus. Eſt autem ille, quo ſeptuaginta annorum ſervitutem per Jeremiam Judaico populo Deus ipſe indixit, ut liquet ex *cap.* 25. Jeremiæ. Ab hoc, ſane ſi annos ſervitutis numeraveris, ſeptuageſimus incidit in Nabonaſſaræum 209. adeoque illum, qui Cyri in Babylone imperium proxime antecedit. Ab eo vero uſque tempore omnino cœpit ſervitus Babylonica. Daniel. 1. 1. *Anno tertio regni Joacim regis Judæ, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Jeruſalem, & obſedit eam; & tradidit Dominus in manu ejus Joacim regem Judæ, & partem vaſorum domus Dei, & aſportavit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui. Et ait rex Aſphenati præpoſito eunuchorum, ut introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regis & tyrannorum.* Annum tertium vero appellat Daniel Joacimi illum, quo venit Babylonius obſeſſurus Hieroſolymam. Cum quarto enim anno demum incepit ſervitus ipſa: neque enim initio quarti adhuc paruiſſe Judæam Nabuchodonoſari, argumento ſunt verba Jeremiæ *c.* xx. ubi id demum futurum dicitur. Non faciunt vero illa ſupra ex Jeremiæ *c.* xxix. adducta pro Scaligero, licet videri poſſint facere. Epiſtola enim illa Jeremiæ miſſa eſt ad omnes exules, quotquot abduxerat Nebucadnezar, ceu liquet ex *verſ.* 5. Ante Jechoniam autem complures jam abductos, certum eſt. Sane ex Sacris literis noſtræ ſententiæ nihil objici videtur poſſe, quod ſit quantivis ponderis.

Obiter tamen notandum venit, in computatione annorum captivitatis Jechoniæ videri Jeremiam & Ezechielem uno anno differre. Etenim ſecundum auctorem Hiſtoriæ ſacræ Regum & Jeremiam primus ille Jechoniæ incidit in annum ultimum undecimum Joacimi, ſecundum autem Ezechielem primus ille eſt item primus Zedechiæ: ceu patet conferentibus Ezechielis *caput* 24. *v.* 1. cum *cap.* 25. *l.* 4. Reg. *v.* 1. indubie, quoniam in confinio regni & Joacimi, & Zedekiæ iſthæc Jechoniæ captivitas contigerit. Ceterum hæc Jechoniæ captivitas in aliud tempus incidit, atque illa altera per ſeptuaginta annos duratura: itaque non niſi obiter hæc animadverſio huc pertinet.

Major difficultas eſt, quomodo hæc noſtra cum Chaldæorum regum hiſtoria componenda ſint. Equidem quartum annum Joacimi eſſe primum Nabuchodonoſaris, omnino conſtat. Diſerte Jeremias *c.* xxv. 1. *ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor regis Babylonis.* Cui conſonat, quod anno octavo Nabuchodonoſaris Jechoniam captum fuiſſe, ſcribatur 2 Reg. xxiv. 12. ille autem captus ſit anno undecimo Joakimi. Nec vero eſt, quod ſuſpicemur,

Digitized by Google

ſpicemur, ab illo quarto Joakimi anno exordium ducendum tantum ejus temporis, quo Judæis moleſtus fuit Nabuchodonoſor, non ſignificari autem ſimpliciter annos regni Babylonii. Numerare enim & Scripturam Sacram annos Nabuchodonoſaris XLIII. liquet ex eo, quod captivitatis Jechoniæ triceſimum ſeptimum conſtituat Ewilmerodachi primum, 2 Reg. XXV. 21. & in appendice Jeremiæ *c.* LII. 31. Nimirum octavus Nabuchodonoſaris primus eſt captivitatis Jechoniæ, ſeptem autem anni additi ad triginta ſex, quot effluxerunt ab captivitatis illius exordio ad Ewilmerodachum, conficiunt annos ſolidos quadraginta tres. Totidem autem annos Babylonici regni Nabuchodonoſari attribuit Beroſus in fragmento apud Joſephum *l.* 1. *contra Apionem*: totidem habet etiam Canon mathematicus Nabonaſſaræus. At iis, qui poſt Nabuchodonoſarem regno Babylonio præfuerunt, neque Beroſus, neque Canon eam annorum ſummam adſcribit, ut ſeptuagenariæ illius reliquum abſolvas. Conſentiunt quippe Beroſus & Canon, Ewilmerodachum tantum duos, Nirigliſſoroorem quatuor, Nabonidum ſeptem decem annos regnaſſe. Addit Beroſus novem menſes Laboſoroardochi. Itaque ſecundum Beroſum a Nabuchodonoſaris exordio, ad ultima Nabonidi tantum effluxerunt anni 66. & menſes novem. Totidem annos habet Canon, nullis adjectis menſibus.

Cum adeo autem accurate heic ſeſe habeat numerorum in Sacris codicibus ratio, non eſt fortaſſis quod hæc nos cura mordeat. De Canonis fide jam antehac monuimus. Etiam vero nec a Beroſo obſervatam accuratam temporis, ut & rerum geſtarum, rationem, ipſa illius fragmenta plus ſatis indicant. Mihi error videtur eſſe in annis Ewilmerodachi: atque huic non duos, ſed quinque tribuendos, eoque in ipſo Beroſo pro litera numerali β ſcribendum ε. Ducit me huc ipſa Scriptura Sacra, memorans annum tertium Belſaſaris, quem Ewilmerodachum eſſe, jam oſtendimus. Certe ipſo Scripturæ Sacræ teſtimonio conſtat, Ewilmerodachum plus quam duobus annis regnaſſe. Num a librario, an Beroſo ipſomet, erronea illa ſit annorum conſignatio, haud facile dixerim. Id notum, libro *Antiquitat.* X. *c.* 12 a Joſepho tribui Ewilmerodacho annos XVIII. & Nirigliſſoroori annos XL. qui, cum alias ſit ſectatus Beroſum, argumentum dat, quanti ſoleant in numerandis annis per librariorum incuriam (neque enim dixerim hoc ab ipſomet eſſe Joſepho) errores ſuccreſcere. Ceterum Ewilmerodachum quinque annos regnaſſe, teſtatur quoque in Chronico Græco, nondum typis edito, Georgius ille, qui

ἁμάρ-

Digitized by Google

ἀμάρτωλον & Syncellum ſeſe dixit, alius tamen ab illo celebri Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani Syncello Georgio. Ita enim habet codex V. C. Thomæ Reineſii, quem inſpexi: μέτα δὲ Ναβυχοδονόσορ ἐβασίλευσεν Ουιλμερόδοχ υἱος αὐτῦ ἔτος ε. Non eſt quidem ſcriptor iſte magni pretii, videtur tamen & ille incidiſſe in meliorem annorum iſtorum annotationem.

CAPUT XV.

Hiſtoriam Ægyptiam Herodoti, a Pſammitticho uſque ad Cambyſem, Sacris literis, adeoque veritati, ſic ſatis eſſe conſentaneam.

QUæ de regibus Ægypti narrat Herodotus, alia ſibi a ſolis Ægyptiis accepta profitetur, alia autem ſimul ab aliis, Græcis puta, eoque ſuæ gentis hominibus. Ubi enim eorum hiſtoriam ad Sethonem uſque, Vulcani Sacerdotem, aut potius duodecim ἄρχοντας, hujus ſucceſſores perduxiſſet, ſcribit: *Atque hæc quidem Ægyptii ajunt. Quæ vero ceteri homines cum Ægyptiis conſentientes memorant in hac regione fuiſſe geſta, hæc jam explicabo.* Prudenter profecto. Etenim in quæ & aliæ gentes cum Ægyptiis conſentiunt, majoris utique ſunt fidei atque illa, quæ ſolo Ægyptiorum teſtimonio nituntur. A Pſammitichi autem ætate non potuerunt ſane Græcis ignotæ eſſe res Ægyptiorum, utpote quum ab eo uſque tempore Ægyptus acceperit colonias Græcas, & inter utrumque populum floruerint commercia. Recte enim Herodotus: *Poſt ſedes ab iſtis* (Jonibus & Caribus) *in Ægypto collocatas, Græci cum illis commercium habuerunt: & nos res in Ægypto geſtas, a Pſammitticho rege exorſi, quæ deinceps exſtiterunt, ea ſine ambiguitate nota habemus.*

Cum vero autem illa conſentire, argumento etiam eſt codex Sacer, utpote quum ea, quæ de Ægypti regibus ſcribit, ſic ſatis accurate conveniant cum nominibus, temporibus, & rebus geſtis regum Ægyptiorum uſque a Pſammitticho ab Herodoto commemoratis. Ita Pſammitichum poſt undetriginta annorum obſidionem Azoton amplam Syriæ urbem cepiſſe, ſcribit Herodotus. Azotum autem ſive Aſdod magnam cladem fuiſſe paſſam, etiam ex Jeremia colligere eſt; qui anno primo Nebucadnezaris juſſus eſt a Deo cum aliis, tum *reliquiis Azoti* imminentes calamitates annunciare, *cap.* XXV. *v.* 20. Nechus rex, Pſammitichi ſucceſſor nominatim memoratur in Sacris voluminibus aliquoties. Quod porro

Digitized by Google

Herodotus memorat, illum cum Syris terreſtri acie congreſſum in Magdolo, victoriaque potitum eſſe, & poſt prælium Cadyti magna Syriæ urbe; optime quadrat victoriæ Nechi contra Joſiam regem, quæ memoratur *l.* 4 *Regum cap.* XXIII. 29. & 2 *Paralipom.* XXXV. 20. Tantum locus prælii perperam ab Herodoto appellatus eſt Magdolum, cum ſit Mageddum: decepto indubie affinitate vocis, quodque Magdolum eſſet notius, utpote urbs Ægypti, cujus regionis omnia Herodoto fuerunt notiora Syriacis aut Palæſtinis. Imo veroſimile videtur, Cadytum illam Herodoto memoratam, eſſe ipſam Hieroſolymam, iſthoc forte nomine Ægyptiis olim appellatam: certe poſt prælium hanc captam a Necho, manifeſtum eſt ex 2 *Paralipomen.* XXXVI. 3. Incidit autem illa victoria Nechi in annum ejus fere quintum, ſi Herodoti & Sacri codicis hiſtorias temporum conferamus. Ad illud, quod Herodotus narrat, Nechum claſſibus etiam pugnaſſe, referendum fortaſſis eſt id, quod Jeremias innuit *cap. XLVII.* 1. 2. Gazam a Pharaone percuſſam eſſe: portu quippe nobiles fuiſſe quondam Gazæos, vel ex Strabone conſtat. Nihil habet quidem Herodotus de bellis Nechi & Nabuchodonoſaris, ea tamen tempora Necho aſſignat, ut primus Nabuchodonoſaris annus, quo Nechi exercitum ad Euphratem devicit, teſte Jeremia *cap.* XLVI. 2. imo omnia, quæ hactenus fuerant juris Ægyptii ab Euphrate uſque ad Nilum, in ſuam poteſtatem redegit Nabuchodonoſar, ut habetur 4 *Reg.* XXIV. 7. incidat in annum Nechi circiter octavum.

De Pſammis regis memorabilibus geſtis non in Herodoto minus, quam in Sacro codice altum eſt ſilentium. Quando Hieroſolymam cepit Nabuchodonoſor, Ægypto præfuiſſe jam forte in quintum annum regem Apriem, tempora ab Herodoto indicata ſupputantibus manifeſtum eſt. Jeremias vero *cap.* XLIV. 30. regem illum appellat itidem Hophra. Eundem occiſum iri ab hoſtibus, ſanctus vates prædicit, & factum eſſe, narrat Herodotus. Quæ de Apriæ tamen fortuna ſcribit Herodotus, non videntur cum Sacris literis conſentire. Herodotus enim diſerte teſtatur, fuiſſe illum ſecundum Pſammitichum, omnium illius ætatis regum fortunatiſſimum, donec clade ingenti a Cyrenæis accepta, ſubditi adverſus illum rebellaverunt, a quibus per Amaſim victus & poſt occiſus ſit. Contra & Jeremias *cap.* XLIII. XLIV. & XLVI. & Ezechiel *cap.* XXIX. XXX. XXXI. XXXII. conſtanter uno quaſi ore Ægypto ejuſque regi excidium minitantur per regem Nebucadnezarem. Quæ vaticinia, ſi effectu non caruerunt, neceſſum eſt, calamitates illæ evenerint tandem regi Apriæ, ut

cujus

Digitized by Google

cujus annus ultimus incidat forte in Nabuchodonoſaris quadrageſimum, Nabonaſſarææ æræ CLXXVII. Sane ſolere nonnunquam Deum commeritas & indictas pœnas ſive remittere, ſive differre in aliud tempus, notum eſt. Non auſim tamen profiteri, nihil mali ſecutum tantas Dei minas: eoque veriſimilius videtur dictu, lapſum memoria, aut falſis narrationibus Herodotum, Cyrenæis adſcripſiſſe cladem illam, quæ Apriæ hactenus fortunato exitium attulit, quum tribuenda fuerit Babyloniis. Neque vero ſolæ Sacræ literæ nos docent, mala ejuſmodi Deum Ægyptiis minitatum: ſed & Megaſthenes olim tradidit, a Nabuchodonoſare Africam domitam, incolis inde in Ponto proximas regiones abductis, quod fieri non potuit, niſi ſubacta ante Ægypto. Habet vero illud ex Megaſthene Strabo *l.* xv. Joſephus *l.* I. *contra Apionem*, Abydenus apud Euſebium *l. IX. προπαρασκ. cap.* 41. Joſephus ipſe *l. X. ἀρχαιολογίας c. XI.* ſcribit: Τῷ πέμπτῳ τῆς Ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὃ ἐστὶ τρίτον καὶ εἰκοστὸν τοῦ Ναβεχοδονοσόρου, στρατεύει ὁ αὐτὸς ἐπὶ τὴν κοίλην Συρίαν, καὶ καταχὼν αὐτὴν, ἐπολέμησε καὶ Ἀμμωνίτας καὶ Μωαβίτας, ποιησάμενος δὲ ὑπήκοα ταῦτα τὰ ἔθνη ἐνέβαλεν εἰς τὴν Αἴγυπτον καταστρεψόμενος αὐτήν. καὶ τὸν μὲν τότε βασιλέα κτείνει, καταστήσας δ' ἕτερον τῆς ἐν αὐτῇ πάλιν Ἰουδαίους αἰχμαλωτίσας ἤγαγεν εἰς Βαβυλῶνα. *Quinto excidii Hieroſolymitani anno, qui eſt viceſimus tertius Nabuchodonoſaris, exercitum duxit ille in Syriam Cavam, eamque obtinens oppugnavit & Ammonitas & Moabitas. Subactis autem ſibi illis gentibus trajecit in Ægyptum, eamque ſubvertit. Ac regem quidem qui tum erat occidit, alio autem conſtituto, qui ibi erant Judæos iterum capiens abduxit in Babylonem.* Hæc Joſephus. Verum haud parum dubito, num id ipſum certo aliquo fultus teſtimonio narret. Certe aut omnia, quæ de Apriæ & Amaſis temporibus narrat Herodotus, itidem ſunt falſa, aut id certe falſum eſt, omnia hæc contigiſſe quinto poſt Hieroſolymitanum excidium anno, utpote quum ille ab ultimo Apriæ ſic ſatis diu abſit. Quidquid vero ſit de Joſephi teſtimonio illo, tamen Ægyptum male eſſe a Nabuchodonoſare mulctatam, non ſane videtur temere eſſe negandum.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ægyptios ipſos non videri habuiſſe rerum ſuarum paulo antiquiorum certam hiſtoriam literis conſignatam.

RErum Ægyptiarum hiſtoriam a Pſammiticho uſque, qualis illa tradita eſt ab Herodoto, ſic ſatis eſſe ſimilem vero, ex iis, quæ diximus, eſt manifeſtum. Reliquæ autem omnis antegreſſi ævi longe alia videtur eſſe ratio. Etenim in ea nihil nos poſſunt juvare teſtimonia aliarum gentium, unam ſi Judaicam excipias. Græcis ſane ante Pſammitichum nihil cum Ægyptiis fuiſſe commercii, abunde teſtatur Herodotus. Strabo etiam *l. XVII.* diſerte ſcribit, primis Ægypti regibus, omnes navigantes fuiſſe inviſos, imprimis Græcos, quod prædones eſſent & piraticam exercerent. De Pſammiticho etiam Diodorus *l. 1. cap. 67. Primus omnium Ægypti regum gentibus aliis peregrinæ regionis emporia patefecit, magnamque navigationibus exterorum ſecuritatem præſtitit; nam rerum ante ipſum potiti inacceſſam peregrinis Ægyptum faciebant, appulſos vel morte vel ſervitute mulctantes. Buſiridis equidem impietatem inhoſpitalitas gentis tam famoſam Græcis reddidit.* Merito proinde in dubium quiſque prudentior vocaverit, num quam fidem mereantur etiam illa, quæ ſoli Ægyptiorum ſacerdotum narrationi ſeſe debere, diſerte Herodotus noſter profeſſus eſt. Et quidem dixerit hoc fortaſſis, quoniam eſt veroſimile, ſacerdotes notaſſe res quaſque memorabiles, ex libro autem recenſita ſibi, ſi non omnia, ſaltim pleraque a ſacerdotibus, ſcribit Herodotus.

Ceterum eſto, ex libro omnia illa fuerint narrata, tamen non poſſe quem tuto credere iſti narrationi, argumento eſt, quod vel ipſis Ægyptiis ſacerdotibus defuerint antiqui annales fide digni, vel vero nemo illorum ex monumentis iſtis integra fide quidquam aliis retulerit. Utrum horum ſit verius, haud facile fortaſſis eſt definitu. Neque enim videtur veroſimile, defuiſſe Ægyptiis tanto in ſacerdotum numero, qui ſaltim rudi modo confecerint annales, quum apud Romanos, doctrinæ haud perinde deditos, hanc curam ſibi ſumpſiſſe Pontifices maximos uſque ad P. Mucium, ex unius M. Tullii libro, quem de Oratore inſcripſit, abunde notum eſt. Sed & Fl. Joſephus *l. 1. contra Apionem* affirmat, in gente Ægyptiorum publica auctoritate res geſtas quaſque memoriæ traditas

Digitized by Google

traditas esse. Si tamen hoc factum, necessum profecto est, vel illos Ægyptiorum non bona fide ab omnibus esse sacerdotibus conscripta, vel vero nihil pene ex illis monumentis ad alios sincera fide perveniſſe.

Hoc ipsum autem liquet sole clarius, primum ex miro dissensu narrationum Ægyptiacarum. Etenim res gentis illius regum ex sacerdotum ore etiam Diodorus Siculus prodidit, exserte scribens *l.* 1. *cap.* XLIV. *De omnibus sacrorum librorum monumenta habent sacerdotes, per longam a vetustissimis temporibus successionem tradita: quanta cujusque magnitudo, qualis natura fuerit, & quid suo quisque tempore egerit.* Similiter Manethon Sebennita, sacerdos Heliopolitanus, historiam suam (quam ab ipso mundi initio exorsus ad Darium Codomannum perductam tribus tomis obtulit Ptolemæo Philadelpho, ceu videre est in Eusebii Chronicis) itidem sibi descriptam ex antiquissimis libris est professus. Eusebius excerpta operis daturus, ita loquitur: *Ex libris Manethonis Sebennitæ, qui cum temporibus Ptolemæi Philadelphi summus sacerdos sacrorum esset, (Ægypti idolorum) eruit ista ex columnis in Seriadica terra positis, sacra, ut ait, dialecto, & hierographicis literis, notatis a Thoyt, primo Mercurio, & interpretatione versis post diluvium ex Sacra lingua in Græcam per literas hieroglyphicas, & in libris ab Agathodæmone, altero Mercurio, patre Tat, in adyta Ægyptiorum sacrorum relatis. Quæ dicavit eidem regi, secundo Ptolemæo, in Sothios libro ita scribens.* Subjungit vero Eusebius epistolam ad Philadelphum, in quibus ipse inter alia dicit, secutum sese ἱερὰ βιβλία γραφεῖα ὑπὸ τοῦ προπάτορος Τρισμεγίστου Ἑρμοῦ. Josephus quoque *l.* 1. *contra Apionem* semel iterumque ait, Manethonem professum esse, suam historiam descriptam ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων. Indubie ad similia monumenta provocavit in sua Ægyptiorum Historia Chæremon ἱερογραμματεὺς & ipse Ægyptius. Fecit idem Ptolemæus Mendesius, utpote & ipse sacerdos, teste Tatiano *orat. contra Græcos*, & Clemente Alexandrino *l.* 1. *Stromat.* & ex iis Eusebio *l. X.* προπαρασκ. *cap. III.* Apionem quoque, hominem itidem sanguine Ægyptium, ad narrationes majorum natu Ægyptiorum provocasse, liquet ex *l.* 2. Josephi, quem homini isti opposuit.

Verosimile forte omnino est, etiam Græcos alios Ægyptiacarum Antiquitatum scriptores, saltim sacerdotales traditiones habuisse pro testimonio suarum narrationum. Scripsit autem res Ægyptias Leon quidam, teste Hygino *in Poetico Astronomico*, Euagoras Lyndius teste Suida, ac Lyceas Naucratita, cujus Αἰγυπτιακὰ citat Athenæus *l. XIV.* ut quædam

Digitized by Google

ex Lysimacho Alexandrino recitat Josephus *l.* 1. *contra Apionem.*

Plerorumque porro horum pauca quidem hodie superant; collata autem inter sese de una eademque re, tantum dissidii in iis deprehendere est, ut major esse non possit. Una Judæorum historia sufficit pro exemplo apud Diodorum, Manethonem, Chæremonem, Ptolemæum Mendesium, Apionem, Lysimachum: & tamen ab his omnibus diversa plane, veritati tamen affiniora, ex Heliopolitanorum & Memphiticorum sacerdotum quorundam ore refert Artapanus *l.* IX. προπαρασκ. *c.* 26. apud Eusebium. Recte vero Josephus *l.* 1. *contra Apionem*: τῆς ἀληθοῦς ἐστὶ τεκμήριον ἰσορίας, εἰ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαντες ταῦτα καὶ λέγουσιν καὶ γράφουσιν. Certe si quæ certa fuerint apud Ægyptios monumenta, non eam habuissent historiæ suæ patriæ discordiam.

Secundo confirmat hoc ipsum mirifice illud, quod de Pyramidum exstructione, re utique summe digna memoratu, Ægyptii nihil certi potuerint tradere. Aperte Diodorus *cap.* 64. *De Pyramidibus nullus omnino, nec apud indigenas, nec inter scriptores est consensio.*

Cumprimis vero quanti sit facienda in universum fides Ægyptiacæ historiæ, arguunt fabulæ saltim illæ (alias enim non attingam,) de diuturno per illas terras imperio Deorum & Semideorum, quas tamen sacrosanctas creditas fuisse illi populo, liquet ex ejus recepta theologia, quodque non tantum Herodotus & Diodorus, sed etiam Manethon illas in commentarios retulerint.

CAPUT XVII.

Manethonis Ægyptii historiam magna ex parte fuisse fabulosam.

HÆc sane accurate attendentibus haud difficile pronunciatu videtur, ei, quæ Psammitichi tempora antecedit, Ægyptiorum historiæ, utpote solorum Ægyptiorum narrationibus nitenti, non posse tuto fidem adhiberi, quemcunque etiam placuerit ducem sectari.

Scaliger, vir sane maximus, non dubitavit quidem Manethonem præ aliis commendare; eoque dynastias illius Ægyptiacas omnes, ex Georgio Syncello, sive malis, ex ipso Julio Africano, Eusebii excerptas secundo Canonum Isagogicorum libro inseruit. *Manethoni enim huic exploratiora fuisse, utpote & Ægyptio & sacerdoti, quam Herodoto, homini*

Digitized by Google

mini peregrino, & cui per malitiam Ægyptii imponere potuerunt, aut cui per linguæ Ægyptiacæ inſcitiam omnia ex illorum relatu aſſequi non licuit. Ita enim loquitur *l.* 3. *Canon. Iſagogicor.* 1. *pag.* 274. Verum haud ullo colligere eſt indicio, Ægyptiis ſacerdotibus fide dignam fuiſſe antiquarum rerum hiſtoriam, aut vero Manethonem tradidiſſe omnia prout acceperat. Sacerdotes illos præter meritum hiſtoriæ veteris peritia ſeſe jactitaſſe, paulo ante oſtendimus; Manethonem autem ſcriptorem fuiſſe fabuloſum, abunde conſtat ex iis, quæ unus Joſephus *l.* 1. *contra Apionem* prolixe illi objecit circa res Judæorum. Certe ridicule oſtentat ſeſe antiquiſſimis monumentis ſive Hermetis, ſive aliis, ex columnis, hieroglyphica literatura inſignitis, ante diluvium deſcriptis. Ut enim tales aliquas fuiſſe haud negemus, quid juverint hiſtoriam dynaſtiarum, quas ipſe vult a diluvio demum Ægyptiis imperaſſe? Per eſt præterea veroſimile, illud, quod Diogenes Laertius *in proœmio* ſcribit, a Vulcani Nili filio ad Alexandrum numerare Ægyptios ἔτων μυριάδας τεσσάρας, καὶ ὀκτακισχίλια ὀκτακόσια ἔτη ἑξήκοντα τρία, ex Manethone deſumptum eſſe, utpote cum hujus τῶν φυσικῶν ἐπιτομὴν paulo poſt idem Laertius nominatim citet teſtem. Etſi enim dynaſtiæ Manethonianæ, apud Syncellum, ad Alexandrum uſque habeant tantum annos quinquies mille trecentos ſexaginta quinque, tamen immenſum prope tempus illud attribuit Deorum imperio. Eſt autem revera omnium mendaciorum calidiſſimum: utpote quum Diodoro Siculo ſacerdotes Ægyptii ab Oſiride & Iſide ad regnum Alexandri annos numeraverint tantum plus decies mille, vel paulo minus ter & vicies mille; Herodoto autem ab imperio duodecim deorum ad Amaſim ſive Cambyſem uſque annorum quindecim millia.

Dixeris forte, Manethonem minus tamen peccare in definiendo tempore dynaſtiarum humanarum, quam Herodotum, ut qui tempori illi ad Sethonem uſque, Vulcani ſacerdotem, adſcribat trecentos quadraginta unum reges, annos autem undecim mille trecentos & quadraginta. Fateor. Peccat tamen & ipſe graviter, longiſſime ultra mundi conditi initium exporrigens δυναστείας ſuas Ægyptiacas. Nec vero juvat Manethonem ingenioſa Gerardi Joannis Voſſii V. Cl. excuſatio, quam refert *l.* 2. *Idololatr. cap.* 28. annos illos Manethonios eſſe non explicitos, ſed cum aliis concurrentes, uno ſcilicet eodemque tempore pluribus dynaſtiis Ægypto imperantibus. Nihil inquam, hoc juvat Manethonem, ut qui utique cenſuerit, annos illos omnes non collaterales eſſe, ſed ſucceſſorios, imo con-

Digitized by Google

concurrentium uno eodemque tempore dynaſtiarum vix ſemel meminerit. Certe in commemorandis regibus etiam alios ſacerdotes non cogitaſſe de illis collateralibus dynaſtiis, manifeſtum eſt etiam ex Herodoto, Diodoro, aliis. Ut taceam, ne quidem in Sacra hiſtoria Hebræorum ejus aliquod reperiri veſtigium.

CAPUT XVIII.

Quæ Herodoto Ægyptii ſacerdotes quondam de rebus ſuæ gentis narraverunt, plus habere veriſimilitudinis, quam alias aliorum Ægyptiorum narrationes.

QUod ſi quis conjecturæ locus eſt in re dubia & obſcura, malim pronunciare, Herodotum incidiſſe in ſacerdotes minus reliquis fabuloſos, quique res Ægyptias ſaltim a Seſoſtris uſque ætate ſic ſatis bene habuerint cognitas.

Etenim ſi quid veri ſubeſt famoſæ Seſoſtris expeditioni, neceſſum eſt, iſthoc nomine venire illum, qui in Sacra Hiſtoria 1. *Reg. cap. XV.* 25. audit Seſak, quod Joſepho etiam eſt obſervatum *l. IIX. Antiq. c. IV.* utpote quum unius hujus præter Nechum fiat mentio in codice illo Sacro, qui ex Ægypto moverit in Palæſtinam. Neque enim a Seſoſtri non paſſa eſt calamitatem terra illa, ſi quid veri habet hiſtoria, nec Sacri codices tantum damnum ſilentio præteriiſſent. Satis exacte autem conveniunt Seſoſtris illa tempora cum ævo Salomonis & Rehabeami, ſi Herodotum ſequamur. Numerat quippe pater ille hiſtoriæ Græcæ a Seſoſtri ad Sethonem Vulcani ſacerdotem, adeoque ad Sennacheribum, reges decem, quot ætates ſpatium annorum trecentorum circiter abſolvere facile poſſunt.

Similiter Sethonis & nomen & tempus, quod eſt apud Herodotum, cum iis, quæ *l. IV. Reg. c. XVII. v.* 4. de So, rege Ægyptiorum narrantur, cujus contra Aſſyrios opem imploraverit Hoſea rex Iſraelitarum ultimus, optime conveniunt.

Eodem tempore Sennacheribum Aſſyriorum regem non vixiſſe tantum, ſed etiam, cum in Ægyptum moviſſet, inopinata exercitus nocturna clade territum receſſiſſe, liquet ex IV *Reg.* XIIX. 2 *Paralip.* XXXII. *Eſaiæ* XXXVI. Ipſum vero illud nomen Sennacheribi, ut & memoria expeditionis,

Digitized by Google

nis & ſingularis cujuſdam damni, quod una nocte paſſus fuerit Aſſyrius, reperiuntur apud unum Herodotum: non Diodorum, non Manethonem, non Ægyptiarum rerum ſcriptores alios: etſi non omni ex parte veræ etiam ſint ipſæ illæ Herodoti narrationes, & peſtis illa exercitus nocturna mutaverit in murium fabulam; niſi & hoc non minus vere ſimul quam peſtis illa contigerit. Ab hoc Sennacheribo graviter paſſam eſſe Ægyptum, inter ſeſe & a rege ſuo tum diſſidentem, haud difficile liquet ex Herodoto; quæ omnia mirifice illuſtrant vaticinia Jeſaiæ *cap.* XVIII. XIX. & XX. Narraverat autem illa Sennacheribi cum Ægyptiis bella etiam in Babylonica hiſtoria Beroſus, teſte Joſepho *l. X. Antiquit. cap.* I. ubi tamen Beroſi ipſa verba exciderunt.

Quod porro itidem eſt apud Herodotum, Proteo rege Paridem cum rapta Helena, ut & poſt Menelaum in Ægyptum adveniſſe, mirifice confirmantur iis, quæ Virgilius cecinit de Ænea & Didone. Conſtat quippe ex annalibus Phœnicum, quorum excerpta nobis dedit Joſephus, a Didone Carthaginem conditam circa annum Mundi 3060. quo tempore in vivis eſſe adhuc potuiſſe Proteum, alterum illum a Seſoſtri, non poteſt dubitari. Certe ſi quod veri ineſt illi Virgiliano carmini, circa iſthæc demum tempora Ilii excidium contigit: quod Herodoto ipſi, viro utique magni judicii, & antiquitatum ſuæ gentis peritiſſimo, itidem placuiſſe manifeſtum eſt. Idem ſane viſum eſt illis, qui in regis Ramiſis ætatem Trojæ ἅλωσιν retulerunt, teſte Plinio *l.* XXXVI. *c.* 8. Eſt enim Ramiſes plane ille Ramſinitus, qui Herodoto eſt ſucceſſor Protei. Imo non aliud videtur & Theopompo creditum, dum Homerum voluit vixiſſe Olympiade XXII: ducentos enim circiter annos vulgo poſt Trojæ cladem exiſtimatur poeta ille claruiſſe.

Ceterum quæ ante Seſoſtrem contigerunt, videntur Herodotei illi Ægyptiorum ſacerdotes ignoraſſe, eoque tantum tegendæ inſcitiæ ſuæ dixiſſe, omnes Seſoſtris anteceſſores nullum memoratu dignum facinus commiſiſſe. Cui enim fiet veriſimile, trecentos & triginta reges inglorie duxiſſe vitam per annos plusquam decem mille? Memorabile tamen, quod Pharaonis vox, ex eorum relatione, apud unum Herodotum quodammodo ſit conſervata, dum traditur in regum ſucceſſione Piromin Piromi ſemper ſucceſſiſſe; eſt autem Piromin idem quod Græce καλοκαγαθὸν. Ex Herodoto ſane videtur idem hauſiſſe Syneſius *l.* I. *de providentia.*

Quos Diodorus Siculus conſuluit ſacerdotes, a vero plus quam Herodoteos illos abiiſſe, vel una doceat hiſtoria regum a Seſoſtri vel Seſo-

Digitized by Google

usi usque ad Psammitichum, quæ legitur a *cap.* 53. usque ad 66. Tempora certe cum Sacra historia omnino nihil habent affinitatis. Ne quidem illa, quæ a Psammiticho usque ad Amasis excidium & Persarum regnum habet Diodorus, ita cum Sacris conveniunt, atque Herodotea, utpote quæ Nechi regis nec verbulo meminerint. Taceo nunc illa portentosa mendacia: *Imperarunt, ut quidam ex ipsis fabulantur, initio in Ægypto Dii & Heroes annos paulo minus octies & decies mille, ultimusque rex fuit Horus, Isidis natus. Ab hominibus autem regnatum per quindecim fermè millia annorum ad centesimam usque octogesimam Olympiadem, quamos Ægyptum accessimus.* Scripserat vero Diodorus *cap.* XXIII: *Annos ab Osiride & Isidè numerant ad Alexandri regnum plus decies mille, vel ut nonnulli scribunt, paulo minus ter & vicies mille.* Item *cap.* XXVI. *Sacerdotes Ægyptiorum, facta supputatione temporum, a regno Solis ad Alexandri transitum in Asiam annorum XXIII millia circiter colligunt.* Item illud *cap.* LXIX: *ultra quater mille & septingentos reges indigenas Ægyptum gubernasse.*

Res Ægyptiorum a Psammiticho usque exactius tradi ab Herodoto, quam a Manethone, ipsemet Josephus Scaliger coactus est fateri: eoque etsi in XXV. dynastiis Manethonem, in vigesima sexta tamen Herodotum sequitur, *quod consentanea Historiæ Biblicæ scribat.* Videatur *l.* III. *Canon. Isagogicor. pag.* 333. Et vero secundum meam computationem primus Nabuchodonosaris fuerit etiam primus Psammitichi, si Manethonem sequaris: debebat autem incidere in aliquem annum Nechi regis. Si in his autem major fides habenda Herodoto quam Manethoni, cur, amabo, in aliis prætulerimus hujus fidem, ductu Scaligeri, optimo Herodoto?

Porro nec anteriora tempora si spectemus, aliquis juxta Manethonem vixit Ægyptiorum rex ætate Hoseæ regis, cujus nomen alludat ad So, in Sacris laudatum, sive illum dynastiarum catalogum sequamur, quem recitat Eusebius, sive quem pro arbitratu interpolavit Scaliger. Nec enim verosimile est, quod ille ait, Bocchorim So Judæis audisse quod esset Saites: ne dicam Hebræis *Soan*, quæ vox affinissima possit videri, esse Tanin, Saim autem iisdem est Sin, ut sane perpetuo hasce voces interpretantur LXX Seniores, Ægypti regionum gnari. Aliqua convenientia quidem est vocum Τάρακος apud Eusebium, & Tiraka Æthiopis apud Jesaiam *cap.* XXXVII. Sed tempora non conveniunt, utpote quum ille Æthiops vixerit quo tempore in Ægyptum movit Sennacheribus, Tarakos autem Manethonis quinquaginta demum post annis. Nec est satis

satis consentaneum historiæ Sacræ, Tirakum rerum fuisse potitum per Ægyptum; videtur enim potius suppetias voluisse ferre Ægyptio regi, idem forte cum eo, quem Megasthenes apud Strabonem *l.* 35. memorat Tiarkonem Æthiopem, qui expeditione suscepta ad Herculis usque columnas pervenerit.

Ad hoc juxta Manethonem Salomonis & Rehabeami ætate non vixit Sesostris, aut aliquis expeditione in Palæstinam facta clarus, imo non vixit aliquis, cui, quæ fuit nominis affinitas cum Sesak, Sacris literis memorato.

Porro quæ de Pastorum & Judæorum ex Ægypto in Palæstinam transitu ex Manethone refert Josephus, illa utique a Sacris historiis absunt quam longissime. Vanitatem quoque eorum omnium accurate ostendit Josephus *l.* 1. *contra Apionem.* Non convenire præterea cum Assyriorum etiam historia id, quod ibi legitur de Assyriorum jam tum metuenda potentia, ex supra dictis est clarissimum: quibus ostendimus, non fuisse illud imperium magnæ amplitudinis, nisi ultimis pene temporibus; certe non iis, quibus Hycsos aut Judæos vult ex Ægypto migrasse Manethos. Taceo complura alia.

Certe nihil est, cur Manethoni plus fidei debeas quam Herodoto, quantumvis monumentorum antiquorum lectione sese jactitaverit, vel genere Ægyptius fuerit, & dignitate sacerdos. Enimvero omne illud sacerdotum genus nulla polluisse solida doctrina, sed vanitate laborasse quam maxime, & turpibus mendaciis affectasse scientiæ opinionem in vulgus, liquido alias demonstramus.

Alios Ægyptiarum rerum scriptores non est pretium operæ cum Herodoto contendere, utpote quum nemo superfit, a quo multa hujus argumenti liceat petere, quæ in contentionem mereantur venire. Sed &, qui inter eos celeberrimus est, simulque & ipsemet fuit ἱερογραμματεὺς & domo Ægyptius, Chæremon ejus & inscitia & arrogantia, illis est coloribus depicta a Strabone *l.* XVII. ut turpe fuerit cum iis Herodotum committere. Unum Artapanum miror, qui nactus sit illa de Judæorum ex Ægypto migratione vero maxime omnium affinia, quæ Clemens Alexandrinus recitat *l.* 1. *Stromat.* & post illum Eusebius. Certe si illa accepit a sacerdotibus, deprompta ex monumentis antiquis quibusdam, illa Heliopolitanorum non potuerint satis laudari. Sed vereor ne sint recentius conficta.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Diagramma plerorumque eorum, quæ de dynastiarum temporibus sunt disputata.

QUæ hactenus disputavimus clarissima fuerint, si oculis ipsis in tabula exponantur. Universa tamen ita exhibere operosum est & inutile: eoque fortasse sufficit, si duntaxat a Medorum usque primordiis ad extrema regni prisci Ægyptiaci, quando illud juris factum est Persici, proponantur in medium: utpote cum illo temporis spatio pleraque memoratu digna, quæ quidem nos tetigimus hac disquisitione, contigerint.

Igitur esto quasi pro norma, præcipua quidem periodus Juliana, subtile illud Josephi Scaligeri inventum, secundaria vero Æra Nabonassaræa, epocha hujus alligata ad annum periodi Julianæ 3967. prout non Scaligero tantum ejusque asseclis, sed & ipsi Dionysio Petavio visum est.

Ponatur porro, primum Cyri annum Persicum esse periodi Julianæ 4154. Nabonassaræum 188. Sane ut ita ponamus, jubent nos veteres Græcorum historiæ, quæ annum illum unanimi consensu nectunt cum anno 1 Olympiadis quinquagesimæ quintæ; ceu fatentur etiam recentiores, interque eos ipsi principes Chronologicæ rei, Scaliger & Petavius. Atqui initium Olympiadum incidit in annum periodi Julianæ 3938. quemadmodum operose post Scaligerum etiam Petavius demonstravit *l. 9. doctr. Temp. c. 37. & seq.* Itaque non potest non primus quinquagesimæ quintæ Olympiadis esse ejusdem periodi 4154. Hoc autem posito Cyri primordio, quum illud sit cardinis loco in supputationibus rerum Medicarum, Ægyptiarum aliarumque patebit veritatis nostri diagrammatis. Haud me latet, si Canoni Mathematico sit fidendum, uno anno serius, nempe 4155. cœpisse Cyrum, idque recte a Scaligero, Petavio & aliis esse observatum. Sed quare illius debeat prævalere auctoritas, non video. Quod si tamen cui tanti est, per me licet, illam sequatur. Fuerint vero ita Medorum etiam Ægyptiorumque tempora uno anno serius locanda, adeoque initium regni Medici cum anno 3999. Psammitichi cum 4044. connectenda. Qua in re nihil est incommodi.

Extra controversiam denique nunc collocabimus: annum Ezechiæ XI. esse periodi Julianæ 3994. Nabonassaræum 28. sequuti hac in re variis de

Digitized by Google

de causis supputationem illam alteram temporum Judaicorum, quam Scaligerianæ adjunxit Helvicus. Non repugnabimus tamen multum, si quis biennio serius velit illa Judaica tempora cum aliis supputare, observata etiam in hoc ipso Canonis Mathematici fide, ut cui primus Babylonius Cyri annus est Nabonassaræus 210. ultimus Nabonidi 209. quem ultimum esse septuagenariæ captivitatis Judæorum, nos demonstravimus. Neque vero, quæ nos disputavimus, quidquam detrimenti accipiunt, & licet hoc malis: utpote quum etiam ita inciderit defectio Medorum in tempora illius divinæ cladis Assyriorum & mortis Sennacheribi; imo sic a regum Babyloniorum annis in Canone Mathematico notatis biennio minus dissentiamus. Sequimur vero illum Canonem & nos in regibus Babyloniis, usque ad Nabopolassarem, quoad licet, tantum ob defectum meliorum certiorumque. Deinceps nimirum omnino abeundum esse ab illo, jam domonstravimus.

Ceterum hisce præmonitis, licet jam diagramma ipsum proponere.

Digitized by Google

Jul.	Nab.	Reg. Jud.	Reg. Assyr.	Reg. Babyl.	Reg. Med.	Reg. Ægypt.
3994	28	11	Assyriorum res maxime florent. Sennacheribi exercitus perit & ipse occiditur: succedente filio Assarhaddon sive Sardanapalo.	2 Mardokempad. sive 3 Merodach 4 Baladan. 5 6 7 8 9 10 11	Medi desiciunt ab Assyriis, & primis sex annis degunt sine rege.	Setho Vulcani sacerdos sive So.
3995	29	12 Ezechias.				
3996	30	13				
3997	31	14				
3998	32	15				
3999	33	16				
4000	34	17				
4001	35	18				
4002	36	19				
4003	37	20				
4004	38	21		12	1 Dejoces.	
4005	39	22		1 Arcianus.	2	
4006	40	23		2	3	
4007	41	24		3	4	
4008	42	25		4	5	
4009	43	26		5	6	
4010	44	27		1 Interregnum I.	7	
4011	45	28		2	8	
4012	46	29		Belibus.	9	
4013	47	1		2	10	
4014	48	2 Manasses	Ninus quidam rex post Sardanapalum memoratus Castori Rhodio.	3	11	Duodecim reges circa hæc tempora Ægypto inter sese divisæ imperant.
4015	49	3		1 Apronadius.	12	
4016	50	4		2	13	
4017	51	5		3	14	
4018	52	6		4	15	
4019	53	7		5	16	
4020	54	8		6	17	
4021	55	9		1 Rigebelus.	18	
4022	56	10		1 Mesessimordacus.	19	
4023	57	11		2	20	

Digitized by Google

Jul.	Nab.	Reg. Jud.	Reges Assyror.	Reg. Babyl.	Reg. Med.	Reg. Ægypt.
4024	58	12		3	21	
4025	59	13		4	22	
4026	60	14	Assyrii Manassen	1 Interre-	23	
4027	61	15	bello victum Ba-	2 gnum II.	24	
4028	62	16	bylonem deduc-	3	25	
4029	63	17	cunt captivum,	4	26	
4030	64	18	eoque & Baby-	5	27	
4031	65	19	loniæ & Syriæ	6	28	
4032	66	20	omni adhuc im-	7	29	
4033	67	21	perant.	8	30	
4034	68	22		1 Assara-	31	
4035	69	23		2 dinus.	32	
4036	70	24		3	33	
4037	71	25		4	34	
4038	72	26		5	35	
4039	73	27		6	36	
4040	74	28		7	37	
4041	75	29		8	38	
4042	76	30		9	39	Psammiti-
4043	77	31		10	40	1 chus.
4044	78	32		11	41	2
4045	79	33		12	42	3
4046	80	34		13	43	4
4047	81	35		1 Saosdu-	44	5
4048	82	36		2 cheus.	45	6
4049	83	37		3	46	7
4050	84	38		4	47	8
4051	85	39		5	48	9
4052	86	40		6	49	10
4053	87	41		7	50	11

Digitized by Google

Jul.	*Nab.*	*Reg. Jud.*	*Reg. Assyr.*	*Reg. Babyl.*	*Reg. Med.*	*Reg. Ægypt.*
3994	28	11	Assyriorum res maxime florent. Sennacheribi exercitus perit & ipse occiditur: succedente filio Assarhaddon sive Sardanapalo.	2 Mardokempad. sive Merodach Baladan.	Medi defi- ciunt ab Assyriis, & primis sex annis degunt sine rege.	Sethro Vulcani sacerdos sive So.
3995	29	12	Eze-	3		
3996	30	13	chias.	4		
3997	31	14		5		
3998	32	15		6	1	
3999	33	16		7	2	
4000	34	17		8	3	
4001	35	18		9	4	
4002	36	19		10	5	
4003	37	20		11	6	
4004	38	21		12	1	Dojoces.
4005	39	22		1 Arcia-	2	
4006	40	23		2 nus.	3	
4007	41	24		3	4	
4008	42	25		4	5	
4009	43	26		5	6	
4010	44	27		1 Interre-	7	
4011	45	28		2 gnum I.	8	
4012	46	29		Belibus.	9	
4013	47	1		2	10	
4014	48	2 Manas-	Ninus quidam rex post Sardanapalum memoratus Castori Rhodio.	3	11	Duodecim reges circa hæc tempora Ægypto inter sese divisæ imperant.
4015	49	3 ses		1 Apro-	12	
4016	50	4		2 nadius.	13	
4017	51	5		3	14	
4018	52	6		4	15	
4019	53	7		5	16	
4020	54	8		6	17	
4021	55	9		1 Rigebelus.	18	
4022	56	10		1 Meſeſſi-	19	
4023	57	11		2 mordacus.	20	

Digitized by Google

Jul.	Nab.	Reg. Jud.	Reges Assyriorum.	Reg. Babyl.	Reg. Med.	Reg. Ægypt.
4024	58	12		3	21	
4025	59	13		4	22	
4026	60	14	Assyrii Manassen	1 Interre-	23	
4027	61	15	bello victum Ba-	2 gnum II.	24	
4028	62	16	bylonem deduc-	3	25	
4029	63	17	cunt captivum,	4	26	
4030	64	18	eoque & Baby-	5	27	
4031	65	19	loniæ & Syriæ	6	28	
4032	66	20	omni adhuc im-	7	29	
4033	67	21	perant.	8	30	
4034	68	22		1 Assara-	31	
4035	69	23		2 dinus.	32	
4036	70	24		3	33	
4037	71	25		4	34	
4038	72	26		5	35	
4039	73	27		6	36	
4040	74	28		7	37	
4041	75	29		8	38	
4042	76	30		9	39	
4043	77	31		10	40	Psammiti- 1 chus.
4044	78	32		11	41	2
4045	79	33		12	42	3
4046	80	34		13	43	4
4047	81	35		1 Saosdu-	44	5
4048	82	36		2 cheus.	45	6
4049	83	37		3	46	7
4050	84	38		4	47	8
4051	85	39		5	48	9
4052	86	40		6	49	10
4053	87	41		7	50	11

Digitized by Google

P. Jul.	Nab.	Reg. Jud.	Reg. Assyr.	Reg. Babyl.	Reg. Med.	Reg. Æg.
4054	88	42		8	51	12
4055	89	43		9	52	13
4056	90	44		10	53	14
4057	91	45		11	1 Phraortes.	15
4058	92	46		12	2	16
4059	93	47		13	3	17
4060	94	48		14	4	18
4061	95	49		15	5	19
4062	96	50		16	6	20
4063	97	51		17	7	21
4064	98	52		18	8	22
4065	99	53		19	9	23
4066	100	54		20	10	24
4067	101	55		1 Chynila-	11	25
4068	102	1 Ammon.		2 danus.	12	26
4069	103	2		3	13	27
4070	104	1 Iosias.	Zophonias exitium Nini prædicit.	4	14	28
4071	105	2		5	15	29
4072	106	3		6	16	30
4073	107	4		7	17	31
4074	108	5		8	18	32
4075	109	6	Assyrii rege Nabuchodonosare Phraortem Medum cum exercitus magna parte occidunt & Holoferno duce Syriam & Ciliciam recuperant.	9	19	33
4076	110	7		10	20	34
4077	111	8		11	21	35
4078	112	9		12	22	36
4079	113	10		13	1 Cyaxa-	37
4080	114	11		14	2 res.	38
4081	115	12		15	3 Scythæ	39
4082	116	13		16	4 devicto	40
4083	117	14		1 Nabopo-	5 Cyaxare	41
				lassar. 17	per Asiam dominantur annos viginti.	

Digitized by Google

P. Jul.	Nab.	Reg. Jud.	Reg. Assyrior.	Reg. Babyl.	Reg. Med.	Reg. Ægypt.
4084	118	15		2	18 6	42
4085	119	16		3	19 7	43
4086	120	17		4	20 8	44
4087	121	18		5	21 9	45
4088	122	19		6	22 10	46
4089	123	20		7	11	47
4090	124	21		8	12	48
4091	125	22		9	13	49
4092	126	23		10	14	50
4093	127	24		11	15	51
4094	128	25		12	16	52
4095	129	26		13	17	53
4096	130	27		14	18	54
4097	131	28		15	19	1 Necos.
4098	132	29		16	20	2
4099	133	30	Assyriis usque	17	21	3
4100	134	31	ad Euphratem	18	22	4
4101	135	1 Jojakim.	omnia eripi-	19	23	5
4102	136	2	unt Ægyptii,	20	24	6
4103	137	3	& his vicissim.	21	25	7
4104	138	4	Babylonii	1	1 Nebucad- 26	8
4105	139	5	etiam ipsi	2	2 nezar. 27	9
4106	140	6	deficien-	3	3 28	10
4107	141	7	tes.	4	4 29	11
4108	142	8		5	5 30	12
4109	143	9		6	6 31	13
4110	144	10	Circa hæc	7	7 32	14
4111	145	11 1	tempora	8	8 33	15
4112	146	1 Zede- 2	Ninus ipsa	9	9 34	16
4113	147	2 kias. 3	destruitur.	10	10 35	1 Psammis.

Jechonias captivus ducitur Babylonem ibique in custodia detinetur usque in annum 37.

Digitized by Google

P. Jul.	Nab.	Reges Judæ.	Ca	Reg. Babylon.	Reg. Med.	Reg. Ægypt.
4114	148	3	4	11	36	2
4115	149	4	5	12	37	3
4116	150	5	6	13	38	4
4117	151	6	7	14	39	5
4118	152	7	8	15	40	6
4119	153	8	9	16	1 Astyages	1 Apries.
4120	154	9	10	17	2	2
4121	155	10	11	18	3	3
4122	156	11	12	19	4	4
4123	157		13	20	5	5
4124	158		14	21	6	6
4125	159		15	22	7	7
4126	160		16	23	8	8
4127	161		17	24	9	9
4128	162		18	25	10	10
4129	163		19	26	11	11
4130	164		20	27	12	12
4131	165		21	28	13	13
4132	166		22	29	14	14
4133	167		23	30	15	15
4134	168		24	31	16	16
4135	169		25	32	17	17
4136	170		26	33	18	18
4137	171		27	34	19	19
4138	172		28	35	20	20
4139	173		29	36	21	21
4140	174		30	37	22	22
4141	175		31	38	23	23
4142	176		32	39	24	24
4143	177		33	40	25	25

Digitized by Google

P. Jul.	Nab.	Reg. Jud.	Ca.	Reges Babylon.	Reges Med.	Reg. Ægypt.
4144	178		34	41	26	1 Amasis.
4145	179		35	42	27	2
4146	180		36	43	28	3
4147	181		37	44 1 Euvilmero-	29	4
4148	182	Jechonias	45	2 dach sive	30	5
4149	183	solvitur	46	3 Belsasar.	31	6
4150	184	carcere.	47	4	32	7
4151	185		48	5 Nirigliſſo-	33	8
4152	186		49	1 roor sive Da-	34	9
5153	187		50	2 rius Medus.	35	10
					Regn. Pers.	
4154	188		51	3	1 Cyrus.	11
4155	189		52	4	2	12
4156	190		53	Laboſoroar-	3	13
4157	191		54	1 dochus 9	4	14
4158	192		55	2 menses	5	15
4159	193		56	3 Nabonidus.	6	16
4160	194		57	4	7	17
4161	195		58	5	8	18
4162	196		59	6	9	19
4163	197		60	7	10	20
4164	198		61	8	11	21
4165	199		62	9	12	22
4166	200		63	10	13	23
4167	201		64	11	14	24
4168	202		65	12	15	25
4169	203		66	13	16	26
4170	204		67	14	17	27
4171	205		68	15	18	28
4172	206		69	16	19	29
4173	207		70	17	20	30

Digitized by Google

P. Jul.	Nab.	Capt. Babyl.	Reges Babyloniorum.	Reges Persarum.	Reges Ægypt.
4174	208	Captivi-	1 Cyrus incipit	21	31
4175	209	tas solvi-	2 Babyloniis	22	32
4176	210	tur.	3 regnare, adeo-	23	33
4177	211		4 que & Judæis	24	34
4178	212		5 qui hactenus	25	35
4179	213		6 servierant Ba-	26	36
4180	214		7 byloniis.	27	37
4181	215		8	28	38
4182	216		9	29	39
4183	217		10	30	40
4184	218			1 Cambyses	41
4185	219			2	42
4186	220			3	43
4187	221			4	44
4188	222			5	Psammenit.
4189	223			6	m. 6.
4190	224			7	
4191	225			mens. 5.	
4292	226				
4193	227				

Digitized by Google

JOHANNIS JÖNSENII, HOLS.

DE

SPARTIS

aliisque nonnullis

EPISTOLA,

AD

MARQUARDUM GUDEN, HOLSATUM.

Accedit

EJUSDEM

DE ORDINE LIBRORUM

ARISTOTELIS

FRAGMENTUM.

Digitized by Google

Viro Magnifico, Ampliſſimo, Excellentiſſimo

D. THOMÆ REINESIO,

Phil. & Med. D. Reipubl. Altenburgenſis Medico ac Phyſ. Ordinario, ut & Proto-Conſuli ejusdem graviſſimo,

Omnium Antiquitatum, omnis Eruditionis Soſpitatori, Conſervatori maximo, fortiſſimo, vapulantis Literaturæ Vindici, Patrono ſuo Magno S. D.

Literarum Fata, Vir Ampliſſime, qui curioſius paulo contemplantur, quemadmodum imperiorum, ſic maximam illarum etiam varietatem, & quasdam ſemper definitas quaſi fuiſſe converſiones, absque motu animi aut commiſeratione vix deprehendent. Seculum jam eſt, & quod excurrit, quo paulatim nobis Semones quidam, ac divini Heroes jure quaſi poſtliminii humaniores illas reducebant, reductas omnes & ſinguli communi applauſu excipiebant liberaliter. Nemo erat tum temporis renaſcentibus illis adeo aut infeſtus, ut ſupprimere, aut invidus, ut lancinare potius, quam juvare vellet; nullus inveniebatur eruditorum, qui non ſua ſponte cultura huic manum commodabat, atque operam. Propullulabant ex hoc ſemine in Eccleſia, forique viridariis varii fructus, & ſingulæ fere regiones ſingulos in hanc vineam producebant cultores. Ubique exſtabat maximus ingeniorum præclarorum proventus, oriebantur ubique, de quibus non parum exſpectare ſubſidii literaria res poterat. Ea ſolum ætate quantos nobis dederit literarum vindices, quantos ſuo ipſa ſinu ſuſtentaverit unica humanitatum mater ac nutrix Batavia, quantos Britannia, nemo eſt in ſapientia ſeculari adeo hoſpes, qui ignoret. Senſim nimirum creſcebant, & feliciter adeo, ut ſub initio hujus ſæculi de novo quaſi matureſcentes, jam cum temporum augmento ſuum illæ decrementum, ſuam iterum minitentur everſionem. Tanta ut omnium rerum, ſic literarum etiam ſemper fuit vicisſitudo, ſic commutantur omnia, & nihil intra orbem Lunæ eſt firmum! Quæ aliquot jam ſæcula exulantes ſummo cum labore revocabantur, qua paſſim colebantur nuper elegantiores Muſæ, algere denuo incipiunt, jamque ſordent, & pedetentim ad interitum delabuntur. Cauſam hujus rei qui æquiori perpendet lance, partim inde ejus diducet rationem, quod alii præconcepta jam opinione ſusque deque literarum habeant majeſtatem, aut

pror-

Digitized by Google

prorſus ignorent, partim quod alii, ſi non ignorant, domeſtica tamen impediantur egeſtate, quo in ſtudiis, quem intendebant ſcopum, minus queant feliciter attingere. Etenim cum interdum judicia quodammodo magnatum, ac voluntatem litera ſequantur, non eadem vero ſemper apud omnes earum eſt æſtimatio, permultis inde vegeti etiam, ac ſupra vulgus ingenii non raro accidit, ut facultatibus, & patrocinio, tanquam remis & velo deſtituti, in medio ſtudiorum curſu naufragium patiantur eruditionis. Scilicet ſolus in hoc Oceano, ut ubique etiam quisquis habet nummos ſecura navigat aura, *ex Arbitri illius arbitrio. Tantam, proh dolor, habet fortuna vim, tantum etiam in literas imperium! Ipſa eſt, quæ ſæpe multis ad eximiam laudem contendentibus transverſa incurrit: ſæpe ſtudia debilitat, ſæpe moratur induſtriam, ut veriſſimum ſit illud Oratoris:* Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐγγίνεσθαι τῶν δεόντων. *Hæc ergo lues cum longius quotidie ſerpat, & qui ut poterant maxime, ita maxime debebant, literis parum ſubveniunt, veniam merentur aliqualem, & ferendi æquius ſunt illi, qui ob curtam nimis ſupellectilem vulgari more ad vitæ neceſſaria ſuas dirigunt actiones. Sed illos quis ferret alios, quis illorum ignoſceret malitiæ, qui, dum in tuto jam collocarunt fortunas, majoris lucri cupiditate, atque ambitione quadam afflati ex ignorantia literas aut contemnunt, aut Andabatarum more bellum illis inferunt otioſum. Actum hic agere, & cum ſordidis illis in arenam deſcendere, meum quidem hac vice non erit; fallor omnino, aut invenient alibi, quæ illis erunt* ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν, *& ubi debitas temeritati ſuæ perſolvent pœnas. Sed communis hæc noſtri temporis videtur tempeſtas, ut plurimi, cum ſub literarum nomine Grammaticorum ſolummodo rudimenta perperam intelligant, vix ipſi* paulum ultra primas literas progreſſi, *de tota meliori literatura nimis audacter ferant judicium, eamque quaſi inanem, & otioſam ubique conentur traducere: quantum vero in hoc decerrent, quam brevibus humaniora hæc* ſtudia, quæ reconditis in artibus, atque in varietate quadam literarum verſantur, *quam anguſtis coarctent finibus, iis, quibus ex meliori luto ſunt præcordia, ſatis cognitum eſt, ac perſpectum. Etenim quis eorum ab iſtis hominibus fama aliquid vidit, & luce dignum? Parturiunt magna, fateor, ſed ſi recte aſſequor, parva pariunt, pariunt* ἐφήμερα, *quæ naturæ beneficio facile hoc conſequuntur, ut cum ſole oriantur, & occidant. Fremant igitur, indignentur, nugas eructent & offucias, qui aut nunquam, aut in tranſitu ſaltem, tanquam canes Nilum, hæc deguſtarunt ſtudia, adhuc tamen tantum abeſt, ut aliquid inde lite-*

Petron. Satyr. p. m. 63.

Demoſth. Olynth. 1.

Quinct. l. 1. c. 2.

Cic. l. 1. de Orat.

Digitized by Google

literarum gloria decedat, ut earum etiam majestas hoc ipso felicius multo augeatur. Alia longe, & divinior veterum mens fuit, alia de rebus hisce opinio. Athenis solitos convenire eruditos, & præmium solvendæ quæstionis statuisse, Agellius auctor est: in quo quidem conventu quæ-

Noct. Att. l. 22. c. 2.

rebatur, inquit, res hujuscemodi, aut sententia poetæ veteris obscura, aut historiæ antiquioris requisitio. *Augustum etiam, ex Nepote discimus, cum Attico suo tanta humaniores illas coluisse industria, ut* nullus dies temere intercesserit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret, modo aliquam quæstionem poeticam ei proponeret. *Eo igitur veterum more etiam (quod præfiscini dixerim) inter alia ego delectatus, cum superiori anno de Piccarti Spartiatis inter legendum subortus quidam mihi esset scrupulus, neque hunc tum temporis qui eximeret, æque statim ad manus haberem, confugiendum alio, & Præclarissimi Viri Dn. Joh. Jonsenii, quem olim in his aliisque studiis felicissimum secutus fueram anteambulonem, auxilium iterata vice huc statui advocandum. Neque in hoc difficilem sese præbuit literarum fautor, sed quæ ejus est in me animi propensio, qua humanitas, commode ita respondit & eleganter, ut non meo solum desiderio abunde satisfaceret, sed inter sacrum etiam & saxum hærentem hactenus dubia omni liberaret opinione. Gaudebam inde, & in sinu quasi mihi de solida gratulabar enodatione, in qua etiam, cum non parum ex intimis venerandæ Antiquitatis penetralibus eruisset feliciter, nolui invidus supprimere, sed egi cum illo, ut permissu ejus publicæ luci exponerem, & ipso præeunte primum futuri favoris vadum minori tentarem periculo. Tali itaque animo quamvis suscepcrim editionem, & in ipsa nihil mihi antiquius, nihil æque fuerit curæ, ac literarum subvenire commodis; quoniam tamen sæculum hoc ad obtrectandum vimis videbam proclive, sufflaminavi, fateor, & usque eo cursum inhibui editionis, ut de tuto illi prospicerem loco & fautore. Igitur cum diu satis mecum rem animo diligentius expendissem, in angusto hoc chartarum spatio non reddendam mihi fore existimo rationem, aut apud Te, REINESI Amplissime, aut alios in literato orbe præstantes viros, qui Te norunt, cur ex aliis Te præcipue selegerim, & stupendo nominis tui splendore hanc illuminare Epistolam fuerim persuasus. Tu nimirum inter multos primus occurrebas, sub cujus patrocinio, tanquam umbone quodam, medios per hostes iret tutissima; Te eum inveni, qui malevolis non solum summo existis terrori, sed tanta etiam apud eruditos es auctoritatis, ut una omnium vox, unus de tua laude sit consensus. Ipse enim in*

Te

Digitized by Google

Te aliorum oculos exactiſſima tot linguarum cognitione, tot rerum ſcientia, tot ſcientiarum concurſu jam tenuiſti dudum defixos; commemorant alii exaſciatam in ſcriptis eruditionem; virtutem alii laudant, & vigilias; alii ſtudium mirantur, & quod ingraveſcente jam ætate moroſiſſima etiam Orientis puncta, atque apices nullam induſtriæ tuæ moram injiciant, obſtupeſcunt. Ego vero, quoniam palponem agere nunquam conſtitui, ne tuæ etiam modeſtiæ nimis videar moleſtus, omnia hæc, & meritis tuis longe minora, tacita veneratione lubens tranſeo, ſed inde tamen, cum hi ipſi, quibus recte judicandi facultatem non adimit invidia, principatum in literis Tibi deferant omnes, majori adhuc accenſus ſum cupiditate, &, ut firmo mihi ſtandum foret judicio, Te potiſſimum huc advocavi judicem, qui ſuo literas æſtimare noris pretio. Sic Varronem legimus, quos de ſingulis fere Grammaticæ partibus ſcripſit libros, Ciceronis conſecraſſe nomini, & ex Tranquillo patet, ipſum etiam Cæſarem duos, quos de Analogia edidit, eidem inſcripſiſſe Tullio, tanquam illi, qui iis caperetur, rectèque de hujusmodi judicare poſſet. Horum ego legere veſtigia quamvis jam dudum conſtituiſſem, ipſe tamen mihi initio nimis audax, & frontis quaſi videbar expers, quod Te, virum majoribus intentum, graviſſimarum rerum curam ſuſtinentem, inani verborum genere obſtreperem. Non diffitebor, revocabat aliquotiens ratio, & habendam mihi cum dignitatis tuæ, tum modeſtiæ meæ rationem intelligebam: recepi tamen tandem animum, tuæ confiſus humanitati, qua ad illud, quod jam meditabar, ſummo etiam jure me tenebas obſtrictum. Etenim cum tempore jam abhinc ſemeſtri ad urbem veſtram nominis tui magnitudo me quoque alliceret, ut quod in ſcriptis abſens mirabar, colere præſens liceret, & intueri, non me excepiſti ſolum humaniſſime, ſed ſolide quoque ad quæſita reſpondiſti, & ſingulari humanitate accuratiſſimi de Deo Endovellico Tractatus, quem diu quæſitum nuſpiam invenirem, ſex me donaſti exemplaribus. Quam quidem raram ſane liberalitatem, ut hac vice aliquo ſaltem, impari licet, & non meo reſtituam manere, hanc, Vir Summe, benevole a nobis accipe Epiſtolam, accipe eam, quæ dum in medio ipſa eſt, me vel præcone, vel proxeneta non indiget. Scio equidem placebit ſtudium Auctoris, & induſtria, quod ſi meam quoque in his qualemcunque operam, & voluntatem non omnino improbabis, ſed ulterius adhuc Te ſtudiis meis novum intellexero fautorem, diligentius poſthac omnem movebo lapidem, ut primo quoque tempore propriis viribus aliquod erigam meæ in Te obſervantiæ

Sueton. l. 1. c. 56

monumentum. Deum interim ſupplex, ut Literariæ Reipubl. quæ non ita pridem in Academia noſtra maximo, & fatali quidem damno incomparabile Virorum Par amiſit, Te cum aliis diu ſalvum velit & ſuperſtitem. Quod ex animo vovebam Athenis Salanis, CIↃ IↃC. LV. Eidib. Septemb.

Excellentiſſimæ Amplit. & Magnificent.
Tuæ æternum cliens, & cultor,
MARQUARDUS Gude.

S. & OFFICIA.

ACcepi tandem Epiſtolam tuam ſcite, & literate perſcriptam, quæ deſiderium ſui mire explevit, ita amoris, humanitatis, & diligentiæ plena eſt! In hoc autem tui ſimillimus manes, quod non verbis modo ſuaviſſimis meum legentis animum paſcis, ſed varia inſuper, & ſingulari inprimis eruditione ſtudium tuum, & diſcendi cupiditatem ſignificas. Rogas inter alia, ut quid ſibi velit *Spartiatarum lancea*, (cujus Piccart. *Obſerv. Hiſtor. Polit. Decad.* 1. *cap.* 7. meminiſſe, ſed parum de ea ab aliis dictum inveniri, ſcribis) quidque de illa *lancea* Veteres ſenſerint, & qui illi fuerint *Spartiatæ*, explicem, atque doceam. Utinam is ſim, quem me eſſe credis, qui huic quæſtioni ſolvendæ par ſit! Sed affectum tuum reſpicio, qui me ſtudiis tuis minime defuturum haut falso tibi perſuaſiſti. Igitur accipe, quæ amica manus per occupationes ſcholaſticas, excerpere & huc congerere potuit. Piccartus loco quem citas hæc habet: *Gregorius Nazianzenus in inſigni Epiſtola ad Themiſtium Euphradem:* (Σπαρτιάτας, inquit, ἡ λόγχη γνωρίζει, ὦμον τὸν Πελοπίδας, τὸν μέγαν Θεμίστιον λόγοι. Spartiatas ut lancea, ut Pelopidas humerus; ita magnum Themiſtium erudita prodit facundia.) *De Spartiatis quod dicit Nazianzenus, accepit ab Ariſtotele procul dubio: cujus hæc ſunt in libro* de Poet. *verba.* Signa ingenita aliqua, uti lancea, quam Terrigenæ geſtare ſolent. *Statim enim ubi ex terra prodibant, lanceati erant.* Hæc Piccartus. Nunc addo mea, ex *commentario meo de Cadmo*, atque *Thebarum origine* excerpta. *Cadmus Agenoris filius, Phœnix, rapta a Jove, bovem ſive Taurum mentito, Europa ſorore ſua, a patre eam quæſitum,*

Digitized by Google

ſitum, & repetitum miſſus, & non niſi inventa illa redire juſſus, in Græciam tandem venit, ubi longa inquiſitione defeſſus, Delphicum conſulit Apollinem, qui ipſi aliam bovem monſtratum iri reſpondit, eamque ſequendam, & ubi hæc ambulando defeſſa procubuerit, ibi urbem condendam. (*Habes hæc apud Apollodorum* lib. 3. Bibl. *Diodor. Sic.* l. 4. Bibl. cap. 2. *Ovid.* l. 3. Metam fab. 1. *Nonnum* l. 4. Dionyſ.) *Accepto hoc reſponſo, Cadmus antrum fatidicum egreſſus prope templum bovem quandam vidit, quæ inde Cyrrhæa juvenca dicitur Statio.* Campus *enim* Cyrrhæus templo Delphico ſubjacet, ut uno aſpectu totus proſpiciatur, *teſte Æſchine* Orat. in Cteſiphontem. *Bos tandem longo itinere feſſa, in Bœotia humi procumbit, locumque quietis Bœotii Pauſaniæ ætate adhuc oſtenderunt, ubi ara etiam Minervæ ſub dio erecta fuit. Cadmus peregrinam hanc terram ingreſſus, Genium ejus localem, ſive Topicum ſalutat, & ut gratum ſe declararet, ſacra Jovi facturus erat, teſte Ovidio. Alii Minervæ Cadmum ſacrificare voluiſſe, commemorant: quo fine ad fontem Dircen, in nemore latentem, (qui Aretiades quoque appellari, ſed falſo putatur) cui Draco Martis filius cuſtos datus erat, ſocios ſuos, Seriphum, Deioleontem, aliosque aquam petitum mittit, quos Draco correptos omnes interemit. Moram ſociorum Cadmus miratus, lucumque ingreſſus, cognito eos a Dracone interemptos, cum illo congreditur, eumque juſſu Minervæ eminus telis, & lapidibus, cominus ferro adoritur, tandemque victor evaſit; Victor ſane infeliciſſimus! poſtquam enim hunc ſacrum lucum cæde polluerat, iram graviſſimam Deorum, Martis tamen præcipue, in ſe, ſuosque poſteros derivavit, quod infra ex Euripidis loco, quem integrum producemus, ſatis erit perſpicuum. Ceterum occiſi Draconis dentes ea vi pollebant, ut in humum pro ſemine jacti, granorum inſtar propullularent, largamque armatorum ſtrenuorum virorum ſegetem emitterent. Minerva, ut clienti ſuo Cadmo ſociis orbato proſpiceret, dentes e maxilla Draconis excuſſiſſe dicitur, idem & Mars fecit; ſine procul dubio diſpari. Hellanicus hoc a Cadmo factum memorat. Excuſſos hoſce dentes, Cadmo & Æetæ diſtribuit Minerva;*

Τὼς ἣ θεὰ Τριτωνὶς ὑπ' ἐκ γενύων ἐλάσασα
Διήτῃ πόρε δῶρον, ὅμως ἀυτῷ τε φονῆι,
Quos Minerva, cum e maxilla effregiſſet,
Æetæ dono dedit, ipſique interfectori:

Apollon. *lib.* 3. ἀργον. confer J. Tzetzen ad *Lycophronem fol.* 35. Martem tamen pariter ac Minervam hoſce diſtribuiſſe dentes, teſtis eſt Pherecy-

Digitized by Google

recydes *libro quinto*. Diſſenſionem hic quandam vides, ne mireris. Facilius inter horologia conveniet, quam inter Mythologos. *In priſcis fabulis nulla omnino ſimplex, & per omnia ſibi conſentiens eſt hiſtoria*, ait Diodor. Sic. *lib.* 4. *c.* 45. Lege ſis in Grutero tuo Franciſci Floridi Sabini *Lect. ſubciſiv. l.* 3. *c.* 40. Pauli Leopardi *Emend. l.* 1. *cap.* 10. Nicolai Loenſis *Epiphyll. l.* 4. *c.* 20. Mureti *Var. Lect. l.* 13. *c.* 3. Adde ipſos fontes, Poetas ſc. & Scholiaſtas ſuperſtites, & Mythologorum diſſenſum, atque litigium ad nauſeam uſque deprehendes. Sed de Æete infra, nunc de Cadmo. Hic dentes illos a Minerva (a Marte ſecundum alios) ſerere jubetur, & dicto audiens,

Spargit humi juſſos mortalia ſemina dentes,
Inde, fide majus, glebæ cœpere moveri,
Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ,
Tegmine mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri, pectusque, onerataque brachia telis
Exiſtunt, creſcitque ſeges clypeata virorum:

Ovidius loco citato. Unde a ſemente locum hunc *Novalia Cadmi* appellat Statius *lib.* 3. *Th. verſ.* 645.

——*Diri ſaturare novalia Cadmi.*

Ubi Lactantius, *Thebanos campos ſignificat, quibus olim, ſeminante Cadmo, dentes Draconis, ſeges nata eſt armatorum.* Locus ſeminationis fuit ager Thebanus, cujus præter ceteros meminit quoque Marcus Varro *rerum humanarum* 25. apud Agellium *lib.* 17. *Noct. Att. c.* 3. *Et*, ait, *Sparta apud Homerum non plus Spartum ſignificare puto, quam Spartos, qui dicuntur in agro Thebano nati.* Pauſanias hunc locum ſua ætate etiam a Thebanis fuiſſe monſtratum, notavit. Milites vero iſti proſiluerunt e terræ ſulcis armati, uti ex Ovidio modo audivimus.

——*Fœta tellus impio partu*
Effudit arma
Sonuit reflexo claſſicum cornu
Lituusque aduncus ſtridulos cantus
Eliſit. Seneca, *Oedip. act.* 3.

Quoniam vero milites iſti e ſparſis a Cadmo Draconis dentibus nati ſunt, hinc Σπαρτοὶ *Sparti* dicuntur, a σπείρω, ſemino. Τὸς ἄνδρας τούτους ἐγώ γάρ τι ἠδυνάμην, ἐς αὐτὸς παρευρεῖν ἔπομαι τῷ μύθῳ, Σπαρτὸς διὰ τὸν τρόπον, ὄντινα ἐγένοντο, ὀνομασθῆναι. *Hos ſane viros, quod nihil amplius comperti habeam, fabulæ aſſentiens, Spartos a ſatu, quo dicuntur, e terra*

Digitized by Google

e terra editi appellatos crediderim. Pausan. *Bœot.* Sic & Latini eos *Spartos* appellant, ut nos modo doctissimus Togatorum Varro docuit. Hinc minime ferendi, qui *Spartos* cum *Spartiatis* confundunt: Gregorium illum Nazianzenum intelligo, qui *epistola* superius a Piccarto citata *ad Themistium Euphraden*; Σπαρτιάτας, ait, ἡ λόγχη γνωρίζει, ὦμος τὸν Πελοπίδας, τὸν μέγαν Θεμίστιον λόγοι. *Spartiatas lancea prodit, Pelopidas humerus, magnum vero Themistium oratio.* Lactantius quoque Firmianus alicubi de *Philosophorum litigio* agens: *Pereunt*, ait, *universi hoc modo, & tanquam Spartiatæ illi Poetarum, sic se invicem jugulant, ut nemo ex omnibus restet.* Piccartus eodem eos nomine appellat, tantum abest, ut Theologum erroris arguat. Delrius ad Senecam, *Spartiatas* eos vero nomine esse olim appellatos, falso existimat, eosdemque *Sparticos* vocat, *Opinationibus ad Tragicorum fragmenta. Spartanos* eos nominat Lubinus Nonni interpres, itidem male. *Spartæ* dicuntur Hygino, sive quisquis illarum fabularum, & historiarum collector est, sed vitium hoc Librariis potius, & Typographis adscripserim, quam Auctori. Cum illo tamen & Lubino eandem incurrunt notam Lonicerus & Aretius *ad Pindarum*; quorum uterque locum Ἰσθμίων A. B. 2. ubi *Spartorum* mentio est, perperam explicat de *Spartanis*. De hoc vero alibi ille parum etiam sibi constans, Πυθίων θ. δ. 13. & Ἰσθμ. Z. A. 5. eosdem errore paululum leviori vocat *Spartas*. Sed hunc eorum lapsum jam notavit E. Schmidius, suis ad eundem *Lyricum commentariis*, quem vide. Appellati quoque sunt, quod e terra prodirent, γηγενεῖς Aristoteli, γαιηγενὴς λαὸς Apollonio, *Terrigenæ*, *Terrigenæ fratres*, passim.

Et quod e dentibus orti Draconis essent.

Τὰν ἀπὸ θηροτρόφω φοινικολόφοιο δράκοντος
Γένναν ἐδοντοφυῆ — eos vocat Euripid. *Phœniss.*

Quod vero lanceis, quarum signum in corpore habuerunt, indefesse pugnarent, Σπαρτῶν ἀκαμαντολογχᾶν, h. e. *Spartorum lanceis infatigabilium* nomine illos describit Pindarus Ἰσθμ. Z. α. 5. Numerus Terrigenarum horum incertus est. Quinque saltem e sulcis prosiluisse credidit Hellanicus, sed refellitur a Scholiaste Apollonii. Plures enim prosiluisse, ad unum omnes, Hellanicum si excipias, confitentur, unde

—— *Seges clypeata virorum*, dicuntur Ovidio *l. c.*

Cadmus, viso complures armatos viros e terra prosilire, obstupuit;

Horret tantis advena monstris,
Populique timet bella recentis. Sen. *Oed act.* 3.

Digitized by Google

Minerva jubet Cadmum præsente animo esse, &, ut Spartos illos lapide petat, instigat. Cadmo Minervæ jussa exsecuto, Terrigenæ, qui se a sociis lapidibus peti existimabant, in se arma convertunt, mutuisque vulneribus cadunt, quinque exceptis. Ipse quoque Cadmus complures eorum, jussu Minervæ, trucidavit, strenuumque in demetenda hac armatorum Spartorum segete messorem sese præbuit. Vid. Nonnus *l. c.* aliique.

Dignaque jacto semine proles,
Uno ætatem permensa die,
Post Luciferi nata meatus
Ante Hesperios occidit ortus. Senec. *l. c.*

Spectra horum Spartorum in hoc loco, ubi mutuis cecidere vulneribus, sæpius postea apparere solita, ex Statio cognoscimus, qui, eorum animas a Tiresio aliquando evocatas, alibi scribit.

Quinque autem illi, quos jussu Minervæ Cadmus superstites, atque vivos servaverat, fuerunt Echion, Pelor, Hyperenor, Udæus, Chthonius, uti nominantur ab Hellanico, Pherecyde, Apollodoro, Pausania, Hygino, Joanne Tzetze, Lactantio Placido, quanquam hujus verba in editione Romana Anni 1475. in folio, & Parisiensi Anni 1600. corrupte leguntur. Hos quinque superstites Spartos Cadmus socios, & adjutores ad Thebas condendas habuit, quod sexcentis locis probari posset.

Hos operis comites habuit Sidonius hospes,
Cum posuit jussam Phœbeis sortibus urbem;

Ovid. *l. c.* Jussus enim erat Cadmus ab oraculo urbem condere, ubi bos illa procubuisset, quod cum hisce sociis exsequitur Unde Thebani a Cadmo conditore dicuntur Cadmei, Agenorei, Tyrii, Sidonii apud Poetas passim. Sunt tamen, qui non Thebas, sed solam Cadmeam a Cadmo conditam scribunt. Ceterum Thebani, ut a Cadmo, sic non minus a Spartis, Cadmi sociis, varias nacti sunt appellationes. Σπαρτὸς λεὼς dicuntur Lycophroni *in Cassandra*, ubi Scholiastes Σπαρτὸς λεὼς εἰσιν οἱ θηβαῖοι, nimirum propter Spartos nostros, ἐξ ὧν, ὥς φασιν, οἱ θηβαῖοι κατάγονται, *a quibus, ut ferunt, Thebani descendunt*, ut ait idem Scholiastes. Dicuntur etiam, Σπαρτοὶ, & ὀδόντων ὄφεως ἐξηνδρωμένοι apud Euripidem. Δράκοντα quoque Sophocles Antigona Thebanum appellat. ἀπὸ τοῦ Δράκοντος τοὺς θηβαίους [illegible], ἐπεὶ Δρακοντογενεῖς εἰσιν, addit Scholiastes. *Anguigenæ* dicuntur Ovidio. *Ophionii* Senecæ, *Dra-*

Draconigenas quoque apud Sidonium ***carm. 2. verſu*** 80.

Quæque Draconigenæ portas non clauſerat hoſti:

Thebanos appellari, cenſet Raviſius tuus *l.* 4. *Officin. cap.* 28. & Baptiſta Pius; ſed peſſime. Sidonius enim, ut recte monet Savaro, per Draconigenam hoſtem Alexandrum M. intelligit, quippe qui Dracone ſe genitum prædicabat,

Magnus Alexander, nec non Auguſtus habentur
Concepti ſerpente Deo. ait idem Sidon. *carm. 2. v.* 126.

De *Alexandro* vide Juſtinum 11, 11, 3, & 12, 16, 2. Agellium *l.* 7. *Noct. Att. cap.* 1. aliosque. De *Auguſto* Suet. *lib.* 2. *cap.* 94. *Potentia vero Spartorum Terrigenarum ſecundum Cadmum maxima fuit*, teſte Pauſania; *eorumque clariſſimum Echionem Cadmus ſibi generum adſcivit, quem etiam Thebarum regem fuiſſe nonnulli ſcribunt, a quo Thebæ dicuntur Echioniæ*, Horatio, Ovidio, Lucano, aliisque. Genealogiam hujus hanc habe: *Echion-Pentheus-Claſas-Menœceus-Creon-Menœceus*, qui & *Megareus* dicitur.

Vides hic Spartos ab Echione oriundos, quorum poſtremus morte pro patria immortale ſibi nomen peperit. Quum enim Argivi Thebas oppugnarent, tantum non expugnarent, & everterent, Thebas ſalvas fore, Apollo reſpondit, ſi Spartorum quispiam ad iram Martis veterem, quam ob interfectum, a Cadmo Draconem, in Spartos confugerat, mitigandam, ſe pro patria devoveret. Sic Tireſias vates ad Creontem apud Euripidem *Phœniſs.*

Hoc poſcit ira Martis in Cadmum vetus,
Pergens alumnæ ſanguinem ulciſci feræ,
Si monita facitis, ſtabit a Thebis Deus,
Simul alma, poſtquam ſanguinem pro ſanguine
Pro fruge frugem ceperit, vobis erit
Placata tellus, quæ tulit gravidas viris
Armisque ariſtas. Stirpis illius Draco,
Quem dente genuit, poſcitur leto puer.
Tu nunc ſuperſtes unus anguigenum e ſatu,
Tuique juvenes. Hæmonem impendi ſacro
Connubia prohibent: cœlibis quanquam tori
Tamen jugalem fœdere adſtrinxit fidem.
Solus Menœceus reſtat, hic leto datus.
Mutabit inſtans patriæ exitium ſuo.

Ce-

Digitized by Google

Ceterum Menœcei in patriam amoris, quo ἑαυτὸν σφάγιον ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἔδωκε, sequioris quoque ætatis scriptores meminerunt, Apollodorus *l.* 3. *Bibl.* Cic. *Quæst. Tusc. l.* 1. Pausan. *Bœot.* Statius *lib.* 10. *Theb.* Plutarchus *Pelopida.* Theodoretus θερ. *serm.* 7. quorum testimonia in Anthropothysia nostra adducentur. Attius quoque Phœnissa Spartum quendam signat:

——— *ab Draconitis es*
Stirpe armata exaratus, genere antiquior.

Uti quidem illa verba legenda censet Janus Guilielmus, *Verisim. l.* 3. *cap.* 5. Verba quidem Attii citata Nonius Antiquior nobis servavit, nomen vero Sparti illius non item: sed cum Attius Phœnissam Euripidis Latine expresserit, de Spartis ex Euripide modo citatis Attius erit intelligendus. Euripidem autem a priscis Romanorum Tragicis fuisse expressum, tituli fabularum cum paucis fragmentis, quæ ceu tabulas e naufragio Varro, Cicero, Agellius, Priscianus, Charisius, Diomedes, Nonius, aliique servarunt, & Delrius *Syntagmate Tragœdiæ Latinæ* collegit, docent. De Euripide & Ennio, quod fabulas eadem inscriptione ediderint, & hic ex illius Græcis confecerit Latinas, constare dicit Reinesius in *Variis l.* 3. *cap.* 2. ubi Euripidis, & Ennii fabularum ejusdem nominis titulos idem adducit Reinesius, Vir infinitæ lectionis, ad unguem eruditus, in cujus scriptis te frequentem esse nullus dubito. Attium similiter Ennio Euripidem expressisse, verisimile est.

Ex *UDÆI* posteris *Tiresiam* fuisse, testatur Apollodorus. Incertæ originis Sparti sunt Menalippus Astaci filius, Epaminondas, Theron, Pytho. Spartam, irruptione in Laconicam facta, Spartos Cadmi socios de se nominavisse, testis est Timogoras apud Eustathium. Martis enim quasi nepotes cum essent, Martii quoque & bellicosi fuere cum ipsi, tum ipsorum posteri, ut ignominiosum esset, Spartum dici, & bellica laude non florere.

Atque hi *bellicosi Sparti creduntur lanceam habuisse in corpore, notam quandam genitivam*, ut Tranquilli 2, 80. verbis utar: *notam generis* diceret Justinus 15: 4, 9. & Ausonius *de claris urbibus Epigr.* 2, *de Alexandria & Antiochia. Ingenuum signum* idem Auson. *l. c.* σημεῖον σύμφυτον, Aristot. *de Poet. c.* 16. γνώρισμα καὶ χαρακτῆρα πατρῷον, Synesius *lib.* φιλ. σημεῖον τοῦ γένους, Dio *Orat.* 4. γνώρισμα κατὰ γένος, Ttetzes ad *Lycophr.* cujus hæc sunt verba: ἀντὶ δὲ βρωθείσης ὠμοπλάτης ἐλεφάντινον ὀστοῦν ἔθεντο, ὁ κατὰ γένος τοῖς Πελοπίδαις ἐτύγχανε γνώρισμα, κατά-

κατάπερ καὶ τοῖς Σπαρτοῖς ἡ λόγχη: *Loco devorati humeri eburneum ſubſtituerunt, qui Pelopidis fuit nota quædam generis, ut Spartis lancea.* Dio Chryſoſt. *loc. cit.* hæc habet: Τοῖς μὲν ἐν Θήβαις Σπαρτοῖς ποτε λεγομένοις σημεῖον λέγεται, εἶναι δὲ γένους, λόγχη τις, ὦμαι, ἐπὶ δὲ σώματος, ὅσις δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον μὴ ἔχοι, ὑ δοκεῖ τῶν Σπαρτῶν εἶναι: *Spartis illis Thebanis ſignum quoddam dicitur eſſe generis, lancea, opinor, quædam in corpore, & quisquis id ſigni non habuerit, ex Spartis eſſe non videatur.* Ariſtoteles *loco cit.* εἴδη, ait, ἀναγνωρίσεως, πρώτη μὲν ἡ ἀτεχνοτάτη, καὶ ᾗ πολλοὶ χρῶνται δι' ἀπορίαν, ἡ διὰ σημείων. Τούτων δὲ τὰ μὲν σύμφυτα οἷον λόγχη, ἣν φορῦσι γηγενεῖς. *Species agnitionis, prima eſt artis maxime expers, qua plurimi ob penuriam utuntur, quæ ſcil. per ſigna fit: eaque vel connata, ut lanceam, quam Terrigenæ ferunt.* Quæ his Ariſtotelis verbis in Piccarto ſunt addita, (*ſtatim enim ubi ex terra prodibant, lanceati erant*) non Ariſtotelis, ſed Piccarti ſunt, ideoque majoribus typis fuiſſent exaranda. Eandem Spartorum notam indicat Theologus: Σπαρτιάτας ἡ λόγχη γνωρίζει ὦμος τὸς Πελοπίδας, τὸν μέγαν Θεμίστιον λόγοι: *Spartiatas* (Spartos rectius dixiſſet) *lancea prodit, humerus Pelopidas, magnum vero Themiſtium facundia.* Naſonem quoque *lib.* 3. *Met. fab.* 3. ita canentem:

Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ:

notæ illius meminiſſe cenſet Fredericus Morellus *ſcholiis ad Dionem:* quod tamen ægre mihi perſuaſerit. Facilius aliorum cederem conjecturæ, qui ad ſignum illud Spartorum alluſiſſe etiam Pindarum volunt, dum Σπαρτὸς vocat ἀκαμαντολόγχας, *lanceis indefeſſos*, Ἰσθμ. Ζ. α. 5. quamvis hoc etiam alio potius trahi, & de bellica Spartorum fortitudine explicari poſſit. *Ad ſua usque tempora hanc Spartorum notam in poſteris fuiſſe obſervatam*, teſtatur Plutarchus, qui vixit ſub Nerone, & Domitiano: illius enim ceu coætanei meminit *vita Antonii, & Q. Flaminii.* Hujus in *Quæſt. Rom.* & *Præceptis Politicis.* Etiam Trajanum Imp. alloquitur *initio Apophthegmatum.*

Alias aliarum familiarum notas cum genitivas, tum gentiles, notavit Piccartus tuus *cap. citato.*

Hæc de Spartis Thebanis e dimidia Draconis dentium parte Cadmo tradita, prognatis. Alteram enim eorum partem Æeten accepiſſe, ſupra diximus. Æetes, qui, quoad vellus aureum penes ſe ſervaret, ſalvum fore regnum ſuum ex oracuło didicerat, Jaſoni Argonautarum principi vellus aureum poſtulanti, gratificaturum ſe pollicetur, ſi igni-

Digitized by Google

vomos tauros domuerit, dentes hoſce ſeverit, atque Draconem immanem ſopiverit, a quibus ſingulis præſentiſſimum vitæ diſcrimen ipſi metuendum foret. Capta amore Jaſonis Medea, Æetæ filia, patri minus, quam amaſio, fida, Jaſonem, ut juſſa patris exſequatur, inſtigat, artisque magicæ beneficio, quidquid inde periculi metuendum, ſeſe declinaturam promittit. Accipit Jaſon ab Æete, interitum ejus tacite dolente, dentes, eosque terræ a domitis jam auxiliante Medea ignivomis tauris ſubactæ, & aratæ mandat, armatosque non minus hic in Colchide, quam ille in Bœotia viros e ſulcis, ſegetis inſtar, proſilire, atque propullulare conſpicit, quos, ſimulac e terra emergerent, trucidat, hunc capite truncat, illum medium ſecat. Cum vero immenſæ huic armatorum ſegeti demetendæ ſeſe minime parem animadverteret, propullulantibus paſſim innumeris e terra, Lernææ inſtar hydræ, ſæviente, adverſariis, impetumque ſævorum Terrigenarum ſuſtinere ulterius non poſſet, ſalutis ſuæ trepidus promiſſam ſibi a Medea ſua opem tacite, avideque exſpectat. Hæc inſperato Terrigenarum adverſus Jaſonem furore prius territa, promiſſæ liberationi ad tempus diffidit, poſtea quidvis potius tentari, quam datam Jaſoni fidem frangi, ſatius eſſe rata, artes ſuas magicas advocat, carmen auxiliare canit, Terrigenisque oculorum aciem ita præſtringit, ut majore furore accenſi, in Jaſonem ſibi viderentur ſævire, in ſe vero ſævirent. Æetes pugnæ ſpectator filiæ ſuæ præſtigiis, non minus ipſe, quam Terrigenæ, ceterique ſpectatores, deluſus, cui ſalvo regnum debebat, ejus miſerum interitum nihilominus dolet, vix lacrumas cohibet. Jaſon minus minusque ſe impugnari, Terrigenasque in ſeſe arma invicem convertere ſentiens, animum recipit, & non tam hoſtes trucidando, quam mutuam eorum cædem ſpectando defeſſus, in medio ipſorum animoſe obambulat. Fuſis jam Terrigenis, remotiſque præſtigiis ſpectatores univerſi ſe deluſos eſſe, & quem unum cecidiſſe, miſereque laniatum, dolebant hunc ſolum ſupereſſe, magnamque præ ſe audaciam ferre non ſine ſtupore obſervant, aliis eum gratulatione, aliis execratione proſequentibus. Tandem ſopito quoque Medeæ ope Dracone, Jaſon ex pacto vellere potitus aureo, Colchorum Palladio, in patriam cum Argonautis, & Medea, juſtam ac debitam fidelitatem ab eo fruſtra exſpectante, revertitur, ſibi omnem victoriam, ſuæque fortitudini, excluſo Medeæ auxilio, more imbellium Thraſonum, tribuens. Tantum etiam de Terrigenis Colchicis, Verum, quoniam

Non ſolet ex nihilo velucris prorumpere fama,

Et

Digitized by Google

Et partem veri fabula quæque tenet.

Quid veri in hac de Spartis fabula occultetur, age videamus. At cur veritas illa hiſtorica fabulis occultatur, & obſcure traditur? prius objicies. Reſpondeo: Diſtinguenda ſunt tempora, quibus ſcientiæ inveniuntur, & quibus jam ſunt excultæ, atque perfectæ: illis obſcuritas aliqua condonanda; his non item. Etenim *nihil eſt ſimul & inventum, & perfectum*, Cic. *de Cl. Or. c.* 18. Nunc quæ poſteris traduntur artes, Philoſophicæ & Hiſtoricæ clare proponuntur, & perſpicue; olim non erat ſic. Obſcura erant illarum initia, primique auctores, non quod clare nollent, ſed quod non poſſent, obſcure eas poſteris tradebant. Graphice, ſive ars pingendi adeo obſcura erat initio, ut niſi ſuis operibus pictores nomen adſcripſiſſent, quid quæque ſibi vellet, pictura, intelligi per ſe non potuiſſet. Τὰ τῶν ἀρχαίων γραφέων εἰ μή τις ἐπέγραψεν, οὐκ ἂν ἐγνωρίζετο, τί ἐστιν ἕκαστον, Ariſtot. *l.* 6. *Top. c.* 2. §. 8. confer Plinium *l.* 35. *Hiſt. Nat. c.* 3. Ælianum *l.* 10. *Hiſt. Var. c.* 10. Obſcure Philoſophiam primi Philoſophi poſteris tradiderunt, quod fuſe docebo parte prima Hiſtoriæ meæ Peripateticæ, ubi de Obſcuritate Ariſtotelis ſermo erit. Idem de ſcientia Hiſtorica dicendum: ea enim nondum conſtituta, qui res geſtas literis mandabant, obſcuri erant, Poetæ erant. *Apud Græcos antiquiſſimum e doctis eſt genus Poetarum*, Cic. *lib.* 1. *Quæſt. Tuſc.* Atque illi Poetæ per fabulas docebant, optimum hoc docendi genus arbitrantes. οἱ πρῶτοι ἱστορικοὶ καὶ φυσικοὶ μυθογράφοι, Strabo *lib.* 1. Neque Hiſtorica tantum, & Phyſica fabuloſe tradebantur, verum ipſam quoque Theologiam fabulis ſuis Poetæ depravabant, atque ita μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ εἰς τὸ ψεῦδος. Hinc Strabo: πᾶσα ἀρχαϊκὴ θεολογία, μῦθοι, *lib. cit.* Unde & Theologiæ prima, & antiquiſſima ſpecies Mythica, ſive fabuloſa appellatur, & Poetis tribuitur. Videſis Euſebium *lib.* 1. *de Prap. Evang. c.* 6. & *l.* 4. *c.* 1. Auguſtinum *l.* 4. *de Civ. Dei. c.* 27. *l.* 6. *c.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. *l.* 18. *c.* 14. ubi inter alia: *Exſtiterunt*, ait, *Poetæ, qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de Diis carmina faciebant, ex quorum numero fuiſſe perhibentur Orpheus, Muſeus, Linus.* Et *cap.* 24. *In Theologis Poetis Orpheus maxime omnium nobilitatus eſt.* Specimen ejuſmodi fabuloſæ Theologiæ exhibet Heſiodus *Theogonia* ſua ſuperſtite. Ceterorum enim Auctorum de *Theogonia* libri interierunt. Scripſit autem *Theogoniam* PHERECYDES quoque ille, (non *Syrus* e Syria ſacra, ut cenſet Salmuth ad *Pancir. part.* 1. *Tit.* 24. *pag.* 141. neque *Aſſyrius*, ſecundum Auguſtinum *epiſt.* 3. *ad Voluſia-*

Digitized by Google

Iuſianum, neque *Babylonius*, ſecundum Euſtathium in *Odyſſ.* δ.) ſed *Syrius* e Syro Cycladum una, Scholiaſt. Apoll. *in lib.* 2. Ἀργοναυ. Scripſit & *Theogoniam* EPIMENIDES, Laert. *l.* 1. ÆMILIUS MACER, Macrob. *l.* 2. *Saturn.* Atque illas Poetarum fabulas poſteri in ſuum uſum varie interpretati ſunt, πραγματικῶς, ſοιχειακῶς, ψυχικῶς, Hiſtorice, Phyſice, Ethice. V. Tzetzes ad *Heſiodum* ἐργ. καὶ ἡμ. *p.* Natal. Com. *Myth. lib.* 10. Sed de his alias. Noſtram autem de Spartis fabulam Hiſtorice ut interpretati fuerint veteres, paucis indicabo. Palæphatus libro περὶ ἀπίστων, Draconem Martis filium Thebanorum fuiſſe Regem, exiſtimat, & per Draconis dentes Elephantis cujuſdam pretioſos dentes magnarum calamitatum ſemina intelligit, vix ſibi, nedum aliis, ſatisfaciens. Unde merito eum J. Tzetzes in *Chiliadibus* obſcuritatis arguit, qui clarius rem totam explicare vult videri, dum per Draconem quendam latronum principem intelligit, cujus dentes ſive collatrones Cadmus per varias regiones diſperſerit, prudentiſſimos vero eorum generos ſibi adſciverit, e quibus Thebani generoſi ſint nati. Spartos quidem Diodorus ſic dictos autumat, quod prius diſperſi, in unum poſt coierint locum, & Cadmeam cum Cadmo condiderint: Ammianus vero, Eunapius, Claudianus, &c. quod Cadmus præter ſpem hos nactus ſit adverſarios, ut quaſi ſeminati, & e terra exorti viderentur. Unde ab iis ad ſimilia hoſtium improviſorum exempla illuſtranda hæc Terrigenarum fabula adhibetur.

Atque hæc de Spartis habe; de quibus parum in Philologorum noſtri ſeculi ſcriptis reperies: accuratius, & fuſius de iis agere labores prohibent ſcholaſtici, quibus premor tantum, non opprimor, quique perpetuam, ab optimis Philologiæ, & Philoſophiæ ſtudiis quietem, æternumque ſilentium mihi invito imperare videntur. Quod ſi tamen paulum mihi reſpirare liceat, cum aliis alibi jam promiſſis non modo ea, quæ de Cadmo & origine Thebarum, quorum hic de Spartis diſcurſus Epitome quodammodo eſt, olim a me collecta ſunt, ſed varia etiam, de Homero, Pythagora, Platone, Librorum ψευδεπιγραφία, Geniis, &c. ſingulis commentariolis explicanda, quibus Leidenſis, & Regiomontana Bibliothecæ non mediocre augmentum dedere, per Bibliothecam Gottorpienſem εἰ θεὸς θελήσῃ hic in patria finientur. Quibus quidem ita feliciter abſolutis, diſtinctius deinde patriam Hiſtoriam ſcribere, vel ſimile quid tentare decrevi. Neque enim de futuris adminiculis dubito. Cœlitus cadet Mæcenas, ſi terra neget. De Bibliotheca Gottorpienſi patriæ noſtræ, ut ſcribis, res ita ſeſe habet. Wowerii libros ſelectiſſimos

Digitized by Google

mos ſane, & tanto Viro dignos ea ſervat, optimorumque Auctorum acceſſione quotidie ita augetur, ut brevi patria noſtra habitura ſit, quod de Clementiſſimi noſtri Ducis ſingulari in literas affectu coram tota poſteritate teſtari poſſit. Neque diffiteor, quæ hic de Spartis a me ſunt propoſita, eorum maximam partem egregiæ illi Bibliothecæ me debere, quippe cujus inſpector M. Adamus Olearius, eruditione pariter, atque humanitate conſpicuus, tantum abeſt, ut ſepulcrorum ritu Bibliothecam illam clauſam eſſe velit, librorumque uſum erudito lectori deneget, ut potius (quæ ejus eſt prudentia) eruditum quemque ad Bibliothecæ uſum quam humaniſſime hactenus invitaverit.

In Diſſertatione mea prima de *Hiſtoria Peripatetica*, cujus aliquot tibi exemplaria Eruditis ejus loci offerenda ſupereſſe ſcribis, priusquam illa offerantur, mutari vellem ea, quæ a Typographo, quod opinione citius impreſſionem abſolverit, moneri non potuere. Sic (I.) *pag.* 12. *verſ.* 11, 12, 13. ita legi velim: inter quos excellunt *Antiphanes*, Athen. *l.* 13. *Deipn.* Harpocrat. νάννιον, ubi Ἀντιφάνης ὁ νεώτερος appellatur. *Apollodorus, locis citat.* & Harpocr. Φανοσράτη. *Ariſtophanes Byzantius*, qui ſub Euergete, & Philopatore floruit. Ælian. *l.* 12. *Hiſt. Var. c.* 5. Athen. *l. c.* Harpocr. Ἀντίκυρα. Calliſtratus &c. (II.) *pag.* 21. *verſ. ult.* pro *App.* lege *Api.* (III.) *pag.* 24 *verſ.* 2. verbis illis, *Lapſus ſatis manifeſtus!* adde: Habet tamen Voſſius, quos ſequatur Auctores. Lilius Gyraldus *Synt.* 1. *de Deorum Hiſtor. p.* Ariſtotelis hujus Pontici meminit. *Ariſtoteles*, ait, *Ponticus varia de Deo agens, ut ſcribit Arnobius, ſed rectius Minutius Felix, ut ante oſtendimus. Nam alias mundo, alias menti tribuit principatum.* Franciſcum Balduinum JCtum, Minutii editorem, quod pro *Ariſtoteles* male ediderit *Ariſtoteles Ponticus*, carpit Lud. Carrio *l.* 2. *Emendat. c.* 18. Verum cum Gyraldus, & Balduinus a corrupto codice decepti videantur, Voſſius, qui eos ſecutus, ſimpliciter excuſari, & a culpa credulitatis abſolvi nequit, niſi & ipſi corruptum codicem impoſuiſſe dicere velis. (IV.) *paginæ ejuſdem verſiculus* 3. & *ſeqq.* uſque ad verba illa *Ariſtotelem Ponticum* in *v.* 13. deleri debuiſſent, non quod Junii de Pythagora ſententiam veram exiſtimarem, ſed quod erroris non facile convinci poſſe videretur. Equidem Meurſius alicubi omnes Pythagoras recenſens, Leontini nullam facit mentionem, (quod nec ante eum fecit Natalis Comes *l.* 7. *Myth. c.* 16. ubi pictores, ſculptores, ſtatuarioſque recenſet) ut vel hunc Plinii locum non viderit, (quod non crediderim) vel Leontium, non vero Leon-

Digitized by Google

tinum quendam Pythagoram hic intelligi existimaverit. Leontiorum enim nomen in veterum monumentis alias frequens satis, ac notum est. Leontius quidem fuit Lampsacenus Epicureus, ad cujus uxorem Themisten itidem Epicuream, & eruditam Epicurus scripsit, teste Laertio *l.* 10. Leontius, quidam Mechanicus scripsit περὶ κατασκευῆς Ἀρατείας σφαίρας, A. C. 1589. Genevæ impressus. Leontius Philosophus ille, cujus filia Eudocia, prius Athenais dicta, Cæsari Theodosio Juniori nupta. V. Socratem *Hist. Eccl.* 7. 21. aliosque. Leontius Beatus Grammaticus apud Burdigalenses, teste Ausonio, in Professorum Burdigalensium commemoratione, *Epigr.* 7. Ad Pontium Paulinum Leontium scribit Ausonius, *epist.* 19. itemque Sollius Apollinaris Sidonius, qui ejus Burgum *carmine* 22. celebrat. Duos Leontios, viros nobiles, Burdigalenses Episcopos celebravit *Epigrammatibus* Fortunatus Ravennas, quorum meminit Gabriel Lurbeus *Chronico rerum Burdigalensium. Forsan hoc tempore*, ait, *ad A. C.* 485. *sedit Leontius senior Episcopus Burdigalensis, cujus meminit Fortunatus.* Alterum autem Leontium refert ad A. C. 555. ut ita Leontiorum quædam celebris gens apud Burdigalenses fuisse videatur. Leontius Byzantius quidam de sectis Hæreticorum scripsit tempore Gregorii Magni. Leontius Imperator talionis pœna notus est. Leontius Antiochiæ Episcopus ἐκτομίας αὐτόχειρ fuit. Leontius Neapoleos Cypriæ Episcopus sub Heraclio vixit. Leontii Scholastici varia Epigrammata habet Anthologia. Ne quid dicam de Leontiis Byzantino, & Hierosolymitano, qui res gestas Sanctorum scripserunt: neque de aliis, qui sub Impp. Vespasiano, Diocletiano, Maximiano, Licinio, Leone Iconomacho, ut fidei Christianæ testes, atque Martyres decebat, pro eadem passi sunt, ut ex Græcorum Menologio constat, deque aliis, quos apud Scriptores Ecclesiasticos observabis. Atque ejusmodi Leontium a Plinio intelligi, credidit Meursius, fidem codicis sui secutus. Ipse quoque similiter Meursio lectionem illam (Leontius) probabam, secutus meum codicem a Dalechampio editum, & veterem quendam alium e Bibliotheca Cl. Viri Danielis Becceri, Medici Regiomontani, in folio, ut loquuntur, complicantem. Verum si literæ horum codicum inhærere nolis, pro Junio facit 1. quod, notante Dalechampio, vetus quidam codex *Leontinus* legerit: 2. quod ipse contextus huic potius, quam alteri lectioni favere videatur: *vicit eum Pythagoras Rheginus ex Italia. Eundem vicit & Leontinus. Fuit & alius Pythagoras Samius:* 3. quod Astylon illum, quem Plinius a Leontino factum esse dicit, Pausanias

Digitized by Google

ſanias *Eliac.* 2. a Pythagora factum eſſe tradat. Ceterum novam hic litem movet Pauſanias, Meurſium, & Junium licet diſſentientes, ipſumque Plinium redarguens, qui quod Leontio Meurſius, & Pythagoræ Leontino Junius, alterutri vero Plinius tribuit, hoc ad Pythagoram Rheginum refert. Libyn puerum intelligo, quem Plinius Leontino Pythagoræ adſcribit, Pauſanias vero *Eliac.* 2. expreſſe Pythagoræ Rhegino tribuit: *prope Bycellum*, ait, *eſt Mnaſeas Cyrenæus gravi accinctus armatura, vir Libys cognomento, cujus finxit ſtatuam Pythagoras Rheginus.* Nec dubito, quin idem Pauſanias, qui Rhegini Pythagoræ in *Eliacis poſterioribus* quinquies meminit, ejusque opera laudat, dum ibidem Aſtylum a Pythagora factum eſſe dicit, hunc Pythagoram ſignet Rheginum; additurus enim alias procul dubio fuiſſet nomen gentile, (ut *in Bœoticis Pythagoræ Parii* meminit) ſi alium præter citatum Rheginum hic intelligeret Pythagoram. Hæc ſi Rhegino Pythagoræ vere attribuit Pauſanias, errat Plinius, niſi ad utrumque conciliandum Libyn & Aſtylon a ſingulis, Rhegino ſcilicet & Leontino, elaboratos eſſe dixeris. Dalechampius Medicus Pauſaniæ, & Plinii diſſenſionem animadvertens, hunc, ſecus ac Medicum decebat, errore faſcinatus, corrumpit potius, quam ſanat, dum ad noſtrum Plinii locum ſic commentatur: *Uno quidem loco libri ſexti Mnaſeam, quem Libyn, quod Cyrenæus, appellaverunt, expreſſum a Pythagora Rhegino tradit; altero vero loco ab Argivo Pythagora: ut hic legendum ſit: Eundem vicit & Argivus; vel apud Pauſaniam: cujus finxit, ſtatuam Pythagoras Leontinus.* Geminum hic magni Viri παρόραμα ut videas, alterum Pauſaniæ locum (unum enim jam adduxi) ex eodem *libro ſexto*, ſive *Eliacis poſterioribus* addo: *Spectatur eo in loco & Cratiſthenis Cyrenæi currus æreus, in quem adſcendit Victoria, tum ipſe etiam Cratiſthenes: ex quo facile conjicias, equis illum viciſſe, (dicitur vero filius fuiſſe Mnaſeæ Curſoris, quem cognomento Libyn Græci appellarunt) hoc Olympicum donum Pythagoras Rheginus fecit.* Hic, ut vides, in uno ſaltem loco Libyn Mnaſeam, in altero vero hujus filium Cratiſthenem a Pythagora Rhegino elaboratum eſſe, Pauſanias tradit, in utroque illud fieri cenſet Dalechampius. In neutro loco Libyn Mnaſeam ab Argivo Pythagora factum eſſe, ſcribit Pauſanias: in altero autem id factum eſſe, ſomniat idem Dalechampius. Qui error inde natus eſſe mihi videtur, quod verſu præcedente Pauſanias Polycleti Argivi ſtatuarii, hujusque diſcipuli meminerit, eorumque opera recenſeat, in verſu autem proxime ſequente a nobis prius adduc-

Digitized by Google

cto a Pythagora Rhegino Mnaſeæ ſtatuam fictam eſſe tradat, ut ex Polycleto Argivo, & Pythagora Rhegino facta levi transpoſitione Pythagoras Argivus Dalechampio, ſive quisquis hujus ſententiæ primus auctor eſt, per ſomnium ſit natus, atque ita, ſi Junius errore abſolvi debeat, Dalechampius in ejus locum optimo jure ſubſtitui poſſit. Patet ex hiſce, quid de Pythagora Leontino ſit ſtatuendum. Duæ nimirum ſunt, eæque diſtinctæ quæſtiones, ut alibi, ita & hic obſervandæ, quid Plinius ſcripſerit, quid ſcribere debuerit. De priore lis inter Meurſium, & Junium eſt, hujus tamen ſententia veriſimilior apparet. Poſteriorem movet Pauſanias, cujus ſententiam, probabiliorem quippe, amplector. Tu ſi libet, ulterius inquire. (V.) *pag.* 32. *v.* 17, pro *epiſt.* 7. lege *cap.* 7. Alia plurima addenda, & mutanda alibi indicabuntur. Clariſſ. Slevogtum, & Friſchmutum, de facie quidem, non de animo ignotos, verbis meis humaniſſime velim ſalutes, & ex illis quæras, quis ille fuerit Ariſtoteles, & quando vixerit, quem juſtitiæ proſelytum (fuerunt enim habitationis quoque Proſelyti, V. Maimon. de *idolol. c.* 10. §. 2, & 7. & inprimis ipſius Slevogti *Diſſertat. de Proſelytis* A. 1651. in Academia veſtra propoſitam) factum eſſe ſcribit Auctor (qui niſi fallor, eſt ſuperioris ſeculi Chronologus ille R. Gedalja Ben Jechaja) *l.* שַׁלְשֶׁלֶת הַקַּבָּלָה, *catena Cabbalæ*, apud Hottingerum *Theſauro Philologico*, quem Rabbinum videre hactenus mihi non licuit. Poterant hæc ipſa hac vice ſufficere; ut illis tamen novæ etiam aliquid ſubnectam amœnitatis, tibi adhuc, quem Mathematum quoque video amatorem, e patria noſtra ſingularem in ſtudiis illis referam progreſſum. Ruſticus hic eſt, Michel Luder nomine, in agro noſtro Rensburgenſi, in pago Emburen, duobus milliaribus hinc diſtante, cælebs, quinquaginta plus minus annorum, modice dives, ut fert illorum hominum conditio. Hic e libris Aſtronomicis, vernaculo, ſcil. Germanico idiomate ſcriptis, Welperi *Gnomonicis*, Mulleri *Sciagraphia Solis* &c. quos a Parocho ejus loci Dn. Andrea Jeſſeno, affine meo, Aſtronomo inſigni, utendos accepit, tantam Aſtronomicam hauſit eruditionem, ut vilem ejus caſam egregiis Mathematicis inſtrumentis, quæ ſibi e ligno ipſe fabricavit, ornatam, variaque affabre facta horologia ſciotherica non ſine admiratione nuper contemplatus ſim, eumque barbara quidem voce de cœleſtibus, & Aſtronomicis, erudite tamen diſſerentem, audiverim. Ægyptium crederes Mathematicum, ita per hiemem nocte ſerena obambulat, & cœleſtia contemplatur. Heri dono mihi miſit horologium ſciothericum verticale mobile, Cylindrum Gno-

Digitized by Google

Gnomonices ſtudioſi vocant, ad Elevationem Poli Emburenſem 54. gr. 30. min. confectum, in quo mobilis ſtylus ſuper Solis in Zodiaci ſignis ibi depictis loco recumbens, & Soli oppoſitus umbra ſua, quæ meridie longior, veſperi brevior eſt, horam diei monſtrat. Atque hoc accuratum, & artificioſum Solarium in pretioſum, atque magnificum cimeliarχεῖον Gottorpienſe mittere decrevi. Tu, ut cœpiſti, in Muſarum caſtris ſtrenue pugna. Vale, & me tibi nulla re defuturum eſſe, confide. Rensburgi, Kal. Novemb. 1654.

T. T.

JOHANNES JÖNSENIUS.

L. S.

JAm tandem, Amice Lector, fidem liberavi, & Epiſtolam de Spartis, ne de dolo malo, aut ſimulatione ex Lege Aquilia mecum ageres, ita ut eam Auctor tranſmiſit, totam tibi exhibui, & incorruptam: quoniam tamen adhuc ex quarto ejus quaternione non parum ſupereſt ſpatii, ut apud ſeveros etiam judices major humanioribus hiſce gratia accedat, & auctoritas, Philoſophicum, quod vides, Viri ejuſdem longe Clariſſimi de ordine librorum Ariſtotelis fragmentum ſubjungo. Dignum ſane ſuo auctore ſcriptum, fama, & luce multo digniſſimum, quod ut erudito Orbi abſolutum exhiberem, nihil hac equidem occaſione mihi in votis eſſet antiquius! Sed cum illud mecum inter alia olim ita privatim communicarit Vir humaniſſimus, non ea quidem permiſſione, ut publicis typis imperfectum divulgarem, jam, urgente Typographo, inſcio etiam Auctore vacantibus pagellis hoc ipſum ſubſtitui, neque diutius literarum amatoribus duxi invidendum. Subvereor equidem non immerito, ne prodigalitatis dicam mihi ſcribat Auctor, ut cum de meo vix poſſim, de ſuo nimis fere ſim liberalis: verum cum & hac mea, licet ſecundaria opera, Literariæ Reipublicæ plurimum ſubveniat, neque omnino eidem συχνὴν ſit ἐπικυρία, haut difficulter me veniam apud eum impetraturum confido, cujus maximam literas juvandi propenſionem ſatis habui diuque perſpectam. Hunc igitur fœtum ἀνέκδοτον adhuc, & in parentis quaſi ſinu commorantem, Tibi, quiſquis fautor literarum audis, jam ἐπιτροχάδην, & feſtinante manu offero, certo mihi certius perſuadens,

Digitized by Google

ſuadens, non ut abortum, ſed legitimi inſtar fœtus te benevole, & ἀβασκάντως eum ipſum accepturum. Quod ſi haut falſo de Te licebit ominari, ſtimulum Auctori & calcar addes, ut, quod in illo jam deſiderari poſſit, meliori occaſione ſuppleat, & totum in ſuum reſtituat locum, tertiam nempe Hiſtoriæ Peripateticæ partem. Vale, & noſtram de literis bene merendi voluntatem dextre explica.

§. 15. NAtura priora dicuntur 5. *Metaph.* 11. ὅσα ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων. ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή. *quæ ſine aliis eſſe poßunt: hæc autem ſine illis eße nequeunt*, ut unum, ſimplex, univerſales termini & propoſitiones. Confer, quod natura prius id dicatur, quod a ſenſibus noſtris eſt remotius, ut univerſalia 1. poſt. 2. quod generatione eſt poſterius, ut finis, totum, perfectum 2. *de part. c.* 1. idem fere vult A. *l.* de *Categoriis c. de Priori: Natura*, inquit, *prius eſt* τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὸ εἶναι ἀκολούθησιν, *a quo non reciprocatur eſſendi conſequentia. Sic unum eſt prius.* Altero autem modo prius natura ipſi dicitur, a quo quidem eſſendi conſequentia reciprocatur, ſed alterum quomodocunque eſt cauſa alterius. V. *l. c.* Ex his qualibuſcunque deſcriptionibus colligemus, quæ natura priora ſint, quæ minus, ut conſtet, quænam in ſcientiis docendis præmittenda ſint, & an ea Philoſophus præmiſerit, adeoque ordinem obſervarit, & num ille ordo in noſtris exemplaribus ſit variatus.

§. 16. Unum itaque prius eſt multis: poſito enim denario, ponitur unitas, non vice verſa. Simplex itidem omne cum unum ſit, natura prius eſt compoſito 8. *Phyſ.* 9. 2. de *cœlo c.* 4. πρότερα τῶν συγκειμένων ἐστὶ τὰ ἀσύνθετα *l.* 13. *Metaph.* 2. itaque quo quid eſt ſimplicius, eo eſt natura prius. Sed paucis, quot ſimplicitatis ſint gradus: ſimplex autem ſubſtantia dicitur (1) quæ non eſt compoſita ex partibus quantitativis, ſcil. integrantibus, adeoque mobilis non eſt. Sic Deus eſt ſimplex, primum movens, immobile, primus finis, prima forma. Hic ſimplicitatis gradus cœlo & ſublunaribus non competit. (2.) Quæ non eſt compoſita ex materia & forma, adeoque neceſſario eſt, nec aliter ſe habere contingit *l.* 5. *Metaph. c.* 5. corruptibile enim eſſe, & poſſe non eſſe, eſt a materia 7. *Metaph.* 7. 8. 1. 2. 4. 12. 6. Cœlum autem non habet materiam γενητὴν καὶ φθαρτὴν ſed τοπικὴν, ſaltem ſit κατὰ τόπον κινητὴν *lib.* 8. *Metaph. c.* 1. *cap.* 4. & 5. *lib.* 12. *cap.* 2. Eſt enim ipſa prima motus materia. Unde

Digitized by Google

Unde Cœlum prius est Elementis, & quæ ex iis constant, quippe quæ ex materia & forma sunt composita, adeoque corruptibilia. Sempiterna & incorruptibilia corruptibilibus essentia sunt priora 9. *Metaph.* 8. 8. *Phys.* 9. (Genus item specie prius est natura, hæc enim ex genere & differentia tanquam materia & forma est composita. Genus enim est materia 10. *Met.* 8.) (3.) quæ non habet mixtam formam, sive, non est ex multis formis composita, adeoque in plura specie differentia dividi nequit, hinc Elementa dicuntur corpora simplicia, reliqua mista. πρότερον στοιχεῖον, ἢ ὧν στοιχεῖον 12. *Metaph.* 4. Primus itaque simplicitatis gradus Deo competit, secundus Cœlo, tertius Elementis. Et scientia de Deo, tanquam simplicissimo Ente, est prima scientia, unde etiam Theologia passim prima Philosophia audit. Doctrina autem Physica de cœlo Theologia quidem est natura posterior, sed prior consideratione sublunarium.

§. 17. Dantur autem non solum substantiæ simplices, de quibus dictum, verum etiam in ceteris categoremasi simplex & compositum valet. Sic in Quantitate, simplex magnitudo est linea. Simplicissimus & primus numerus est binarius. In Qualitate simplicissimæ voces sunt vocales, eæque simplices. Figurarum rectilinearum simplicissima est Triangulum, Curvilinearum vero Circulus. Motuum simplicissimus & primus est localis in Ubi 8. *Phys.* 7. 2. *de gen. & corr. c.* 10. 12. *Metaph.* 7. Inter motus autem locales primus est Circularis *l.* 1. *de cœlo c.* 2. Ne quid dicam de eo, quod etiam substantia reliquis Categoriis prior sit, quia simplicior: unde ipsa dicitur πρῶτον ὄν, & τὸ ὂν ἁπλῶς, & τὸ πρώτως ὂν 7. *Met.* 1. Ceterorum enim prædicamentorum nullum potest a substantia separari *ib.* τὰ πάθη sunt ἀχώρισα 1. *Phys.* 4. 1. *de gen. & corr.* 10. 1. *de anima*, 1. Sola autem substantia inter Categoremata est separata 1. *Phys.* 2. 7. *Met.* 3, 13. 8, 1.

§. 18. Totum etiam omne, cum unum quid sit, natura prius est partibus suis multis quippe. Totum autem Aristoteli 5. *Metaph.* 26. est unum, quod continet & plura, quæ continentur, ut unum sint. Quod dupliciter intelligi potest & debet, aut enim ut unumquodque unum sit, aut ut ex omnibus illis contentis unum sit. Hinc duæ quasi descriptiones: (1) Totum est unum, quod continet & plura, quæ continentur, ut singula, quæ continentur, sint unum tale, quod alias dicitur Totum Universale, Universalia: huc pertinet propositio universalis, multas particulares complectens. Τὸ καθόλου ὅλον τί ἐστι, πολλὰ γὰρ περιλαμβάνει ὡς

Digitized by Google

μέρη, τὸ καθόλυ 1. *Phyſ.* 1. 2. Totum eſt unum, quod continet & plura, quæ continentur, ut ex omnibus illis contentis ſit unum; quale eſt totum eſſentiale & integrale. Et hæc omnia partibus ſuis vel quaſi partibus natura ſunt priora.

§. 19. Cauſa itidem prior eſt natura cauſato, movens moto, 4. *Metaph.* 5. *l.* 12. *c.* 8. Finis eo, quod propter illum fit. (α) Eſt enim prima cauſa *l.* 2. *Phyſ. c.* 3. Eſt principium λογισμῦ *l.* 2. *Phyſ. c.* 9. (hujus autem ultimum eſt actionis principium 3. de *anima* c. 10.) fine enim mihi propoſito demum de mediis ſive actionibus ad ipſum obtinendum conferentibus ſum ſollicitus 7. *Pol.* 13. Nemo enim, niſi ſtultus quidquam ſine propoſito fine agit; 1. Eudem. 2. Propterea τὸ τέλος ἀρχῆ τινι ἔοικε, καὶ τύτυ ἕνεκέν ἐσι ἕκασον. 1. *MM.* 19. (β) Τὸ ἢ γενέσει ὕσερον, πρότερόν ἐσι ἢ φύσει, 8. *Phyſ.* 7. *l.* 2. *de part. an.* 1. ὐσίᾳ, 13. *Met.* 2. & εἴδει 9. *Met.* 8. Atqui finis ultimo fit. Τῶν ἐσχάτων τί ἐσι: & paulo poſt: τέλος καὶ ὗ ἕνεκα ἔσχατον, 5. *M.* 16. Eſt enim πέρας 3. *Phyſ.* 6. hoc autem ἔσχατον ἑκάσυ, 5. *Met.* 17. (γ) Τό, τε ὗ ἕνεκα καὶ τὸ ἑύτυ ἕνεκα, διαφέρει. καὶ τὸ μὲν τῇ γενέσει πρότερον ἀυτῶν ἐσι. τὸ δὲ, ἢ ὐσίᾳ 2. *de gen. an.* 6.

§. 20. Perfectum etiam imperfecto prius eſt natura 8. *Phyſ.* 9. *l.* 1. *de cœlo c.* 2. Perfectum enim finis rationem obtinet. τέλειόν ἐσι τὸ ἔχον τέλος 5. *Met.* 24. τέλειον ὐδὲν μὴ ἔχον τέλος 3. *Phyſ.* 6. κατὰ τὸ ἔχειν τέλος, τέλεια 5. *Metaph.* 16.

§. 21. Totum partibus prius eſt. Totum enim perfectum quoddam eſt. Τὸ γὰρ ὅλον καὶ τέλειον ἢ τὸ ἀυτὸ πάμπαν, ἢ σύνεγγυς τῇ φύσει ἐσί. 3. *Phyſ.* 6. Totum eſt finis partium: partes enim prius generantur quam totum, & propter totum generantur, *l.* 2. *de part. an.* 1. Confer quæ de Toto *theſi* 18. dicta ſunt.

§. 22. Actus etiam prior eſt potentia: hæc enim propter illum tanquam finem. Non enim vident animalia, ut viſum habeant, ſed viſum habent, ut videant, 9. *Met.* 8. omne inſtrumentum propter uſum. Οὐ γὰρ ἡ πρίσις τῦ πρίονος χάριν γέγονεν, ἀλλὰ ὁ πρίσεως. Χρῆσις γὰρ ἡ πρίσις. ὥσε καὶ τὸ σῶμα πῶς ἢ ψυχῆς ἕνεκεν, καὶ τὰ μόρια τῶν ἔργων ἕνεκα, πρὸς ἃ πέφυκεν ἕκασον, 1. *de part. an.* 5. Atque hactenus de iis, quæ natura priora ſunt: quod autem hæc primum in ſcientiis tradendis locum mereantur, ex eodem Ariſtotele audiamus, id non tantum affirmante, verum etiam ab iis ſuos libros exordiente.

§. 23. Cognitis jam iis, quæ natura priora ſunt, facile erit noſſe, quæ præmittenda ſint; quæ minus. Nimirum (quod ex dictis fluit) univerſale præmitti debet minus univerſali. Atteſtatur Philoſophus: *Ab univer-*

Digitized by Google

verſalibus ad ſingularia progrediamur l. 1. Phyſ. c. 1. Primo de omni generatione dicemus. Eſt enim κατὰ φύσιν *communia primo tractare, deinde* τὰ περὶ ἕκαστον ἴδια θεωρεῖν 1 *Phyſ. 7. Univerſalia ſive Communia primum conſiderabimus. Propriorum enim contemplatio, communium conſideratione poſterior eſt*, 3. *Phyſ.* 1.

§. 24. Neceſſario autem id fieri debere, indicat Philoſophus, cum ob facilitatem, de qua *l. 2. de gen. & corr. 9. Facilius ſingularia contemplabimur, quando de univerſalibus prius tractavimus.* Tum ob abſurda quam plurima evitanda, quæ eum prement, qui de ſingularibus prius dicere velit. Tautologiam enim committet, idemque ſæpius dicet. Tangit hoc Philoſophus *l. 1. de part. an. c. 1.* Utrum ſc. unam quandam ſingularem eſſentiam, hominis puta, leonis, bovis &c. explicare, & quæ ei per ſe inſunt, omnia contemplari atque determinare præſtet: an vero ea, quæ omnibus communia, adeoque univerſalia ſunt, prius conſiderare conveniat: *Sunt enim multa, quæ in multis genere quidem diverſis occurrunt, eadem tamen inter ſe ſunt, ut ſomnus, reſpiratio, auctio, deminutio, mors. Si autem a ſpecie ſtatim velis incipere, tum de multis eadem ſæpe dicere neceſſum habebis. Nam & in equis, & in canibus, & in hominibus dictæ proprietates occurrunt, adeoque explicandæ eſſent. Quapropter, qui has circa quamlibet ſpeciem prius explicare velit, easdem ſæpius explicabit, quatenus in ſpecie diverſis animalibus occurrunt.* Hæc Ariſtoteles *l. d.* Gemina habes *cap. 5. Neceſſum eſt primo a nobis in quolibet genere ea diſtingui, quæ per ſe omnibus animalibus accidunt, deinde cauſas eorum aſſignare conabimur. Diximus enim etiam prius, quod multa in multis animalibus communia occurrant, quædam ſimpliciter, quædam per Analogiam. Verum ſi ſeorſim ſingulæ ſpecies prius conſiderentur, eveniet, quod dictum jam eſt, ut eadem ſæpius dicamus, quandoquidem de omnibus dicere velimus, quæ ſingulis ſpeciebus conveniant. Multa autem multis ſunt communia.* Confer. *cap. 4.* Ex his conſtat, hunc ordinem a Philoſopho obſervatu neceſſarium eſſe judicatum, ut quæ in quacunque re communia occurrant, ea primo loco in ſcientiis explicentur, quibus ea, quæ minus ſunt univerſalia, ſubjungantur.

§. 25. Nec vero Philoſophus ejus ordinis in ſcriptis ſuis negligens fuiſſe deprehenditur. Exempla ob oculos poſita id docebunt. In Analyticis ipſe Syllogiſmum Demonſtrativum (quo mediante ſcientia in animum diſcentis introducitur, quod erat finis Analyticorum) conſideraturus, prius de Syllogiſmo agit libris duobus prioribus Analyticorum.

Digitized by Google

In ſequentibus autem 2. poſterioribus de Syllogiſmo Demonſtrativo. Cauſam propter quam id fecerit, ipſe indicat *l.* 1. *Anal. pr. c.* 4. Διωρισμένων δὲ τούτων, λέγωμεν ἤδη διὰ τίνων καὶ πότε καὶ πῶς γίνεται πᾶς συλλογισμός. ὕστερον δὲ λεκτέον περὶ ἀποδείξεως. πρότερον δὲ περὶ συλλογισμοῦ λεκτέον ἢ περὶ ἀποδείξεως, διὰ τὸ καθόλου μᾶλλον εἶναι τὸν συλλογισμόν. ἡ μὲν γὰρ ἀπόδειξις συλλογισμός τις. ὁ συλλογισμὸς δὲ ὁ πᾶς, ἀπόδειξις. In Analyticis poſterioribus prius de Demonſtratione in univerſali agit, poſt de Demonſtratione univerſali, particulari, affirmativa, negativa, oſtenſiva, & quæ ex hypotheſi, *dicti* ὅτι 1. *poſt.* 21. 22. 23. 24.

§. 26. Prius etiam Philoſophus (ut ordo flagitabat) de natura, naturali mutatione, ſive (nihil enim intereſt, utra voce motu an mutatione utamur cum Ariſt. *l.* 4. *Phyſ. c.* 10. *in fine*) motu in univerſali agit in libris octo περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως inſcriptis, poſtea motus ſpecies ordine pertractat. Et prius quidem de motu locali (hunc enim motuum eſſe primum, ſupra §. 17. vidimus) in libris 4. *de cœlo.* In quorum duobus prioribus de circulari (quem primum motum localem eſſe, ſupra audivimus §. 17.) ejuſque ſubjecto nobiliſſimo, cœlo. Duobus autem poſterioribus de recto rurſum deorſumque motu corporibus ſimplicibus ob gravitatem & levitatem competente, agitur. Prima motus ſpecie, (locali ſcil.) conſiderata, ad ceteras mutationis ſpecies accedit, alterationem nimirum, generationem, & augmentationem, de quibus in Univerſali libris duobus de Generatione & Corruptione inſcriptis agit. Poſtea in ſpecie de Generatione, Corruptione, & reliquis mutationibus Meteororum, in libris tribus *Meteorologicis:* animalium, in libris de *partibus animalium* &c. *generatione animalium* &c. Sive, cum Philoſophus de cœlo ceu ſubſtantia naturali nobiliſſima, mobili quidem, ſed ingenerabili & incorruptibili, primo, ut æquum erat, in libris 2. *de cœlo* egiſſet: (ad cujus naturam declarandam de ſolo motu locali ex omnibus mutationis ſpeciebus dixiſſe ſufficiebat, quod fit in *ll.* 8. *Phyſ.*) Poſt de ſubſtantiis mobilibus, ſed generabilibus, corporibus ſcil. infracœleſtibus in libris Meteorologicorum, & de animalibus & plantis, conſcriptis egit: Quæ omnia cum itidem moveantur, generentur, corrumpantur, augeantur, alterentur, prius in Univerſali de motu ſimplicium corporum locali recto ſurſum ſcil. a medio, deorſum ſcil. ad medium, quem ob levitatem & gravitatem habent, in libris duobus de cœlo poſterioribus: (quos titulum illum mentiri, & a libris de cœlo ſeparandos eſſe, jam patet.) Poſtea de generatione, corruptione, alteratione &c. tum in Univerſali, tum Elemen-

Digitized by Google

mentorum libris de Generatione & Corruptione ut agere debuit, ita egit. Hinc ad illarum mutationum ſubjecta accedit, Meteora ſcil. &c.

§. 27. In doctrina de animalibus itidem de eorum motu, generatione, nutritione egit, quamvis de hac materia libri miſere ſint divulſi, nonnulli mutili, deperditi, atque ita ordo turbatus.

§. 28. Finis etiam, quia prior natura eſt, ideo in Politicis prius de fine ſocietatis civilis, ſummo puta Bono humano, quam de ipſa ſocietate Politica agit. Nam illud eſt quidem finis actionum humanarum, ſed principium λογισμῶ. 2. *Phyſ.* 9. Ultimum in executione, ſed primum in intentione. Eſt ſcopus ad quem prudentes ſuas actiones dirigunt. Eſt ἀρχὴ καὶ ὑπόθεσις ὥσπερ ἐν ταῖς θεωρητικαῖς ἐπιστήμαις ὑποθέσεις. 2. Eudem. 10. conf. §. 19. Illius autem Summi B. H. definitionem in Ethicis (quæ etiam Politica Philoſopho dicuntur) & inquirit & explicat ordine itidem accurato. Propter hanc rationem etiam Politica prior eſt Oeconomica. Hæc enim γενέσει prior *l.* 1. *de Oecon. c.* 1. Recte itaque etjam prius de Politicis, quam Oecon. egit.

§. 29. Tandem quia movens motu prius eſt, prior etiam erit ſcientia, quæ de primo motore agit, quam quæ de primo mobili.

§. 30. Quin & perfectum imperfecto prius eſſe audivimus §. 19. ac proinde prius conſiderari debet. Quod etiam Philoſophus noſter probe obſervavit. Recte itaque (α) prius egit de Syllogiſmo Analytico in Analyticis, quam de Dialectico in Topicis. Ille enim hoc perfectior & nobilior eſt. Ille ſcientiam, hic opinionem tantum generat. Ille perfecte Philoſopho inſervit, dum veritatem concludit, hic imperfecte, dum opinari ſaltem facit, viamque ad veritatem ſternit. (β) Prius de Syllogiſmo quam Inductione, Exemplo & Enthymemate. Hæc enim ſunt Syllogiſmi imperfecti *l.* 2. *pr. c.* 23. 27. (γ) Prius de Syllogiſmo primæ, quam ſecundæ & tertiæ figuræ: prima enim figura eſt perfecta 1. *prior. c.* 4. 5, 6, 1. poſt. 11. quoniam in 1. figura perſpicua eſt & manifeſta conſequentiæ neceſſitas, 1. *prior.* 1. §. 9. in ceteris non item, quippe quæ vel converſione, vel transpoſitione & converſione ſimul præmiſſarum in nonnullis modis opus habent, ut earum conſequentiæ neceſſitas manifeſta fiat. Adde quod in prima omnis generis propoſitiones (A. E. I. O.) concludi & probari poſſint. In ſecunda autem figura non niſi negativæ E. O. In tertia ſolæ particulares I. O. (δ) Prius de circulari cœli & ſiderum motu, duobus prioribus de cœlo libris, quam de recto corporum ſimplicium in ſequentibus. *Circularis enim motus perfectior eſt recto*, 8.

Phyſ.

Digitized by Google

Phyſ. 9. Huc pertinent, quæ habentur 2. *de cœlo* 4. *Si perfectum prius eſt imperfecto, ergo etiam circulus prima erit figura. Sphæra item figurarum ſolidarum prima. Sola namque ab una ſuperficie continetur. Figuræ autem rectilineæ a pluribus.* Hactenus Philoſophus. *Propterea etiam motus circularis eſt primus*, 10. *Metaph.* 1. *principio* 12. *Met.* 7. *Cœlum eſt prius corporibus naturalibus, & motus circularis eſt prior recto l.* 1. *de cœlo c.* 2. (ε) Prius de virtute civis in Politicis, quam de virtute patrisfamilias in Oeconomicis egit. Illa quippe perfecta virtus, hæc imperfecta. 1. *Polit.* 13.

JOHAN-

Digitized by Google

JOHANNIS WANDALINI

DE

FERIA PASSIONIS

ET

TRIDUO MORTIS

Domini & Servatoris noſtri

JESU CHRISTI,

NEC NON

Aliis quibuſdam ad Hiſtoriam & Chronologiam Sacram pertinentibus,

DIATRIBE

HISTORICO-THEOLOGICA,

Novis ac paradoxis opinionibus

WILHELMI LANGII,

Libro de ANNIS CHRISTI contentis,

oppoſita.

Digitized by Google

Perilluſtri, Magnifico & Generoſiſſimo Heroi,

D. CHRISTIANO THOMÆO a SEHESTED,

Toparchæ in Stowgard / &c. Equiti Aurato, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Daniæ & Norwegiæ &c. Cancellario Magno, & Regni Senatori Eminentiſſimo, Domino & Patrono ſuo ſummo, Divinam benedictionem & perpetuam felicitatem,

P. P.

ANtiquæ veritatis, Cancellari Eminentiſſime, Patrone Incomparabilis, cœleſti afflatu terrigenis patefacta, ea ſors eſt, id fatum, ut licet expugnari non queat, oppugnatoribus tamen nunquam careat: & qua opprimi neſcit, ei, qui premant, nullo tempore deſint. Ipſi ſummo veritatis Teſti & Vindici, infinitæ ipſi Veritati, Servatori Optimo Maximo, id Spiritus Sanctus ore Θεοδόχου Senis ac Vatis eventurum prædixit, ut σημεῖον ἀντιλεγόμενον, ſignum cui contradicitur, evaderet. Quid mirum itaque, quod quæ ipſius auſpiciis, ipſoque aſſertore, ad nos propagata eſt, Veritas, eos omni ævo experta fuerit, qui nullo non conatu contradixerint & contraiverint. Teſtis eſt ipſa veritatis columna ac firmamentum, Sancta & Catholica Eccleſia, quæ, quid veritatis adverſarii contra pretioſiſſimam illam ſuæ fidei commiſſam παραταθήκην moliti ſint, per omnes ſeculorum decurſus perſenſit. Hæc cum paganis & infidelibus forinſecus ſævientibus aſſiduo luctari, hæc cum hæreticis & ſchiſmaticis intrinſecus debacchantibus nunquam non conflictari, hæc cum improba novatorum

Digitized by Google

rum factione perpetuo concertare, neceßum habuit. Vix ullo momento reſpirare eam aut quieſcere veritatis hoſtes paſſi ſunt. Fortiſſimos ejus athletas, enthea pectora, iſta ἀσωνδων adverſariorum colluvies indeſinenter in acie ſtantes, ac ad dimicandum pro veritate accinctos detinuit. Omnium temporum experientia, cujus index Hiſtoria, neminem hac de re dubitare ſinit. Et optandum ſane eßet, ut id non aliunde, quam e præteritorum ſeculorum memoria conſtaret. Sed dolendum eſt, quod exulcerata hæc, in quam nos incidimus, tempeſtas plura iſtius rei documenta ſuppeditet, quam ut numero comprehendi queant. Vix ullum ſeculum inter univerſa ea, quæ a ſalutari Filii Dei in carne ἐπιφανείᾳ effluxerunt, exſtitiſſe arbitror, quod tot veritatis divinæ hoſtes protulerit, quot hoc noſtrum protruſit. Quis miſerabilem hodiernæ Eccleſiæ faciem ſatis deploret, quam non tantum confertus hæreſium ſectarumque cuneus infeſtat, ſed & ſævæ ſchiſmatum procellæ concutiunt? Inter eos, qui Chriſtianum nomen affectant, tot tamque infinitas hæreſes ac ſectas noſtra hac Patrumque noſtrorum ætas, vel pridem ſepultas ex orco revocavit, ac nonnihil interpolavit, vel de novo variis in Orbis partibus proſeminavit, ut vix nomina ſuppetant, quibus a ſe invicem diſcernantur. Quis juſtis querelis inteſtinas iſtas συρράξεις proſequatur, quibus ipſi Orthodoxi gregis Doctores inter ſe colliduntur, & inconſutilis Chriſti tunica fœde laceratur? Non hic tamen malorum finis. Accedunt alii, quos vel novandi cupiditas, vel nimia confidentia eo impellit, ut antiquæ veritati cœlitus revelatæ, vel directe, vel oblique ſe opponere non vereantur. Eos potiſſimum intelligo, Magnifice Heros, quorum mentes, veluti peſtilenti quodam ſidere afflatas, inſanus novitatis amor inceſſit, ac adeo occupavit, ut ſpreto eo, quod vetuſtum eſt, καινοφωνίας & nova dogmata antiquæ ὀρθοδοξίᾳ adverſa introducere allaborent. Nam ſicut priſcis Eccleſiæ temporibus ille φιλοκαινίας pruritus multorum ingenia vehementer titillavit, atque eo incitavit, ut ineptas fabulas & abſonarum opinionum portenta confinxerint, quorum ſtulta ſomnia fidei hoſtes fidelibus deinde adſcripſerunt, eoque nomine ſanctiſſimum Chriſtianæ pietatis nomen apud imperitos infamarunt. Ita & hodie idem familiare magnis ingeniis vitium plurimos adeo exſtimulat, ut quæ antiquitus credita, eque ipſa divina veritate manifeſte deducta ſunt, ſæpius non ſine pernitioſiſſimo ſcandalo carpere, novaque ac inaudita obtrudere geſtiant. Quot enim inter noſtræ ætatis ſcripturientes reperiuntur, quos aliqua ſui opinione inflatos famæ ac gloriolæ ſitis ad ſcribendum proritat, qui nullam laudem meruiſſe ſibi videntur, niſi in Sacris,

Digitized by Google

& circa dogmata fidei, aliquid ex antiquo, quanquam aliud agentes, mutare ac innovare tentaverint? Qua ratione aliter fieri non poteſt, quin priſca veritati vis ſæpius inferatur. Verum divina providentia id imputandum eſt, quod, etiamſi veritas ejuſmodi adverſis tempeſtatibus jactitetur, nunquam tamen pereat aut obruatur; ſed ſemper victrix perduret, atque omnes decumanos fluctus eluctetur. Manſit hæc illius beneficio hactenus inconcuſſa, nec ullis hoſtium inſultibus ceſſit, licet nonnunquam latitaverit, minusque in hominum oculos incurrerit. Manſura quoque eſt ad ſeculorum usque finem, deque omnibus adverſariis glorioſiſſimum tandem triumphum reportatura. Sed quid illuſtrem tuam Magnificentiam hoc verborum circuitu moror? Patiatur, obſecro, ut jam ſine ambagibus exponam, quo mea oratio tendat. Cum non ita pridem in librum Wilhelmi Langii, *quem de* Annis Chriſti *ſcripſit, inciderem, eam ibi intempeſtivam circa Sacra novandi affectationem animadverti, quam ſummopere omnibus pietatis & divinæ ſapientiæ ſtudioſis devitandam eſſe, Sacræ Scripturæ præceptis, & clariſſimorum Antiquitatis luminum monitis, dudum edoctus ac perſuaſus fueram. Indolui hercle, maguaque animum meum agritudo invaſit, cum præſtantiſſimum illud ingenium, tam præclaris naturæ dotibus a Deo exornatum, ut non vulgare bonis literis ac artibus inde ornamentum exſpectandum putaverim, usque adeo φιλοκαινίας illecebris captum cernerem, uti antiquæ veritati, S. literis confirmatæ, & totius Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu approbatæ, contradicere, ac novæ vanarum opinionum inventa inducere conaretur. Illa præcipue dogmata intendo, quæ feriam Dominicæ paſſione nobilitatam, & ſpatium moræ Servatoris in ſepulcro, item famoſiſſimi Jacobæi de ſceptro Jehudæo & Meſſiano adventu oraculi ſenſum ac expoſitionem concernunt, ut cetera taceam. Rationes, quas novationi prætexuit, cum avide luſtrarem, ſtramineas eas ac ficulneas deprehendi. Nec meo duntaxat qualicunque judicio ſtare volui; ſed cum Magnis Germaniæ Theologis & Doctiſſimis Viris aliis rem communicavi. Non modo illuſtris Argentinenſis Academia, priusquam ante ſemeſtre ſpatium illam relinquerem; ſed & inclyta hujus Lipſienſis, aliarumque Saxonicarum, Celeberrimos Theologos, ac Eruditiſſimos Viros alios, conſului, eorumque de Langianis dogmatibus judicia ſollicite expetivi: omnium vero diſplicentiam, atrosque calculos ubivis offendi. Ipſe rem accuratius mecum expendi, & quid pro antiqua veraque ſententia defendenda, quidque pro Langii ſophiſmatis, ſuopte ruinoſis, funditus evertendis, afferri poſſet,*

Digitized by Google

ſet, penitius conſideravi. Exiſtimavi me rem Chriſtiana pietate non indignam, meis ſtudiis, quæ divinæ veritati cognoſcendæ ac tuendæ unice conſecravi, non incongruentem, bonisque univerſis haut ingratam, præſtiturum, ſi almæ vetuſtæque veritati, temere hic impugnatæ, pro virili ſuccurrerem, & hanc qualemqualem ejus defenſionem candidis omnium cordatorum ac φιλαληθῶν judiciis ſubjicerem. Quanquam enim ego meæ mihi mediocritatis ſatis conſcius, ab aliis felicius, quam a me, hanc veritati operam navari potuiſſe, non ignorem: meum tamen antiquæ ὀρθοδοξίας amorem ac reverentiam, qua nemini ſum ſecundus, in optimam partem acceptum iri nullus dubito. Sereniſſimum ſane ac Potentiſſimum REGEM noſtrum, Dominum meum Clementiſſimum, cujus Auguſtiſſimum nomen Langius ſcripto ſuo, cetera erudito omnino & polito, præfixit, meum hoc pro veneranda veritate ſtudium non improbaturum eſſe, confido. Dudum enim eſt, quod Majeſtatis ipſius Heroica in DEUM pietas, & conſtantiſſimus pro priſca veritate ac orthodoxia zelus, toti Orbi notiſſimus, omnem mihi de eo dubitationem exemerit. Si Langii elegans & acre ingenium, variamque ipſius eruditionem, in iſto ſcripto ſatis conſpicuam, Regia ſua gratia non dedignatus eſt: novitates tamen iſtas, ſacris monumentis, & univerſæ veteri pariter ac hodiernæ Eccleſiæ adverſas, pientiſſimo Patriæ Patri non placuiſſe, ſatis ſum perſuaſus. Tuam quoque perilluſtrem Magnificentiam huic meo pro veritate ſuſcepto labori faventiam haut gravatim commodaturam eſſe ſpero. Firma hac fiducia fretus, ampliſſimo nomini tuo qualemcunque hanc Diatriben inſcribere non dubitavi. Quam conſtante ac immobili affectu antiquam veritatem complexus, quantaque ſeveritate improbam circa ſacra novandi cupiditatem deteſtatus hactenus fueris, cariſſima patria noſtra pridem exploratiſſimum habet. Summum ac pene divinum judicii tui in veritate a falſitate diſcernenda acumen neminem eorum fugit, quibus vel leviſſima ſplendidi nominis tui fama innotuit. Tuum proinde erit, Maxime Heros, pro inæſtimabili tua ſapientia ſtatuere, num ea dexteritate, qua oportuit, veritas a me defenſa, falſitasque confutata ſiet. Quod ſolius veritatis amore unice ductus fuerim, quod φιλονικίᾳ aut livori nihil hac in parte indulſerim, novit ille, qui omnium mortalium penetralia intuetur. Si non ſatis feliciter illud, quod unum ſtudiose quæſivi, aſſecutus ſim, ſi non ſatis idoneum per omnia me almæ veritati advocatum præbuerim: non prorſus tamen indefenſam eam manſiſſe, nec nihil omnino lucis ac ſecuritatis ei hac mea opella allatum eſſe arbitror. Inſignis ille tuus, Patrone Summe, & prolixus favor,

Digitized by Google

quo mea ſtudia & conatus perpetuo proſecutus es, quem & tot eximiis documentis jam dudum teſtatiſſimum reddidiſti, eo confidentiæ me provexit, ut Tuæ Magnificentiæ viles haſce pagellas offerre veritus non fuerim. Infinita tua in me meosque merita inſigne aliquod & luculentum gratitudinis meæ monumentum pridem jure ſuo poſtularunt. Verum cum tale a meæ ætate ac tenuitate exſpectari nondum queat, hoc exiguum devotiſſimi animi, ſimulque ingenii ac ſtudiorum ſpecimen ne aſperneris, ſupplex rogito. Acerrimo tuo judicio qualemqualem hanc meam pro veritatis patrocinio lucubrationem venerabundus ſubmitto, quam ſi tuo favore ac applauſu non indignam judicaveris, præclare de ea, deque me, actum putabo. Sic te ſummus ille rerum humanarum Arbiter patriæ noſtræ diutiſſime ſervet ac ſoſpitet, ſicque te omnigena proſperitate cumulet, ut pro tua, illuſtrisque familiæ tuæ incolumitate ac perenni fauſtitate aſſiduas ad eundem preces fundit,

Perilluſtris Tuæ Magnificentiæ

humillimus ac devotiſſimus cliens

JOHANNES WANDALINUS.

Scriptum Lipſiæ x. Kal. Junias Anno MDCLI.

JOHAN.

Digitized by Google

JOHANNIS WANDALINI DIATRIBE HISTORICO-THEOLOGICA, AD *WILHELMUM LANGIUM.*

CAP. I.

Locus 2 Tim. II, 22. explicatur. Νεωτερικὰ ἐπιθυμίαι *quid? Grotius notatur.* Νεωτερικὴ τάξις *apud Ignatium. Innovandi libido noxia. Hug. Grotii laus. Ejusdem* φιλοκαινία *doctis invisa. Qualis novitas improbanda? Wilh. Langii ad novandum proclivitas. Quam insolens eadem & incommoda. Instituti nostri ratio.*

QUando divinus Gentium Apostolus Timotheum suum, ac universos Christi fideles hortatur, τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας uti fugiant, 2 *Tim. II*, 22. non quidem *Juveniles cupiditates* principe instituto prohibet, quomodo id plerique Patres & vulgus Interpretum communiter acceperunt; sed *novas* vel *novarum rerum cupiditates*, & vana innovandi desideria vitari mandat. Suadet hoc genuina φράσεως Apostolicæ vis, paullo penitius considerata. Vox νεωτερικὸς a νεώτερον, sicut ἐσωτερικὸς vel ἐξωτερικὸς ab ἐσώτερον & ἐξώτερον, deducta, *novum* seu *novaturientem* melioribus Græcismi auctoribus constanter designat: ubi autem *Juvenilem* notet, nusquam reperio. Suidæ νεώτερον idem est, quod καινὸν, unde νεώτερον κακὸν *novum malum.* τὰ νεώτερα apud eundem *res novæ* sunt, & Phalaridi in *Epist.* νεώτερα φρονεῖν dicitur, qui *nova* meditatur: Isocrati autem vice versa apud Suidam καινὸς vocatur is, qui τοῖς νεωτέροις ἁρμόττει πράγμασι, *res consectatur novas.* Hinc verbum νεωτερίζειν, quod Hesychio & Suidæ est καινὰ πράττειν, *nova moliri, novis rebus studere.* Thucydides illud aliquoties pro *innovare* usurpavit, ut cum *l.* 7. anni tempus hominem εἰς ἀσθένειαν νεωτερίζειν dicit, nempe novis morbis invectis. Sic. *lib.* 2. ὤμοσαν μηδὲν νεωτερίζειν περὶ τὴν ξυμμαχίαν, i. e. *Jurarunt se nihil innovaturos circa societatem militarem.* Idem apud Suidam τὴν τυχὴν νεωτερίζουσαν τὰ πράγματα, i. e. *fortunam res innovan-*

vantem appellat. Eodem modo Herodianus *l.* 1. δεδιὼς ϗ δήμε κίνησιν, μήτι καὶ περὶ αὐτῦ νεωτερίσειεν, i. e. *populi motum veritus, ne & circa ipsum aliquid innovaret.* Et Philo *l.* 3. de *vita Moſis:* ὑπὲρ τῦ μὴ δοκεῖν ἰδίᾳ γνωμῇ νεωτερίζειν, *ne videretur privatim nova conſectari.* Inde νεωτερισὴς Plutarcho in *Phoc. novarum rerum ſtudioſus*, & νεωτερισμὸς eidem in *Galb. innovatio.* Erunt ergo dubio procul νεωτερικὴ ἐπιθυμία, quæ circa τὰ νεώτερα verſantur, & *novitatibus* afficiuntur, ſicuti κοσμικὴ ἐπιθυμία eidem Apoſtolo ad *Tit. II*, 12. ſunt illæ, quæ *mundo* & *mundanis* agglutinantur, & σαρκικὴ ἐπιθυμία Petro 1 *Epiſt. II*, 11. quæ *carni* & *carnalibus* adhærent. Idem quoque erit, τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεύγειν, quod τῶν νεωτέρων μὴ ἐπιθυμεῖν. Hoc autem quid ſit, e Jul. Polluce *lib.* 3. *c.* 7. patet, ubi poſt plura ϗ φιλοπόλεως epitheta, ejusdem quoque τὰ ἐναντία recenſentur, ac inter hæc νεωτερισὴς & νεωτέρων ἐπιθυμῶν, conjunguntur. Vitium itaque φιλοκαινίας ab Apoſtolo his verbis damnari quis ambiget? Grotium miror, tantum Criticum, qui *Annot. in h. l.* νεωτερικὰς ἐπιθυμίας idem quod תאוה נעורים eſſe cenſet, ac *Juveniles* iſtas *gloriolas* notari credit, quas qui conſectantur, Græcis νεανένεσθαι dicuntur. Cur autem Grotius non ullo exemplo oſtendit, eam vocis νεωτερικὸς ſignificationem, quam ipſe vult, a Græcis admitti? ipſi hoc ἀδεσπότως aſſerenti fidem habeat, cui volupe eſt, nobis non licet eſſe tam credulis. Certe ſi *Juveniles* ejusmodi *gloriolas* vitare intendiſſet Θεόπνευς Doctor, non νεωτερικὰς, ſed νεανικὰς ἐπιθυμίας ſine dubio dixiſſet. Sic enim Philoſophus *Ethic. Nicom. lib.* VII. *c.* 4. νεανικὴν ἐπιθυμίαν diſerte dixit, *Juvenilem impetum* deſignaturus. Sic quoque νεανικὸν φρόνημα Demoſthenes, & νεανικὸν φόβον Euripides, & νεανικὴν φορὰν Theophraſtus dixere. Sed aliud eſt νεανικὸν, aliud νεωτερικὸν. Hoc omnino novitatem complectitur. Unde & in Latium traducta voce *Neoterici* auctores Servio ſunt *novi* ac *recentes*, qui opponuntur antiquis, & eodem ſenſu Hieronymus in *Epiſt. ad Pammachium Neotericos* laudat. Inſigniter noſtram expoſitionem firmat eximius Ignatii in *Epiſt. ad Magneſios* locus, ubi in vetuſtiſſimo Bibliothecæ Laurentianæ MS. codice, e quo recens Ignatiana Cl. Iſaaci Voſſii editio expreſſa eſt nova iſta Epiſcopi unius ſupra Presbyteros reliquos in majore gradu conſtitutio, quæ tum in Eccleſiam introducebatur, φαινομένη νεωτερικὴ τάξις appellatur, quaſi dicas *novum ordinem*, *novellum inſtitutum.* Quem locum quam miſere corruperit improbus Ignatii interpolator, quem Vedelius & Uſſerius in ſuis editionibus ſecuti ſunt, dum pro

Digitized by Google

pro νεωτερικὴν τάξιν ſubſtituerit νεότητα, obſervavit nuper Ill. Salmaſius in *Appar. ad Primatum Papæ p.* 57. 58. ubi & verum loci Paulini ſenſum tetigit verius, quam expoſuit, atque alibi ulteriorem ejus explicationem promiſit. Alias forte pro hac interpretatione roboranda rationes afferre in proclivi eſſet, niſi e modo dictis ſatis ea ſuperque declarata videretur. Nos enim jam commentarium non ſcribimus. Cuivis id liquido oſtenſum eſſe arbitramur, inanes novandi cupiditates monito hoc Apoſtolico ſerio eſſe interdictas. Optandum autem eſſet, ut illi, qui veræ ſapientiæ ac bonarum artium cultores ſe profitentur, idem ſibi curæ cordique eſſe in praxi oſtenderent. Imprimis ii, quos de meliore luto æternum numen finxit, ac beatioribus naturæ dotibus liberalius exornavit, divinioreque felicioris ingenii facultate ad ſumma quæque aſſequenda inſtruxit. Inter hos autem quam maxime illi, qui animum ad eas res tractandas applicant, quæ omnium minime novaturientium libidini obnoxiæ eſſe debebant. Divinas intelligo revelationes Sacris monumentis conſignatas, fideique noſtræ capita, cum iis, quæ hæc vel comitantur, vel inde conſequuntur. Nam licet omnis innovatio ſuopte ſuſpecta ſit, minus tamen in omnibus aliis inviſa cenſetur, quam in his, ubi novitatem affectanti, error ut proclivior, ita & periculoſior exiſtere ſolet. Equidem pleroſque mortales ita φιλοκαινία afficit, nulli uti rei lubentius indulgeamus, ut eſt *mens noſtra vaga & novitate rerum lætiſſima*, ſententia Romanæ Philoſophiæ Sirenis in *Conſol. ad Helviam c.* 6. Maxime tamen ejus ſtimulos ſentiunt magna illa ſupraque vulgum eminentia ingenia, quæ nonnullam volubilis inconſtantiæ mixturam patiuntur, quibus ſordet, quidquid antiquum uſuque vulgi tritum eſt, arridetque nihil, niſi vel ab ipſis inventum, vel quod ipſa novitatis ſpecie ſe commendet. Quorum impetus eo tandem, niſi prudente ratione gubernetur, erumpit, ut veritati antiquitus cognitæ ac religioſe obſervatæ, quam vel eo nomine minus reverentur, ſæpius vim faciant, ac in juſtum propterea cordatiorum odium incurrant. Sane cum ipſi ſibi ſolis ut ἀναμαρτήτοις fidant, & ab aliis bene vereque credita ac dicta alto ſupercilio deſpiciant, fieri non poteſt, quin ſua eos ἀυθάδεια a veritatis calle ſæpius devios agat, ut in erroribus demum deprehenſi homines ſe eſſe aliis citius, quam ſibi, perſuadeant. Exempla & odioſa ſunt, & ſatis alias obvia. Unus Hugo Grotius omnium inſtar erit, Vir ſui nominis, omnium opinione maximus, cujus ſummum ingenium, ſtupendam eruditionem, & pene invidendas animi dotes, qui non ſuſpiciat, neminem inter eru-

Digitized by Google

ditos dari existimo. Unanimem horum consensum esse puto, quod hic Vir ingenii & eruditionis humanæ terminos propemodum transgressus, ita inter doctos caput extulerit, ut contra antiquitatis fiduciam aut unus, aut cum pauciſſimis, seculum nostrum absolvat. At quantopere immodicum in ipso novandi pruritum omnes boni ac cordati detestantur? Quantis ipsi in delitiis novitates fuerint, quam studiose novas circa dogmata fidei sententias, novasque Scripturæ Sacræ interpretationes, pessimo exemplo, captaverit, abunde testantur, qui ab ipso publici juris facti sunt, commentarii, illi præsertim, quibus Sacrum veteris novique Instrumenti Codicem explicare aggressus est. Ibi certe τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας luculentius in se ostendit, quam loco supra a nobis notato interpretatus est. Quot autem quantisque hallucinationibus ipsum familiare istud φιλοκαινίας vitium immerserit, tum variæ variis de argumentis Eruditorum contra ipsum lucubrationes loquuntur, tum cuivis, qui scripta ejus vel mediocri cum judicio legit, facile patet. Id certe consecutus videtur, ut sicut ejus quondam manus omnes oppugnarunt, ita ipsi jam omnium manus adversentur, quod de Ismaele olim dictum accepimus. Nemo autem existimet, me illud novitatis nomine designare, quod multis, quos fallax fucatæ vetustatis opinio fascinavit, novum ac insolens videtur, cum vere antiquum sit, temporumque saltem prolixa injuria oblivioni datum. Insanus enim essem, si eorum non laudarem industriam, qui priscam veritatem, quam longa dies sepelivit, e tenebris in lucem revocare conantur. Illorum saltem institutum accuso, qui antiquissima veritate, quam constans ac indubius tot seculorum consensus stabilivit, explosa, resque suas sibi habere jussa, novas opiniones siculneis ac ruinosis fundamentis suffultas introducere, nobisque tantum non invitis obtrudere, annituntur. Quam vellem, ut ex ejusmodi φιλοκαινῶν censu se exemisset Doctissimus Vir, WILHELMUS LANGIUS, eruditi tractatus, de ANNIS CHRISTI inscripti, ac nuper in Belgio editi, Auctor, cujus ego acre ac florentissimum ingenium, subactum judicium, felicissimam memoriam, atque eruditionem ætatis mensuram longissime superantem, nec non insignem in studiis tractandis diligentiam, uti semper tum penes me maxiini æstimavi, tum penes alios dignis laudibus exornavi, idque etiamnum facere non desisto, ita quam primum istius libri inspiciendi mihi copia facta fuit, multamque in eo Auctoris ad novitates minus solidas amplectendas propensionem animadverti, non exiguo me dolore affectum sensi. Novitates dum memoro, non novas illas in Chronologia & temporum

Digitized by Google

porum doctrina opiniones, ab aliis celeberrimorum Chronologorum & Computiſtarum receptis ſententiis diverſas, intendo, de quibus ego uſque adeo ſollicitus non ſum, quin aliis harum rerum peritioribus, plusque otii habentibus, eas lubens dijudicandas relinquam. Illas tantum innuo, quas vel in quibuſdam Scripturæ locis aliene explicatis, vel in nonnullis dogmatibus, quibus major meis cum ſtudiis affinitas intercedit, obſervavi. Inter has duæ ſunt, quæ graviores ceteris viſæ majorem in modum diſplicuere. Prior eſt de feria σωτηρίς Paſſionis Domini ac Servatoris noſtri JESU CHRISTI, & interſtitio inter hanc ac diem glorioſæ ejuſdem reſurrectionis. Chriſtum enim non ſexta feria, quod hactenus univerſa credidit Eccleſia, ſed quinta, non die Veneris, ſed Jovis, pro peccatis Orbis paſſum, nec duabus ſaltem noctibus & una die integra, ſed tribus noctibus ac duabus diebus integris, in ſepulcro manſiſſe aſſerit. Altera eſt vaticinii Jacobæi *Geneſ. XLIX.* de Meſſiæ Regis adventu abſona interpretatio, qua perfidis Judæis commodior nulla ſuppeditari poterat ad declinandam vim noſtri argumenti, quod hactenus pro adventu Meſſiæ demonſtrando feliciter inde deductum fuit. Reliquæ παράδοξοι quidem & incommodæ, (ut nihil gravius dicam) minori tamen cum periculo conjunctæ ſunt. Scio quidem me non eſſe eum, cui judicium de aliorum laboribus ferre conveniat. Nec ego id mihi arrogo. Illud tamen nemo bonus mihi vitio vertet, quod libertate illa, qua omnes bonarum literarum cultores gaudent, impræſentiarum uſus, tum meum in nonnullis diſſenſum ingenue ac modeſte profitear, tum quid in almæ antiquæque veritatis, cui ſoli lito, defenſionem afferri poſſe ſtatuam, publice exponam. Laudibus Domini Langii quidquam derogare nec mei ingenii eſt, nec inſtituti, qui ſemper illiberale duxi, ex alienæ induſtriæ obtrectatione gloriam captare, quo tamen nihil hodie frequentius, nihil peſtilentius. Præclara Dei in ipſo dona, quo par eſt, honore proſequor, optoque, ut ea iis ſtudiis impendantur, quæ Rempubl. literariam ac communem noſtram patriam maximo ornamento ac emolumento mactare poſſint. Ipſe certe Langius noſtram libertatem pro ſuo candore ac modeſtia ægre non feret. Nam qui ipſe ſibi hanc licentiam ſumit, ut celebres ac illuſtres in re literaria viros, Scaligerum, Caſaubonum, Voſſium, Montacutium, Petavium, Allatium, Petitum, Capellum, &c. cenſoria virgula ſæpiuſcule perſtringat, & multo nonnunquam ſale perfricet, nec magnis Germaniæ Theologis, ſummoque inter eos D. Chemnitio, parcat; imo & antiquiſſimis ac doctiſſimis Chri-

Digitized by Google

ſtianæ pietatis Antiſtitibus dicam ſcribat, is nec alteri de ſuis, quas fovet, novitatibus libere judicanti ſuccenſere jure poteſt. Quod enim ipſe ſibi in tantos viros licere arbitratus eſt, id aliis quoque in ſe licere putabit. Ipſi certe in me idem licebit, modo ea utatur modeſtia, quam a me experietur. Sine cunctatione igitur illud, quod tractare conſtitui, aggredior. Eam autem præcipue quæſtionem, quæ de feria Dominicæ paſſionis eſt, pleniore accuratioreque conſideratione dignam exiſtimo. Circa hanc enim & operoſius ac confidentius, quam circa ullam aliam, verſatur Langius, & tam Scripturæ Sacræ, quam univerſæ Eccleſiæ contradicit, quod liquido oſtendemus. Quid quod hæc etiam veluti baſis eſt totius tractationis, quam de Tempore paſſionis Chriſti parte libri ſecundi altera prolixe inſtituit. Huic enim hypotheſi, quod dies paſſionis fuerit feria quinta, tota iſta tum Anni paſſionis σωτηρίου, tum Annorum miniſterii Chriſti, ac quinque Paſchatum ejuſdem, operoſa demonſtratio, tanquam immobili fundamento, innititur. Hoc autem fundamento concuſſo ac everſo, omne id, quod ſuperſtructum eſt, mole ſua ruet, niſi aliunde ſuffulciatur. Equidem meus in Langium amor vix id effari me permittit, quod ſentio. Illud tamen tacere non poſſum, quantum incredibilem ipſius confidentiam deteſtatus ſim, dum falſam hanc de feria quinta paſſionis opinionem non προβληματικῶς proponat, tanquam rem non plane a vero abhorrentem, de qua ulterius cogitandum eſſet eruditis, ſed tanquam dogma ἀποδεικτικῶς verum ac irrefragabile, cui ſine piaculo contradici nequeat, nobis obtrudere præſumat. Sane ſi eam, ut problema aliquod probabile, doctis dijudicandam exhibuiſſet, veniam facile apud bonos meruiſſet: jam vero, cum hoc dogma ut plane ἀναντίλεκτον tueatur, idque ſub ea neceſſitate omnibus tenendum proclamet, quaſi non extra perfidiæ & ejeratæ Chriſtianæ pietatis periculum eſſet, qui contra hiſcere auderet, ac omnes ſimul eos, qui ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis, annis amplius mille ſexcentis, feriam ſextam ſine hæſitatione Paſſioni Dominicæ aſſignarunt, enormis erroris ac delicti reos peragat, quomodo excuſari queat, non video. Ecce enim verba ipſius Langii, quibus hanc aſſertionem commendat. Dicit *lib. 2. p. 375.* quod *infallibilis ac ἀναντίλεκτος paſſionis character ſit, quod incidat in feriam quintam ſive diem Jovis, non feriam ſextam, ſeu diem Veneris, ſicut hactenus perperam creditum fuit. Pag. 212. Quis Scripturæ ſe opponeret, aut certiſſimas illas demonſtrationes rejiceret, quæ ex manifeſtis Scripturæ verbis petuntur: at jam e Scripturis demonſtravimus, Chriſtum*

in

Digitized by Google

in Paraſceve Paſchatis Judaici feria quinta fuiſſe paſſum. Ibid. *p.* 422. dicit, *Chriſtum in Paraſceve Paſchatis feria V. paſſum eſſe, ita ex Scripturis demonſtratur, ut nemini Chriſtiano contra fari integrum ſit.* Plane Prætoria verba. Corrigendæ itaque erunt ad nutum Langii omnes Chriſtianorum Eccleſiaſticæ conſtitutiones, & Soteria non die Veneris, ſed Jovis, poſthac celebranda. Sed quæſo, ne novus ille Dictator e Chriſtianorum numero me excludat, qui non modo contra fari non vereor, ſed & Langium immaniter falli paratus ſum ad oculum oſtendere. In antiquam veramque ſententiam, & loci *Matth. XII.* 40. orthodoxam fideique analogam interpretationem ita ſtomachatur *p.* 354. *Quid pro ineptiſſima hac & Scripturis plane contraria expoſitione adducitur? Scripturæ ſane ita ipſi adverſatur, ut aperto ore ac plenis, quod dicitur, faucibus eandem rejiciat, nec vel unicum verbum aut punctum habeat, quod iſti favere poſſit.* Mox ibidem, *dogma Scripturis plane adverſum,* vocat. *Pag.* 384. dicit *omnes illos erraſſe, qui pauciores dies morti Chriſti tribuerunt,* ſc. quam quas ipſe tribuit: & *pag.* 355. *errantium multitudinem* appellat. Taceo alia ſcommata, quæ paſſim in eandem, ejusque patronos, evomit. Quid reſtat, niſi ut *exclamet Melicerta periſſe Frontem de rebus.* Neque tamen ſatis ſibi eſſe duxit Langius, novaturientem hanc opinionem libro in Belgio edito divulgaſſe, quin & eandem Diſputationi publicæ, quam Haffniæ ſuperiore anno *de Monarchiis* habuit, ceu πρόθημα cedro dignum annecteret. Scilicet poſcebat id Danorum noſtrorum ſalus, ut agnito inveterato errore, quo inde a perceptis Chriſtianæ fidei initiis, per octo ſecula & amplius, a Doctoribus ac Paſtoribus ſuis, veritatis ignaris, imbuti fuere, jam verum paſſionis Servatoris ſui tempus a Langio, ſolo lynceo, diſcerent. Equidem an hujusmodi nova dogmata, in vulgi notitiam diſſeminata, non cum qualicunque tenerarum conſcientiarum ſcandalo atque offenſione conjuncta ſint, viderint alii, quorum hoc intereſt. Ego ſane tam acerbe de hac opinione pronunciare nolo, ut in ſe conſideratam ſcandaloſam vel usque adeo periculoſam eſſe contendam. Scio enim ad ſummam fidei ac doctrinæ Chriſtianæ nihil facere, an hoc vel illo tempore id contigiſſe ſcias, quod credendum proponitur. Ita ſive dicas feria prima, ſive ſecunda, ſive alia quacunque diros mortis cruciatus ſuſtinuiſſe Dominum noſtrum, manet tamen ille fidei articulus inconcuſſus, quod vere pro peccatis noſtris aliquando ſatisfecerit æternus Dei Filius in carne revelatus. Præſertim cum Scriptura nusquam diſertis ac expreſſis verbis dicat, Chriſtum

Digitized by Google

feria ſexta crucem adſcendiſſe: licet ea non obſcuros ejusdem characteres ſubminiſtret, e quibus hoc per modum bonæ ac ſatis certæ conſequentiæ concludi queat, ut in ſequentibus probabimus. Idem de Dominicæ Conceptionis ac Nativitatis tempore dici poterit, niſi quod minor lux ad illud indagandum e SS. literis affulgeat. Interim ſi quis ex ipſius Langii hypotheſi penſiculatius examinata aſſertionem iſtam æſtimaverit, videbitur forte gravius incommodum in receſſu habere, quam quod prima fronte pollicetur. Nam ſi verum eſt, quod ipſe in Præfatione ad Lectorem dicit, *nihil eorum, quæ ante nos geſta ſunt, pro certo ac indubitato haberi poſſe, niſi temporum charactere ſit confirmatum, & neceſſarium plane eſſe, ut illud, quod omnium longe certiſſimum eſſe debeat, ac de quo nemo ſine æternæ ſalutis diſpendio dubitare auſit, tempus ſuum quam accuratiſſime demonſtratum habeat*: ſi quoque certa eſt Tatiani ſententia, quæ adeo ipſi placuit, ut eam non tantum libri veſtibulo inſcripſerit, ſed & poſt *p.* 253. denuo laudaverit, παρ' οἷς ἀσυνάςητός ἐςιν ἡ τῶν χρόνων ἀνάγραφή, παρὰ τέτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱςορίας ἀληθεύειν δύναται, ſequitur profecto, quod veritas paſſionis Servatoris noſtri apud majores noſtros non fuerit omnium longe certiſſima, aut pro indubitata Hiſtoria ab iis haberi potuerit, quia tempus ejus quam accuratiſſime demonſtratum non habuerunt. Falſum enim characterem ex Langii ſententia, feriam nempe ſextam, omnes Paſſioni affinxerunt. Nec magis jam apud plurimos res certa eſſe poteſt, cum excitata in animis eorum per Langium de charactere temporis dubitatione, eaque nondum juſto argumentorum pondere exempta, fluctuare etiamnum neceſſe habeant, & ſicut de tempore, ita & de re ipſa fortaſſis, ambigere cogantur. Et forte non deerunt inter rudes ac indoctos, niſi fama fallat, qui vel quæſtionis ſtatu perperam concepto, de re ipſa, non tempore, controverti putent, vel ex incertitudine temporis ſibi oſtentata rem ipſam certiorem non eſſe ſuſpicentur. Quod ſi Langii intempeſtiva novatio effecerit, habet is unde ſibi egregiam laudem & ſpolia ampla promittat. Quanto conſultius fuiſſet, ut quod Langius in Theologis noſtratibus laudat *p.* 423. *ſeq.* id ipſe ſecutus fuiſſet. Ait, *illos id maxime ſemper cavisſe, ne teneris imperitorum hominum conſcientiis ſcrupulum iis in rebus injicerent, quæ a vulgo ſine ſalutis diſpendio tuto neſciri poterant. Cumque juxta pervulgatam Eccleſiæ opinionem omnibus perſuaſum eſſet, Chriſtum XLV. Anno Juliano exeunte natum eſſe, &c. hoc eos immutare noluiſſe, ne ſimplicioribus, qui momenta rerum non conſiderant,*

anſam

Digitized by Google

anſam darent cogitandi, quaſi aliquid in doctrina eſſet innovatum. Non jam diſputo, an vere hanc συγκαλύψασιν ſummis iſtis Viris tribuat. Dico ſaltem, ſi horum exemplum imitatus fuiſſet Langius, & licet penes ſe ſtatuiſſet, vero eſſe viciniorem eam de feria quinta paſſionis ſententiam, tamen id tacitus ſecum preſſiſſet, quo teneris imperitorum conſcientiis (παρῳδίαν vides verborum Langii) parceret in re, quæ tuto a vulgo neſciri poterat, ne iis anſam daret cogitandi, quaſi in doctrina aliquid innovaretur, majorem prudentiæ exiſtimationem ſibi conciliaſſet, invidiamque facilius declinaſſet. Sed longius me præfari video, quam deſtinaram. In ipſa argumenti hujus tractatione id, volente DEO, manifeſtum reddam, quod nec ullus Scripturæ apex, nec ulla antiquitatis, quæ fingitur, conſenſio, novam hanc de paſſione Dominica in feria quinta, ſeu die Jovis, collocanda opinionem vel minimum juvet: quin potius ex utroque iſto principio falſitatis apertæ coarguatur. Ex adverſo veterem de feria ſexta ac die Veneris ſententiam, & e monumentis θεοπνεύστοις, & ex unanimi totius Eccleſiæ auctoritate, invictum robur habere demonſtrabo. Cetera Langii placita, vel παράδοξα, vel ἄτοπα, ad veritatis normam ſtrictim expendam. Cum autem inter hæc nonnulla deprehenderim, quæ Hiſtoriam Conceptionis, Nativitatis & Baptiſmi Servatoris noſtri Optimi Maximi concernunt, quorum conſiderationem alteri de feria Paſſionis διασκέψει præmitti ordinis Hiſtorici ratio, & Langii hæc prius tractantis methodus ſuadent, ea quoque maxima, qua fieri poteſt, brevitate in anteceſſum delibabo. Tu, o ſanctiſſime veritatis Spiritus, cœptis annue, atque ita mentem noſtram ſuperna luce colluſtratam in veritatis amplexus dirige, ut nos affectibus vacui ſolius veritatis amore ducimur. Tu vero, candide Lector, fave, & æquum adhibe judicium.

CAPUT. II.

Quædam ad Hiſtoriam Euangelicam ſpectantia prælibantur. Marcus & Lucas an fuerint αὐλόπλαι? An ex aliorum relatione ſcripſerint? An minus in ordine obſervando accurati fuerint, quam Matthæus & Johannes? Langii poſtulata nimis incerta. Dies Natalis Chriſti an e tabulis cenſoriis certo erui poſſet? An aliunde infallibiliter cognoſcatur? Clementis R. Conſtitutiones ſuppoſititiæ. Conceptionis Chriſti tempus perperam determinat Langius. Mariam non ſolidis

Digitized by Google

dis IX. menſibus uterum portaſſe, inepta ratione probat. Magi non ex Arabia venerunt, ut ille vult, ſed e Perſia. Quo tempore id factum? Simeon Chriſtum ulnis complexus quis fuerit?

INter ea, quæ nobis prælibanda diximus, primo loco de ea Langii aſſertione diſpiciendum videtur, quam Hiſtoriam Euangelicam in certum ordinem redacturus, tanquam poſtulatum quoddam exhibet *p.* 427. *Id primo loco conſtituimus*, inquit, *& quaſi pro poſtulato ſumimus, Matthæum & Johannem in omnibus ordinem hiſtoriæ diligenter obſervaſſe, & ea, quæ perſcripſerunt, ita ordinaſſe, ut nihil eorum alio ordine tradiderint, quam quo geſtum fuit: Marcum vero & Lucam, qui juxta aliorum relationem Euangelia perſcripſere, in geſtis aut concionibus deſignandis, non tam accuratam ordinis rationem habuiſſe, ſed ſæpe ſimiles materias uno loco protuliſſe, quæ tamen ad diverſa tempora pertinerent.* Vere hoc eſt μέγα λίαν ἄτημα. Primo enim quis certum reddidit Langium, quod Marcus & Lucas juxta aliorum relationem Euangelia perſcripſerint? An id ita intelligit, ut neget eosdem rerum literis traditarum fuiſſe αὐτόπλας? Equidem de Marco Pontificii plerique ajunt, converſum eum demum poſt adſcenſionem Chriſti a Petro, & Dominum in carne non vidiſſe. Præcipuus iis auctor Papias, homo plus juſto credulus & pertenuis judicii, quem ſequitur Euſebius. Nec diſplicet id Grotio. At Epiphanius *Hær.* 51. *n.* 6. de ipſo dicit: ἔτι δὲ εἷς ἐτύγχανεν ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα δύο τῶν διασκορπισθέντων ἐπὶ τῷ ῥήματι, &c. Si fuit unus e LXXII. diſcipulis Chriſti, ſane non demum poſt adſcenſionem fide Chriſti imbutus eſt. Idem ajunt Origines de *Recta Fide in Deum*, Dorotheus in *Synopſi*, & Anonymus de *Corpore S. Marci*, Scriptor a conſummatiſſimo Theologo D. Dorſcheo editus. Epiphanii ſententiam tuetur contra ſociennos ſuos Petavius in *Animadv. h. l.* Locus 1. *Pet. V.* 9. qui urgeri ſolet, nihil concludit. Vocat ibi Petrus Marcum filium ſuum: hujus autem appellationis alia poterat eſſe ratio, quam quæ ab iis fingitur, ſcilicet *quia ab ipſo erat converſus.* Et fuerit a Petro converſus, an non id æque ante adſcenſionem Chriſti, ac poſt, fieri potuit? quot enim ab Apoſtolis poſt miſſionem *Luc. IX*, 1. 6. deſcriptam converſi? Taceo indubium non eſſe, quod Marcus Euangeliſta hic a Petro deſignetur. Quod Petro narrante Euangelium ſcripſerit Marcus, non pauci e Patribus affirmarunt, quos Pontificii ἀβασανίστως ſequuntur. Res tamen adeo certa non eſt. Irenæus

ſane

Digitized by Google

ſane *lib. III. c.* 1. contradicit, qui demum poſt obitum Petri ac Pauli Apoſtolorum ſcripſiſſe eum teſtatur, quanquam hunc locum fruſtra ſolicitet Grotius. Aliter Hieronymus de Script. Eccleſ. dicit, eum quidem inſcio Petro ſcripſiſſe Euangelium, flagitantibus id Romanis, poſtea autem idem a Petro fuiſſe approbatum. Nos ea antiquitatis caligine circumfuſi nihil definimus: id tamen pro poſtulato ſumi poſſe quod adeo incertum eſt, omnino negamus. De Luca idem eſto judicium. Eum e LXX. diſcipulorum numero, de quo *Luc. X*, 1. fuiſſe, adeoque Chriſti αὐτόπλην, aſſerunt e Patribus Epiphanius *Hær. LI. n.* 11. Euthymius *Præf. in Luc.* qui Origenem pro ſe allegat, Dorotheus in *Synopſi*, item Gregorius M. & Theophylactus cum aliis, qui Lucam alterum e duobus diſcipulis, quibus in oppidum Emaus euntibus Chriſtus apparuit, fuiſſe exiſtimant. Reclamant tamen Baronius, Contzen, Maldonatus, Corn. a Lapide, Beza, Grotius & Heinſius, qui eum a B. Paulo Chriſtianum dogma ſuſcepiſſe putant, & ipſius Lucæ Prologum pro ſe adducunt, ut & e Patribus nonnullos. Lucas quidem in *proœmio Euangelii v.* 2. dicit, ſe ſcripturum ſecundum id, quod tradiderunt οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπλαι καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τ λόγ. Sed non originem ac normam ſcriptionis, verum hujus cum prædicatione viva voce facta harmoniam indicat. Loquitur de omnibus, qui hactenus Euangelia ſcripſere *v.* 1. inter quos dubio procul aliqui erant αὐτόπλαι, de quibus tamen in univerſum pronunciat, quod ſcripſerint ſicut tradiderunt αὐλόπλαι. Matthæus αὐλόπλης fuit, & tamen ſcripſit uti tradiderunt αὐλόπλαι. Hæc enim ſibi invicem non adverſantur. Αὐλόπλων quidam prædicarunt, quidam ſcripſerunt, idem utrinque prodiderunt. Scripſerit itaque Lucas καθὼς παρέδοσαν οἱ αὐτόπλαι, ipſum tamen αὐτόπτην fuiſſe nil prohibet. Pronomen ἡμῖν cum verbo παρέδοσαν junctum, non ad perſonas ſcriptorum ſaltem, ſed ad totam Eccleſiam ſpectat, ſicut manifeſte *v.* 1. πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Lucas autem ſe per κοινοποίαν Auditorum numero includit. Nec magis verba ipſius *v.* 3. ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, eum e τῶν αὐτόπλων cenſu exterminant. Nam vel talem notitiam τὸ παρακολθεῖν notare poteſt, quæ oculis ipſis ac propria intelligentia, non aliorum ſermonibus, comparatur. Sic Demoſthenes ἐν τῷ περὶ Παραπρεσβείας de Æſchine, cujus in legatione comes fuerat, dicit: καὶ ὁ τότε πονηρεύματα εἰδὼς καὶ παρηκολθηκὼς ἅπασι καλήγορῶ. Sicque Lucas ſe ea, quæ ſcripturus eſt, comperta exploratæque & ſpectata quoque habuiſſe innuit. Confer 2. *Tim. III*, 10. Sane antitheſin

Digitized by Google

quandam Lucæ verba continere possunt, ut opponat se iis, qui scribere aggressi sunt juxta traditionem τῶν ἀυτόπτων, dicatque, se non ut illi ἐκ παραδόσεως, sed e propria scientia comperta, scriptum ire. Sic Josephus *adv. Appionem* diserte opponit τὸν παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, & τὸν παρὰ τῶν ἰδότων πυνθανόμενον. Vel etiam hac phrasi significare voluit Lucas, se accurate ab ipso principio per omnia rerum vestigia iturum, nec pleraque ab aliis omissa præteriturum. Præstitisse autem hoc Lucam, ex Historia Conceptionis Christi & Præcursoris ab ipso solo annotata patet, ut alia taceam. Nos quidem ipsum Christi discipulum ac αὐτόπτην fuisse, pro certo non affirmamus: illud tamen a quoquam simpliciter negari ac pro postulato sumi non posse, satis ostendimus. Deinde quis Langio persuasit, Marcum & Lucam minus in ordine accuratos fuisse, quam Matthæum & Johannem? Lucæ certe manifesta injuria fit. Nam ipse in laudato prologo *v.* 3. se καθεξῆς scripturum, i. e. *ordinem in Historiis studiose observaturum* promittit. Ita enim illud καθεξῆς usurpatur *Act. XI.* 4. dum de Petro historiam visionis sibi oblatæ, & Cæsarienses expeditionis, ordine recensente, dicitur, quod καθεξῆς ἐξετίθετο. Grotium hoc aliter explicantem non moramur. Certe Epiphanius illustre de Lucæ in ordine ac serie gestorum ἀκριβείᾳ testimonium perhibet *Hær. LI. n.* 7. διὰ τὴν ἀκρίβειαν, inquit, λεπτομερῶς τὴν πᾶσαν πραγματείαν διέξεισι. Nos quidem nullum unquam ὕστερον πρότερον commisisse Lucam non asserimus: sed magnam ipsi quoad summam rei in ordine diligentiam admetimur. Hinc est, quod nonnulli, qui Harmoniæ Euangelistarum concinnandæ operam dederunt, Lucam potissimum sibi ordinis ducem delegerint. Quid multa? Et Marcum & Lucam sæpius historiis tales circumstantias addere, e quibus ordinis ratio colligi potest, cum Matthæus tamen sine certa ordinis notatione eas descripserit, ipsa collatio ostendit. Imprimis id in eorum gestorum narratione, quæ XIII. prioribus Matthæi capitibus pertexitur, clarissime conspicitur. Rogarem Langium, ut hic Harmoniam Euangelicam doctissimi Chemnitii consuleret, nisi id responsi metuerem, quod *ille temporum rationem vitio seculi ignoraverit*, ut *p.* 422. de ipso ait. Multa sane Matthæus præpostero ordine tradit, ut de Johanne jam nihil dicam. Fallitur enim Langius, quando pronunciat, *Matthæum & Johannem, ea quæ perscripserunt, ita ordinasse, ut nihil eorum alio ordine tradiderint, quam quo gestum fuit.* Contrarium cuivis Euangelistas conferenti non potest non constare. Paucis id de Matthæo declarabimus, unde Marcum & Lucam

eam magis accuratam quandoque ordinis rationem habuiſſe, quam Matthæum, apparebit. Hiſtorias de vocatione & emiſſione Apoſtolorum connectit Matthæus *c. X*, 1. ac ſi uno tempore contigiſſent, cum tamen vocationem longe ante emiſſionem factam eſſe, diſerte indicet narratio Marci *cap. III*, 13. 14. collata cum *c. VI*, 7. *ſeqq.* Captivitatem & decollationem Johannis Baptiſtæ Matthæus uno loco conjungit *c. XIV*, 3. *ſeqq.* cum tamen inter utramque non exiguum ſpatium interceſſiſſe, e Marci *I*, 14. collato cum Joh. *IV*, 43. liqueat. Unctionem Bethanienſem in domo Simonis factam, ita deſcribit Matthæus *c. XXVI*, 6. *ſeqq.* ac ſi biduo ante Paſcha contigiſſet, ſubjungit enim eam conſultationi Pontificum & Scribarum de occidendo Chriſto, quæ feria quarta accidit, cum tamen Johannes, qui eandem Hiſtoriam *c. XII*, 1. accuratius refert, expreſſe eam ſexto die ante Paſcha contigiſſe memoret, eamque ſolenni in urbem Hieroſolymitanam ingreſſui, qui feria prima contigit, aliiſque in eadem ſeptimana geſtis præmittat. Vide Gerhard. *Harm. Contin. c.* 143. Sic Hiſtoriam abnegationis Petrinæ Marcus ἀκριβεστέρως deſcribit, quam Matthæus. Hic enim eam ita narrat *c. XXVI*, 69. *ſeqq.* ac ſi ter ante primum galli cantum facta fuiſſet. Ille autem momenta ejus preſſius exponens, ut cum prædictione Chriſti magis congruant, primæ abnegationi primum galli cantum, tertiæ ſecundum ſubjungit *c. XIV.* 68. *ſeqq.* Plura conquirere nihil attinet. Quis jam dicet, Matthæum nihil alio ordine tradidiſſe, quam quo geſtum fuit? Quis Marcum & Lucam minus accuratam ordinis rationem habuiſſe pronunciabit? Vides, opinor, mi Langi, quale tuum hoc ſit poſtulatum, tale nimirum, quale nemo tibi facile conceſſerit. Sed ejus non diſſimilia ſunt ea, quæ *p.* 356. proponis, ut oſtendas Chriſtum VI. Januarii baptizatum. Primo ut probes, Chriſtum non ſtatim poſt initium miniſterii Johannis baptiſmum ſuſcepiſſe, dicis, *Johanni menſes ad minimum binos aut tres ad auctoritatem conciliandam neceſſarios fuiſſe, qui nullis miraculis verbum confirmavit.* Licet hæc & Cl. Voſſii de Annis Jeſu Chriſti in Addend. *ad p.* 24. ratiocinatio ſit; tamen aut nihil certi concludit, aut plus quam trimeſtre ſpatium evincit. Deinde *itineri Chriſti in Galilæam X. omnino dies* aſſignas, quo quæſo fundamento? Tertio *nuptias Cananæas duraſſe dies ſeptem, aut Chriſtum tanto ibi tempore apud cognatos manſiſſe*, ais. Illud aliunde conjici non poteſt, quam quia convivium nuptiale Samſonis tot dies duraſſe dicitur *Jud. XIV*, 17. At quæ inde ad has nuptias illatio? Præſertim cum ſponſi paupertas, quæ hic in defectu vini apparuit, tam prolixum appa-

Digitized by Google

ratum vix passa videatur. Quod autem Christus præcise tanto tempore Canæ manserit, unde exsculpes? Quarto, per *non multos dies*, *Joh. II*, 12. totidem omnino, quod *Act. I*, 5. nempe *decem*, designari credis? Sed certa te fugit ratio. Quinto, *Christum aut decem aut pluribus ante Paschа diebus iter Hierosolymam versus ingressum esse*, asseris? nullo autem apice probas. Mitto conjecturam de initio ministerii Johannis in festo tubæ vel magno expiationis die collocato. Quomodo toties ingeminare poteris, te *non nisi certa sequi*, qui incertis hujusmodi hypothesibus non unum dogma superstruis? Meras hic conjecturas nemo non videt, e quibus, qualis sit quæ elicitur sequela, quivis de facili judicaverit. Chemnitius, quem allegas, in pluribus a te dissentit, atque ita supputat, ut baptismum Christi non in Januario, quod tu vis, sed in fine Novembris aut initio Decembris collocet. Nec series inter baptismum Christi & primum Paschа actorum magis ipsi adversatur, quam tibi. Nos talia fusius expendere instituti ratio non permittit. De tempore baptismi Christi plura infra. Jam de Conceptionis ac Nativitatis Servatoris nostri die, pauca annotabimus. De Anno, quo utraque contigit, contentionis ferram cum Langio jam non reciprocabimus, cum difficiliores res ea explicatus habeat, quam ut in hac temporis angustia a nobis pro dignitate expediri queat. De Natali sententiam universæ hodiernæ Ecclesiæ retinet Langius, eique XXV. Decembris diem tribuit: Conceptionem autem ineunte mense Judæorum Ijar circa XIII. Aprilis factam asserit *p.* 360. Quoad prius de natali, assensum nostrum lubentes præbemus, Ecclesiæ auctoritate moti, quam deserere nihil hic cogit. Id tamen nobis persuadere non possumus, tam certam ac indubiam esse eam de XXV. Decembris sententiam, ac ea Langio videtur. Is enim non contentus eam ut vetustam Ecclesiæ traditionem, quam tuto sequi liceat, admisisse, eandem insuper *tam certis argumentis subniti*, *ut non verisimilis*, *sed plane vera dicenda sit*, contendit. *p.* 358. Ibidem *infallibilem traditionem* vocat. Imo *p.* 359. dicit, *eam ex iis principiis dependere*, *quæ plane ἀναντίῤῥητα sunt.* Quænam autem sunt illa? Solæ sunt Tabulæ Censoriæ a Quirinio jussu Augusti censum peragente confectæ, in quibus omnes mares notatos, eorumque, qui infra pubertatem erant, ætatem adscriptam, adeoque & Jesu non annum integrum, sed tot saltem dies nati & nomen & ætatem consignata fuisse, affirmat *p.* 357. Non jam disputabimus, an fuerit inter Veteres, qui dubitaverit, num JESU nomen in Tabulas Quirinii Censori-

Digitized by Google

forias relatum fuerit, quod Cardinalis Annaliſta *in Appar. n.* 91. 92. Tertulliano tribuit, cum ſciamus, eundem Patrem alibi ſine hæſitatione hac de re pronunciaſſe, dum *l.* IV. *contra Marc. c.* 7. dicat, quod *cenſum Auguſti fidiſſimum Dominicæ nativitatis teſtem Romana archiva cuſtodiant.* Illud eſt, de quo quis merito dubitaverit, an ſcilicet ætas Servatoris tam præcise in iis fuerit notata, ut non menſis modo, ſed & dies natalis certo inde conſtare potuerit. Certe nec ratio, nec auctoritas ulla id perſuadet. Rationem quidem hanc affert Langius *p.* 357. *quod juſſerit Auguſtus ætatem adſcribi, ut cognitum haberet, quo tempore ſinguli imperio utiles eſſe poſſent, ſi viverent.* Demus hoc de anno ætatis concludere, de menſe ſane aut die nihil evincit. Cognito enim ætatis ſingulorum anno ſatis ſciri poterat, num imperio uſui eſſe poſſent, vel non. Nam an menſis vel dies plures aut pauciores aliquis habuerit, nihil plane ad rem iſtam feciſſe quivis videt. Et quomodo quæſo in tanta hominum, qui cenſebantur, multitudine menſes ac dies ætatis uniuscujusque exacte inquiri & conſignari poterant? Forte id in menſibus fieri potuiſſet, ſi res tanti fuiſſet, ut id operæ pretium duxiſſent Cenſores: in diebus autem id fere videtur impoſſibile. Quis enim dixerit, omnes & ſingulos, qui in iſto confluxu fuere, proprium natalem diem exquiſite noviſſe? Nec enim illi hoc a ſe requiſitum iri præſumere poterant. In infantis autem Jeſuli ætate exactius, quam aliorum, indaganda ſingulare quid a Cenſoribus tentatum, nemo, opinor, affirmaverit. Sed nec ulla auctoritas id demonſtrat. Nam Patres, qui allegantur, e Tabulis Cenſoriis aut veritatem nativitatis Chriſti concludere volunt, ut Tertullianus eo, quem citavi, loco: aut ejusdem locum, nempe vicum Bethlehem, oſtendere fatagunt, ut Juſtinus Martyr loco a Langio adducto, qui plane ἀπροσδιόνυσός eſt, aut generaliorem ſaltem temporis characterem, nempe cenſus ejusdem ſolennis notam deſignant, ut Chryſoſtomus, cujus tamen verba ut ἐμφαλικώταλα urget Langius *p.* 357. 358. Nemo ſane vel ullo verbulo diei iſtius XXV. Decembris meminit, quaſi illis in tabulis exſtaret. Miror audere Langium id Chryſoſtomo tribuere, quaſi dicat *opinionem hanc de natali in XXV. Decemb. conſtituendo ante* 10. *annos Roma Conſtantinopolim veniſſe, &c.* cum ne γρὺ quidem vel in verbis a Langio citatis, vel in toto illo Chryſoſtomi ſermone de Natali Domini, qui exſtat *T.* 5. *Edit. Savil.* de illo præcise die e Tabulis Cenſoriis eruto reperiatur. Sed fingendum erat aliquid, quod theſi ſerviret. Hallucinatur quoque Langius, dum Chryſoſtomum de Conſtantinopoli loqui putat,

Digitized by Google

cum nusquam per totam orationem urbis illius regnatricis mentionem faciat. Longe enim aberat, Antiochiæ in Syria constitutus, & illius Ecclesiæ adhuc Presbyter ibi sermonem eum habebat, deque ejus loci praxi istam ῥῆσιν proponebat, veluti luculenter ostendit Montacutius *Appar. XI. ad Orig. Eccles. n.* 49. 50. Quod antiquitatem hujus sententiæ tantopere ibidem deprædicat Langius, id eo nomine alicui suspectum jure esse posset, quod Clemens Alexandrinus, doctus & antiquus Pater, qui *Strom.* 1. duas diversas de die Natali opiniones commemorat, ne mentionem quidem eorum faciat, qui XXV. Decembris, seu VIII. Kal. Januarii, natum Christum crederent, ut facile suspicetur aliquis, tum temporis nec dum obtinuisse eam in populo Christiano opinionem. Nam si Ecclesia Romana tunc Natalem Dominicum in Decembri celebrasset, vix id fugisset doctissimum illum Alexandriæ Presbyterum, qui nec id silentio involvisset. Sed adverte quæso, lector, qua ratione magnæ vetustatis colore hanc sententiam pingere allaboret Langius *p.* 359. Dicit contra Scaligerum: *longe antequam vel Chrysostomus vel Maximus Monachus hoc argumentum tractaret, dies hic ab Ecclesia Occidentali pro vero natali habitus fuit.* Unde autem hoc probat? *Clemens Romanus*, inquit, *Canon. VIII. lib. V. ait:* τὴν γενέθλιον ἥτις ὑμῖν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ ἐννάτου μηνὸς. Debuit citare Constitutiones Clementis, non Canones. Neque enim hi in libros dividuntur, neque tale quid habent. Sed forte, quia apud Scaligerum *lib. VI. Emend. Temp. pag.* 508. hanc allegationem ita conceptam reperit, eam loco ipso non evoluto exscripsit. Preli autem vitio factum puto, quod VIII pro XIII. positum sit, nam *Const.* 13. *lib.* 5. *Constitut. Clem.* hic locus exstat. Vide hic egregium testem laudatum pro antiquitate huic sententiæ concilianda, sc. planum illum ac impostorem vanissimum, qui antiquissimo & gravissimo Patri, Clementi Episcopo Romano, librum istum ineptiarum & mendaciorum plenissimum supposuit, ejusque splendidum nomen & *Constitutionum Apostolorum* titulum ei præfixit. Specimen mendaciorum hujus Pseudo-Clementis exhibuit Rob. Cocus Anglus *in Cens. Script. Apocr. p.* 29. *seqq.* Videantur etiam Scultetus *Med. Patr. P. I. lib.* 11. & Rivetus *Crit. Sac. l.* 1. *c.* 2. Indeque qui inter Pontificios ipsos oculatiores sunt, ut Baronius, Bellarminus, Perronius, Margarinus de la Bigne, Bovius, Lorinus, Corn. a Lapide &c. Constitutiones istas partim corruptas, partim supposititias agnoscunt: νοθείαν autem earundem Doctorum Protestantium cohors unanimi consensu tuetur, unum forte si excipias Montacutium rigide pro Clementa-

taſtri illius genuina antiquitate pugnantem *in Analect. Exerc. XI. p.* 387. & *in Appar. XI. ad Origin. Eccleſ. p.* 390. Quod eruditorum monumenta, quæ magno numero allegare pronum eſſet, evincunt. Sed quo minus hic Langii, tam alias acuti, credulitatem miremur, facit aliud ejusdem documentum, quo ea ſe prodit *p.* 37. dum binas illas columnas ante-diluvianas, Joſephi ſolius fide nixas, ceu genuinas & extra dubitationis aleam poſitas, collaudet, cum tamen, qui inter Doctos cordatiores ſunt, ſatis graves de iis ambigendi rationes habeant, quas ab aliis luculenter expoſitas, hic referre ſupervacaneum arbitramur. Patet itaque qualia ſint Langii *infallibilia & ἀναντιῤῥήτα principia*, & quid de iis ſperandum ſit, quæ talibus ſuperſtruuntur. Nos ut antiquam illam, licet non antiquiſſimam, traditionem de XXV. Decembris, non aſpernamur, eamque aliis opinionibus, tum Epiphanii & quarundam Orientis Eccleſiarum de VIII. Id. Januarias, tum Ægyptiorum quorundam de XXV. Pharmuthi, i. e. Aprilis, a Clemente Alexandr. *Strom.* 1. memoratæ, tum eorum qui *XXV.* Pachon, i. e. Maji, definiunt, quod probat Th. Lydiath *Diſſert. de Ann. Nativ. & Miniſt. Chr. c.* 16. tum Scaligeri de Septembri exeunte vel Octobri ineunte, quam & laudat Caſaubonus *Exerc. I. ſect.* 25. & ſequitur Jac. Capellus *in Cent. V. Hiſt. Eccleſ.* facile præferimus. Ita tamen eam infra illum certitudinis gradum jacere patimur, qui πληροφορίαν aliquam parere potis ſit. Placet enim hic nobis eruditiſſimorum virorum, Caſauboni *Ex. II. n.* 7. Voſſii *Diſſert. de Temp. Nativ. Chr. p.* 2. §. 13. Petavii *Anim. in Epiphan. p.* 211. aliorumque modeſtum judicium, qui vetuſtam hanc traditionem *non temere rejiciendam, aut ab ullo prudente ſolicitandam eſſe*, cenſent. E charactere baptiſmi Chriſti nihil profecto certitudinis huic ſententiæ accedit, cum nondum liquido conſtet, an is ſexto Januarii contigerit. Patrum enim traditio, cui alii contradicunt, infallibilis non eſt. Neque particula ὡσεὶ *Luc. III*, 23. quam urget Langius *p.* 357. & 364. manifeſte indicat, num XXX. annus ætatis Chriſti nuper tum fuerit exactus, an vero brevi exigendus, præſertim ſi illa Langii interpretatio de ellipſi vocis διακονίας cum verbo ἀρχόμενος jungendæ procedat, de quo mox videbimus. Multo minus *Judaica illa*, quam vocat, *Ephemeriarum ratio* quidquam eidem ſtabilitatis affert, quanquam non natalem modo, ſed & conceptionis Chriſti diem inde concludere tentet, quod jam conſiderabimus. Poſtquam Johannis Baptiſtæ conceptionem ſtatim poſt XXII. menſis Caſleu factam aſſeruerat, addit *ineunte ſexto menſe, ſcil. Ijar, qui incipit XIII. Aprilis*,

lis, conceptum esse Christum, &c. p. 360. Sed primo imbecillius est hoc Ephemeriarum fundamentum, quam ut firmo stet talo, quidquid ei innitatur. Nam si vel maxime certum esset, Ephemeriam Jojaribi nono mensis Ab Anno P. J. 4782. iniisse, ut sic Abiæ Ephemeria, e qua Baptistæ Pater, A. 4710. inciperet 1. Decembris, quod tamen non liquido constat, unde quæso omnis mihi de eo dubitatio eximetur, an Annus ille, quo conceptus est Baptista, fuerit præcise 4710. Per. Jul. & sequens, quo Christus conceptus & natus, 4711.? Neque etiam Anni Judaici forma & dispositio tam exquisite nobis comperta est, ut quomodo is ad Annum Per. Jul. exacte quadret, indubie sciamus. Hypotheses hæ sunt nondum satis solide demonstratæ, licet Langius post alios magnopere in eo desudaverit. Deinde cum Ephemeriæ istæ numero XXIV. bis quovis Anno sacro ministerio functæ sint, singulis vicibus per octiduum, unde scire possum, an hæc λειτουργία familiæ Abiæ, qua durante εὐαγγελισμὸς Zachariæ de filio obtinendo contigit, prior fuerit istius anni, an posterior? si hæc posterior in Mensem Casleu inciderit, ut ait Langius, alteram priorem Mense Siwan factam esse oportet. Cur autem non æque in illa, ac in hac εὐαγγελισμὸς Zachariæ accidere potuit? Gratis itaque dicit Langius, *Judaicam illam Ephemeriarum rationem certissimam fore.* Facile assentimur Langio, Scaligeri argumentationem ex Ephemeriarum serie desumptam, vanitatis arguenti, quod & ante ipsum effecit aliis argumentis Petavius. Sed nec ipsum, nec Keplerum, aliter inde nativitatis aut conceptionis Christi diem firme concludere posse manifestum est. Deinde nimis arctum spatium inter conceptionem Præcursoris, & conceptionem Servatoris constituit Langius, nempe IV. saltem mensium integrorum, & paucorum dierum, quod Scripturæ plane adversum. Nam si Johannes post XXII. Casleu, quo sacerdotalis Zachariæ functio finita est, demum conceptus est, uti dicit Langius, ab eo termino usque ad initium mensis Ijar, quo Christum conceptum esse ait, non possunt numerari nisi quatuor integri menses, sc. Tebeth, Schebat, Adar, & Nisan, cum paucis illis, sc. 7. vel 8. diebus e Casleu residuis. At S. Lucas diversum indicat capite primo. Dicit primo, postquam impleti fuissent dies ministerii Zachariæ, abiisse eum in domum suam *comm.* 23. Addit statim *commate* 24. Elisabetham concepisse μετὰ ταύτας τὰς ἡμέρας, ubi sane satis longum tempus notari potest, quod forte inter exitum λειτουργίας Zachariæ & uxoris ejus imprægnationem intercesserit, adeo ut non constet, an statim post εὐαγγελισμὸν

λισμὸν eodem menſe Johannes conceptus ſit, quod Langius tam ſecure ſine ratione pronunciat. Certe ut non pauci dies, ad minimum aliquot, interceſſiſſe credantur, locutio Euangeliſtæ, μετὰ ταύτας τὰς ἡμέρας, ſuadet. Porro dicit, quod Eliſabeth jam imprægnata per ſex menſes ſe occultaverit, & demum menſe ſexto, ſc. a conceptione Eliſabethæ computato, Angelus conceptionis Servatoris nuncius emiſſus ſit. Et ne quis de termino, unde ſextus ille menſis numerandus ſit, cavillandi occaſionem habeat, Angelum Mariæ *v.* 36. dicentem introducit Divinus ſcriptor, quod jam ſextum menſem agat Eliſabeth cognata ejus, ex quo gravida facta ſit, quæ ante ſterilis vocabatur. Quis non videt V. omnino menſes integros cum parte aliqua ſexti (quanta autem, incertum) a conceptione Baptiſtæ ad Chriſti σύλληψιν effluxiſſe? Quis præter Langium dixerit, IV. ſaltem menſes & pauculos dies inter utrumque terminum fuiſſe elapſos? Cur Langius, qui in numero dierum, quos Chriſtus in ſepulcro exegit, accurate exprimendo, ſupra omnium retro Doctorum induſtriam, tam rigidum ſe ſyllabarum & apicum tortorem præſtitit, hic in menſium numero tam remiſſo ſibi eſſe licere arbitratus eſt? Sicut is illic ſæpius clamat, *tres dies & tres noctes non eſſe duas dies & duas noctes*, ita nobis hic meliori jure quærere fas eſt, num V. menſes & partem ſexti IV menſes & quinque vel 6 dies eſſe exiſtimet? Si Præcurſor poſt XXII. Caſleu conceptus eſt, certe poſt XXII. Ijar ſextus demum menſis inire poteſt. At Langius dicit, *ineunte menſe Ijar conceptum eſſe Servatorem.* Si menſes Romanos malis, res fere eodem recidet. Nam ſi 1. Decembr. Ephemeria Abiæ incipiet, ut ait Langius, finiet eadem 7. Decembris, poſt quem aliquot interjectis diebus Johannes conceptus eſt. Ponamus, ut liberales ſimus, id octavo vel nono ejuſdem menſis die factum, non habebis tamen ab eo termino uſque ad XIII. Aprilis, circa quem conceptionem Chriſti collocat, niſi quatuor integros menſes & 4. vel 5. dies. An autem id ſexto menſe factum dici poteſt, quod IV ſaltem menſibus & pauculis diebus elapſis contigit? Neque Langius Anno huic XIII menſes tribuere poteſt, ac ſi inter Adar & Niſan a Synedrio intercalante menſis Veadar interſertus eſſet, cum ſic non in Aprilem, ſed in Majum menſis Ijar incidere debuiſſet. Hic igitur nullum ipſi effugium. Tertio defectus conſenſionis veterum Eccleſiæ Doctorum iſtam quoque Langii de die conceptionis opinionem ſuſpectam reddit. Neque enim is ullum ex iis teſtem advocavit, neque ſi quæſiviſſet, invenire potuiſſe ullum exiſtimo. In diverſum enim communiter illi abeunt. Inclytus

Digitized by Google

Hipponenſium Epiſcopus *lib. IV. de Trinit. c.* 5. diſerte dicit: *Octavo Kalend. Aprilis, i. e. XXV. die Martii, Chriſtus conceptus creditur, quo die & paßus.* Vid. & eundem *lib.* 83. *Quæſtionum, quæſt.* 56. *& Serm.* 18. *de Nativitate.* Idem docent Chryſoſtomus, aut ſi quis alius auctor, *in Serm. de Johanne Baptiſta*, Rupertus *de divinis officiis lib.* 3. *c.* 19. Beda *in Lucam*, Auctor *Quæſtionum ad Antiochum*, quæ alias Athanaſio tribuuntur, *q.* 17. Haymo *Homil. in Euang.* & alii. Conſenſum autem ſuum profitetur univerſa Eccleſia, quæ conceptionis Chriſti memoriam die XXV. Martii celebrat, cui hic libentius adſtipulamur, quam Langio, teſtibus & argumentis idoneis deſtituto. Permirum itaque videtur, quod inter conceptionem Baptiſtæ & nativitatem Servatoris ne XIII. quidem integrorum menſium ſpatium conſtituat Langius, cum tamen XIV. ad minimum interceſſiſſe e modo dictis conſtet. Fuerat enim Eliſabetha V menſibus, & quod excurrit, gravida, cum Gabriel accederet B. Virginem. Deinde IV. menſibus præter propter Eliſabetha & B. Virgo pariter uterum geſſere. His adde quinque, quibus poſt Eliſabethæ partum Maria geſtavit uterum, & habebis ſolidos menſes XIV. At Langius ne XIII. quidem integros concedit. Nam a die XXII. Caſleu, poſtquam Johannem conceptum dicit, uſque ad XVIII. Tebeth, quem natalem Chriſti facit, quo minus XIII. plenos menſes habeas, dierum ad minimum quatuor defectus obſtat. Quam hoc ἀπὸ κοινοῦ? Sed ecce occurrentem Langium, ac novi quid afferentem. Dicit ibidem, *firmum non eſſe, Mariam IX. ſolidis ac plenis menſibus uterum portaſſe.* Cur non firmum? *Diverſum*, inquit, *ex hiſtoria nativitatis patet. Quippe Maria, ſi nonus menſis poſt conceptionem aut tranſiiſſet* (quis dicit eum tum tranſiiſſe?) *aut ad finem tetendiſſet, domi quidem manſiſſet, neque partui proxima peregre profecta fuißet.* Jocularis argumentatio & Langii ingenio prorſus indigna. An putas, Langi, Mariam tanta Spiritus S. luce colluſtratam ignoraſſe, ſe promiſſum mundo Meſſiam in utero geſtare? Quod tam clare illi Angelus de *Filio Altiſſimi, throni Davidici poßeſſore, Rege æterno*, ex ipſa naſcituro, denunciaverat, quod cognata Eliſabetha eam *Domini ſui matrem* appellans, conteſtata fuerat, id ipſam non ſatis recte intellexiſſe, quis adeo frontem perfricuit ut aſſerat? An vero neſciviſſe eam dices, quod in vulgus apud Judæos notum erat, Meſſiam alibi, quam in Bethlehem, naſci non poſſe? An clariſſimum & famoſiſſimum Micheæ de loco nativitatis Meſſiæ oraculum Virgini θεοδόκῳ latuiſſe credis? Num metuere poterat, ne partitudo ſe in via opprimeret,

Digitized by Google

ret, quæ talem ſe fœtum in utero portare ſciebat, qui nuſquam extra oppidum Bethlehem, divina prædictione certiſſime deſignatum, in lucem edi poſſet? Niſi dicendum ſit, eam de luculentiſſimi vaticinii veritate dubitaſſe, quod impium eſt. Ait tamen ibi Langius, *quod nemo negare poſſit, menſem IX. plenum non fuiſſe.* Cur autem hoc mi Langi? Ego certe ajo, ſi vel ultra IX. menſes tunc uterum portaſſet B. Virgo, cum ad cenſum ſubeundum Bethlehemum iret Joſephus, non detrectaſſet tamen una eo contendere, quo uno in loco, & alibi nusquam, ſe ventris onere levandam noverat. Et ſi vel in animo Mariæ partui adeo vicinæ, aliqua ex humana imbecillitate orta fuiſſet cunctatio, quis tamen dubitabit, quin peculiari divina gubernatione eadem ita illi exempta fuerit, ut profectionem Bethlehemiticam remorari non potuerit. Ipſe ſane Chriſtus, qui ibi naſci decreverat, eam, illuc ut iret, impulit, & occulto juvit auxilio, tam eam geſtans, quam ab ea geſtatus. Verba Lucæ, ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν, ita explicant Origenes, Ambroſius, Theophylactus, ut tempus IX. menſium partui muliebri communi naturæ lege præſcriptum impleviſſe eam aſſerant. Vide & Damaſcenum *l. 4. O. F. c.* 15. Nolo plura, ne diutius his immorer.

De duobus adhuc ad hiſtoriam Nativitatis Chriſti pertinentibus cum Langio juvat συμφιλολογεῖν. Prius eſt de Magis ſtella præeunte ad Servatorum Infantem adorandum perductis, unde hi venerint, & quando? Langius eos *ex Arabia XIII. poſt partum die, VI. Januarii, veniſſe* aſſerit *p.* 366. Quoad patriam Magorum, duces ſine dubio ſequitur Hugonem Grotium *ad Matth. II,* 1. 11. & Ger. Jo. Voſſium *Diſſert. de Anno Natali Chriſti* §. 25. *ſeqq.* a quibus non diſſentit Cæſar Baronius *ad A. C.* 1. *n.* 25. *ſeqq.* qui *eos Abrahami e Cethura poſteros fuiſſe*, addit. Præiverunt autem illis nonnulli e Patribus, Juſtinus, Tertullianus, Cyprianus (aut qui alius auctor eſt Sermonum de Oper. Cardin. Chriſti) & Epiphanius. Sed videamus, quid Langium moveat, ut huic ſententiæ accedat. Primo dicit, *quod & Arabia Magos habeat, teſte Plinio, lib. XXV. c. III.* Debebat citare *cap. II,* non *III,* nam hic nihil eam in rem exſtat: ſed a Voſſio *loc. cit.* ita quoque allegante deceptus videtur, ut numerum, quem ibi vitioſum reperit, non conſulto ipſo Plinio, chartis illeverit. Conſideremus autem verba Plinii *l.* 25. *c.* 2. Dicit is *Pythagoram & Democritum de herbarum effectibus volumina compoſuiſſe, ambos peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis.* Mendum in *h. l.* jure aliquis ſuſpicetur. Quis enim putet, Plinium, ſcriptorem elo-

Digitized by Google

quentiſſimum, dixiſſe *peragrare Magos*? inſolens hoc eſt Latinis auribus, perinde ac ſi dicat quis, ſe herbarum cognitionem adeptum eſſe *peragratis Germania, Anglia, Gallia, Italiaque Medicis.* Equidem ſi pro *Magis* ſubſtituatur *Plagis*, nec a ſenſu, nec a literarum figura alienum id erit, de quo cogitent Critici, qui vel ἐυσοχίᾳ pollent, vel emendatis codd. ſunt inſtructi. Id certum eſt, quod vix extra Perſiam Magi a probatis auctoribus memorati reperiantur. Unde ipſe Plinius *lib. XXX.* mox ab initio affirmat, *Magiam ſine dubio in Perſide ortam a Zoroaſtre, ut inter auctores convenit.* Magi, proprie dicti, Perſarum ſapientes fuere vel ſacerdotes. Et tales ubique ea vox conſtanter & unice deſignat apud melioris notæ ſcriptores, Platonem, Herodotum, Xenophontem, Strabonem, Diog. Laertium, Ciceronem, Philonem, Porphyrium, Heſychium, Suidam, &c. quod aliis obſervatum eſt. Qui enim ab Herodoto & Stephano Byzantio in Media collocantur Magi, item a Strabone in Cappadocia, Perſicorum Magorum tradux ac propago ſine dubio fuere. Nec urget Grotii & Voſſii ratio, *quod Arabia ſapientes habuerit.* Concedimus quidem hoc, licet per *Sapientes Orientis I. Reg. IV*, 30. *Arabas* intelligi, quod illi volunt, nihil cogat. Id tamen non probarunt, iſtos Arabum ſapientes *Magos* fuiſſe appellatos, niſi e ſolo Plinii loco, ad quem jam reſpondimus. Addunt quidem, *Ptolemæum in Arabia Magorum ſinum agnoſcere*: ſed inde non ſequi, Magos ibi domicilium ſedeſque habuiſſe, cum aliæ hujus denominationis cauſæ eſſe potuerint, quivis de facili videt. Grotius inſuper ait, *nomen* Ἐλύμας, *quod a Luca μάγῳ vertitur*, *Act.* XIII. 8. *ab Arabia venire.* Sed unde conſtat magis ab Arabico עלום, quod *ſapientem* notat, derivandum hoc nomen eſſe, quam ab Ebræo עלם, quod in Hiphil *occultandi* ſignificationem habet? Æque enim a verbo Ebraico dici poteſt *Elymas*, quaſi *arcana ac abſcondita ſciens & proferens*, vel *obſcure & ambigue futura nuncians*, ac לטים *Exod. VII*, 22. dicuntur *incantationes* a verbo לום, quod *abſconſionem* ac *involutionem* notat, ubi Thargum habet vocem לחש, quæ *occultam muſſitationem* Magorum deſignat. Unde Aquila vocem חרטום, quæ & *Magum* notat, appoſite reddit κρυφιαστήν, q. d. *occultarum rerum ſtudioſum.* Vide ſis Fuller. *Miſc. V*, 11. Niſi cui Lud. de Dieu etymologia magis placeat, qui Ebræum vel Chaldæum חלומא, quod *ſanatorem* notat, nomine *Elymas* exprimi, nec id ab altero Βαρ Ιησῦς, quod *filium ſalutis* deſignat, diſcrepare putat. Addi poſſet Heinſii conjectura de regione Perſarum, quæ Ἐλύμαι ἐν τῇ Περσί-

di

di in hiſtoria Maccabæorum dicitur. Sed hac nihil opus eſt. Quod dicit uterque, *generalem eſſe Magorum vocem, uſque adeo, ut & Chaldæi ſeu Babyloniæ ſapientes dicantur* Μάγοι *a Græcis Interpretibus Prophetiæ Danielis*, id ſaltem probat, LXX. Senes in laxiore ac minus propria ſignificatione hanc vocem adhibuiſſe, cum τὸ אשף reddere vellent, quod tamen alibi per ἐπῳδὸν i. e. *incantatorem* expreſſerunt, quomodo & Symmachus nonnunquam vocem חרטם expoſuit μάγον, quam Senes alias vel ἐξηγητὴν vel ἐπῳδὸν vel Φαρμακὸν interpretantur: Aben-Eſra autem per חכם התולדות i. e. *genethliacum* explicat. Matthæum vero illam eodem modo ad *Arabiæ ſapientes* deſignandos uſurpaſſe, id non evincit, quem magis propriam & communem vocabuli notionem, qua *Perſiæ ſapientes* ſignificantur, retinuiſſe veriſimilius eſt. Diſtinguit enim Magos, qui Græcis ita laxa ſignificatione dicebantur, ab iis, quorum ipſe meminit, dum hos *Magos Orientis* appellat. At quos alios Magos Orientis narrant hiſtoriæ, niſi Perſarum? Chaldæorum autem μάγοι, Helleniſtis ita dicti, non Orientales, ſed Septentrionales Judæis fuere, *Jer. XXV.* 9. Sed quid cum Grotio ac Voſſio diſputo? Redeam ad Langium. Urget is deinde Epiphanii auctoritatem in Expoſitione Fidei Catholicæ, ubi *n.* 8. τὰ μέρη τὰ Ἀραβικὰ τῆς Μαγωδίας χώρας memorantur, *regio* nimirum *quam Abrahami & Chetturæ filii habitarunt, e quorum genere propagati Magi dona Chriſto Bethlehemi obtulerunt.* Sed quænam hæc regio, *Magodia* Epiphanio dicta, fuerit, aut ubi exſtiterit, apud nullum auctorem reperio. Merito ſuſpectum hoc judicat eruditiſſimus Caſaubonus *Exerc. II. ſect.* 10. qui quidem *quid Græcis ſit* μαγωδία, i. e. *artificium mimorum utriuſque ſexus perſonas aſſimilantium, &* μαγωδὸς *mimus utriuſque ſexus &c. ex Athenæo ſe didiciſſe*, dicit: at *Magodiam regionem Arabiæ nuſquam legiſſe meminit, nec intelligere ſe poſſe*, profitetur, *quomodo a nomine Magodia formari gentile Magus queat*, cum *ſimilis anologiæ exemplum non exſtare* opinetur. Mirum autem eſt, quod Magos potius e *Magodia Arabiæ* educere voluerit Epiphanius, quam e Perſia, ubi ipſe *Maguſæos* collocat in eodem libello *n.* 12. & 13. mentionem faciens τῶν παρὰ Πέρσαις Μαγουσαίων καλουμένων, τῶν εἰδώλα μὴ βδελυττομένων, εἰδώλοις δὲ προσκυνοῦντων, πυρὶ καὶ σελήνῃ καὶ ἡλίῳ: quos etiam μυριάσι πολλῶν &c. ἀρχηγὸς παρὰ Πέρσαις appellat. Cur autem Epiphanio Magorum patriam indicanti fidem potius habet Langius, quam eidem de tempore adventus eorundem, quem biennio poſt natum Servatorem contigiſſe putat *Har. XXX. & LI.* teſtimonium perhibenti?

Digitized by Google

Cum in hoc Epiphanii auctoritatem flocci faciat *p.* 366. quomodo in illo eandem commendare poteſt? Porro dicit Langius, *Arabiæ partem quandam Judææ ad Orientem ſitam fuiſſe, ſicut Tacitus* Hiſt. V. *ait.* At ſi pars ſaltem quædam Arabiæ Judæam ab ortu reſpiciebat, pars utique alia non item. Certe Saba, potior pars Arabiæ, Judææ ad Orientem ſita non erat, cum ejus *Reginam ab Auſtro veniſſe* dicat Chriſtus *Matth. XII.* 42. *Luc. XI.* 31. Unde autem novit Langius, eam Arabiæ partem, quæ Judæis Orientalis erat, ſi quæ erat, Magos habuiſſe? Si id de regno Arabiæ univerſim ſumpto probari poſſet, (quod tamen non poteſt) non ideo ſequeretur, de ſingulis regni partibus id verum eſſe. Sic ſi dicas, Germaniam habere Electores Principes, verum dicis: at ſi ſingulas ejus partes, ut Alſatiam, Haſſiam, Ducatum Wurtenbergicum, Auſtriam, Sileſiam &c. habere Electores Principes dicas, falleris. Et tamen hæ regiones Orientales eſſe poſſunt quibuſdam populis, quibus ceteræ, quæ Electoribus ſubjacent, non ſunt Orientales. Quod ait Grotius, *Judæos Arabiam ut ſibi ab ortu adſitam nomine ἀνατολῶν appellaſſe*, id loca, quæ allegat, non conficiunt. Horum enim quædam Arabiam plane non indigitant, quædam de ea ſaltem Arabiæ parte, quæ *Deſerta* dicitur, & olim ſacrorum V. T. Scriptorum tempore Arabiæ vix accenſebatur, loquuntur, quædam ſimul de oris, quæ trans Euphratem Tigrimque ſitæ ſunt, intelligenda veniunt. Tandem urget Langius, *Magos ſecum dona Arabica attuliſſe, aurum, thus & myrrham.* Sed ſint Arabica. An inde concludi poteſt, ea non & fuiſſe aliarum regionum, ut Perſiæ vel alterius? Certe mos Reges cum donis adeundi apud nullos Orientalium populos magis, quam apud Perſas eorumque ſucceſſores Parthos, conſpicuus eſt, ac fama pervulgatus. Si vel ipſa Perſia hæc dona non habuerit, an non e vicinis ea ſibi comparare potuere Magi, quæ præſtantiſſima & oblatu digniſſima arbitrati ſunt? Etiam exoticis majus fere pretium ſtatuitur, quam domeſticis, & apud nos natis. Aut num Nicodemus ideo ex Arabia veniſſe dicendus, quia myrrham ad ſepeliendum Chriſtum attulit *Johan. XIX.* 39. Grotius *ad Matth. II.* 11. dicit, *thus non niſi apud Sabæos Arabum portionem naſci.* Concludendum itaque hinc erit, Magos e Sabæis veniſſe, ſi alias argumento Grotii ac Langii ulla vis ineſt. At ſic ſequetur, non ab Oriente, ſed ab Auſtro veniſſe Magos, cum Saba Judæis auſtralis ſit, quod Scripturæ e diametro adverſatur. In Hiſtoria Saracenica ab Erpenio edita dicuntur primo anno, quo Mahomed religionem ſuam in publicum proferebat,

ad

Digitized by Google

ad eum, præter Chriſtianos & Judæos, veniſſe, ut cum eo contraherent, אלמחוש ואלסאבה *Magi & Sabæi.* Ecce hos manifeſte ab illis diſtinctos. Nihil ergo adduxit Langius, nec ante illum ex eruditis alii, quod nobis perſuadere queat, Magos ex Arabia veniſſe. De aliorum opinione, qui illos e Meſopotamia arceſſunt, quod Barradæ *in Conc. Euang. T. 1. l. 9. c. 8. n. 25.* & Montacutio *in Antidiatribe contra Bulenger. p.* 198. placet, nihil jam dicere attinet. Nos ſententiam Clementis Alexandrini, Baſilii Magni, Cyrilli, Chryſoſtomi, Leonis Papæ, Theodoreti, Euthymii, Thomæ Aquinatis, &c. ut vero maxime conſentaneam amplectimur, quod Perſæ fuerint natione hi Magi, atque e Perſia ad adorandum Deum Infantem prodierint. Securi enim id ſequimur, de quo minimus dubitationi locus eſt. Perſarum autem fuiſſe proprie dictos *Magos*, nemo ſanus ambigit, quod & jam ſatis oſtendimus. Imo ipſe Langius *p.* 237. id aperte teſtatur, dum Orientem plurimos ſapientes habuiſſe dicit, *Indos quidem ſuos Gymnoſophiſtas & Brachmanes, Perſas autem ſuos Magos, e quorum numero celeberrimus Zoroaſter, Arabes vero & Syros ſuos Prophetas, &c.* Cur hic Arabum ſapientes peculiari nomine *Prophetas* appellat, ſi *Magi* non minus quam Perſarum dicendi ſint? Sed en Caſaubonum *loc. cit.* diſerte ſententiam pronunciantem: *Magos Arabum, quod meminerim, nullus ſcriptor Græcus, nullus Latinus commemorat.* Etiam Perſiam Judææ Orientalem fuiſſe in confeſſo eſt, quod de Arabia non conſtat. Nec dona ab iis allata repugnant, uti modo declaravimus. Quod ſi vero tam latum fuit apud veteres Arabiæ nomen, ut Syriacas, Perſicas & Medicas regiones ſimul complecteretur, quod vult Montacutius *in Origin. Eccleſ. P. I. p.* 209. facile Juſtini ac Tertulliani ſententia cum noſtra conciliari poterit. Falluntur autem, qui vaticinium Regis Vatis *Pſal. LXXII.* 10. ad Magorum adventum accommodant, cum regni Chriſti amplitudo, & gentium ex omnibus mundi partibus ad illud acceſſio, tantum ibi deſignetur. Niſi quem lepida de tribus Regibus fabella ita delectet, ut eam ex h. l. adſtruere conetur. Tempus adventus Magorum quod attinet, id non obſtat, quo minus e Perſia venire potuerint. Nam licet nec Epiphanii, qui locis ante allegatis inter nativitatem & adorationem Magorum biennii ſpatium conſtituit, nec Montacutii, qui in *Orig. Eccleſ. P. 1. p.* 154. & in *Antidiatr. contra Buleng. p.* 203. integrum annum & XIII. dies inter utrumque terminum interponit, opiniones probemus; nihil tamen cogere exiſtimamus, ut Magos præciſe XIII. die poſt natalem

Digitized by Google

lem Christi, ac VI. Januarii, advenisse pro certo affirmemus, quod tamen Langius secure asseverat. Quanquam enim impossibile non fuerit, ut Magi intra XIII. a nato Servatore diem e Persia appellere potuissent, partim quia stella, tanti Regis nuncia, ante ipsius nativitatem conspecta, illos ad iter maturius suscipiendum excitare potuit, quod ipse Langius non diffitetur, partim quia incredibili Dromedariorum velocitate adjutis viam istam celerius emetiri non erat difficile, ut de peculiari divino auxilio nihil dicam: id tamen non necessarium arbitramur, adventum Magorum tam brevi temporis spatio coarctare, cum nulla evidens ratio in istas angustias nos adigat. Suffecerit si illustrem hanc Domini recens nati ἐπιφάνειαν intra terminum purificationis lege divina imperatum, & Virgini matri religiose observatum, contigisse dicamus, licet non certum aliquem ex isto intervallo diem exacte definiamus. Sic Chrysostomus *Homil. 7. in Matthæum*, spatium illud XL. dierum designat, quo Christus Bethlehemi cum Parentibus substiterit, τοῖς βουλομένοις περιεργάζεσθαι δοὺς μεθ' ἀκριβείας ἐξετάζειν ἅπαντα. In hac quoque determinatione Grotium acquiescere adverto. Neque enim tam rigide vis aoristi illius Græci, quo utitur Matthæus, dum dicit τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, a Casaubono, Vossio vel Langio urgeri potest, ut ad XIII. diem præcise restringatur, cum æque nervum suum obtineat, si intra 6. hebdomadum decursum factum dicatur, quod ab ipso narratur. Imo si Christus XIII. die post natalem adoratus a Magis, qui & urbem Hierosolymam, & Herodis aulam, tumultu de Rege nato compleverant, postea ad dies 27. integros, usque ad purificationem, Bethlehemi commoratus fuisset, quod necesse erat, omnino sine periculo & manifesto discrimine non fuisset. Herodem enim curiosum satis & satagentem, cum de regno, ut rebatur, auferendo ageretur, latere non poterat, nec ab insidiis & vi aperta tutus esse. Qui Christum a Magis in præsepi inventum ac adoratum scribunt, ab omni ratione destituuntur. Id tamen licentiæ oratoriæ condonari potest. Nobis incerta sequi consultum non videtur. Traditionem de VIII. Id. Januarias non rejicimus, nec tamen ut certissimam admittimus. Sicque eo, quo rem declaravimus, modo omnia in Historia Magorum, etiam quoad tempus adventus, plana erunt. Alterum, de quo cum Langio συμφιλολογεῖν placuit, strictim expediemus. Asserit is *p.* 428. Simeonem illum, qui Christum infantem a Parentibus in templo præsentatum ulnis complexus dicitur *Luc. II*, 25. fuisse celebrem illum *Kabban Simeonem Gamalielis parentem, maximæ auctoritatis hominem.* Expedite

Digitized by Google

pedite Langius ea de re ſententiam dicit, de qua eruditi etiamnum γνωμὴν ταλαντεύουσι. Scire autem vellem, quis Langio omnem de eo dubitationem exemerit, an Simeon hic fuerit, quem fuiſſe arbitratur? Mihi certe id tam facile perſuaderi nequit. Rabban Simeon ille, pater ac præceptor Gamalielis Senioris, qui Pauli Apoſtoli præceptor fuit, ut ipſe Langius ait *p.* 113. filius fuit Hillelis Senioris, qui Princeps Senatus Judaici exſtitit, & illuſtris Scholæ a ſe inſtitutæ caput, veluti e דור צמח R. Dav. Gantzii a Guil. Henr. Vorſtio edito *p.* 84. 86. liquet. Ipſe quoque Simeon patri Hilleli ſucceſſit, tum ut Princeps Synedrii, tum ut caput Scholæ, & primus fuit, qui nomine *Rabban* appellatus eſt, ut ibid. *p.* 87. & 90. narratur. Titulus autem ille *Rabban*, omnium præſtantiſſimus, Magnatem deſignat, notante Cl. Buxtorfio *in Abbr. Ebr. p.* 173. unde in libro Juchaſin ſcribitur, *non exſtare nomen Rabban niſi de Principibus tantum.* Simeoni in dignitate ſuffectus eſt filius Rabban Gamaliel, Senior dictus, cui Paulus Apoſtolus ἐμαθήτευσε. Simeonem iſtum Hilleliden ipſum noſtrum Simeonem θεοδόχον fuiſſe, exiſtimat Cl. Schikardus *in Jur. Reg. Ebr. p.* 168. & *in Bech. Happ. p.* 26. Illud nec rejicit eruditiſſimus Buxtorfius *loc. cit. p.* 175. licet de eo dubitet, ac *conjecturam* appellet, cui favere dicit id, quod hiſtoria Judaica hujus laudes præteriit, quas alioqui in Hillelis majoribus ac poſteritate diligentiſſime perſecuta eſt &c. Putatque cum Schikardo, cauſam fuiſſe, quod ob infantulum Jeſum ulnis ſuſceptum de religione ſuſpectus ac inviſus eſſe cœperit. At in eodem *tract. p.* 58. fatetur Buxtorfius, *incertum eſſe, an Simeon ille, qui patri Hilleli in Principatu ſummo ſucceſſerat, & tempore nativitatis Chriſti adhuc in officio erat, fuerit homo ille juſtus ac pius Chriſtum brachiis amplexus.* Hæſitationem quoque ſuam teſtatur Cl. Voſſius *in diſſert.* ſæpius laudata §. 34. dum *quoſdam* ſaltem *id velle* innuat, ſuumque ſuſpendat judicium. Nobis non ſaltem incertum ac dubium, ſed & veritati minime conſentaneum videtur, quod venerandus hic ſenex χριστοδόχος inclytus ille Rabban Simeon, Princeps Synedrii ac Scholarcha, fuerit, adeoque Hillelis illius Babylonii filius, ac Rabban Gamalielis parens. Nam ſi tam illuſtris dignitatis ac conditionis fuiſſet, certe id non prætermiſiſſet Lucas, qui alia ipſius elogia diligenter annotavit, ſc. quod fuerit δίκαιος, εὐλαβὴς, προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ &c. Pertinuiſſet enim hoc ad inſignem Chriſti & doctrinæ Chriſtianæ commendationem, ſi tantum virum fautorem habuiſſet. At ipſum ἄνθρωπον ſaltem ἐν Ἱερουσαλὴμ vocat Euangeliſta. Unde *virum*

Digitized by Google

rum humilem fuisse, collegit noster D. Brentius, male ea propter a Jes. Canisio *in Hist. Virg. Deip. p.* 164. exceptus. Deinde Principem Senatus Judaici tam insigne huic infantulo testimonium perhibuisse quis putabit? Certe nihil abesse poterat, quin hic infans ab universo populo reciperetur pro legitimo Rege, cum tanta esset Præsidis dignitas ac auctoritas, ut facile in assensum suum plebeculæ suffragia pertrahere potuisset. Imo quid homini Politico, quotidie civilibus negotiis distracto, commercii fuisset cum hoc infante in templo præsentato? Ita bene ratiocinatur laudatus Vorstius *in Observ. ad Chronol. Gantzii p.* 283. qui & addit (non secus ac ipse Buxtorfius *loc. cit. p.* 58.) de Gamaliele filio, quod *is capitalis Ecclesiæ Christianæ hostis non fuisset, si patrem habuisset Simeonem I. insignem Messiæ cultorem. Quis enim adeo socordem fecerit hunc fervidum pueri Jesu vatem, ut filium nulla Messiæ notitia imbuerit?* Ad rationem Buxtorfii, *quod hujus Simeonis laudes in odium Christi ab eo agniti silentio involvant Ebræorum Magistri*, respondet ibidem Vorstius, *quod idem & de aliis Hillelis posteris observare liceat.* Alii hunc Simeonem cum Simone Justo, Pontifice quondam Judæorum Maximo, confundunt; quos refellit Cl. Seldenus *de Succes. in Pontif. Ebr. l.* 1. *c.* 7. Galatinus *lib.* 1. *de A. C. V. c.* 2. ipsum unum e Sapientibus Israelis & Viris Synagogæ Magnæ fuisse putat, quem refutat L. Capellus *in Orat. de nom.* יהוה *p.* 323. Alii sacerdotem eum faciunt, ut Epiphanius (vel alius potius, qui sub ejus nomine lusit ac illusit orbi,) *in vitis Prophetarum c.* 24. Cyrillus Hieros. *in Hom. de Occursu Domini*, & Canisius Jesuita *loc. cit.* quibus recte contradicunt Theophylactus, Euthymius, Barradas & Maldonatus. Qui autem cæcum eum fuisse comminiscuntur, eos jure oppugnat Baronius *ad A. C.* 1. *n.* 40. & ridet Montacutius *in Antidiatr. p.* 206. Si quæras, Langi, quis itaque fuerit hic Simeon? Respondemus cum D. Luca, fuisse eum *virum justum, pium, exspectantem solatium Israelis, & Spiritu Sancto plenum.* Si ulterius de statu & conditione ejus instes, ingenue dicimus: *non liquet.* Ultra descriptionem ejus ab Euangelista datam curiose nihil inquirimus. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ.

CAPUT III.

De tempore Baptismi Christi sententia Langii consideratur. An dies, quo ille contigit, Θεοφάνεια *vel* Ἐπιφάνεια *antiquissimis appellata sit? Ostenditur, veteres his nominibus Natalem Christi designasse,*

Digitized by Google

se, idque jure. Locus Luc. III. 23. de ætate Christi baptizati expenditur. Langius in eo frustra ellipsin fingit. Ignatii & Hieronymi auctoritates inepte allegat. Defenditur eorum sententia e Scriptura & Antiquitate, qui Christum XXX. anno ineunte baptizatum statuunt.

PRogredimur ad ea, quæ Baptismi Christi historiam concernunt. Langius diem Baptismi Servatoris constituturus, de ejusdem apud veteres nomenclatura agit *p.* 357. Dicit *hunc diem ab antiquissimis* Θεοφάνειαν & Ἐπιφάνειαν *appellatum fuisse, quod Græci posteriores de eo tempore dictum arbitrati, quo Deus manifestatus est in carne, diem baptismi & nativitatis confuderunt.* Non jam sollicitus sum, an Ἐπιφάνειαν & Θεοφάνειαν genere fœminino; an vero τὰ Ἐπιφάνια & Θεοφάνια solennem revelationis Christi in Ecclesia memoriam nuncupaverint *antiquissimi?* Certe posterius magis antiquis usitatum reperio, prius autem rarissime. Casaubonus *Exerc. II. p.* 139. monet, *veteres Christianos dixisse* τὰ ἐπιφάνια, *non genere fœminino, ut imperiti linguæ Græcæ putarunt.* Sic sane apud Epiphanium aliquoties occurrit, & ita quoque Latini Græcos imitati *Epiphania* in neutro plurali dixere, ut Hieronymus, Cassianus, Isidorus & alii. Etiam Θεοφάνια non θεοφάνειαν vocarunt Greg. Nazianzenus & Isidorus Pelusiota, quomodo & in Menologio Græcorum legitur. Illud saltem a Langio discere vellem, quinam sint illi *antiquissimi*, quibus *nobilissimus hic dies*, ut ait, *quo baptizato Servatori cœli aperti sunt*, Θεοφάνεια & Ἐπιφάνεια *appellatus est*, & quinam ei intelligantur per *Græcos posteriores*, quos *diem nativitatis & baptismi confudisse*, dicit. Ego enim apud antiquissimos Græcos Patres utroque isto vocabulo diem illum exoptatissimum, quo ὁ Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, designari deprehendo. Epiphanius seculi quarti Pater *Hær. LI. n.* 16. clare dicit, τῆς ἡμέρας τῶν Ἐπιφανίων, ἥ ἐστιν ἡμέρα τῆς αὐτῆς γεννήσεως κατὰ σάρκα. Idem Cyprius Pater *in Expos. Fid. Cathol. n.* 22. ὅτε ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανίων, ὅτε ἐγεννήθη ὁ κύριος. Eusebius Epiphanio antiquior diserte ait *Hist. Eccles. l.* 1. se Historiam suam exordiri ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας, nihil aliud quam *nativitatem Christi* significans. Hinc Suidas Ἐπιφάνειαν absolute τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκον οἰκονομίαν interpretatur. Et quidni jure meritissimo *Natalem Christi* hoc nomine Veteres appellarent, cum D. Apostolus 2 *Tim. I.* 10. Servatoris in carne adventum ἐπιφάνειαν mani-

Digitized by Google

feſte vocaverit? Alterum quoque nomen Θεοφάνια conſtanter apud vetuſtiſſimos Patres Natalem Chriſti deſignat. Gregorio Nazianzeno, qui etiam IV. ſeculo floruit, τὰ θεοφάνια idem ſunt quod τὰ γενέθλια, *Orat. 37. de Natali Domini.* Τὰ δὲ νῦν θεοφάνια, inquit, ἡ πανηγυρὶς, εἰτ' ἂν γενέθλια, λέγεται γὰρ ἀμφότερα. Ἐφάνη γὰρ θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως. Ὄνομα δὲ τῷ φανῆναι θεοφάνια, τῷ δὲ γεννᾶσθαι γενέθλια, &c. Iſidorus Peluſiota in V. ſeculo *lib. III. Epiſt.* 110. aperte conſentit: τὰ θεοφάνια, ἢ ἡ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις. Sic & Euſebius *l.* 3. *de vita Conſtantini* τὸ τῆς πρώτης τοῦ Σωτῆρος θεοφανείας ἄντρον commemorat, ſpeluncam intelligens nativitate Chriſti illuſtrem. Nec ſcio, an apud ullum Patrem Θεοφάνια de Baptiſmo Chriſti, vel ullo alio ejus actu, quam ſola in carne revelatione, uſurpetur, nedum ut ab *antiquiſſimis* dies baptizati Chriſti Θεοφάνεια appellatus fuerit, quod tamen Langius confidenter aſſerit. Quod *Epiphania* quandoque dies, quo baptiſmum ſuſcepit Dominus, a Patribus nuncupetur, me non fugit. Scio enim apud Chryſoſtomum *Orat. in ſanctum Baptiſma*, Hieronymum *Comm. in Ezech. l.* 1. & alios ita hanc notionem uſurpari. Ubi autem *Theophania* eadem in latitudine ſumatur, nondum obſervare licuit. Ediſſerat jam Langius, an laudatos Patres, Epiphanium, Euſebium, Greg. Nazianzenum, Iſidorum Peluſiotam pro *Græcis poſterioribus* habeat, & diei baptiſmi cum natali confuſi reos peragere velit. Oſtendat quoque illos *antiquiſſimos*, qui Θεοφανείας ac Ἐπιφανείας nomina diei baptiſmi Chriſti peculiariter attribuerint. Pro priori nullum facile adducet: pro poſteriori autem Ambroſio antiquiorem nullum, opinor, inveniet. Hunc itaque allegat, comiteſque ei binos Iſidorum ac Paulinum dat. Miror autem eum longe his duobus vetuſtiores Hieronymum & Chryſoſtomum non laudaſſe teſtes: ſed in culpa forte eſt Voſſius, qui reliquos ipſi eodem ordine ſuppeditavit *in Diſſert. de Temp. Nativ. Chriſti* §. 5. quod horum ipſi ſimul copiam non fecerit. Iſidorum Hiſpalenſem & Paulinum nos non moramur, quippe recentiores, quam ut antiquis illis, quos produximus, opponi queant. Neque enim probant hi, *antiquiſſimis* eam appellationem hoc ſenſu in uſu fuiſſe. Ambroſius *in Homil. XXI. de die S. Epiphan.* (modo Ambroſii ſit hæc Homilia, nam de pleriſque illis ad populum concionibus, quæ tom. III. Oper. ejus compactæ exſtant, dubitant Eraſmus, Coſterus, Poſſevinus, Bellarminus, Baronius. Vid. R. Cocum *in Cenſ. p.* 263. & Rivet. *Crit. Sac. lib.* 3. *c.* 17.) a Langio citatus non dicit, diem baptiſmi ἐξαιρέτως & ſingulariter Ἐπιφάνειαν ab anti-

Digitized by Google

antiquis esse dictam, quod tamen pro Langio dicere debebat, si quidquam eum ipsius auctoritas juvaret. Postquam enim dixerat: *in Epiphaniæ die hactenus a Domino memorabilia facta esse commemorantur, ut rogatus ad nuptias aquæ substantiam in vini speciem commutarit, ac liquorem fontium in meliorem usum sui benedictione transtulerit, quo mirabili signo Divinitatis suæ primam ille virtutem declaraverit*; addit mox: *nonnullos vero in eo die a Johanne illum baptizatum in Jordane testari, ejusque baptismi memoriam hac Epiphaniæ celebritate consignatam.* Enimvero non dicat *antiquissimos* memoriam baptismi in Epiphania coluisse, sed tantum nonnullos. Alios quoque miraculi in nuptiis Cananæis facti recordationem in Epiphania celebrasse, luculenter ostendit. Etiam Paulinus in *Natali S. Felicis*, a Langio allegatus, idem festum & Magorum adorationis, & baptismi in Jordane, & miraculi primi nuptialis memoriæ tribuit, ut cuivis carmen ipsius legenti patet. Quid quod & Isidorus ipse a Langio ad partes vocatus *lib.* 1. *de off. Eccl. c.* 26. diserte e Cassiano referat, *apud Græcos nativitatem Domini & Epiphaniorum solennitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed unius diei festivitate celebrari.* Quod ipsum Cassianus *Collat. X.* 11. rotunde de Ægypti regione docuit, quod *mos ibi antiqua traditione servetur, peracto Epiphaniorum die, quem provinciæ illius sacerdotes vel dominici baptismi, vel secundum carnem nativitatis esse definiunt &c.* Non ergo cum veritate convenit Langii effatum, quod singulariter dies baptismi Christi Θεοφάνεια vel Ἐπιφάνεια ab *antiquissimis* sit dictus. Neque quod *Græci posteriores* eas notiones aliter sumpserint, ac diem baptismi & nativitatis confuderint. Vetustissimam enim esse eam nominum istorum acceptionem, qua Natalem Servatoris designant, e Patrum, quos *Græcos posteriores* nemo sanus dixerit, testimoniis manifestum reddidimus. Nec ipse quidquam adduxit, quod appellationes eas diei baptismi antiquitus seorsim tributas esse evincat. Nec ulla ratio suadet, ut veteres baptismi potius diem, quam Natalem, Ἐπιφανίων nomenclatura insigniisse dicantur. Manifestatio enim illa sive SS. Trinitatis, sive Divinitatis Christi, in baptismo facta, nec illustrior, nec magis universalis fuit, quam ea, quæ in ipsius incarnatione contigit. Licet enim Christo baptizato major turba adfuerit, quam nato; maxima tamen pars, quid sub ea, tum voce e cœlo delata, tum columbina specie, lateret, ignorabat. Vox quidem de cœlis omnibus adstantibus audiebatur: an autem Dei Patris, an Angeli, vel alterius ea esset, & an ad solum Jesum pertineret, omnibus non constabat. Chri-

Digitized by Google

ſtus ipſe baptizatus omnibus quidem conſpiciebatur: ſed unigenitum eum eſſe DEI Filium, pauciſſimi intelligebant. Columbæ σωματικὸν εἶδος cuncti, qui aderant, videbant: ſub illo autem Spiritum Sanctum, tertiam Trinitatis perſonam, præſentem ſe exhibere, præter Chriſtum & Baptiſtam vix ullus agnoſcebat. Confer *Joh. I.* 32. & *Marc. I.* 10. At dum carnem e Virgine per ſalutiferam nativitatem ſuſcepit DEUS λόγος, pluribus ſe patefecit. Paſtoribus ſtatim ut Σωτὴρ & Χριστὸς Κύριος agnitus eſt, ab Angelis genethliaco carmine glorificatus, a Magis mox in cunis adoratus. Omnibus deinde ſe videndum præbuit, dum ἐν ἡμῖν ἐσκήνωσε, gloriamque ſuam, ut unigeniti a Patre, oſtendit, *Joh. I* 14. item dum ὁ λόγος τῆς ζωῆς ſe oculis conſpiciendum & manibus palpandum exhibuit, 1 *Joh. I.* 1. Hæc vera & proprie dicta Θεοφάνεια ſeu Ἐπιφάνεια fuit, qua ut nulla illuſtrior dari, ita nec æquior ejuſdem appellationis ratio ulla afferri poteſt. Non igitur *confuderunt* hic aliquid *poſteriores*, quos vocat Langius, *Græci*, dum *Natalem Domini* Ἐπιφάνειαν vocarunt: ſed ii potius vocem hanc latius extenderunt, qui ad alias deinde revelationes deſignandas eam adhibuerunt. Sed mittamus hoc. Tempus baptiſmi Servatoris conſtituit Langius non in XXX. ætatis ipſius anno, ſed poſt illum exactum in XXXI. ineunte *p.* 363. 364. Refellit eos, qui ineuntem XXX. annum Chriſti actui iſti ſacratiſſimo aſſignant, moti ſc. voce ἀρχόμενος *Luc. III*, 23. Ait *ineptum & inauditum Græciſmum eſſe* ἄρχεσθαι ἐτῶν τριάκοντα, pro ἔτους τριακοστοῦ, & vocem ἀρχόμενος ideo non ad ἐτῶν τριάκοντα pertinere, ſed *initium miniſterii Chriſti*, ſubintellecta voce διακονίας, *deſignare* contendit. Nobis ſententiam hanc Langii de baptiſmo Chriſti in initio anni XXXI. ætatis collocato, quæ magnis Patronis aliis, ut Baronio & Torniello Annaliſtis, Scaligero, Caſaubono, Grotio, Voſſio &c. gaudet, moroſius oppugnare animus non eſt. Nec enim aliquid adeo incommodi continet, nec verbis Lucæ, quæ obſcuriora ſunt, plane repugnat. Conſulere poſſunt laudatos auctores, & cum iis conferre diſſentientes Montacutium *in Appar. XI. ad Orig. Eccleſ.* & *in Analect. Exerc. Eccleſ. Ex. IX.* & Petavium *in Anim. ad Epiphan. Hær. LI.* quibus volupe eſt, nobis enim eorum ſcrinia ſuppilare religio eſt. De Chemnitii quoque ſententia, quam *p.* 421. *ſeqq.* traducit Langius, cui plures e celeberrimis Germaniæ Theologis non accedere ſcimus, non multum laborabimus, ne ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶμεν. Quædam ſaltem jam obſervamus a Langio circa hoc argumentum minus ſolide aſſeverata. Primum eſt de interpretatione phraſeos D. Lucæ c. *III.* 23. in qua præter

Digitized by Google

ter neceſſitatem ellipſin fingit vocis διακονίας cum participio ἀρχόμενος jungendæ, idque *manifeſtum ac ſine omni controverſia eſſe*, pronunciat, *quod vox ἀρχόμενος ad τριάκονλα ἐτῶν pertinere non poſſit.* Ego autem non video, quid obſtet, quin ſine ellipſi participium illud ad ἐτῶν τριάκονλα referatur. Nam ſi vel certa eſſet Langii theſis, quod Chriſtus Anno ætatis XXXI. ineunte baptiſmum ſuſceperit, de qua jam non diſputamus, æque tamen poterat dici, quod tum ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκονλα ἀρχόμενος. Ita enim intelligi poteſt ea locutio, ut notet, Chriſtum tum fuiſſe XXX. annorum circiter, cum jam nuper trigeſimum expleverat. Sic idem erit, ἦν ἀρχόμενος, ac ſi diceretur, ἤρχετο εἶναι ἐτῶν τριάκονλα, quem *modum loquendi Græcum eſſe*, ipſe Langius non diffitetur. Et ſic Scaliger *lib. VI. Emend. Temp. p.* 513. & *Canon. Iſag. lib.* 3. *p.* 299. non tam abſurde, uti id Langio videtur, ait, *illud* ἦν ἀρχόμενος eſſe ἤρχετο, *& ſubaudiri* ὢν, *niſi* ὢν *ſequens adſumatur.* Quanquam quod is de particula ὡσεὶ affert, id nos cum Langio facile ut ἀλλότριον rejiciamus. Senſum ergo hæc phraſis ſat commodum habebit, licet nulla ellipſis ſtatuatur. Ita quoque Epiphanii lectio commodiſſima eſt, quæ *Hær. XXX. Ebionæorum n.* 29. exhibetur: ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος εἶναι ὡς ἐτῶν τριάκονλα. Cum enim toto trigeſimo primo ætatis anno Chriſtus poſſit dici XXX. annorum, plane ſicut Auguſtus in Indice rerum a ſe geſtarum, notante Scaligero, ſcribit anno viceſimo ætatis ſuæ *ſe fuiſſe annorum undeviginti*: ita quando XXX. anno nuper abſoluto triceſimum primum inchoabat Chriſtus, dici poterat ἄρχεσθαι ὢν ἐτῶν τριάκονλα. Atque ita congrue h. l. reddiderunt Beza: *Jeſus incipiebat eſſe quaſi triginta annorum*, & Diodati: *Jeſu cominciava ad eßer come di trenta anni.* Quod ſi autem cum Lud. de Dieu dicere velimus, verbum ἄρχομαι hoc in loco πλεονάζειν, ſicut hoc eodem capite Lucæ *v.* 8. μὴ ἄρξησθε λέγειν i. e. μὴ λέξητε, & Act. I. 1. ἤρξατο ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν i. e. ἐποίησε τε καὶ ἐδίδαξε (non enim initium ſolum dictorum & factorum Chriſti, ſed plenam eorum hiſtoriam, continet Lucæ Euangelium) quomodo & apud LXX. Gen. II, 3. ὧν ἤρξατο ὁ θεὸς ποιῆσαι pro ἐποίησε quales locutiones plures collegit Cl. Glaſſius *Phil. S. l. III. tr.* 3. *can.* 3. res adhuc melius erit expedita. Ita enim ἤρχετο ὢν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκονλα idem eſt, ac ſi ſimpliciter dicas: *erat Jeſus quaſi triginta annorum*, quod de eo, qui XXX. annos jam exegit, probe dici poteſt. Plane eodem modo Syrus Interpres hanc phraſin reddidit, qui illud ἀρχόμενος prorſus omiſit, & ita vertit שנין תלתין איתהי הוא אין בר i. e. *Erat quaſi filius annorum triginta.* Elli-

pſin

pſin itaque hic fingere ſupervacaneum eſt. Deinde ut probet Langius ellipticam eſſe hanc locutionem, adducit loca parallela, ut ipſi videntur, *Act.* I, 22. & X, 37. quæ plane non quadrant. Suggeſſit ipſi hæc fortaſſis Voſſius *Diſſ. de Natali* §. 38. e cujus fontibus non ſemel alias hortum ſuum irrigavit Langius, aut Petavius *Anim. in Epiph. p.* 110. Sed in neutro horum locorum ellipſin vocis διακονίας, quam ſubintelligi debere aſſerit, ut ſtatuamus, ulla ratio ſuadet. Locutio *Act.* I. 22. cum commate præcedente 21. connecti debet, ubi integra oratio ita habet: ἐν παντὶ χρόνῳ, ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, ἕως τῆς ἡμέρας, ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν. Quis non videt, illud ἀρξάμενος ad verba præmiſſa εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθε manifeſte reſpicere. Dicit Petrus, Chriſtum toto illo tempore cum Apoſtolis ingreſſum ac egreſſum eſſe, ac incepiſſe ſcil. *ingredi* & *egredi*, inde a baptiſmo Johannis. Subaudiuntur duo iſta verba εἰσελθεῖν καὶ ἐξελθεῖν tanquam ἀπὸ κοινοῦ repetenda, & cum ἀρξάμενος jungenda. Per *ingreſſum* & *egreſſum* Chriſti ipſius in officio οἰκονομίαν uſitato Ebraiſmo intelligi non nego. At vocem διακονίας hic ſubintelligi, alienum eſſe ajo. Alter locus *Act.* X, 37. perperam allegatur, & plane extra oleas. Subjectum ibi, neſcio qua licentia, immutat Langius. Non dicitur ibi ἀρξάμενος in maſculino, quomodo Langius citat, ac ſi ad Chriſtum pertineret: ſed ἀρξάμενον in neutro, & cum proximo ſubjecto, ſc. τὸ γενόμενον ῥῆμα, conſtruitur. Non dicitur Chriſtus ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ſed τὸ γενόμενον ῥῆμα καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενον &c. i. e. *fama de Chriſto per univerſam Judæam divulgata, e Galilæa exordium ſumpſiſſe* dicitur, uti id ipſe Lucas *in Euang. c. IV*, 14. planiſſime explicat, ubi memorat, quod cum Chriſtus poſt toleratas in deſerto Diaboli tentationes in Galilæam reverſus eſſet, Φήμη ἐξῆλθε καθ' ὅλης τῆς περιχώρου περὶ αὐτοῦ. Ecce quod hic Φήμην ἐξελθοῦσαν, id in Actis γενόμενον ῥῆμα appellat. Abſolute autem ponitur τὸ ἀρξάμενον cum ῥῆμα conjunctum, ſicut apud Plutarch. *in Apophth.* τὸ μὲν ἀπ' ἐμοῦ ἐμὸν γένος ἄρχεσθαι, τὸ δὲ σὸν ἐν σοὶ πάυεται, nec ullam ellepſin admittit. Nam quod Langius dicit, *hic ſubintelligendam eſſe vocem* διακονίας, *ut ſit* ἀρξάμενος τὴν διακονίαν, id abſurdiſſimum eſt. Quis enim feret ῥῆμα ἀρξάμενον τὴν διακονίαν, *verbum* vel *fama incipiens miniſterium*? An fama de Chriſto, & miniſterium ipſius, e Galilæa exorſa eſt? Ridiculum. Mitto, quod quærere e Langio poſſem, quæ ipſum Grammatica docuerit, verbum ἄρχομαι cum accuſativo conſtruere, ut dicat ἀρχόμενος τὴν διακονίαν pro τῆς διακονίας? Voſ-

Digitized by Google

Voſſium autem ac Petavium, ſatis alias oculatos, tam plane ἀπροσδιόνυσον locum allegaſſe demiror, quos ita ἀβασανίστως ſecutus eſt Langius. Secundo obſervamus, Langium ſuam de ætate Servatoris baptizati ſententiam inepte ex Ignatii auctoritate probare. Dicit *p.* 367. *Ignatius in Epiſtola ad Trallianos triginta ſolidos annos natum Chriſtum perhibet, cum baptizaretur.* Videamus locum Ignatii, qui in Edit. Vedel. p. 13. ita habet: καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενον ἐβαπτίσθη ἀπὸ Ἰωάννου. An hic Ignatius, quæſo te, Langi, dicit *XXX. ſolidos annos natum Chriſtum* baptiſmum ſuſcepiſſe? Num τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτεύσασθαι idem eſt ac 30. *annos expleviſſe?* Impoſuit forte tibi inepta illa (neſcio cujus) verſio, quam Magnus Annalium Conditor in *Appar. n.* 108. & *ad A. C.* 31. *n.* 18. tanquam *germanam* atque *ſinceram*, licet *recentem*, laudat, quam & Vedelius expreſſit: *& expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus eſt a Johanne.* Sed verba Ignatii aliud ſonant. Verbum πολιτεύεσθαι non *explere* ſignificat, ſed ſimpliciter *vivere* ac *verſari*, quod nemo neſcit. Vide *Act. XXIII*, 1. *Phil. I*, 27. 2 *Maccab. VI*, 1. & *XI*, 25. Dicit ergo Ignatius Chriſtum *tribus decenniis vixiſſe*, & in his terris *verſatum fuiſſe*, cum baptizaretur, non dicit eum XXX. ſolidos annos tum expleviſſe. Æque is τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενον dici poteſt, qui trigeſimum annum jam agit, quam is qui XXX ſolidos conſummavit. Si quis participium ἀόριστον rigidius urgeat, ac ſi terminum completum notet, ei ſatisfaciet Montacutius *in Analect. Ex. IX. p.* 320. Imo ſi vel dixiſſet Ignatius, συμπληρώσας τρεῖς δεκάδας &c. quod multo magis eſſet, quam πολιτευσάμενον, non tamen inde ſequeretur, eum XXX. *annos ſolidos* ac *conſummatos* intendiſſe. Nam ſi in Scriptura illud tempus dicitur συμπληροῦσθαι, quod nondum præteriit, ſed vel advenit tantum, vel ſaltem imminet, quidni is XXX. annos vel πολιτευσάμενον vel συμπληρώσας dici poteſt, qui trigeſimum attigit quidem, at non complevit? In Scripturis autem hoc inſolens non eſt. Nam *Act. II*, 1. ἡμέρα τῆς πεντηκοστῆς dicitur συμπληροῦσθαι, cum jam tantum adveniſſet, & *Luc. IX.* 51. αἱ ἡμέραι τῆς ἀναλήψεως Ἰησοῦ dicuntur συμπληροῦσθαι, cum jam ſaltem inſtarent, ac *Luc. II*, 21. circumciſio Chriſti facta dicitur, ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ h. e. *cum exactis ſeptem diebus octavus jam adveniſſet.* Idem ergo plane de trigeſimo anno Chriſti non conſummato, ſed jam currente, verba Ignatii innuere poſſunt. Dilutum eſt, quod reponit Voſſius *l. c.* §. 41. ſc. *diſſimilem eſſe rationem dierum & annorum, nam facilius dixerim jam dies eſſe octo, cum octavus advenit dies,*

Digitized by Google

quam octennium esse, ubi octavus tantummodo annus cœpit. Dormitavit forte doctissimus vir cum bono Homero, dum hæc scriberet. Quis nescit, sicut *octiduum* dicitur spatium septem dierum, ita & *quinquennium* vocari eam periodum, quæ quatuor saltem annos habet? Olympiades enim, quæ quinto quoque anno recurrebant, dicuntur *quinquennes*, apud Ovidium *lib. 4. de Ponto Eleg. 6.*

In Scythia nobis quinquennis *Olympias acta est*
Jam tempus lustri transit in ulterius.

Quia enim Olympiadis spatium, quod notante Censorino *quaternum* tantum *annorum circuitus erat*, nihilominus πενταετηρὶς dicebatur, ideo id Poeta pro solido quinquennio accepit. Vid. Lindenbr. *not. ad Censor. de Die Natali c. 18.* Sic & in Scriptura manifeste de annis idem observatur, ut cum *Jerem. XXV. 12.* Israelitis liberatio e captivitate Babylonica promittitur כמלאות שבעים שנה, quod LXX reddunt ἐν τῷ πληρωθῆναι τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη, cum tamen illa non post 70. demum annos completos, sed ipso septuagesimo currente, facta sit. Plane eodem modo dicitur *2. Par. XXXVI. 21.* למלאות שבעים שנה, ubi Hellenistæ habent, εἰς συμπλήρωσιν ἑβδομήκοντα ἐτῶν. Hinc eadem in Sacris est supputatio hebdomadum annorum, quæ est hebdomadum dierum, ut in Jobelæorum periodo cum Pentecostali collata patet. Exemplum quoque clarissimum apud Josephum *l. XIV. Antiq. c. ult.* occurrit, ubi dicit Hierosolymam ab Herode ope Sosii captam esse eodem ejusdem mensis die, quo a Pompejo occupata fuerat μετὰ ἔτη ϗζ, ubi non 27. annos completos, sed vicesimum septimum currentem intelligi posse, evidenter demonstrat Scaliger *de Emend. Temp. l. V. p. 422. 423.* Imo ipse Langius *p. 346.* concedit, *Idiotismum esse scriptoribus usurpatum, quo annus inchoatus pro completo numeratur.* Agnovit hanc Ignatii mentem Vedelius in Apologia Epistolis ejus præfixa, ut & Petavius *Animad. Epiphan. p. 111.* Et frustra proinde Baronius *loc. cit.* hoc testimonium Ignatii, ut *tam patens apertumque* commendat, *adversus quod nemo vel mutire, nedum refragari jure debeat.* Non magis certe illud iis, qui XXX. ætatis anno completo, quam aliis, qui eodem ineunte baptismo affusum Christum dicunt, patrocinatur. Eadem ratione Langius Hieronymum testem citat *p. 369.* quem ait in *Comm. in cap. I. Ezech.* statuere, *Christum expletis triginta annis a Johanne baptizatum V. Januarii.* Sed Hieronymum hoc statuisse eras si forte, credam, hodie nihil. Hieronymus eo in loco dicit, quod in trigesimo anno a Propheta commemorato *secundum anagogen*

Digitized by Google

gogen præfiguretur Dominus atque Servator, qui triginta annos natus venit ad baptiſma &c. Mox autem ſe explicat, & ait: *illud intelligendum eſt, quod in trigeſimo ætatis ſuæ anno Dominus ad baptiſma venerit, in quarto menſe, qui apud nos vocatur Januarius &c.* Non dicit eruditiſſimus Stridonienſis Presbyter, Chriſtum *expletis XXX. annis veniſſe ad baptiſma*, quod ei Langius perperam tribuit, ſed *triginta annos natum*, imo vero *in trigeſimo anno.* Quæ hæc confidentia, ut magnis viris & graviſſimis Patribus alienam mentem & verba affingere non vereatur? Tertio obſervo, audacter nimis aſſeverare Langium, quod *nulla veritate dici poſſit, Chriſtum, cum baptizaretur, trigeſimum annum tantum inchoaſſe.* Omnes ergo ut veritatis violatores damnat, qui Chriſtum XXX. ætatis anno ineunte Jordanis undis tinctum eſſe hactenus credidere, quorum bene longum Catalogum texuit Voſſius *l. c.* §. 40. Dicam quoque eadem opera inter alios pl. Reverendis & Excellentiſſimis noſtratibus Theologis ſcribit, quorum ipſe ſententiam refert *p.* 423. quod *Chriſtum XXX. anno ineunte baptizatum fuiſſe* exiſtiment. Sequuntur autem B Lutherum, qui locum Lucæ ita reddit: Und JEſus ging in das dreyſſigſte Jahr. Quanquam enim os illis oblinat Langius *p.* 412. 423. 426. quod *vulgari Epocha, ut vera, ſuppoſita, de tempore nativitatis ac paſſionis Chriſti veriſſima prodiderint, ita ut nemo unquam magis vera de his locutus fuerit, & tamen ad popularem ſenſum atque intellectum ſe accommodaverit &c.* hic tamen quia cum Langio de baptiſmi anno non conſentiunt, veritatis deſertores audire coguntur. Imo cum dixerat Langius, *eorum explicationem Scripturis adverſari, qui XXXI. aut XXXII. annos natum fuiſſe Servatorem perhibent, cum ad baptiſmum accederet*, addit: *nec minus hi falſi ſunt, qui ineuntem XXX. hic explicant &c.* Sed bona verba quæſo! Quomodo id veritati repugnare aut falſum eſſe dices, quod & cum Scripturæ verbis & antiquorum Patrum mente optime congruit? At quod Chriſtus, cum baptizaretur, trigeſimum annum inchoaverit, non compleverit, Lucæ verbis non adverſatur: quin ea id facile admittunt, quocunque ea demum modo interpretatus fueris. Nam ſi Epiphanii lectionem, quam ante exhibuimus, & Scaligeri interpretationem ſequamur, ut idem ſit ἦν ἀρχόμενος ac ἤρχετο εἶναι, veriſſime tum Chriſtus dici poterat incipere eſſe XXX. annorum circiter, cum trigeſimum annum jam ingreſſus eſſet. Particula enim ὡσεὶ rotundo numero addita, atque *indefinite*, ut ipſe Langius vult, accepta, Chriſtum non tria decennia præciſe, ſed ferme tantum, vel plus vel minus, habuiſſe deſignat. Ita ſumi voculam ὡσεὶ loca ab ipſo Langio

Digitized by Google

adducta satis ostendunt. Cumque a Græcismo non abhorreat, ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν τριάκοντα, & per aggregationem quandam ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα, nihil obstat, quin Christus tum fuerit in initio anni XXX, cum dicitur a S. Luca, quod ἦν ἀρχόμενος (id est ἤρχετο) ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν. Nam quod annus inchoatus pro completo frequenter numeretur, exemplis luculentis & ipsius Langii confessione jamjam probavimus. Si autem eum Lud. de Dieu & Syro id ita capere lubeat, ut ἀρχόμενος pleonasticum sit, & sensus existat: *erat Jesus circiter XXX. annorum*, optimo jure tum Christus 30. annorum circiter fuisse dicitur, cum trigesimum inchoaverat. Difficultatem enim omnem, si quæ videri posset, particula ὡσεὶ adjecta tollit, quæ Lucam non ipsam χρόνου σιγμὴν determinare satis indicat. Sic quoque verba Lucæ a Clemente Alexandrino *Stromat.* I. allegata reperio: ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν λ'. Vides τὸ ἀρχόμενος tanquam sine dubio redundans omitti. Imo si vel eam interpretationem, quæ Langio allubescit, de ellipsi vocis διακονίας post ἀρχόμενος subintelligendæ amplectamur, ut sensus propositionis Lucæ hic emergat: *Et erat Jesus circiter XXX. annorum incipiens ministerium*, idem de Christo tricesimum ætatis annum exorso verissime dici nihil prohibet. Qui enim trigesimum annum attigit, is *triginta circiter annorum esse* jure dicitur. Locum quoque hic habent, quæ ad Ignatii mentem explanandam ante attulimus. Satis igitur cum Scriptura convenit eorum sententia, qui Christum XXX. ætatis anno ineunte baptisma susceptisse statuunt, quod nec ipse Langius inficiari audet *p.* 426. Æque autem cum Veterum mente eadem concordat. De antiquissimo Patre Ignatio jamjam vidimus, quod ipsius verba facile cum sensum patiantur. Irenæus vix integro seculo posterior Ignatio diserte dicit *lib. II. c.* 39. *Ad baptisma venit, nondum qui XXX. annos suppleverat, sed qui inciperet esse tanquam XXX. annorum, ita enim, qui ejus annos significavit, Lucas posuit, &c.* Justinus Martyr, Irenæo anterior, in *Dial. cum Tryph.* dubitat, utrum tunc annos XXX. Christus excesserit, an infra illos constiterit, dum ait: καὶ τριάκοντα ἔτη, ἢ πλείονα, ἢ καὶ ἐλάσσονα μείνας, μέχρις οὗ προελήλυθεν Ἰωάννης &c. De Clemente Alex. e modo dictis constat. Eusebius *Hist. Eccles. l. I. c.* 10. ipsa Lucæ verba adducit, quæ ita vertit Christophorsonus: *quando jam trigesimum ætatis suæ annum agere incipiebat.* Greg. Nazianzeno in *Orat.* 39. *in sanctum Baptisma*, Christus, cum baptizaretur, dicitur fuisse τριακονταέτης, quod tam de eo, qui trigesimum annum attigit, quam de eo, qui complevit, intelligi po-

Digitized by Google

poteſt. Hieronymus verbis ante allegatis idem indicat. Nec diſſentit Origenes *Homil. 1. in Ezech.* dicens, *trigeſimo anno in baptiſmo cœlos Chriſto reſeratos fuiſſe.* Theophylactus quoque non abnuit his verbis: τριάκοντα μὲν ἐτῶν ἐβαπτίσθη ὁ κύριος, διότι αὕτη ἡ ἡλικία ἐστὶ τελειοτάτη, quæ non minus de anno XXX. decurrente, quam conſummato, capi queunt. Quin & Concilii Neocæſarienſis *Canon. XI.* quem Voſſius pro adverſa ſententia allegat, magis noſtræ favet, quam illi, ita nimirum conceptus: *Presbyter ante XXX. annos non ordinetur, etiamſi fuerit homo valde dignus, ſed reſervetur. Dominus enim Jeſus Chriſtus in XXX. anno baptizatus eſt, & cœpit docere.* Accedit quoque Thomas Aquinas *P. III. quæſt. 39. art. 3.* Plures alios recentiores non nomino. Nihil itaque invita veritate faciunt, qui & S. Scripturæ ductum, & antiquitatis veſtigia ſecuti, baptiſma Chriſti in XXX. anno ætatis ipſius collocant. Quid de Langii ſententia ſtatuendum ſit, facile e modo dictis colligi poteſt. Certe non majus eam e loco S. Lucæ robur, quam noſtratium Theologorum de XXX. anno ineunte ſententiam, habere, evidenter oſtendimus. Nec ex antiquitatis conſenſu ullum præſidium eam obtinere poſſe perſuaſi ſumus. Quod enim Ignatius & Hieronymus fruſtra ab ipſo ſollicitati ſint, jam evicimus. Præter hos autem ad partes vocat neminem. Nam quos pro natali anno, quem vult, confirmando laudat, hi de baptiſmi tempore nihil probant. Neque etiam e baptiſmi charactere a Luca *c. III.* dato natalis tam certo demonſtrari poteſt, ut ipſe ſibi perſuadet, & Scaligerum ideo minus de hoc ſollicitum miratur *p. 370.* veluti luculenter oſtendit Voſſius §. 35. 36. *ſeqq.* quem adeat, qui volet. Chryſoſtomus *Homil. X. in Matth.* & Bernhardus *ſerm. de Epiph.* citantur a Barrada *T. 2. l. 1. c. 12.* ac ſi viderentur ſtatuiſſe, *Chriſtum poſt XXX annum baptizatum fuiſſe:* ſed neuter annos ſolidos ac completos memorat, cum uterque ita loquatur, ut de triceſimo nondum conſummato intelligi queat. Nos ut tempori chartæque parcamus, hæc prolixius non exſequimur. De annis miniſterii Chriſti ac V. Paſchatis ſententiam Langio cum magnis viris pluribus communem conſiderare non detrectaremus, ni ea dudum ab aliis doctiſſimis Theologis & Chronographis ita eſſet diſcuſſa, ut nobis ne ſpicilegium quidem reliquerint. In Langiano quoque ἓξ σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ *Luc. VI, 1.* memorati interpretamento expendendo oleum operamque inſumere ſupervacaneum arbitramur. Sequitur is Scaligeri hac in parte ſententiam in *Proleg. ad Emend. Temp.* & *Canon. Iſag. l. 3. p. 217. 218.* propoſitam, quam

Digitized by Google

nullo prorsus momento auctiorem aut expeditiorem reddidit. Quantum autem in hoc nodo solvendo, vel potius secando, se torserint inter eruditos plurimi, ut e veteribus Epiphanius *Hær. XXX. n.* 32. & *LI. n.* 31. Greg. Nazianzenus apud Hieronymum in *Epist. ad Nepotianum*, & Isid. Pelusiota *lib.* 3. *Epist.* 110. e recentioribus autem Chemnitius *in Harm. c.* 45. Grotius & Lud. de Dieu ad *h. l.* Capellus ac Cloppenburgius *in velitationibus amœbæis*, L'Empereur *in notis ad Paraphr. Jachiadis in Dan. IX*, 27. Petitus in *Eclogis Chronolog. l.* 1. *c.* 8. & *Var. Lect. l. II. c.* 2. Petavius *Anim. in Epiph. p.* 61. & quis non? nemo nisi in his studiis hospes ignorat. Nobis, quos hæc παρέργα diutius, quam constitueramus, detinuere, ad illa tandem properandum est, quorum causa potissimum hunc laborem suscepimus. Terminus itaque præmonendorum hic esto.

CAPUT IV.

Opinio Langii de die Passionis Christi omni solida ratione destituitur. Iniquitas ejus in doctissimos Scriptura Interpretes. Pauli Mittelburgensis sententia qualis? Argumentum Langii e Matth. XII, 40. *expenditur. Ejus ineptæ solutiones ab aliis datæ rejiciuntur. Chrysostomi, Isid. Pelusiotæ & Leonis M. responsiones non incommodæ. Ebraismus in loco Matthæi pluribus documentis ostenditur.* Nox & dies *quid junctim Ebræis & Hellenistis significent? Cum numeralem notam adjectam habent,* νυχθήμερα *designant.* Cor terræ *quid sit?* Dies civiles *in verbis Christi intelligendi, probatur id e locis parallelis. Absurda & impia assertio de Christo* quarto *post passionem* die *refutata. De phrasi Marc. VIII.* 31. *Pars* νυχθημέρου *pro toto sumitur per Synecdochen. Tria* ἡμερονύκτια *in spatio moræ Christi in sepulcro demonstrantur. Isidori Pelusiotæ locus insignis. Langii somnium exploditur.*

ACcedimus jam ad illam Langii opinionem, cui cumprimis refellendæ hanc Diatriben destinavimus, nimirum quam de feria seu die passionis Servatoris nostri Jesu Christi supra *cap. I.* ex ipsius mente proposuimus. Quam insolenter novum illud suum atque hactenus inauditum παραλήρημα in theatrum produxerit, & quam indigne antiquam veramque sententiam una cum suis Patronis tractaverit, nonnullis ab ipso mutuatis indiciis simul ostendimus. Si quis in procemium ipsius, quod hujus

Digitized by Google

jus argumenti tractationi *lib.* 2. *P.* 2. *c.* 1. præmittit, fortuito incideret, promitteret ſibi ſine dubio tantum a Langio graviſſimarum ac ponderoſiſſimarum rationum apparatum, ut vel invito ſibi aſſenſum extortum iri crederet. Præſertim cum id non obſcure advertere liceat, quod totus ille de *Annis Chriſti* tractatus in novi hujus bellique ἐυρήματος gratiam, ne id orbem literatum fugeret, elaboratus ſit, & præcipuum hoc fulcrum exiſtat, quo ſpecioſa illa ſtructura ſuſtentetur. Quis enim ſibi perſuaderet, hominem literarum & politioris humanitatis non expertem eo audaciæ progreſſurum eſſe, ut ſententiam tanta temporis præſcriptione munitam, & omnium conſenſu certiſſimam, hoſtili animo aggrederetur oppugnandam, inque ejus profligatæ locum novam, ac ne per ſomnium quidem ulli mortalium cogitatam, opinionem ſufficere allaboraret, niſi iis argumentis eſſet inſtructus, quæ irrefragabilem evidentiam habitura cenſeret. Ego certe longe aliam & luculentiorem e fœcundo & acri Langii ingenio, pro hac novitate firmanda, ἀπόδειξιν exſpectaveram. Sed falſus ſum. Rationes, quas chalybeas animo conceperam, ſtramineas offendi. Nihil videbis, ſi vel totum tractatum a capite ad calcem percurras, quod vel ſpeciem ſolidi alicujus argumenti præbere poſſit, præter unum iſtum locum *Matth. XII.* 40. cujus ſingulos apices, admotis quaſi fiduculis, adeo diſtendit, ac ſi equuleo eos habuiſſet impoſitos. Fruſtra tamen fuit, nec tanto ſuo rigore id exprimere potuit, quod voluit. Clariſſime id modo oſtendemus Deo propitio. Una id manifeſtum reddemus, quod ſulcos in aere ducat Langius, dum antiquitatis conſenſum ſollicitet. Pro vetuſta autem & veriſſima ſententia ea rationum momenta tum e Sacræ Scripturæ, tum e venerandæ & orthodoxæ Antiquitatis penu depromemus, quæ eam adverſus quosvis Langii inſultus ſecuram præſtabunt. Vide autem prius, mi Lector, quam ſtatim in limine tumultuetur Langius, dum hoc problema aggreditur. *Commune*, inquit *p.* 353. *jam multis ignorantiæ perfugium eſt, Sacram Scripturam in temporis ratione nihil accurati habere, &c.* Quinam ſint, quos accuſat Langius, ego neſcio. Neminem certe e noſtris novi eo impudentiæ progreſſum, ut Scripturam, quando temporis notam definit, nihil accurati habere aſſerat. Equidem id ajunt multi, & vere ajunt, Scripturam plerumque de rebus ipſis magis, quam temporis circumſtantia, ſollicitam eſſe, & ſæpius ſine certo temporis charactere geſta deſcribere. Quandocunque autem ille a ſacerrimis Spiritus S. Amanuenſibus diſerte adjectus eſt, tum nihil inde accurati haberi poſſe, blasphemus ſit, qui aſſe-

rat.

Digitized by Google

rat. Pergit Langius *p.* 354. *quamvis omnibus vere Christianis persuasum sit, Scripturis nihil certius esse: tamen ipsa praxi ne illam quidem ipsi certitudinem multi concedunt, quam profano Historico sanus nemo derogat. Et quod magis mireris, non hoc ulla necessitate coacti faciunt, sed partim studio novitatis, partim dubitandi libidine, utrinque ambitione pessima, virtutum omnium corruptela, occæcati.* Fallor, an cum umbra sua luctatur Langius? cur non indicat, qui sint, quos ejusmodi ictibus ferire intendat? Quis quæso inter Christianos S. Scripturæ in praxi minorem certitudinem, quam profano Historico cuicunque tribuit? An paucu-los quosdam, de quibus constat, male feriatos innuit Langius, quos Christiani nominis dedecora potius & carcinomata, quam Christianos, vocare fas est? Sed nihil ipsi cum iis negotii jam esse poterat. Illos intelligit, quos satis signanter ante notaverat, nempe *Augustanæ Confessionis*, ut vocat, *& Reformatos Scriptores*, quos hoc elogio exornat, quod *eidem in quibusdam vitio obnoxii sint, cujus Pontificios tanta cum contentione reos peragunt*, nimirum quod *Scripturas non satis presse sequantur.* Causam, ne longius quæras, statim addit: *Quis enim est ex illis, qui cum ad eum locum Matthæi veniat, ubi dicitur filium hominis mansurum in corde terræ tres dies & tres noctes, non vulgarem illam opinionem sequatur, quæ asserit, die quidem Veneris circa vesperam Servatorem fuisse sepultum, die vero Solis mane surrexisse? At sic Scripturæ aperte in os contradicitur. Neque enim omnibus suis explicationibus plus producere possunt, quam duas ad summum noctes, & duos dies, quibus Christus in corde terræ fuerit. Tertii diei aut tertiæ noctis ne vel unicum minutum proferre possunt. At ergone duæ noctes & duæ dies sunt tres noctes & tres dies? Quid est falsum dicere, si hoc non est? &c.* En egregium emblema Langianæ erga Augustanæ Confessionis Doctores ac Scriptores, de Ecclesia Dei optime meritos, reverentiæ, quibus hanc pro laboribus eorum ac vigiliis gratiam rependit, ut circa istius loci explicationem falsum eos dicere, Scripturæ aperte in os contradicere, & ambitione pessima occæcatos Scripturæ certitudini derogare asserat. Reformati, quos vocat, ἡλικίαν ἔχουσι, ipsi pro se respondeant. Ego beatos Augustanæ, ac nostræ, Confessionis Doctorum manes ab iniqua Langii accusatione per Dei gratiam vindicabo, & omni eos culpa vacare ὀφθαλμοφανερῶς demonstrabo. Ceteros Langii cavillos facile cum Catone sinemus præterfluere, ut quod eosdem *plus alienis, quam propriis oculis vidisse, & sic ignorantiæ ac vanis opinionibus præsidium paratum esse,*

ajat,

Digitized by Google

ajat, & qui ſunt ejuſdem monetæ alii non pauci, quibus bonas chartas implere tædet. Subjicit quidem Langius, *ſe de omnibus non loqui, nec dubitare ſe, quin plurimi aliter ſentiant; imo multos ipſummet cognitos habere aliter animatos.* Palpum nonnullis, neſcio quibus, obtrudere geſtit, ne omnes ſe ab ipſo perſtrictos cum indignatione crederent. Niſi autem Langii oratio extra oleas evagetur, omnino loquitur de Interpretibus loci memorati *Matth. XII*, 40. vel aliis, qui iſtam quæſtionem de die Paſſionis Chriſti tractarunt, utpote quos iis, quarum jam magnam partem vidimus, laudibus mactaverat. Sed ex his quinam aliter ſentiant, quam quomodo omnibus aliis conſtanter hactenus creditum fuit, ut propterea eorum numero, quos atro carbone notaverat Langius, eximi plurimi queant, ego nulla conjectura aſſequi poſſum. Amice Langium rogatum habeo, illos ut nominet, quos cognitos habet aliter animatos. Mihi enim ſtudioſe illos requirenti neminem reperire licuit aliter hic ſentientem, quam quod Servator Optimus Maximus in Paraſceve, feria ſexta ſeu die Veneris, paſſus ſit, & eodem die ſepultus, ac poſt exactas in ſepulcro duas integras noctes, & unum diem integrum, glorioſe tertio die ſit reſuſcitatus. Id quidem mihi non latet, quod Card. Baronius ad *A.* 34. *n.* 177. eam opinionem tribuat Paulo Mittelburgenſi, quod is in ſua *Paulina l.* 1. *c.* 2. & *l.* 2. *c.* 2. aſſerat, *tribus diebus & noctibus expletis Chriſtum in ſepulcro fuiſſe.* Num autem id exiſtimaverit ille Foroſempronienſis Epiſcopus, ego non dixerim, qui librum ipſum ad manus non habeo. Id ſcio, Cardinalem Annaliſtam non ſemel in auctorum ſententiis commemorandis lapſum eſſe. Cornelius a Lapide ad *Matth. XII*, 40. illi Foroſempronienſi, ut & Alcuino, ſimiliter eam adſcribit ſententiam, quod tres integros dies ac tres noctes, nempe 72. horas, Chriſtum in ſepulcro manſiſſe putaverint. Ἐπίκρισιν autem Baronii de eadem opinione apponere non piget: *Totam*, inquit, *Eccleſiæ œconomiam invertit, dum vel Chriſtum non eſſe paſſum feria ſexta, vel non ſurrexiſſe die Dominico, vel rurſus hebdomadam illam non ex ſeptem, ſed octo diebus, conflatam eſſe probare nititur. Sed apage ejuſmodi fabuloſum commentum, nec diutius aures Eccleſiæ Dei pulſet.* Imo monſtrum aſſertionis hoc eſt, cum enormis ea ſequela inde fluat, quod Chriſtus vel diluculo ſepultus ſit, vel poſt tertiam demum a meridie horam reſurrexerit, ſi 72. horæ præciſe inter ſepulturam & reſurrectionem interceſſerint. Quod quam abſurdum & Euangelicæ hiſtoriæ adverſum ſit, nemo non videt. Certe ipſe Langius hunc de Mittelburgo Paulum πολλῶν ἀντάξιον

ξιον ἄλλων haud judicat, dum ejus de Paſchate Chriſti σαυρωσίμῳ ſententiam rejicit ac refellit *p.* 395. Nos ſomniatorem eum non moramur, qui an vigilans vel dormiens ſomniaverit, dubium eſt, quando ſibi ab Apoſtolo Paulo revelatum ſcribit, Chriſtum XXII. ante vulgarem æram annis natum eſſe *P. 2. Paulinæ. l.* 10. quod *otioſi hominis & ægroti veteris* εἰλόκολον φαντασίαν appellat Petavius *Anim. in Epiph. p.* 147. Verum ad rem veniamus, & conſideremus, qua ratione ſuum e loco Matthæi argumentum formet Langius. Hic enim Hector ipſius unicus eſt, toti Achæorum aciei, ſi DIs placet, formidandus. Nulli Troili, Parides, Memnones metuendi ſunt, qui huic devicto ſuccedant. Inultus cadet, & ſuperatus cum fuerit, cladis ſuæ vindicem habebit neminem. Aggrediamur ergo, eccum enim obviam prodeuntem, iis a Langio armis inſtructum, quæ contra quemvis impetum valitura ipſi viſa ſunt. Tali enim cum apparatu ipſum in aciem producit *c. IV, p.* 375. *Infallibilis*, ait, *paſſionis character eſt, quod incidat in feriam quintam ſive diem Jovis. Id ex Scripturis fallere neſciis & ipſius Chriſti certiſſimo, ac omni exceptione majori teſtimonio conſtat. Verba dulciſſimi Servatoris hæc ſunt. Matth.* XII, 40. ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. Jam infert Langius: *Inter omnes conſtat Chriſtum feria prima ſive die Solis ſurrexiſſe.* Hoc quidem certiſſimum eſt, neque tam prolixa demonſtratione, qualem exhibet Langius, opus habet, cum nemo Chriſtianus id in dubium vocet. Ait ulterius *p.* 376. *ſurrexit Chriſtus mane die Solis, & quidem antequam dies ipſe inciperet.* Id quoque ultro concedimus, & concedunt omnes ſani, qui Euangeliſtas legerunt, ut facile eo labore ſupersedere potuiſſet Langius, quem hiſtoriæ Reſurrectionis explanandæ inſumſit. Pergit Langius *p.* 380. & ad illud devolvitur, in quo tota ipſius argumentationis vis conſiſtit. Dicit *apud omnes in univerſum gentes* νυχθήμερον *in duas partes dividi, diem nempe & noctem*, de quo nos non repugnamus. Addit: *in his Chriſti verbis dies ſive* ἡμέρα *non* νυχθήμερον *denotat, ſed illam partem, qua nocti opponitur. Dicit enim, Chriſtus erit tres dies & tres noctes in corde terræ.* Jamque longis logis id evincere conatur, tres illos dies & tres noctes non conjunctim, ſed diviſim tanquam in oppoſitione, accipi debere, adeo ut non tria νυχθήμερα, ſed tres dies naturales, cum tribus noctibus contradiſtinctis, intelligendos eſſe contendat. Hac autem in parte graviſſime hallucinatur Langius, ut mox manifeſtum faciemus. Quod ἡμέρα in verbis Chriſti non νυχθήμερον

Digitized by Google

ρον notet, faciles largimur: at quod ambæ voces ἡμέραι καὶ νύκτες, junctim ſumptæ, aliud quam νυχθήμερον non deſignent, ſtatim probabimus. Id primo dicimus, non probari nobis illorum interpretamentum, qui nodum hunc ita ſolvi poſſe arbitrantur, ſi Judæos, Romanorum conſuetudinem imitatos, diem a XII. noctis hora, ſeu media nocte, inchoaſſe, idque ſecutos eſſe Euangeliſtas, dixerint, quod tamen Cornelio a Lapide ad *h.l.* Torniello *ad A.M.* 4084. *n.* 36. Spondano in *Epit. Annal. Baron. ad A.* 34. *n.* 51. Belgicis Interpp. noviſſimis, & aliis non diſplicere deprehendimus. Recte enim hoc commentum explodit Langius *p.* 381. & nos ſibi plane ὁμοψήφους habet. Nec eorum explicationem, quæ Eraſmo ad *Marc.* VIII, 31. arridet, admittimus, qui tres illos dies ac tres noctes non a ſepultura, ſed a captivitatis Chriſti initio computant, cum ἄτοπον eam ac alienam eſſe facile una cum Langio *p.* 382. agnoſcamus. Illud autem obſervatum volumus, quod ſi vel hoc Servatoris effatum de tribus diebus naturalibus, & tribus noctibus iisdem oppoſitis, accipiendum eſſet, quod Langius urget, licet fruſtra & falso; non tamen ex eo indubitato concludi poſſet, Chriſtum totidem omnino diebus ac noctibus in ſepulcro manſiſſe, ut non iſtum terminum ſalva ſuæ prædictionis veritate anticipare potuiſſet, ſi id ipſi libuiſſet. Sicut enim Deus beneficia ſua cumulatius quandoque implere ſolet, quam verba ferunt: ita ſuaviſſimus Servator, ut anxiæ Diſcipulorum, aliorumque fidelium, exſpectationi ac deſiderio eo citius ſuccurreret, id intra triduum præſtare poterat, quod exacto triduo facturum ſe promiſerat. Nam ante terminum promiſſione definitum rem promiſſam præſtare, bonitatis eſt laudandæ, non accuſandæ vanitatis. Tempus enim in pollicitis adjicitur, ne ſerius fiant, non ne citius dicto impleantur. Incommodum forte hoc Langio videbitur: at doctiſſimi & graviſſimi Patres ſatis id conveniens judicarunt. Diſertiſſimus Græcorum Jo. Chryſoſtomus (quem invitum ac reluctantem ad ſuas partes pertrahere conatur Langius, ut infra patebit,) *Homil.* 90. *in Matthæum*, ita ait: διά τοι τοῦτο τάχιον ἀνέστη, ἵνα μὴ λέγωσιν ὅτι ἐψεύσατο, καὶ ἐκλάπη. Τοῦτο μὲν γὰρ ἔγκλημα οὐκ εἶχε, τὸ θᾶττον ἀναστῆναι. Τὸ δὲ βράδιον, ὑποψίας ἔγεμε. *Propterea utique citius reſurrexit, ne dicant, quod mentitus ſit, ac furto ſublatus fuerit: citius enim reſurrexiſſe, criminationi non erat obnoxium, ſerius vero plenum fuiſſet ſuſpicionis.* Chryſoſtomi diſcipulus, Iſidor. Peluſiota, Presbyter eloquentiſſimus, *lib.* 1. *Epiſt.* 114. rotunde ſententiam pronunciat: εἰ δὲ τελείας τὰς τρεῖς ἡμέρας καὶ νύκτας ζητοῦσιν οἱ κακομάχοι, ἀπόκριναι, ὅτι

Digitized by Google

ὅτι καὶ βασιλεὺς εἰ πρεσβέιαν καὶ ἱκεσίαν τῶν ἐν μετάλλοις καὶ φυλακαῖς προσδεξάμενος, μετὰ τρίτην αὐτοῖς ἡμέραν μεταδοῦναι ὑπέσχετο τῆς ἀφέσεως, καὶ προσφθάσας τὴν προθεσμίαν τὴν λύτρωσιν δέδωκε, μᾶλλον τῷ τάχει ἠλήθευσεν. Ὁ δὲ δεσπότης συντομώτερον ἀναστὰς, ἢ ὑπέσχετο, παρὰ πάντων εἰκότως προσκυνηθήσεται. Hæc ita Latina fecit eruditissimus C. Rittershusius: *Quod si perfectos tres dies ac noctes quærunt, qui male pugnant, illud responde, quod Rex quoque si admissa eorum, qui in metallis ac vinculis sunt, deprecatione ac supplicatione, hoc ipsis pollicitus fuisset, se post tertium diem eos missos facturum, ac præstitutum diem antevertens eos liberasset, per hanc celeritatem verum magis dixisset. Ad eundem itaque modum Dominus, citius quam promiserat resurgens, ab omnibus merito adorabitur.* Sic ille Pater ἀκρὰν ἐν Θεολογίᾳ ἐπιστήμην προβεβλημένος, (quo eum Suidas elogio ornat) diserte Langio respondet in epistola, quam ita orditur: τῶν τριῶν τῆς ταφῆς τοῦ κυρίου ἡμερονυκτίων αὕτη ἐστιν ἡ διασάφησις: i.e. *trium Domini in sepulcro transactorum dierum hæc est explanatio.* Exemplo alio non minus congruo idem declarat doctissimus ille Pater *l.* 2. *Epist.* 212. ἆρα εἰ χρεώστην τινὰ ἐπαγγειλάμενον τῷ οἰκείῳ δανειστῇ μετὰ τρεῖς ἡμέρας πληρώσειν τὸ χρέος, πρὸ τῆς προθεσμίας πληρώσαντα θεασοίμεθα, ὡς ψευσάμενον κρινοῦμεν, ἢ ὡς πλέον ἀληθεύσαντα θαυμασόμεθα; ἔγω μεν οἶμαι τοῦτο. πάντως δὲ καὶ αὐτοὶ. τί τοίνυν ἄτοπον, εἰ καὶ ὁ Χριστὸς ἔφησε μὲν τῇ τρίτῃ ἀναστήσεσθαι, θᾶττον δὲ ἀνέστη; ἵνα ἑαυτοῦ μὲν δείξῃ τὴν δύναμιν, τοὺς δὲ φυλάττοντας νεκρώσῃ καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἐπιστομίσῃ. Id est, eodem interprete: *Si debitorem aliquem, qui se creditori suo post tres dies debitam pecuniam persoluturum promisisset: ante præstitutum dissolvisse conspexerimus, utrum tandem eum, ut mentientem condemnabimus, an potius, ut promissi fidem magis explentem admiratione prosequemur? Equidem ipse hoc posterius existimo, atque omnino vos quoque. Quidnam igitur absurdi est, si Christus item, cum se tertia die resurrecturum dixisset, citius tamen a morte ad vitam rediit, tum ut suam potentiam conspicuam redderet, tum ut custodes exanimaret, ac Judæorum ora comprimeret?* Aliam ipsius expositionem infra adducemus. Plane eodem modo rem expedit Isidori σύγχρονος Leo Magnus, Episcoporum Urbis doctissimus, in *Serm. I. de Resurr. Domini*: *Ne turbatos*, inquit, *discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, & pars prima tertii concurrit, & aliquantum temporis spatio decederet, & nihil de dierum numero deperiret.*

ret. Nempe dilata aliquantulum reſurrectio faciebat ad declarandam mortis veritatem, accelerata vero ad declarandam reſurgentis potentiam. Sufficere hæc poterant ad inſolentem Langii paralogiſmum vanitatis convincendum, ſi vel nihil aliud, quod reponi poſſet, in promptu eſſet. Non enim perſuadere nobis poſſumus, adeo omnem ipſum erga ſanctiſſimos Patres reverentiam exuiſſe, ut manifeſta iis pervicacia hic obloqui ſuſtineat. Sed ſunt tamen alia longe clariora ac luculentiora, quæ quam inepta ſit ejus e verbis Chriſti ratiocinatio, evidenter oſtendent. Totus argumenti Langiani nervus in eo conſiſtit, quod quia noctes hic a diebus diſtinguuntur, non igitur tria tantum νυχθήμερα, ſed tres dies naturales tribus noctibus oppoſitos intelligi neceſſum ſit: cum autem tertii diei naturalis & tertiæ noctis nullum momentum per vulgarem, quam vocat, interpretationem dari queat, requiratur omnino, ut paſſio Chriſti non in die Veneris, ſed præcedente Jovis, collocetur. En enim ipſiſſima Langii verba in compendium relata *p.* 381. *Non in Matthæo tantum ſcriptum eſt, tres dies: ſed etiam adduntur tres noctes. Ubi ergo tres hi dies & tres noctes numerari debent, ibi neceßario tertiæ noctis & tertii diei pars aliqua erit. At ſi dies Veneris dies paſſionis conſtituatur: nec tertiæ noctis, nec tertii diei unicum momentum comparebit. Sane ſi de diebus, quatenus integrum* νυχθήμερον *comprehendunt, Chriſtus locutus fuiſſet, ſatis plauſibilis Hieronymi* (de Synecdoche) *explicatio fuißet. At nunc ſingillatim de diebus & ſingillatim de noctibus loquitur &c.* Falſiſſima hæc eſt Langii hypotheſis, qua tota ſyllogiſmi ipſius compages nititur, quod nimirum dies & noctes ubicunque diſtincte ponuntur, ibi dies naturales, ſpatium nempe illud, quo Sol ſupra horizontem eſt, & illis oppoſitæ noctes, ſc. ſpatium illud, quo ſubter eſt, deſignentur. De diſtinctione ac nomenclatura *diei naturalis* ac *civilis* cum Langio non contendam; ſed cum Cenſorino & ipſo *diem civilem* ſeu *artificialem* illud ſpatium XXIV. horarum, quod νυχθήμερον Græci dicunt, & *diem naturalem* ſpatium id, quo Sol ſupra horizontem eſt, & quod nocti opponitur, facile appellabo. Id tantum repono, quod ſi Ebraiſmum, cujus ipſum non ignarum eſſe ſcio, hic in conſilium adhibuiſſet, tam graviter hac in parte vix impegiſſet. Quis enim adeo in Sacris hoſpes eſt, ut voces has ſingillatim poſitas, tam apud Ebræos יום ולילה, quam apud Græcos ἡμεραι ζονλας, quæ iis reſpondent, ἡμέραν καὶ νύκτα dies naturales & oppoſitas noctes ſæpiſſime non ſignificare, ignoret. Frequentiſſime id obſervare liceat, ſive numeralis nota

adjecta ſit, ſive non. Nam ſi nude ſine numerali nota conjunguntur hæc vocabula, ſpatium fere aliquod continuum, vel raro ſaltem interruptum, repræſentant. Sic Salomon 1 *Reg. VIII*, 29. Deum obteſtatur, ut oculos ſuos apertos eſſe patiatur erga domum ab ipſo exſtructam יום ולילה *noctu ac interdiu*, LXX. ἡμέρας καὶ νυκτὸς, i. e. *ſemper*. Si enim hic diviſim ſumendi eſſent *dies* ac *noctes*, quod urget Langius, ſequeretur viciſſitudinem lucis ac tenebrarum coram oculis divinis eſſe, quod abſurdum eſt, & D. Jacobo adverſum *Epiſt. c. I*, 17. Rex Vates *Pſ. I*, 2. commendat virum legem Dei meditantem יומם ולילה LXX. ἡμέρας καὶ νυκτὸς, i. e. *aſſiduo*. In N. T. Lucas *c. II*, 37. de Anna Prophetiſſa ait, quod in templo manſerit νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. An hic dices Langi, noctem diei naturali oppoſitam illud ſpatium denotare, quo Sol ſubter horizontem eſt? An Annam etiam noctes in templo jejunio precibuſque exegiſſe putabis? Num forte Monialem eam, ac jugem templi incolam, cum Baronio & ſequacibus facies? Sed ſic rideberis a Caſaubono, Montacutio, & tota Orthodoxorum cohorte. Præter aſſiduitatem iſta loquendi formula nihil notat. Sic *Apoc. VII*, 15. Sancti in cœlo triumphantes dicuntur λατρεύειν τῷ Θεῷ ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ. Num & hic ſingillatim dies & ſingillatim noctes ſumi debent? An noctes, ut diebus opponuntur, in cœlo beatorum eſſe aſſeres? Non opinor, niſi eidem θεοπνεύστῳ Johanni in os contradicere velis, diſerte ajenti *c. XXI*, 25. νὺξ οὐκ ἔσται ἐκεῖ. Plura exempla e ſacris literis, ubi innumera occurrunt, depromere nihil attinet. Satis per hæc evicimus, *dies* ac *noctes* ſæpe illas temporis partes, ſibi invicem ſuccedentes, non denotare, nec voces illas ἡμέραν & νύκτα ſemper diviſim, ſed ſæpiſſime conjunctim, ſumi neceſſe eſſe. Vaniſſima itaque eſt Langii aſſertio, quod *dies hic ſingillatim & noctes ſingillatim accipi debeant*. Probandum id ipſi fuit ex aliorum locorum inductione, ſi fidem ſibi haberi vellet. At ne unicum quidem produxit, ut ſupinam ejus confidentiam ſatis demirari nequeam. Scriptura e Scriptura, non e noſtris ſomniis vel deliriis explicanda eſt. Dicet forte notam numeralem diſcretivam eſſe, ac indicare, quod noctes diebus contra diſtinguantur. Sed nec hoc unico exemplo probare tentavit. Imo a vero alieniſſimum id eſt. Jam enim liquido demonſtrabimus, quod dies ac noctes, etiam cum utrobique numeri notam adjectam habent, non dies naturales & noctes iis oppoſitas diviſim ſeu ſingillatim; ſed dies civiles ac νυχθήμερα conjunctim ſignificent, quod Langiani argumenti aciem prorſus retundet. Pateſcet enim ſimul, quod

in

Digitized by Google

in Chriſti verbis non tres dies naturales ſingillatim & tres noctes ſingillatim, ut ille pertendit, ſed tria ſaltem νυχθήμερα intelligantur, & quod ea in ſpatio duarum noctium & unius diei integri, quo Chriſti in ſepulcro moram hactenus definiverunt Chriſtiani univerſi, omnino contineantur. Ebraiſmum in verbis Servatoris a Matthæo deſcriptis eſſe, nemo negare poteſt, niſi qui, quid ſit Ebraiſmus, ignorat. Nec unum quidem illum, ſed geminum, ibi deprehendes. Prior eſt in illa phraſi ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, quæ ſanctæ linguæ indolem ſine dubio redolet, nec aliunde exponi poteſt. Hæc interiorem quamcunque alicujus rei partem לב i. e. *Cor* appellat. Eo ſenſu montes *Pſal.* XLVI, 3. dicuntur dimoveri ימים בלב, LXX. ἐν καρδίαις θαλασσῶν. Tyrus apud *Ezech. c. XXVII*, 4. & *XXVIII*, 2. ſita memoratur בלב ימים, LXX. ἐν καρδίᾳ θαλάσσης. Viam navis בלב ים *in corde maris* occultam ſibi & incognitam eſſe fatetur Agur *Prov. XXX*, 19. ubi Senes ſenſum potius quam verba ſecuti τρίβος νηὸς πορθμοπορήσης reddiderunt. Et hic quoque eadem ratione per καρδίαν τῆς γῆς interiorem aliquam terræ partem Servator intellexit, quam Paulus *Eph. IV*, 9. τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς vocavit. Hinc Diodati illud בלב convenientiſſime *dentro* interpretatus eſt. Veluti hic ergo notorius Ebraiſmus eſt, ita & in phraſi, quæ immediate ſequitur, τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, alius ſine dubio ſimilis exiſtit. Fruſtra autem aliunde interpretationem quæres, quam e locutionibus homogeneis, quæ ſacris Scriptoribus, Ebræis vel Ebraizantibus, uſurpatæ reperiuntur. Hos ſi conſulas, & ſenſum ab iis monſtratum ſequaris, omnem difficultatem evitabis. Ebræi certe, quia voces componendi libertatem ſua ipſis lingua non indulget, circumlocutionibus frequentiſſimis utuntur. Sic cum vocem non habeant, quæ Græcæ νυχθήμερον vel ἡμερονύκτιον reſpondeat, ejuſque latitudinem exæquet, pluribus illam vocibus circumloqui coguntur. Aut ergo pro illo unico Græco vocabulo duo Ebraica iſta ולילה יום, aut duo alia ערב ובקר uſurpant. Ita pro eo, quod Græci dicerent νυχθήμερον πρῶτον, Moſes *Gen. I*, 5. יום אחד ערב ובקר dicere neceſſum habuit. Nec id abſolute tantum & ſine numero, ſed & æque cum illo. Nam Daniel *c. VIII*, 14. periodum calamitatis Judaicæ determinaturus, eam אלפים ושלש מאות ערב ובקר daraturam dicit, quod Græci expeditius per ἕως νυχθημέρων διακοσίων καὶ τριακοσίων efferrent. Nihil enim aliud utroque in loco per ערב ובקר, quam Græcorum νυχθήμερον ſeu Latinorum *dies civilis* deſignatur. At Helleniſtæ tamen utrobique Ebræos preſſe ſecuti ſunt, ac licet uno verbo νυχθήμερον reddere poſſent, Ebraiſmum nihilominus

Digitized by Google

minus expresserunt per sua ἑσπέρα καὶ πρῶι. Quanquam in Danielis loco vocem ἡμέραι ad supplendum sensum addiderint. Majorem autem cum loco nostro affinitatem habet alter Ebræorum idiotismus, quo per יום ולילה ἡμερονύκτιον Græcorum περιφράζουσι. Et magis quoque hic illis est usitatus, & cum numerali nota sæpius conjunctus. *Genes. VII.* 4. 12. pluvia a Deo super terram immissa dicitur ארבעים יום וארבעים לילה, LXX. τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ τεσσαράκοντα νύκτας. Potuissent autem Senes eadem emphasi τεσσαράκοντα νυχθήμερα vertere, nisi Ebraismi vestigia premere voluissent. Sic *Exod. XXIV*, 18. *XXXIV*, 28. *Deut. IX*, 9. 11. 18. 25. *X*, 10. Moses in monte cum Deo fuisse memoratur ארבעים יום וארבעים לילה, quod æque LXX. τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ τεσσαράκοντα νύκτας interpretantur, diesque totidem civiles περιφραστικῶς indigitant. Eadem plane ratione 1 *Reg. XIX*, 8. Elias vi cibi semel sumpti sustentatus וארבעים לילה ארבעים יום iter fecisse narratur, ubi Hellenistæ, ut alias, Græca Ebræis aptarunt. Ita quoque amici Jobi ipsi assedisse perhibentur שבעת ימים ושבעת לילות *Job.* II, 13. quod LXX. ἕπτα ἡμέρας καὶ ἕπτα νύκτας reddidere. Qui his in locis aliud quam dies civiles ac ἡμερονύκτια imaginatur, immane quantum fallitur. Frustra quoque erit, qui omnes ac singulas νυχθημέρων istorum partes exacte determinare præsumpserit. Si haberent Ebræi voces, quibus Græcæ istæ commode exprimi valerent, περιφράσει illa superflua omnino supersederent. Jam vero cum eæ desint, alias substituere coguntur. Manifestum hoc est e loco 2. *Cor. XI*, 25. ubi ἑλληνικωτέρως id D. Apostolo νυχθήμερον dicitur, quod alii Ebraizantes per ἡμέραν καὶ νύκτα exprimerent. Ait enim: νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα. Sed ea Syrus Interpres cum Ebræis communi vocum penuria laboravit, ut νυχθήμερον Pauli aliter quam per duas istas voces איממא ולליא i. e. *diem ac noctem* exponere non fuerit quitus. Imo nec aliæ linguæ id aliter exprimere potuere. Lutherus Germanice Dag und Nacht / Beza Latine *die ac nocte*, Diodati Italice *un giorno ed una notte* interpretari coacti sunt. Ecquis igitur dubitabit, quin in loco Matthæi, quem tantopere vexat Langius, per τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, ubi Syrus itidem תלתא איממין ותלתא לילון habet, tria νυχθήμερα vel tres artificiales dies, usitato Ebraismo, designentur. Præsertim cum divinorum Scriptorum clarissima aliis in locis explicatio accedat, quæ ut nullo verbulo a Langio tacta est, ita nulla arte eludi potest. De hoc autem postmodum dispiciemus. Addemus jam duo luculentissima exempla, quæ omnium maxime ad nostrum institutum quadrant, & Langio omnibus modis satisfacient, nisi is veritati

aures

aures animumque penitus occluſerit. Homo ille Ægyptius, quem a Domino ſuo deſertum milites Davidis in agro invenerunt, cum dato ab iisdem cibo reficeretur, dicitur non comediſſe panem nec bibiſſe aquam של הימים שלשה לילות *tribus diebus & tribus noctibus* 1. *Sam. XXX*, 12. Senes hic pro more ſuo τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας reddunt. Quod autem hic non tres dies naturales & iis oppoſitæ tres noctes, ſed tria ſaltem νυχθήμερα, intelligi debeant, e commate proxime ſequente 13. ad oculum patet. Cauſam enim ibi dat ſervulus iſte, cur dicto temporis ſpatio nihil comederit aut biberit, nimirum חליתי היום שלשה *ægrotavi die jam tertio*, LXX. ἠνωχλήθην ἐγὼ σήμερον τριταῖος. Id quod antea tribus diebus & tribus noctibus factum dicitur, id hic usque in tertium diem factum aſſeritur. Ponamus tres dies ac tres noctes v. 12. pro tribus diebus ac noctibus naturalibus ſumi debere, ſic mentitum eſſe oportet Ægyptium illum, qui tum tertium diem agi dixit, ex quo ægrotare cœperat, cum quartum dicere debuiſſet. Nam ſi tres dies naturales cum totidem noctibus fame ſimul & morbo laboraſſet, jam non tertius, ſed quartus, quo hoc dixit, dies eſſe potuit. Neceſſario itaque νυχθήμερα tria hic intelligenda ſunt, eaque non integra, ſed quibus vel dies unus naturalis, vel nox una ad minimum defuerit. Ita enim demum in inedia ac ægritudine τριταῖος eſſe poterat ille ſervus; alias omnino τεταρταῖος dicendus. Sed hoc ſatis dilucidum eſſe puto. Alterum exemplum non minus eſt ἐμφανὲς. Eſther a Rege ſalutem populi ſui deprecatura, jejunium indixiſſe perhibetur *Eſth.* IV, 16. ut nemo comederet vel biberet שלשה יכים לילה ויום *tribus diebus noctu ac interdiu*, quod & LXX. ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς νύκτα καὶ ἡμέραν vertunt. At nec hic νυχθημέρου partes, dies nempe & noctes ſingillatim, accipi poſſe; ſed dies omnino civiles conjunctim, oſtendit collatio *cap. V*, 1. ubi Regina, quæ ipſa jejunium aliis imperatum non minore, quam ceteri, religione obſervaverat, quod diſerte ex *c. IV*, 16. liquet, ornaſſe ſe ac ad Regem introiviſſe dicitur ביום השלישי *die tertio*, LXX. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. Finge jam jejunium iſtud duraſſe tres dies naturales & tres noctes, ſequitur falſum id eſſe, quod Eſther tertio die, mundo ſuo exornata, Regem acceſſerit. Ante finitum enim jejunium id fieri non potuit. At ſi jejunii ſpatium tres dies ſingillatim & tres noctes ſingillatim fuiſſe dicas, quarto demum die, non tertio, in conſpectum Regis prodire, eumque cum Hamane convivio, eodem die inſtruendo, excipere, Eſtheræ integrum fuit. Nihilque adeo relinquitur, niſi ut triduum artificiale, idque non integrum, ſed aliqua ſui parte mutilum,

Digitized by Google

ſtatuatur. Vid. Oliv. Bonartium *comm.* ad *h.l.* Sufficienter, uti ſpero, per ea quæ fuſius jam diſſeruimus, probatum eſt, inane eſſe Langii ſophiſma, quo dies & noctes, ubi ceu oppoſita ſingillatim ponuntur, dies naturales iisque contradiſtinctas noctes diviſim deſignare concludit. Contrarium e tot allatis exemplis non poteſt non cuivis eſſe apertiſſimum, niſi cujus oculi in meridie caligent. Quod autem alibi valet, id in hoc etiam Servatoris oracvlo certiſſime locum habebit. Tria enim νυχθήμερα, ſeu triduum civile, per iſtos *tres dies & tres noctes*, conjunctim non diviſim accipiendos, omnino intelligi oportet. Nam præterquam quod id phraſis tota Ebraizans ſuadeat, confirmat id quoque certiſſime aliorum locorum parallela interpretatio. Ipſe Chriſtus *Joh. II*, 18, 19. Judæis ſignum flagitantibus tale omnino promittens, quale apud Matthæum Jonæ Prophetæ ſignum vocatur, dicit ſe templum corporis ſui, ubi id ab iis fuerit deſtructum, iterum ſuſcitaturum eſſe ἐν τρισὶν ἡμέραις. Dies autem hic civiles deſignari, noctium mentio omiſſa docet. Si præter nycthemera quidquam intendiſſet, aliter ſermonem ſine dubio formaſſet. Judæi quoque *Marc. XV*, 29. idem Chriſto improperantes eadem plane verborum formula utuntur. Idem Servator ſuaviſſimus *Matth. XVI*, 21. has τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας per τὴν τρίτην ἡμέραν interpretatur, dicitque oportere ſe, poſtquam occiſus a primoribus populi fuerit, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι, nimirum ut ſic κατὰ πόδα impleretur, quod μεταφορικῶς dictum erat ab Oſea *c. VI*, 2. atque ita ab Helleniſtis expreſſum: ὑγιάσει ἡμᾶς μετὰ δύο ἡμέρας, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναστησόμεθα, unde recte hunc locum Tertullianus *lib. adv. Judæos c.* 13. ad Chriſti reſurrectionem accommodat: item quod in Joſepho erat præſignificatum, qui in oculis patris ſuisque veluti mortuus tertio die quaſi in vitam reſtitutus eſt, *Gen. XXII*, 4. Prorſus eandem explicationem ſæpius repetit Chriſtus *Matth. XVII*, 23. *XX*, 19. *Marc. X*, 34. *Luc. IX*, 22. XVIII, 33. & ubique tertium a morte diem reſurrectioni ſuæ aſſignat. Hinc Apoſtolus 1 *Cor. XV*. 4. aſſerit, ὅτι ἐτάφη καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ καθὼς τὰς γραφάς: & conſentit Petrus, qui *Act. X*, 39, 40. Chriſtum tertio die, poſtquam in ligno ſuſpenſus eſſet, a Deo e mortuis reſuſcitatum eſſe, aperte teſtatur. Imo Angelus reſurrectionis ipſius αὐτόπτης & teſtis certiſſimus eodem id modo expoſuit *Luc. XXIV*, 7. Nec illud aliter intellexerunt duo iſti Diſcipuli in oppidum Emaus exſpatiati, *Luc. XXIV*, 21. e quorum verbis firmiſſimum infra argumentum deducemus, ubi ad antiquæ veræque ſententiæ defenſionem fuerimus progreſſi. At ſi jam cum Langio dicamus, *Chriſtum die Jovis paſ-*

Digitized by Google

ſum & die Solis e mortuis ſuſcitatum eſſe, ſane non tertio, ſed quarto die, poſt paſſionem Chriſtum reſurrexiſſe ſequetur. Sive enim dies naturales, ſive civiles, intellexeris, (tertium autem fingi nequit) perinde erit. Si naturales velis, dies Jovis, quo mortuus & ſepultus eſt Chriſtus juxta Langium, eſt primus, Veneris ſecundus, Sabbati tertius, & Solis demum, cujus diluculo in lucem prodiit Servator, quartus erit. Sin civiles ſeu νυχθήμερα malis, res eodem recidet. Primum enim ἡμερονύκτιον erit iſtud feriæ quintæ, ante cujus finem, duabus circiter horis, Chriſtus terræ, ex Langii mente, mandatus eſt. Alia enim νυχθήμερα, quam quæ tum Judæis in uſu erant, nempe quæ a veſpera inibant, & in veſperam deſinebant, vel ipſo Langio teſte *l.* 1. *c.* 3. fingi non poſſunt. Secundum erit nox & dies feriæ ſextæ. Tertium ſpatia nocturnum ac diurnum feriæ ſeptimæ ſeu Sabbati complectitur. Quartum demum eſt feria alterius hebdomadis prima, cujus nocte ferme elapſa Chriſtus circa diluculum e tumulo emerſit. Quarto itaque demum a paſſione die, quomodocunque is ſumatur, ſurrexiſſe Chriſtum putabit Langius. Atque ſic mentitum credet Servatorem, qui tot in locis jam a nobis allegatis ſe tertio die poſt mortem reſurrecturum diſertis verbis dixerat. Mentitum credet Angelum, qui idem clariſſime pronunciavit. Mentitos credet diviniſſimos Apoſtolos, qui toties quoque ipſum τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ reſuſcitatum eſſe perhibuerunt. O horrendum & blasphemum delirium! Ægre id mihi perſuadere poſſem, Langio tale quid unquam in mentem veniſſe, ni hoc conſectarium ex ipſius opinione ſponte fluere manifeſtum eſſet. At quid dico conſectarium? Ipſe Langius *p.* 383. laudat Theophili Cæſarienſis ſententiam, quod *diſertis verbis quarto poſt paſſionem die Chriſtum reſurrexiſſe tradat.* Et mox: *Theophilus cum univerſa ſynodo exiſtimavit, Chriſtum quarto die ante Dominicum paſſum eſſe.* Computat quoque IV. iſtos dies hoc modo: *XI. Kal. numeratur pro uno, die X. pro altero, IX. pro tertio, & VIII. pro quarto, quo reſurrexit.* Imo cum Scholiaſtes Bedæ Theophilum in hoc erraſſe putet, dicit Langius *perperam id exiſtimare illum Rameſenſem: quin potius omnes illi errarunt, qui pauciores dies morti Chriſti tribuerunt.* Certe cum hæc legerem,

Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit.

Quis hoc ab ullo homine Chriſtiani nomen profeſſo exſpectaret, ut ob inſana ſua ſomnia ipſam veritatem, Servatorem Optimum Maximum, Angelum veraciſſimum ſpiritum, & Apoſtolos veritatis teſtes omni exceptione majores mendacii, ſi non aperte, ſaltem tacite, arguere non

Digitized by Google

erubesceret. Nam ita adversa fronte horum assertio luculentissima, quod Christus tertio die surrexerit, cum Langiano dogmate, quod non tertio, sed quarto die resuscitatus sit Christus, pugnat, ut aut Servatorem, Angelum ac Apostolos, aut Langium falsum dicere oporteat. Imo si vel aliter assertionem Langii animo conceperis, non minus tamen eam effato Christi obluctari deprehendes. Dies noctesque moræ Christi in sepulcro ita numerat Langius *p.* 383. ut Christum tertia nocte, quatenus diei naturali opponitur, resurrexisse statuat. At Servator non *tertia nocte*, sed *tertio die* suscitandum se esse dixerat. Aut vero diem civilem intelligit, aut naturalem. Prius prorsus repudiat Langius. Posterius quoque rejicit, dum tres dies naturales effluxisse ante Christi resurrectionem, & tertia demum nocte ferme elapsa hanc contigisse existimat. At ubi in tota Scriptura *dies* spatium illud, quo Sol subter horizontem est, quatenus diei naturali contradistinguitur, designat? Quis Langium docuit, diem in noctem uti transmutaret? Fefellisse oportet Christum, qui non tertio, uti dixerat, die, aut civili aut naturali, sed tertia nocte diei opposita mortem surgendo devicit. Quid est Scripturæ in os contradicere, si hoc non est? Absit a nobis tanta impietas,

quos aliter Juvenes sancti docuere Parentes.

Sed quandoquidem Langius neglecto Ebraismo tam rigide singulos loci istius *Matth. XII*, 40. apices torqueat, magnopere ab eo discere desidero, quomodo alia Servatoris, itidem de morte & resurrectione sua locuti, verba sine Ebraismi ope explicare velit? Dicit Christus *Marc. VIII*, 31. quod oporteat se μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι. Si quis hic Langium imitatus tragœdias moveret, ac urgeret, quod illud non possit dici post tres dies factum, quod non tribus diebus integris demum exactis contigit, ac Christus propterea non potuerit die Solis, seu feria prima, resurgere, nisi feria quarta, seu die Mercurii, passus ac mortuus fuisset, quid responsurus esset Langius? Si communem præpositionis μετὰ significationem premeret ille, & de tribus illis diebus quoque argutaretur, quod sive naturales sive civiles dies sumas, ne hilo proficias. Nam si tres dies naturales, inquiet ille, intelligas, illos integros esse oportet; at si vel die Jovis feria quinta passum esse Christum ajas, non tamen nisi duos solidos dies & particulam tertii, duas nempe horas, afferre poteris. Sin autem de diebus civilibus seu νυχθημέροις accipias, neque tria talia spatia integra & completa dabis, nisi feria quarta seu die Mercurii mortuum Servatorem asseras. Hic sane aqua tibi hærebit, mi Langi, nisi Ebraismi

auxi-

auxilium imploraveris, nec ulla arte te extricabis. At si ad sanctæ linguæ asylum confugias, facile te expedies. Reperies enim particulam μετ, Ebræis & Ebraizantibus Græcis non saltem eo sensu usurpatam, quo *post* significet, sed & quo *intra* quandoque designet, ac æquipolleat particulis aliis ἐν vel διὰ, plane ut Ebræum בתך sæpius usurpatur, quod ex exemplis ab accuratissimo D. Glassio *Phil. S. l. 3. tr. 3. can. 11.* collectis liquido constare potest. Sic Hellenistæ *Deut. XIV*, 28. μετὰ τρία ἔτη dicunt, pro quo *Deut. XXVI*, 12. ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ habent. Sic *Luc. XXII*, 20. Christus calicem sumpsisse dicitur μετὰ τὸ δειπνῆσαι, quod *Matt. c. XXVI*, 26. & *Marc. c. XIV*, 22. ἐσθιόντων αὐτῶν factum esse asserunt. Ita & in verbis Christi μετὰ τρεῖς ἡμέρας sensus idem est, ac si *intra tres dies* dixisset. Commodissima proinde videtur Diodati interpretatio *in capo di tre giorni.* Atque sic id omnino intellexere Pontifices *Matth. XXVII*, 63. dum verba Christi repetunt, quibus dixerat, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι. Si enim putassent, eum non nisi post tres dies suscitatum iri, non erat quod timerent, ne illo tridui spatio Discipuli ejus ipsum surriperent. Nam credere debebant, eos non ante diem a Christo dictum illum furaturos. Imo nec solum tribus illis diebus, sed multis etiam post sepulcrum custodiri curavissent. Jam vero custodiam saltem ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας *usque in tertium diem* (*comm.* 64.) deposcunt. Consuli præterea potest, si tanti res est, Gerh. Harm. Resurr. *c.* 1. Atque hac una ratione omnem Ebraismi observatio scrupulum cuivis eximet. Oleum autem operamque perdet, cui tam in hujus quam in alterius oraculi sensu indagando facem ille non prætulerit. Nos jam illud, quod antea evidentur confirmavimus, ad spatium moræ Christi in sepulcro applicabimus, & videbimus quomodo triduum civile seu τρία νυχθήμερα in eo deprehendantur. Difficultas enim omnis modo sublata est, postquam tres dies civiles, seu tria spatia XXIV. horarum, conjunctim a Servatore intelligi ostendimus. Tria integra & solida νυχθήμερα in hoc spatio ut demonstrentur, nulla ratio cogit. In verbis enim Christi nihil plane occurrit, quod illud persuadeat, cum nude saltem & ἁπλῶς triduum commemoret. Suffecerit, si tantum tempus sepulturæ Christi tribuamus, quanti partes ad tria νυχθήμερα pertingunt. Nam æque pars diei unius in ejusmodi computatione pro una die capitur, ac si tota dies esset. Langius ipse id inficiari nequit. Sicut enim verum est, quod ait *p.* 381. *quod ea pars, quæ nulla est, pro toto accipi non possit*: ita e contrario & illud certissimum est, quod ubi pars aliqua totius exi-

Digitized by Google

ſtit, ibi ea per Synecdochen pro toto ſumi queat. Hinc & *p.* 383. dicit, quod *duæ horæ cum parte tertia, diei Jovis (recte, ac familiari Scripturæ, imo & hiſtoricorum more) pro die numerentur.* Illud autem Langium decepit, quod Chriſtum *in ſua oratione ſex tota ſive integra, tres nimirum dies & tres noctes proponere* exiſtimet. Graviſſime hic eum opinio fefellit. Non enim ſex tota ſeu integra, ſed tria ſaltem, nempe tria νυχθήμερα, vel tria intervalla, ſingula XXIV. horarum, a Chriſto per τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, conjunctim non diviſim ſumendas, indigitari luculentiſſime evicimus. Quare & futile ac frivolum id eſſe apparet, quod Langius ſtatim infert: *ubi ergo tres hi dies & tres noctes numerari debent, ibi neceſſario tertiæ noctis & tertii diei pars aliqua erit.* Hoc eſt, quod nos negamus ac pernegamus. Nam dies in oratione Servatoris non ſunt a noctibus disjungendi vel divellendi; verum dies & noctes junctim accipi debent, ut æquipolleant diebus civilibus, ſeu νυχθημέροις, quod abunde probatum eſt. Et ſufficit proinde, ut ubi tria ἡμερονύκτια, vel tres dies artificiales, numerari debent, ibi tertii ἡμερονυκτίου ſeu tertii diei artificialis pars aliqua exiſtat. Sic enim Synecdoche ſatis apte locum hic habere poterit, ut illud pro uno νυχθημέρῳ ſumatur, cujus pars ſaltem quædam adeſt, & congrua ſatis erit Hieronymi explicatio, a Langio propoſita, quæ & Auguſtino placet, uti ſuo loco videbitur, qua uterque totum a parte συνεκδοχικῶς intelligendum eſſe, non tam ſuadet quam perſuadet. Nam poſito & admiſſo eo, quem demonſtravimus, de tribus diebus civilibus ſenſu, nihil ei expoſitioni repugnare poſſe, vel ipſa Langii confeſſio indicat. *Sane ſi de diebus*, inquit, *quatenus integrum νυχθήμερον comprehendunt, Chriſtus locutus fuiſſet, ſatis plauſibilis Hieronymi explicatio fuiſſet.* Subſumimus jam nos: at Chriſtum de diebus, quatenus integrum νυχθήμερον comprehendunt, certiſſime & ſine omni dubio locutum eſſe, nos manifeſtis documentis confirmavimus, & aſſumptum illud Langii, *at nunc ſingillatim de diebus & ſingillatim de noctibus loquitur*, vanum ac ineptum eſſe evidenter probavimus. Concluſio itaque ſponte ſe offert, quod ſatis eapropter plauſibilis, imo veriſſima, Hieronymi explicatio judicanda ſit, quam recte doctiſſimi Interpretes tuentur. Sicut enim Synecdoche partis pro toto divinis Scriptoribus frequentiſſime uſurpatur, tam in locutionibus tempus exprimentibus, quam aliis plurimis, uti id Philologi ſacri accurate obſervarunt, imprimis horum facile princeps D. D. Glaſſius *in Gramm. & Rhet. Sacris*: ita & huic Chriſti oraculo apprime convenit. Nam ut alias communiter annus, menſis,

Digitized by Google

menſis, dies ineuntes, vel ad finem currentes, quorum etiam minima quandoque pars advenit vel ſupereſt, pro uno nihilominus anno, menſe, die, accipiuntur, quod latiſſime oſtendi poterat, ſi non notorium id eſſet: ſic de νυχθημέροις Chriſti idem quin aſſeramus, nihil prorſus impedit. De Ebræorum conſuetudine id ſingulariter ex Aben Ezra declarat Grotius *in Annot. ad h. l. quod ubi lex Moſis dierum numerum exprimit, ut in circumciſione, receptum apud interpretes etiam ſemi horam unius* νυχθημέρα *diem facere: quia dies legalis, ajunt, non computatur de tempore ad tempus.* In ſpatio autem temporis, quod inter Chriſti ſepulturam & reſurrectionem communi & veriſſima omnium ſententia conſtitutum eſt, tria iſta νυχθήμερα Synecdochice, ut jam explicavimus, intellecta nullo negotio deprehendere licet. Nam cum Chriſtus die Veneris, feria ſexta, in Paraſceve Paſchatis paſſus ſit, quod invictis argumentis infra demonſtrabimus, cruci quidem circa meridiem, ſive ſextam diei horam, affixus eſt, poſt nonam vero, ſive noſtram tertiam pomeridianam, ſpiritum emiſit, & demum circa horam diei decimam, ſive noſtram quartam, a Joſepho & Nicodemo ſepultus eſt, quod e clariſſima Euangeliſtarum narratione conſtat. Reſiduæ itaque erunt etiamnum ex iſto νυχθημέρῳ, quando Chriſtus ſepultus erat, duæ circiter horæ, quas cum Chriſtus in ſepulcro exegiſſet, alterum ἡμερονύκτιον more Judaico a noſtra ſexta veſpertina inibat. Hic primum jam habes νυχθήμερον. Duas enim iſtas horas unum diem civilem, ceu partes totum, denominare, nemo dubitare poteſt. Langius quoque non refragabitur, qui ipſe binas easdem horas pro uno die naturali numerat. De ſecundo νυχθημέρῳ nulla controverſia eſt. Illud enim integrum ſpatium, nempe XXIV. horarum, noctem & diem naturalem complectens, in tumulo Servator transegit. Fuit autem Sabbatum ordinarium ſeu hebdomadale, in quod eo tempore feſtum Paſchatis ſeu primum Azymorum incidit, uti infra oſtendemus. Tertium νυχθήμερον finito circa veſperam Sabbato ſtatim ſucceſſit, & a veſpere feriæ primæ incepit. Hujus etiam magnam partem, decem ad minimum horas, Chriſtus in monumento exegit, dum elapſo prope nocturno ſpatio, circa diluculum demum feriæ primæ, ſive diei Solis, victor & triumphator auguſtiſſimus prodiit. Ecce triduum ſepulti Servatoris ſufficienter oſtenſum! Ecce tria νυχθήμερα moræ Filii hominis in corde terræ clariſſime demonſtrata! Nodum in ſcirpo quærit, qui tricas hic nectit, ubi nullas invenit. Inſignem & luculentiſſimum doctiſſimi Patris, Iſidori Peluſiotæ, locum non poſſum non adſcribere, qui adeo appoſite huc quadrat,

Digitized by Google

drat, ac sic ὁ μακαρίτης e tumulo redivivus contra Langium disputaret, ejusque novum ἕυρημα ex professo refutaret. Ita autem infit *l. 2. Epist.* 212. Εἰ δὲ εἰς αὐτὴν τὴν ἀκρίβειαν καταγενέσθαι χρὴ, ἐκεῖνο ἂν ἔιποιμι. τῇ τρίτῃ ἔιπεν ἀναςήσεσθαι. ἔχεις τὴν παρασκευὴν, ἔχεις τὸ σάββατον, ἕως δυσμενῶν ἡλίου, καὶ μετὰ τὸ σάββατον ἀνέςη, ἑκαλέρων μὴν ἁψάμενον, τὴν δὲ μέσην πληρώσας. ἐν τρισὶ γὰρ ἔιπεν ἀναςήσεσθαι, καὶ ὐ μετὰ τρεῖς ἡμέρας. λύσαλε γὰρ, φησὶ, τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. καὶ ὁ προφήτης δὲ προχρησμῳδῶν, τότε ὁ θάνατος πεπθήσει ἰσχυρολέρῳ θανάτῳ δεθεὶς, ἔλεγεν. ὑγιάσει ἡμᾶς μετὰ δύο ἡμέρας, ἐν τῇ τρίτῃ ἀναςησόμεθα, καὶ ζησόμεθα ἐν αὐτῷ. εἰ δὲ τὸ τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκλας προλαβοιτο, ἕιποιμι, ὅτι τῷ ἅψασθαι αὐτῶν, πεπλήρωκε τὴν ἐπαγλελίαν. μία γὰρ ἡμέρα λέγεται, τὸ τῶν τεσσάρων καὶ ἴκοσι ὡρῶν διάσημα, καὶ ἔιτε ἐν τῇ πρώτῃ, ἔιτε ἐν τῇ τελευλαίᾳ τούτων τις τεχθείη, ἢ ἂν θάνῃ, ἄυλη αὐτῷ ἡμέρα λογίζεται. ὅιον, εἰ μέλλοντος ἡλίου δύνειν τεχθείη τις, ἔιη δὲ ἐκείνη ἡμέρα πρώτη ϗ μηνὸς, ἄυλη αὐτῷ λογίζεται. εἰ δὲ καλαδύνοντος ἕτερος τεχθείη, ἡ δευλέρα. πῶς ἔν μιᾶς μόνης, τάχα δὲ ὐδὲ μιᾶς, ὥρας μεταξὺ γενομένης, ὁ μὲν λέγεται τῇ πρώτῃ, ὁ δὲ τῇ δευλέρᾳ ἡμέρᾳ τετέχθαι, ὅτι πᾶσι δῆλον καθέςηκε καὶ σαφὲς, ὅτι τῷ ἅψασθαι μόνον ὁ μὲν τὸ παρελληλυθὸς, ὁ δὲ τὸ ἐπιὸν ἡμερονύκλιον ἐπληρώσαλο τὸ διὰ εἰκοσιτεσσάρων ὡρῶν συμπληρούμενον. εἰ τοίνυν καὶ ἡ ἀκριβὴς τῶν χρόνων καλανόησις τοῦτο βοᾷ, τί μάτην κόπλουσιν ἑαυλοὺς οἱ τὴν ἀληθειαν μὴ ἠληθευκέναι ἰσχυριζόμενοι; hoc est, interprete Rittershusio: *Quod si ad exactam & accuratam hujus quæstionis explanationem descendendum est, illud dixerim. Tertio die resurrecturum se dixit. Habes Parasceven, habes Sabbatum, usque ad solis occubitum. Ac post Sabbatum resurrexit, attacto quidem utroque die, medio autem expleto atque confecto. In tribus enim diebus resurrecturum se dixit, non autem post tres dies. Solvite namque templum hoc, inquit, & in tribus diebus excitabo illud. Atque item Propheta vaticinans, his verbis utebatur: Tunc mors lugebit fortiore morte devicta. Sanabit nos post duos dies: in tertio resurgemus ac vivemus in eo. Quod si tres dies ac noctes nobis objiciant, illud dixerim, quod hoc ipso quod eas attigerit, id quod pollicitus fuerat, impleverit. Unus enim dies quatuor & viginti horarum spatium appellaretur: atque sive in prima, sive in postrema harum quispiam in lucem prodeat, aut e vita discedat, hic ipsi dies computatur. Verbi gratia: Si sole ad occasum vergente quispiam nascatur, sit autem dies illa prima mensis, hac ipsi adscribetur. Si autem, cum jam occiderit, alter procreetur, secunda. Qui fit igitur, ut cum unica*

Digitized by Google

unica duntaxat, imo fortaſſe ne unica quidem hora interceſſerit, ille prima, hic ſecunda die in lucem editus fuiſſe dicatur? Nimirum quia id cunctis perſpicuum & manifeſtum eſt, quod ob attactum ſolum, ille quidem præteritum, hic autem in ſequentem diem, qui viginti quatuor horarum curriculo conficitur, explevit. Quapropter cum exacta quoque temporum conſideratio hoc clamet, quid fruſtra ſeipſos contundunt, qui veritatem a veritate aberraſſe affirmant. Neſcio ſane, an aliquid contra Langium clarius dici poſſet? An Langii opinionem ante tot ſecula prævidit ſanctiſſima anima, ut directe quaſi in terminis eam refellere voluerit? Faceſſant tandem ejuſmodi næniæ. Si quis opinetur typo Jonæ non exacte hac ratione ab antitypo ſatisfactum, quaſi illum diutius venter ceti, quam Servatorem cor terræ, juxta noſtram mentem, detinuerit, ei idoneum reſponſum idem diſertiſſimus Pater dabit *lib.* 1. *Epiſt.* 114. Ὁ τοίνυν ἐπαγσειλάμεν@ τὸν τύπον πληρῶν Ἰωνᾶ, ἀκριβῶς αὐτὸν ἐπισάμεν@, ἐπειδὴ καὶ παρῆν Ἰωνᾶς καὶ ῥιπ\θμένῳ εἰς τὸν βυθὸν, καὶ ἐκβραοσομένῳ ἐκ τοῦ βυθοῦ, τοῦτον ἐπλήρωσεν ἀσφαλῶς, τοσοῦτον ἐν τῷ τάφῳ διατρίψας, ὅσον Ἰωνᾶς ἐν τῷ κήτει: hoc eſt, interprete Rittershuſio: *Is qui ſe Jonæ typum expreſſurum receperat, cum eum exacte noſſet, (quippe qui etiam Jonæ adeſſet, cum in profundum præceps ageretur, atque e profundo ejiceretur) eum quoque haud dubie explevit, tanto nimirum temporis ſpatio in ſepulcro commoratus, quanto Jonas in ceti ventre.* Fruſtra itaque ſanctos Patres, & doctiſſimos ac optimos viros alios, ſuggillat Langius, quod *nec omnibus ſuis explicationibus plus ex hoc loco producere potuerint, quam duas ad ſummum noctes & duos dies, quibus Chriſtus in corde terræ fuerit &c.* Produxerunt eruditi illi Scripturæ Interpretes tantum, quantum verba Chriſti requirunt ut producatur, tria nempe νυχθήμερα, ſecundum quidem integrum, primi autem ac tertii partes ſaltem quaſdam, quas pro toto συνεκδοχικῶς acceperunt. Somnium autem illud, de tribus diebus naturalibus & tribus noctibus ab iis diſtinctis, & a verbis Servatoris alienum, & Scripturæ contrarium, & hiſtoriæ Euangelicæ adverſum rectiſſime judicarunt. Ego certe uni Hieronymo, vaſtiſſimo omnis eruditionis oceano, plus tribuo, majoremque fidem habeo, quam centum Langiis, aliisque ejuſmodi novorum dogmatum fabris. De S. Auguſtino aliisque Patribus nihil jam dico; dicturus autem ſum poſtea, ubi opportunum id erit. E Sacra pagina id modo demonſtraſſe ſufficit, quod male ibi & irrito conatu præſidium pro ſua φανλασία Langius quæſiverit. Quam levis armaturæ miles fuerit, quem cataphractum vel tri-

Digitized by Google

arium putavit Langius, satis omnibus patere arbitror. Argumentum, ipsi adamantinum visum, siculneum evasit. Decollabit itaque omnis ea spes, quam in hoc repositam habebat, & labetur tota illa machina, quæ ruinoso huic fundamento unice innitebatur. Aliam enim basin non reperiet, quæ bellam hanc structuram sustinere queat. Novellum hunc fœtum ipse lambat, quantum lubeat, neminem sanum, uti spero, in ejus amorem pelliciet. Credent omnes, qui mentis ἀῤῥωστίᾳ non laborant, id quod hactenus omnibus vere creditum fuit, nempe Christum duabus noctibus & uno die naturali integro in sepulcro mansisse, & postquam feria sexta, die Veneris, pro peccatis nostris sit mortuus, tertio die, qui Solis fuit, & feria prima, ad nostram justitiam resurrexisse.

CAPUT V.

Antiquitatis consensum frustra sollicitat Langius. Theophili & Synodi Cæsarienſis *auctoritas consideratur. Synodus illa qualis sit? Nihil certi de ea constat. Illius decreta quam fidem habeant? An sententia Synodi fuerit, quam proponit Langius?* Beda *sibi non constat.* Theophilus Cæsarienſis *quis & qualis? Ejus opinio ponderatur. Incertitudo ejusdem e narratione Bedæ ostenditur.* Theophilum *nobiscum potius, quam cum Langio sensisse, demonstratur. Conciliatur is secum & explicatur.* Chrysostomi *locus a Langio allegatus expenditur. Scopus & sententia ejus declarantur. Aliam ipsi mentem fuisse, quam quæ ei a Langio affingitur, liquido evincitur.*

QUam infelici successu Scripturam tentaverit Langius, jam per Dei gratiam satis demonstratum esse confido. Videamus modo, an felicius Antiquitatem sollicitet. Non minus certe Patrum consensum jactat, quam de Scripturæ auctoritate sibi favente ante gloriatus erat. Postquam Bedæ sententiam retulit *p.* 354. quod is feriam sextam passioni Dominicæ assignatam inter ea ponat, *de quibus Catholico dubitare non licet*; addit statim: *concedam & alios ex Patribus cum illo consensisse. At omnium Patrum eam opinionem fuisse, id vero nego & pernego.* Exspectares, Lector, magnum Patrum Langio ὑμοψήφων numerum in aciem producendum, quorum auctoritas vulgarem sententiam certissime esset proscriptura. Sed frustratum te videbis. Eum numerum affert

Langius

Digitized by Google

Langius, quo ne ipſa quidem natura minorem producere potis eſt. Duos enim ſaltem nominat Patres, quos aliter ſentire putat. *Chryſoſtomus ſane*, inquit, *non ita ſentit, nec antiquus Pater Theophilus Cæſarienſis.* En teſtes, quos e tota Antiquitate vel in ſpeciem ſibi faventes reperire potuit Langius. Sed ineptus ego ſim, niſi ambos illos inepte ac perperam a Langio allegari oſtendam. Chryſoſtomum hic præmittit, quaſi majoris fidei Patrem, licet ætate poſteriorem. At cum operoſius ſuum dogma fucare ſatagit *p.* 383. alterum illum, Theophilum Cæſarienſem, præire jubet. Ita enim infit : *Hanc antiquæ Eccleſiæ opinionem fuiſſe, exinde patet, quod Theophilus Cæſarienſis, antiquus vicinuſque Apoſtolorum temporibus Doctor, cum tota Synodo Caſarienſi, diſertis verbis quarto poſt paſſionem die Chriſtum reſurrexiſſe tradat. Nam cum tradidiſſet Chriſtum XI. Kal. Aprilis paſſum fuiſſe, ſubjungit VIII. Kal. ſurrexiſſe &c.* Primo itaque loco hujus Theophili auctoritatem, qua ſe Langius tanquam umbone quodam tuetur, conſiderabimus, & mentem noſtram nonnullis pronunciatis expediemus. Obſervamus I. quod ſi vel hæc manifeſta Theophili & totius Cæſarienſis Synodi ſententia eſſet: male tamen hinc concluderet Langius, *hanc antiquæ Eccleſiæ opinionem fuiſſe.* Nam ſi vel tota illa Synodus id ſtatuiſſet; non tamen ideo Eccleſiæ definitio hæc fuiſſet. Provinciale ſaltem Concilium fuit illud Cæſarienſe, e paucis Palæſtinæ & vicinarum regionum Epiſcopis, ut Narciſſo Hieroſolymorum, Caſſio Eccleſiæ Tyri, & Claro Ptolemaidis, aliisque nonnullis, teſte Euſebio *H. E. l.* 5. *c.* 25. conflatum, cui iſte Theophilus Cæſareæ Epiſcopus cum Narciſſo præfuit, ut auctor eſt idem *lib. eod. c.* 22. Quod Baronius *ad A. C.* 198. & Binius *T.* 1. *Conciliorum*, & qui eos alii e Romanæ aulæ aſſentatoribus ſequuntur, de Victoris Romani Epiſcopi auctoritate nugantur, quaſi is Theophilo vices ſuas delegaverit, ut convocato Concilio ſuo loco præſideret, commentum id eſt, quod vel ſua ſponte pellucet. Nam Euſebius, qui unicus teſtis laudatur, nihil tale loc. cit. memorat. Quod autem Beda ſimiliter Theophilum a Victore Papa ſubdelegatum eſſe refert, copſe narrationem ſuam ſuſpectam reddit. Nondum enim iſto tempore Romani Præſulis ſupra alios Epiſcopos eminentiam ac dominationem invaluiſſe ſatis conſtat. Nec omnia iſtius Synodi acta aut decreta ab Eccleſia approbata ſunt. Victor quidem Urbis Epiſcopus Concilium Romæ de eadem Paſchali controverſia coegit, & quoad caput rei, nimirum de tempore legitimo celebrandi Paſchatis, quæſtionem eodem contra Quartadecimanos

Digitized by Google

modo decidit, ut Eusebius ibidem refert. Ipsum autem omnia Cæsarienſis Synodi acta comprobasse, aut Ecclesiam ejusdem placita pro Catholicis dogmatibus agnovisse, nemo nisi invita veritate dixerit. II. Synodi istius Cæsarienſis acta ac gesta inter obscurissima sunt. Multæ hic undique tenebræ. Nihil habemus ex istis superstes, præter unicum illud fragmentum, quod apud Bedam exstat. Hinc in Editione Conciliorum Veneta ejus vola aut vestigium nullum apparet, nec apud Possevinum in Apparatu. Sev. Binius hanc Synodum inter alias in sua farragine repræsentaturus, nihil usquam invenire potuit, quo eam illustraret, præter solam eam Bedæ descriptionem. Num autem Bedæ certissima hic fides haberi possit, ego non dixerim. Recentior certe est, quippe qui in seculo demum octavo floruit, quam ut de hac Synodo, seculo secundo celebrata, quidquam liquido compertum habere potuerit. Id scio, quod in hujus ipsius Concilii delineatione non satis bene sibi constet, ut mox patebit. Nec illud ignoro, quod doctissimus Casaubonus *Exerc. XVI. f.* 102. *illius facilitatem in multis credendis, quæ priora secula non credidere, admodum suspectam se habere*, profiteatur. Eusebius quidem *lib. cit. c.* 22. dicit, decretum istud Episcoporum in Palæstina convocatorum ad suam usque ætatem scriptis custoditum fuisse. At num ad manus Bedæ illud pervenerit, non liquet. Sane si pervenisset, vix adeo fluctuasset Beda, dum hac de re disseruit. Facile quoque spatio CCCL. annorum, qui inter Eusebii & Bedæ ætates ad minimum interceſſerunt, istud deperire potuit. Quare aliorum narrationes ac traditiones Beda fortassis secutus est, & facile falli quivit. Nec Scholiasti Bedæ Brideferto Rameſienſi, quem etiam ut antiquum testem advocat Langius, tantum pretii statuimus, ut ejus testimonium pro indubitato agnoscamus. Quæ enim certitudo a Monacho isto, qui decimo demum seculo vixit, exspectari poterit? III. Si vel sine omni hæsitatione Bedæ auctoritatem admittamus, Synodi tamen istius definitio, si modo ejus sit, tantum pondus habere non potest, ut Langii opinioni colorem aliquem addat, cum ea in aliis non parum exorbitaverit. Nam quis feret, quod ab ea de Paschali termino ante Æquinoctium constituendo determinatum est? Cum enim Æquinoctium in XXV. Martii posuerit, Pascha nihilominus triduo prius, nempe XI. Kal. Apriles indicit. Absurdum certe hoc est, & toti Ecclesiæ τάξει repugnat, quod ipse Langius non diffitebitur propter ea, quæ *lib. I. c. VII*, recte de Paschatis constitutione monuit. Deinde quod Æquinoctium XXV. Martii

Digitized by Google

tii eo anno Chriſti CXCVIII. committi, & eodem die in conditi orbis initio hæſiſſe, aſſerat Synodus, id abſonum judicat Petavius *in Anim. Epiph. p.* 175. indeque rationes in Concilio allatas neque veras eſſe perpetuo, nec inter fidei decreta cenſeri, arguit. Ad hoc autem nihil reſpondit Langius, qui tamen aliam Petavii hac de re κρίσιν non omiſit *p.* 383. Imo quantum ipſe Langius alias huic Synodo tribuat, facile ex eo apparet, quod alium menſis diem paſſioni Chriſti aſſignet, quam quo Synodus eam contigiſſe cenſuit. Nam cum hæc XI. Kal. Apriles ſeu XXII. Martii definiat, Langius nihilominus Chriſtum II. die Aprilis paſſum & V. reſuſcitatum eſſe aſſerit *p.* 413. 415. atque XI dierum ſpatio diſcrepat. Si verum dixit Synodus, quando Chriſtum quarto die ante Dominicum paſſum eſſe aſſeruit, cur non & verum dixit, quando eum XI. Kal. Apriles paſſum eſſe aſſeveravit? At poſterius hoc Langio ad guſtum non eſt. Quomodo itaque quoad prius Synodi auctoritate commendare poterit? Veniam nobis dabit Langius, quod ſicut ipſe Synodo in hoc fidem derogat, ita nos in utroque falſam eam fuiſſe exiſtimemus, ſi modo id definivit, quod Langio arridet. Quare nec aliæ ejus ſanctiones vel a Romano Epiſcopo, vel ab Eccleſia approbatæ ſunt, quam ea ſola de Paſchatis celebratione in XIV. Luna interdicta, & in ſolo die Dominico collocata. Reliqua, quæ incidentia dici poſſunt, partim perſpicue falſa, partim dubia, & Eccleſiaſticis Canonibus contraria, nullius auctoritatis exiſtunt. Ita fere judicat Petavius, & recte, *loc. cit. p.* 200. Hinc & Henr. Spondanus Appamiarum Epiſcopus *in Epit. Annal. Baronii ad A. C.* 34. *n.* 44. *Acta illa Synodalia depravata eſſe* pronunciat, *nec Victorem aliquid ex ea Synodo firmaſſe, præter quod ſtatutum eſt de Paſcha non ritu Judaico celebrando.* Adeoque patet, quod hæc antiquæ Eccleſiæ opinio dici non poſſit, quod tamen Langius perperam inde colligit. Declarabimus enim infra, unanimem Patrum in heroicis primæ Eccleſiæ ſeculis ſententiam fuiſſe eam, quæ communiter hactenus ab omnibus recepta eſt. IV. Obſervamus Langium ſine omni evidente ratione id toti Synodo, & ceteris Palæſtinæ Epiſcopis, tribuere, quod tamen auctor ipſius Beda alibi ſoli Theophilo adſcribit. Allegat Langius verba illius fragmenti, *paſſus namque Dominus ab XI. Kalendas Apriles, qua nocte ab Judæis eſt traditus, & ab VIII. Kal. Apriles reſurrexit*, ac ſi totius Synodi & omnium in ea congregatorum Patrum difinitio eſſet. Sed quis hoc ipſum certo docuit? Beda ſane contrarium alicubi innuit. Citat ſaltem Langius Bedæ lib. *de Temporum Ratione c. XLV.* At cur alium

Digitized by Google

ipsius librum de Æquinoctio Vernali omni mentione dedignatus est? Cum tamen hic Beda longe planius, & quasi ex instituto, controversiam istam de Paschate, ejusque decisionem a Synodo Cæsariensi datam, proponat: illic autem in loco a Langio allegato strictim saltem & ὡς ἐν παρόδῳ Theophili sententiam commemoret, quod cuivis utrumque locum conferenti facile patescit. In libro enim de *Temp. Rat. cap.* 45. cujus titulus est *de Annis Dominicæ Incarnationis*, cum de anno ac die passionis Christi agit, etiam Theophili opinionem a sua diversam ex incidenti saltem refert. At in altero libro de Æquinoctio Vernali peculiarem titulum habet *de Ordinatione feriarum Paschalium per Theophilum Episcopum Cæsariensem &c.* & ex professo Synodi hujus occasionem, indictionem, conventum Patrum, eorundem de controversia Paschali disputationem, rationes ultro citroque productas, & decisionem denique secutam ordine percenset. Sed prudenter egit Langius, dum eum locum silentio pressit, quem sibi non satis commodum, aut scenæ suæ faventem deprehendit, uti mox clarius ostendemus. Jam hoc saltem ex eo loco Bedæ de Æquin. Vern. exhibemus, quod diserte Theophilo cum aliis Concilii Patribus disputanti tribuat, quod pro Paschatis termino definiendo hanc rationem e die passionis Christi attulerit. Nam postquam variam Patrum Synodicorum per quæsita & responsa συζήτησιν descripsit, subjungit: *Theophilus dixit, ecce impium non est, ut passio Dominica, tantum sacramenti mysterium, extra limitem excludatur: Passus namque Dominus ab undecimo Calendarum Aprilis &c.* Equidem non diffiteor, quod in eo, quem Langius laudat, loco, Beda Theophilum in Epistola Synodica, quam una cum ceteris Palæstinæ Episcopis adversus Quartadecimanos scripsit, ita dixisse referat. At cum in alio loco a nobis producto hæc verba soli Theophilo cum aliis Patribus in Synodo disputanti adscribat, manifestum est, aut Bedam secum pugnare, fidemque adeo non mereri; aut si fides ei haberi debeat, potius eo in loco verum dixisse existimandum esse, ubi accuratius & καθεξῆς rem persequitur, quam ubi fortuito summam rei proponit. Sicut autem in omnibus Conciliis non omne illud pro fidei dogmate haberi debet, quod in Actis ab uno vel altero Patrum prolatum consignatur: ita & in hac Synodo rationes quædam privatim ab Episcopis allatæ sunt, quibus sententiam suam illustrarent, quæ non ipsæ inter fidei decreta censendæ, nec cum totius Synodi definitione confundendæ sunt. An & illam Episcoporum rationem pro Paschate die Dominico celebrando adductam pro decreto Synodali agnoscet Langius, qua inter

Digitized by Google

ter diei Dominici benedictiones etiam hanc collocant, *quod in illo de terra Ægypti, velut de tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi, per mare rubrum populus fuisset liberatus?* Sed unde habent Patres Synodici, quod id die Solis contigerit? Ipse Langius iis contradicit *p.* 264. dum *populum ex Ægypti servitute feria sexta egressum esse* e Seder Olam ostendat. Nec etiam percipio, quid sibi velit illa eorundem ratio, qua quartam diei Dominici benedictionem constituunt illam, qua Moses mandat ad populum: *sit vobis observatus dies primus & novissimus.* Quid hoc sit, aut unde petitum, nescire me profiteor. Alia æque incerta omitto. Existimaverit itaque hoc Theophilus: non tamen sequitur, eum cum universa Synodo id existimasse, quod Langius pronunciat *p.* 383. V. Si Theophili solius hæc assertio fuit, quod Christus XI. Kal. Apriles passus sit, & VIII. Kal. surrexit, uti omnino videtur, quis ille quæso est, ut toti orthodoxæ antiquitati, & universæ Patrum nubi, obloquatur? Obscurus is Pater est, nulloque ad posteritatem transmisso ingenii aut eruditionis monumento clarus. Hieronymus *in Catalogo Script. Eccles. c.* 43. ejus mentionem faciens, nihil ab ipso scriptum refert, præter Epistolam Synodicam, quam, an unquam viderit aut Beda, aut ejus Scholiastes, Monachus ille Ramesiensis, merito dubitare licet. In *Bibliotheca Patrum* Margarini de la Bigne nihil exstat, quod Theophilum istum auctorem habet. Nec Bellarminus, diligens alias Patrum scrutator, in libello *de Script. Eccles.* ejus vel verbulo meminit. Theophilus ille in eadem Synodo, referente Beda, inter alia adversus ceteros Episcopos ratiocinatur, quod e mense primo, initio mensium, vix ullus certus dies solennitati Paschali assignari queat, *quia omnes triginta dies a Domino consecrati sunt.* An vero & hoc pro decreto Synodico habebit Langius? Non opinor, nisi non minus secum, quam cum omni veritate ac ratione, pugnare velit. Æque tamen hoc Theophilo tribuit Beda, ac illud quod statim subjungit de passionis Dominicæ die, quod tanto conatu a Langio urgetur. Temere proinde asserit Langius *p.* 384. *antiquissimas Palæstinæ Ecclesias hanc opinionem tenuisse, quod Christus die Jovis sepultus insequente Solis resurrexit.* Nam Theophili προσλημμα hoc fuit, si ullius fuit, non Synodi aut Ecclesiarum Palæstinæ, nisi omnia, quæ adduximus, nos fallant. VI. Si Theophilus hoc, quod Langius vult, asseruit, nempe *Christum quarto ante Dominicum diem passum fuisse*, vel *quarto post passionem die resurrexisse*, enormiter is erravit, & falsum dixit, quia divinis Scripturis e diametro con-

contrarium protulit. Supra enim e Chriſti, Angeli & Apoſtolorum teſtimoniis fallere neſciis probavimus, Servatorem tertio poſt paſſionem die reſurrexiſſe, adeoque tertio ante reſurrectionem die paſſum ac ſepultum fuiſſe. Si Synodus idem credidit, quod nos nobis non perſuademus, ea quoque exorbitavit & falſa fuit. Hic enim valet illud, ſi uſquam, quod Langius ipſe *p.* 354. inculcat: *Verbum Domini veritas eſt, & omnis homo mendax.* Quis eo impudentiæ progreſſum ſe oſtendet, ut clariſſimæ ſacrarum literarum auctoritati fanaticum hominum gloſſema præferre ſuſtineat. Cedat divinæ veritati quidquid humana φαντασία comminiſcitur, nec certis incerta obſtrepant. VII. Obſervamus nondum liquido conſtare, quænam fuerit Theophili Cæſarienſis hac in parte opinio, nec ſecure adeo hanc ei ſententiam tribui poſſe, quam ipſi Langius adſcribit. Nam Beda, qui ſolus hic Langio præivit, ſibi non conſtat, nec certum propterea ipſum ea de re reddere potuit. Equidem in libro a Langio citato, nempe *de Temp. Rat. c.* 45. ita ejus opinionem refert, quod *paſſum Dominum ab XI. Kal. Apriles, qua nocte a Judæis traditus eſt, & ab VIII. Kal. April. reſurrexiſſe*, aſſeruerit. At in altero, quem nos allegavimus, libro, de Æquinoctio Vernali, aliter ipſius ſententiam exhibet, nimirum quod dixerit: *Paſſus namque Dominus ab undecimo Kalendarum Aprilium, qua nocte a Judæis traditus eſt, & ab ſeptimo Kalend. reſurrexit &c.* Vides manifeſtam diſcrepantiam. Si dixit Theophilus, quod eum Beda hic dixiſſe perhibet, *paſſum eſſe Chriſtum XI. Kalend. April. & VII. Kalend. reſurrexiſſe*, abſurdiſſimum fuit ipſius effatum, nec ipſi Langio ullo modo placere poteſt. Sic enim Chriſtum quatuor integras noctes & tres ſolidos dies naturales cum parte quarti in ſepulcro tranſegiſſe, adeoque non feria quinta ſeu die Jovis, ſed feria quarta ſeu die Mercurii mortuum eum ac ſepultum fuiſſe, ſtatuit. Nam inter undecimum Kalendas Apriles, quo juxta hæc Theophili verba mortuus eſt Chriſtus, & inter Septimum Kalend. quo reſurrexit, tot omnino, quot diximus, noctes ac dies intercedunt. Hoc autem ſi Theophilus opinatus fuit, ne hilo id Langium juvat, nec cum ipſius aſſertione convenit, ut omnibus patet. Sed dicet forte Langius, mendum eſſe in loco Bedæ a nobis producto, & pro VII. reſcribendum VIII. ut Chriſtum VIII. Kalendas Apriles reſurrexiſſe Theophilus pronunciaverit. Ita quidem librarii hic errorem agnoſcunt poſt alios Petavius *Anim. Epiph. p.* 171. & Spondanus *A. C.* 34. *n.* 45. Sed quis mihi certo perſuadebit, hunc locum eſſe corruptum, alterum autem non item? In editione Bedæ

Ba-

Digitized by Google

Basileensi per Joannem Hervagium A. 1563. facta, qua ego usus sum, numerus ille, quem vitiosum esse clamitant, non nota Romana, uti altero in loco, sed plenis literis ac syllabis expressus est, atque ita scriptus: *ab septimo Kalend. resurrexit.* Typothetæ itaque error hic nullus videtur. In MS. autem codice mendam fuisse unde constat? Si enim integre per literas scriptus fuit numerus, vix sphalmatis ibi suspicio locum habuit: sin vero per notam Romanam (VII) expressus fuit, error quidem animo præsumi posset; at Typographus eundem plenis literarum figuris vix repræsentasset, sed illo potius modo, quo eum repererat. Verum callide fecit Langius, quod hoc ulcus non tetigerit. Eam forte saniem erupturam prævidit, cui ipse mederi non valeret. Apparet enim hinc, aut Theophilum sibi contradixisse, adeoque falsum fuisse, aut Bedam ita in hujus sententiæ descriptione a semetipso discrepare, ut quid tutius sequaris, nescias. Quod si autem omnino librarii mendum in alterutro locorum Bedæ statuendum sit, proclivius erit illud in loco a Langio allegato suspicari, cum ibi notæ numerales occurrant, quas describenti facilior est lapsus, quam ei, qui integras literas exhibet, ut notorium est. VIII. Si vel vitiosus sit locus ille Bedæ, quem nos produximus, & recte satis sese habeat ille alter, quem Langius attulit (δαψιλέστεροι enim erimus) non difficile tamen erit, ita Theophili sententiam explicare, ut nihil adeo incommodi foveat; sed prope a nostra & antiqua absit, nec Langio ullo modo faveat. Dicit Theophilus in verbis a Langio citatis: *passus est Dominus ab XI. Kal. Apriles, qua nocte a Judæis est traditus, &c.* Observetur, quod non ajat crucifixum, mortuum aut sepultum esse Dominum ab XI. Kal. Apriles, sed saltem *passum*, idque *ea nocte, qua a Judæis traditus est.* Intelligit autem sine dubio initium passionis, quæ vespera XI. Kal. Apriles secuta incepit, dum agonem in horto subiit, & demum captus ac ad magistratus abductus est. Indicant hoc verba: *qua nocte a Judæis est traditus.* Quod enim Theophilus Christum crucifixum ac mortuum fuisse non XI. Kal. Apriles, sed X. Kal. crediderit ac asseruerit, id e clarissimo Bedæ loco in eodem libro de *Temp. Rat. c.* 65. evidenter patet, quem si Langius evolvisset, melius sibi consuluisset. Ita autem habet ille: *Sexta die animalia terrestria, & ipsum hominem formavit Adam, de cujus latere dormientis matrem omnium viventium produxit Evam, quæ nunc quantum mihi videtur esse credibile, decima Kalendarum Aprilium dies appellatur. Unde merito creditur, si non verior sententia vincit, quod beatus Theophilus cum ceteris*

Digitized by Google

non ſolum Paleſtinæ, ſed & permultis aliarum regionum Epiſcopis, de Paſcha diſputans ſcripſit, eodem decimo Kal. April. die Dominum fuiſſe crucifixum. Decebat enim una eademque non ſolum hebdomadis, ſed & menſis die ſecundum Adam pro generis humani ſalute vivifica morte ſopitum, de productis e latere ſuo ſacramentis cœleſtibus ſponſam ſibi ſanctificare Eccleſiam, qua videlicet die primum Adam, patrem videlicet humani generis, ipſe creaverat, eique de latere coſtam tollens ædificavit mulierem, cujus adjutorio genus propagaret humanum. Ecce hic Langio ſelectiſſimum ipſius teſtem Theophilum aperte in os contradicentem! Si crucifixus eſt Chriſtus X. Kal. April. ut hic ait Theophilus, & VIII. Kal. reſurrexit, ut in verbis a Langio adductis ipſum aſſerentem vidimus, certe Chriſtus non niſi duabus noctibus, & uno die naturali integro, in ſepulcro fuit, & non quarto, ſed tertio poſt paſſionem die, e tumulo ex mente Theophili prodiit. Nam inter X. Kal. & VIII. Kal. unus ſaltem dies cum duabus noctibus intercedit. Imo ſi recte rem narrat Beda, diſerte Theophilus cum ceteris Synodi Patribus Chriſtum feria ſexta, ſeu die Veneris, crucifixum & mortuum eſſe aſſeruit, ea ſcilicet ipſa hebdomadis die, qua Adam conditus eſt, quæ omnino fuit feria ſexta. Atque ea ratione Theophilus Cæſarienſis clientem ſuum Langium non modo deſerit, ſed & cauſæ, ad cujus patrocinium advocabatur, διαμάχηται adverſatur, & longe veriſſimum ſimul ac vulgatiſſimum perhibet. Aut igitur Beda ſecum pugnat, adeoque fide excidit, aut ipſe Theophilus non unam opinionem amplexus, & conſequenter in aliqua e diverſis falſus eſt. Sed Bedam ſibi relinquemus. Theophilum ſibi contraria dixiſſe veriſimile non eſt. Nulla enim nos eo neceſſitas cogit, id ipſi vitii ut imputemus. Conciliandus itaque ſecum eſt, & dextra interpretatio adhibenda. Cum habeamus clarum Bedæ de ipſius nobiſcum ὁμοψηφίᾳ teſtimonium, alienam ipſi ac abſonam opinionem tribuere iniquiſſimum eſſet. Nec negare poterit Langius, idem credidiſſe ac dixiſſe Theophilum, quod nos jam cum univerſa Eccleſia tuemur, niſi Bedæ fidem prorſus convellere, ſicque ſua propria munimenta deſtruere velit. Si autem hæc genuina ipſius ſententia fuit, alia ipſius verba prima fronte diverſa ad hanc erunt menſuranda. Cum vero dicit *Chriſtum ab XI. Kalend. Apriles eſſe paſſum*, intelligit procul dubio, uti ante innuimus, paſſionis Chriſti exordium, quod ab XI. Kalend. April. dependet, ſeu a fine diei iſtius ſub noctem, quæ mox ſucceſſit, inivit, cujus complementum demum, ipſa ſcilicet crucifixio & mors, poſtridie X. Kal. April. inſecutum

Digitized by Google

cutum eſt. Sic Bedæ *ab* idem poteſt eſſe ac *poſt*, ut ſenſus ſit, Chriſtum ſtatim poſt undecimum Kal. Apriles exactum paſſioni ſe accinxiſſe ac obtuliſſe. Quod autem reponit contra Petavium Langius de eadem vocula *ab*, quod *ea mox apud Bedam repetatur, ubi de reſurrectione Chriſti loquitur, ac ibi tali in ſenſu accipi nequeat:* ad illud forte reſponderi poterit, quod imperiti librarii culpa factum ſit, ut dum priori numero (XI) præfixam videret hanc particulam *ab*, eandem quoque ad ſequentem notam numeralem (VIII) de ſuo adjecerit, parem utrimque rationem eſſe arbitratus. Atque ſic vera lectio loci hæc eſſet, expuncto poſteriori *ab: Paſſus eſt Dominus ab XI. Kal. Aprilis, & VIII. Kal. Apr. reſurrexit.* Nihil autem ἄτοπον ſenſit aut dixit Theophilus, ſi ejus enunciatio hoc modo explicetur. Quod ſi Langio ad palatum non ſit, doceat me ipſe, quomodo Theophilum cum ſemetipſo conciliandum eſſe exiſtimet, niſi Bedæ fidem derogare velit, quod per me ſane licet. Idem enim mihi jus concedet, ut ejuſdem auctoritatem ab ipſo productam ſpernam, quo is verbis ejus a me allegatis minus pretii ſtatuet. Præſertim cum clariſſime his indicet, eam fuiſſe Theophili Cæſarienſis de die paſſionis Chriſti ſententiam, quod eum decimum Kal. Apriles & feriam ſextam exſtitiſſe putaverit. Scholiaſtes Bedæ, Monachus Rameſienſis, Theophili mentem e verbis Bedæ non percepit; ſed paſſionis initium, quod ille in animo habuit, cum ipſa crucifixione ac morte confudit, ac abſurdum inde ſenſum collegit. Plures autem doctiſſimi viri ita Epiſcopi iſtius Cæſarienſis verba acceperunt, ut iis Chriſtum XXIII. Martii mortuum, ac XXV. Martii reſuſcitatum, aſſeruiſſe ipſum cenſuerint. Sic Tirinus *in Chron. Sac. c.* 47. Petavius in *Rat. Temp. P.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. & *in Anim. Epiph. p.* 171. Spondanus *ad A. C.* 34. *n.* 45. & alii. Fallor, an & Langius incautus ſe iſtis caſſibus implicuit? dum ajat *p.* 383. *Theophilum Martii XXIII. ideo terminum Paſchalem eſſe voluiſſe, quod iſto die Chriſtus paſſus ſit.* Infero ego, ſi Theophilus Chriſtum XXIII. Martii paſſum eſſe judicavit, utique X. Kal. Apriles, non XI, paſſioni σωτηρίῳ aſſignavit. Nam XXIII. dies Martii eſt ipſe X. Kal. Apriles, & eo anno fuit feria ſexta, cum VIII. Kal. April. quos ille reſuſcitatum Dominum credidit, fuerit feria prima, ſeu dies Solis, de quo nemo dubitaverit. Elabendi rimam nullam hic reperiet Langius, niſi preli errorem accuſet. Sed nos latius hic excurrimus. Satis ſuperque probatum eſſe opinamur, Theophili hujus ſententiam inepte a Langio ad partes vocari. Potuiſſemus ſimpliciter tum Synodi, tum Theophili, auctoritatem rejicere, il-

Digitized by Google

lis, quas sat prægnantes attulimus, rationibus inducti, sicque tota res sufficienter expedita fuisset. Ea tamen fusius attexere haut piguit, quæ non modo incertum ac lubricum, sed & vanum ac frivolum esse illud, quod hic quæsivit, præsidium ostenderent. Persuadeat iis Langius, qui cerebrum in calcaneo gerunt, se non vulgare hic antiquitatis mantelum invenisse. Nos profecto

Non obtusa adeo gestamus pectora Cimbri.

Verum alterum jam ejus testem Chrysostomum examinemus. Hunc producit *p.* 384. dum ait: *Tres quoque dies in sepulcro mansisse Chrysostomus asserit, sicut ex iis verbis, quæ antea citavimus, liquet.* Quænam autem sunt ista verba? Nulla reperio præter ea, quæ paulo ante *p.* 382. allegaverat, hunc in modum concepta: οὐ γὰρ εἶπεν ἐν τῇ γῇ, ἀλλ' ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, ἵνα καὶ τὸν τάφον δηλώσῃ, καὶ μηδεὶς δόκησιν ὑποπτεύσῃ. καὶ τρεῖς δὲ ἡμέρας διὰ τοῦτο συνεχώρησεν, ἵνα πιστευθῇ ὅτι ἀπέθανεν. οὐ γὰρ τῷ σταυρῷ αὐτῷ μόνον βεβαιοῦται, καὶ τῇ πάντων ὄψει, ἀλλὰ καὶ τῷ χρόνῳ τῶν ἡμερῶν. Quis ex his τοῦ Χρυσορρήμονος verbis illud vel ulla veri specie exsculperet, quod Langius exprimere conatur? Qua felicitate ac dexteritate ante Ignatium ac Hieronymum allegavit, uti *cap. III.* vidimus, eadem hic Chrysostomum ad partes vocat. Per DEUM te, Langi, immortalem obtestor, ut ostendas, quis vel unicus orationis Chrysostomianæ apex id indigitet, quod tantum is moræ Christi in sepulcro spatium attribuerit, quantum tu fingis. Ne per somnium quidem id disertissimo Patri in mentem venit. Adivi ipsum non sine sollicitudine, rogavi sententiam: sed nihil plane in tui favorem pronunciavit. In eo, quem allegas, loco, nempe *Homil. XLIV. in Matthæum*, contra insanos Marcionis asseclas disputat, & totus in eo occupatur, ut ostendat Christum revera, & non apparenter saltem, ut ille impie fingebat, mortuum ac sepultum fuisse. Quæ hanc ipsius ῥῆσιν statim sequuntur, id evidenter docent. Subjungit enim: εἰπὲ γάρ μοι, φαντασίᾳ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοις τοῦτο εἰπεῖν. οὐκ οὖν οὐδὲ ὁ Χριστὸς ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς. οὐ γὰρ δήπου ὁ μὲν τύπος ἐν ἀληθείᾳ, ἡ δὲ ἀλήθεια ἐν φαντασίᾳ. *Dic mihi, quæso, fictone sermone putas in ventre ceti Jonam fuisse? nec potes id quidem dicere: quare nec Christum in corde terræ fuisse negandum tibi est. Non enim fieri potest, ut veritatis figura procul a figmento sit, veritas autem falsa imagine involvatur.* Mox addit: ὅθεν δῆλον, ὅτι τέκνα τοῦ Διαβόλου εἰσὶν οἱ τὰ Μαρκίωνος νοσοῦντες, ταῦτα ἐξαλείφοντες, ἅπερ ὥστε μὴ ἀφανισθῆναι μυρία ἐποίησεν ὁ Χριστὸς, καὶ ὥστε ἀφανισθῆναι

δῆναι μυρία ἐσπέδασεν ὁ Διάβολος. τὸν σαυρὸν λέγω καὶ τὸ πάθος. *Unde patet, Diaboli discipulos esse omnes, qui Marcionis morbo laborant, cum haec non credant, quae ne oblivioni traderentur, mille sacramentis effectum a Christo est, & quae maxime Diabolus delere oblivione conatur, crucem dico & passionem.* Ad hunc itaque scopum ea etiam verba collimant, quae a Langio citantur, & Aniano interprete ita Latine sonant: *Non enim, ait, in terra, sed in corde terrae, ut & sepulcrum denotet, & nemo apparentiam fuisse suspicetur. Tribus autem diebus mortuus esse voluit, ut nemo mortuum esse ambigeret. Non enim cruce solum, & visu omnium qui tunc aderant, verum etiam dierum numero mortem confirmat.* Quis non videt, quo tendat oratio & παγχρύσε σίματος? Mortem Christi & sepulturam veram ac realem fuisse, non apparentem aut imaginariam, omni conatu probat. Ut autem omnem φαντασίας suspicionem amoveat, verba Christi urget, quae triduanam ejus in sepulcro moram indicant. Dicit, quod Christus hac fini τρεῖς ἡμέρας συνεχώρησε, *ut crederetur vere mortuus.* Non disputabo an verbum συνχωρεῖν, quo utitur Chrysostomus, eum praecise sensum habeat, quem Langius inde exprimit, nempe ut *mansionem in sepulcro* designet. Generalior certe est ejus significatio, quam ut adeo restringi queat. Veluti enim laxe alias quamvis *concessionem* notat, ita hic convenienter reddi posset: *tres dies concessit, ut crederetur vere exspirasse.* Verum cum in sensu non magna disparitas emergat, de verbis non litigabimus. Id discere cuperem, quae Logica hanc consequentiam Langio monstraverit: *Chrysostomus tres dies in sepulcro mansisse Christum asserit*, Erg. tres dies naturales singillatim & tres noctes singillatim ipsius moræ in corde terræ tribuit. Aut plane ἀπαιδεύτως locum hunc allegavit, aut talem inde conclusionem elicere debuit. Sed a beatissimi Doctoris mente alieniſſimum id fuit. Dicit is *Christum tribus diebus mortuum esse voluisse*, & quidem verissime, cum tribus diebus civilibus, seu tribus νυχθημέροις, omnino in morte Servator manserit, ut *Cap. IV.* probatum dedimus. Trium noctium nullo apice meminit ὁ Χρυσορρήμων. Imo luculenter ostendit, quid per Christi τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας *Matth. XII*, 40. intelligendum sit, nempe tres dies ἁπλῶς, seu triduum civile, vel τρία ἡμερονύκτια. Minus dicit quoad externam verborum speciem, quam ipse Christus dixerat: & Langius tamen ejus orationem tanquam ἐμφαλικωτέραν ad Christi verba clarius explicanda adhiberi posse putavit. Nihil ulterius indicat, quam ipse Christus *Joh. II*, 19. asseruerat, se nimirum templum corporis sui ἐν τρισὶν ἡμέραις resuscitaturum.

Digitized by Google

Hinc addit, *Christum dierum numero mortem confirmaße.* Nempe tres illi dies civiles, quorum unum integrum, duorum partes, in tumulo transegit, ipsum vere mortuum fuisse contra Marcionem declarant. Si quid Langio consonum dixisset Chrysostomus, non tres dies absolute nominasset, sed vel totidem noctes adjecisset, vel aliam notam διακριτικὴν apposuisset, qua dies naturales, non civiles, designarentur. Sed nihil tale in facundissimi Patris ῥήσει occurrit. Cur ne verbulo id probare conatus est Langius, Chrysostomum tres dies naturales a noctibus distinctos intendisse? an stipites & fungos nos esse credidit, quibus, quidquid ipse somniaret, nullo negotio persuaderi posset? Sed vidit sine dubio ipse, nisi nihil plane vidit, nullis id fidiculis Chrysostomo exprimi posse. Voluit nihilominus aliquid proferre, licet futile, ne nihil protulisse videretur. Tres illos dies, quos morti Christi tribuit doctissimus Pater, nempe civiles seu artificiales, in mora Servatoris tumulo clausi supra evidenter demonstravimus. Jamque Langio gratias agimus, quod tam nobis per omnia faventem ac exacte consentientem Chrysostomi interpretationem suppeditaverit. Nihil enim afferri poterat, quod melius nobiscum conveniret. Miror autem Langium non & Epiphanii dextram prensasse, ejusque suffragium imploraße, cum is non minus, quam Chrysostomus, tres dies in sepulcro mansisse Christum asserat. Nam *Hær. XLII. n.* 74. sepulturam Christi τῦ σώματος τὴν τριήμερον θέσιν vocat, & *n.* 76. Servatorem τριήμερον μεταξὺ νεκρῶν γεγεννῆσθαι addit. Idem in Ἀνακεφαλ. *T. II. l.* 3. *n.* 9. corporis Christi ἀψύχυ μείναντος τὸ τριήμερον ἄπνυ τε καὶ ἀκινήτυ mentionem facit, & sæpe Christum ἀνίσασθαι τριήμερον asserit. Plus certe non dixit Chrysostomus, quando Servatorem τρεῖς ἡμέρας συγχωρῆσαι ait, quam Epiphanius, dum triduanam corporis ipsius exanimis in sepulcro inter mortuos moram toties inculcat. Uterque autem triduum civile, seu tria νυχθήμερα, eaque non solida & integra, manifeste intelligit. Non enim ita insanivit Epiphanius, ut quia Christum τριήμερον in sepulcro jacuisse dixerat, ideo tribus diebus naturalibus & tribus noctibus ibi delituisse eum crediderit. Existimavit enim extra controversiam Cyprius ille Pater, & quidem verissime, Christum feria sexta seu die Veneris crucifixum ac sepultum fuisse, & feria prima seu die Solis resuscitatum, ut suo loco ostendemus. Quod ipse Langius quoque non negat *p.* 384. dum *Epiphanium communem aliis errorem* (Langius, veram veteremque sententiam *errorem* appellans, ignoscat nobis, si ejus falsam novamque opinionem pro delirio habeamus) *secutum esse, & Christum feria VI.*

Digitized by Google

VI. passum dixisse, pronunciat. Idem de Chrysostomo etiam demonstrabimus, quod is antiquæ ac communi sententiæ, non minus quam Epiphanius, adhæserit. Manifestum simul evadet, quanta Aureo Ori per Langium fiat injuria, dum invitus ille & obtorto quasi collo in perversæ opinionis consortium rapiatur. Paucula saltem ipsius documenta lustremus. Unum antea *cap. IV. ex Homil. XC. in Matth.* adduximus, ubi Christum celerius, quam promiserat, surrexisse asseruit. In eadem Homilia mox ab initio verba Christi ad Jonæ typum spectantia ita accipit, ac si eadem essent cum aliis illis, ubi μ τρεῖς ἡμέρας omissa noctium mentione dicitur: ἄξιον δὲ κακεῖνο ζητῆσαι, πῶ ἔιπεν, ὅτι μ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι; ὁ γὰρ ἕυροι τίς ἂν ὅτω σαφῶς ἐιρημένον, ἀλλ' ἢ τὸ τῦ Ἰωνᾶ παράδειγμα. At quomodo ea verba μετὰ τρεῖς ἡμέρας *Marc. VIII*, 31. intelligenda sint, supra abunde est declaratum. In *Sermone LXXXII. in Matth. XXVI.* statim a principio diem illum, quo Discipuli accessere Christum, quærentes ubi Pascha sibi parari vellet, quem Euangelista (*commate 17.*) *primum Azymorum* vocat, Chrysostomus *quintum Sabbati* appellat: τῇ γὰρ πέμπτῃ τῦ σαββάτυ προσῆλθον. καὶ ταύτην ὁ μὲν τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων καλεῖ, τὸν καιρὸν λέγων καθ' ὃν προσῆλθον. Ecce feriam quintam septimanæ fuisse dicit eam, qua Discipuli Christum de præparando Paschate interrogarunt. Inter omnes autem constat, eo die hoc gestum fuisse, qui diem passionis Christi proxime præcessit. Probat hoc manifesta Euangelicæ narrationis series, nec ipse id Langius inficiari poterit. Si ergo feria diem σαρασίμον antegressa Chrysostomo fuit ἡ πέμπτη τῦ σαββάτυ, i. e. *feria hebdomadis quinta*, Erg. eidem necessario feria proxime secuta, qua crucifixus est Dominus, feria sexta judicata fuit, seu dies Veneris, quod Langio aperte contrariatur. Inter *Homilias* ejusdem *T. 5. Edit. Savil.* una exstat, cujus titulus est: *In proditionem Judæ, item in Paschа traditionem mysteriorum, nec non de acceptæ injuriæ oblivione*, τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ πενλάδι, i. e. *sancta & magna feria quinta*. Proditionem Judæ Paschatisque Dominici mactationem pridie quam Christus crucem adscenderet, contigisse, nemo negaverit, nisi qui Euangelistis fidem derogare non erubuerit. Si autem hæc in feria hebdomadis quinta collocavit Chrysostomus, passionem postridie insecutam in feria sexta inevitabili necessitate ponere debuit, nisi duorum dierum gesta in unum compingere voluerit, quod sine absurditate ne cogitari quidem potest. Omnes proinde vident, quam belle Chrysostomo cum Langio conveniat. Chrysostomus Servatorem feria sexta mortuum ac crucifixum esse

cen-

Digitized by Google

censuit, Langius id præcedente quinta accidisse pertendit. Gratuletur jam sibi Langius de insigni hic reperto patrono, credantque id illi, qui τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς sunt siderati. Solum ipsum modo secum spatiari cernimus, tam duce qui præcat, quam milite, qui signa sequatur, destitutum. Qui Scripturam & veritatem dereliquit, hunc Patres universi merito deserunt. Nuda qui claudat latera, neminem usquam, nisi multum fallor, consequetur.

CAPUT VI.

Argumenta e Scriptura pro antiqua veraque sententia firmanda afferuntur. I. E locis, ubi tertio die *Christus surrexisse perhibetur. II. E nomine* Paraſceves *diei Passionis tributo. Ejus propria significatio ostenditur. Item ex appellatione* προσαββάτου *Marc. XV, 42. quæ & explicatur. III. Quia Pascha eo anno in Sabbatum incidisse memoratur.* Sabbati *notio quid primario designet? Locus Johan. XIX, 31. exponitur.* Μεγάλη ἡμέρα *quid? IV. E verbis Luc. XXIII, 56. Unicum Sabbatum Christus in tumulo, & mulieres in otio exegerunt. Locutio* διαγενομένου τοῦ σαββάτου *apud Marcum declaratur, ut & alia apud Matthæum* ὀψὲ σαββάτων. *V. E duorum Discipulorum verbis Luc. XXIV, 21. quorum vis exprimitur. VI. E characterismo diei* Pentecostes. *Missio Spiritus S. die Dominico facta, nec non ipso Pentecostali festo.* Lud. Capelli *opinio refellitur. Item* Langii *de solennitate Karæorum. Epocha Pentecostalis explicatur & applicatur. Quale e calculo subsidium petatur? Cur Christus alio die, quam Judæi, Pascha comederit? &c.*

Rationes Langii, quas pro novo dogmate statuminando adducere potuit, satis lustravimus, ac dilutas remisimus. Scripturam ab inepta ejus allegatione vindicavimus. Personatis ipsius testibus larvam quoque detraximus. Nihil omisimus, quod vel tenuissimam morbidæ fronti cerussam inducere posset. Illud jam supereſt, ut antiquam ac verissimam totius Christianæ plebis sententiam iis argumentis firmemus, quorum robore septa, immota ac inviolabilis persistat. Equidem nulla nobis necessitas imponere videtur, novis id probationibus ut communiamus, quod vetustissima possessio, & tot seculorum præscriptio, extra omnem fere dubitationis aleam constituit. Facile sufficere poterat, causas pro innovatione

Digitized by Google

vatione allatas rejeciſſe, & vanitatis coarguiſſe, ut novitas his fulcris ſpoliata ſponte corrueret. Verum quo & Langio ſatisfaciamus, & æquo ac cordato lectori omnem ſcrupulum eximamus, ſelectiora momenta proponemus, quæ communem eam de die paſſionis Chriſti aſſertionem non *ſola conſuetudine firmatam* fuiſſe, uti Langius cavillatur, aut in *nudis ac vanis multorum opinionibus* præſidium habuiſſe; ſed manifeſta SS. literarum veritate nixam fuiſſe, ad oculum oſtendent. Falſitatis ſimul convincemus illud Langii effatum *p.* 354. *neque enim vel Scripturis vel conſentiente Patrum auctoritate dogma hoc Scripturis plane adverſum firmatur.* Contrarium enim evidenter pateſcet, tum e clariſſimis ſacri Codicis documentis, ac rationibus, tum e certa Chriſti in ultima hebdomade σαυρωσίμῳ, actorum ac geſtorum ſerie atque ἀκολουθίᾳ, in Hiſtoria Evangelica accurrate conſignata, tum denique e totius antiquitatis, & veterum Eccleſiæ luminum unanimi conſenſu, quibus argumentis qui refragari voluerit, cum humanitate ac Chriſtiana pietate pudorem exuiſſe cenſendus eſt. Brevitati autem, quoad fieri poteſt, ſummæ operam dabimus, ne in nimiam molem hæ pagellæ excreſcant. E Scriptura primum rationes deprompturis, initio ipſius Chriſti, Angeli ac Apoſtolorum teſtimonia probationem omni exceptione majorem ſubminiſtrant. Ea ſupra *Cap. IV.* urſimus, loca manifeſta indicavimus, nervumque eorundem non obſcure repræſentavimus. Quæ ibi diximus, hic otioſe non repetemus. Nemini dubium eſſe poterit, quin ſi Dominus *tertio* poſt paſſionem *die* reſurrexit, quod ἀναντίλεκτοι iſti teſtes perhibuerunt, veritati divinæ palam repugnet, quicunque *quarto* demum poſt mortem toleratam *die* Servatorem reſuſcitatum aſſerat. Neque enim ſimul conſiſtere poſſunt hæc enunciata, *Chriſtus tertio poſt paſſionem die reſurrexit*, & *Chriſtus quarto poſtquam mortuus fuerat die in vitam rediit.* Prius rotundis verbis affirmarunt Servator, Angelus & Apoſtoli. Poſterius Theophilo Cæſarienſi tribuit Langius, ipſeque probat ac tuetur, uti antea oſtendimus *p.* 58. Aut igitur illi fefellerunt & falſi ſunt, aut hic. De illis id fingere impium ac blasphemum eſt. Ergo de hoc id ut ſtatuamus, neceſſarium apparet. Hic fateor me illam in Langiano dogmate periculoſam abſurditatem deprehendere, quam initio, cum ejus conſiderationem aggreſſus ſum, non animadverti. Non enim putaram, eo temeritatis progreſſurum fuiſſe Langium, ut contra claram Scripturæ literam *quarto* demum *die* poſt guſtatam pro nobis mortem reſurrexiſſe Servatorem aſſeveraret. At diſerte ipſum IV. dies a paſſione ad reſurrectionem numera-

Digitized by Google

re loc. cit. indicavimus. Num autem hic id præstet, quod *p.* 355. pollicitus fuerat, nempe *primam sibi curam fore, ut sententia sua verbis Scripturæ simpliciter, hoc est juxta verba ipsa & alias Scripturas explicatis, conveniat*, judicent omnes, qui communi sensu gaudent. Qui hic sententiam ipsius verbis Scripturæ non modo non convenire, sed & aperte reluctari, non videt, in meridie cæcutit. Insignis ea Langii ἀβλεψία est, (ut mitissime dicam) quæ, qua ratione purgari queat, haut video,

Non mare si totum velit eluere omnibus undis.

Alterum argumentum e charactere diei σαυρωσίμου Christi desumimus, quem Marcus *c. XV*, 42. Lucas *c. XXIII*, 54. & Johannes *XIX.* 31. exhibent. Quod in Paraseeve Paschatis passus sit Dominus, & ex Euangelica Historia certum est, & ab ipso Langio satis ostensum. Baronium, Tostatum, Toletum, Barradium, Broughtonum & Cloppenburgium non moramur, qui in ipso Paschate Judaico crucifixum esse Dominum existimarunt. Vanam autem esse eorum opinionem, bene post multos alios probavit Langius *lib. II. P.* 2. *c.* 5. & 6. Verum in quam hebdomadis diem Pascha Judæorum anno passi Servatoris inciderit, inter nos & Langium non convenit. In feria sexta illud collocat Langius *p.* 431. & in Sabbatum id incidisse præfracte negat *l.* 1. *p.* 114. Sicque Paraseeven Paschatis, qua crucifixus est Dominus, feriam quintam seu diem Jovis fuisse contendit. Nos ex adverso asserimus non feriam sextam, sed septimam seu Sabbatum eo anno Pascha fuisse, & Paraseeven ejus in diem Veneris, non Jovis, incidisse. Hoc ubi probatum dederimus, certo simul Christum feria sexta seu die Veneris passum esse obtinebimus, quod Langius invita veritate negat. Ita igitur procedimus. D. Johannes *c. XIX*, 31. diem, quo crucifixus est Servator, παρασκευὴν vocat absolute, quem ante *commate* 14. cum προσθέσει quadam παρασκευὴν τῶν Πάσχα appellaverat. Nemo autem nescit παρασκευὴν nominari diem illum, qui proxime præcedit diem quemlibet festum. Cum vero Sabbatum festus dies erat apud Judæos hebdomadatim recurrens, suam illud quoque παρασκευὴν habebat. Unicuique enim יום טוב *diei bono* (sic festum vocant Ebræi) sua attribuebatur vespera προϊούσῃ, parandis rebus ad festum necessariis destinata. Hinc in Talmud, Jad Rabbi Majemonidis, Juchasin, aliisque Rabbinicis scriptis frequenter leges ערב יום טוב *Paraseeven diei boni* seu *festi*, ערב ראש השנה *paraseeven capitis anni* sive *Kalendarum novarum*, ערב עצרת *paraseeven Pentecostes*, ערב פסח *paraseeven Paschatis &c.* Vide Casaub. *Exerc. XVI. n.* 17. Quæritur autem, quid hic apud Johannem

nem & ceteros Euangeliſtas per παρασκευὴν denotetur, an Paſchatis ſaltem, an vero & Sabbati ordinarii ſeu hebdomadarii Paraſceve, quæ ſemper nobis dies Veneris exiſtit? Langius ſine dubio, ut ſcenæ ſuæ ſerviat, dicet Paſchatis tantum Paraſceven deſignari, ne ſi Sabbati intelligatur, quæ feria ſexta eſt, cauſa ipſe cadat. Sed luculenter ego oſtendam, diem ab Euangeliſtis παρασκευῆς vocamine indigitatum, & morte Domini nobilitatum, tam Sabbati hebdomadalis, quam feſti Paſchatis, Paraſceven eo anno fuiſſe, & cum noſtra die Veneris coincidiſſe. Illud enim hic omnino obſervandum, quod quanquam παρασκευὴ latioris ſignificationis vocabulum ſit, quam ut ſolum iſtum ſeptimanæ diem, qui Sabbatum præcedit, deſignet, cum & alterius cujuslibet ἀπράκλε diei pridianam lucem ſignificet: interim cum ἁπλῶς & ſine additamento ponitur παρασκευὴ, ſolum illum diem, qui Sabbatum proxime antegreditur, nempe feriam ſextam, repræſentet, & alias ubi alterius feſti annui Paraſceve notatur, ſemper ab illo feſto ſuo cognomentum ſortiatur, ut vel παρασκευὴ τῦ Πάσχα, vel τῆς Πεντηκοστῆς, vel alterius ſolennitatis Paraſceve dicatur. Vid. Scalig. *Proleg. Oper. de Emend. Temp.* Ita apud Johannem *v.* 14. παρασκευὴ τῦ Πάσχα omnino Paſchatis προεόρτιον deſignat, quia notam ſuam διακριτικὴν adjectam habet. At cum *v.* 31. ſimpliciter & abſolute παρασκευὴ dicitur, *Sabbati Paraſceve* extra omne dubium intelligitur, de quo non dubitare ſinit quemquam illud, quod additur, ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνε τῦ σαββάτε: quod mox ulterius conſiderabimus. Clare autem eodem modo Lucas *cap. XXIII*, 54. ait: ἡμέρα ἦν παρασκευὴ καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. Notanter dicit diem illam fuiſſe *Paraſceven*, ſeu hanc fuiſſe iſtius diei nomenclaturam, quod *Paraſceve* appellaretur. Rectius enim vertas, *dies erat Paraſceve*, in primo caſu, quomodo Syrus id per appoſitionem reddit יומא ערובתא, item Arabs גמעה יום, & probant Lud. de Dieu & Grotius, quam *Paraſceves* in ſecundo caſu cum Vulgato & Beza. Innuit Lucas, fuiſſe eam ſeptimanæ feriam, quæ παρασκευὴ Helleniſtis vocabatur, nempe ſextam, quam σάββατον ἐπιφῶσκον, i. e. *Sabbatum hebdomadale illuceſcens* ſtatim excepit. Si magis Paraſceve Paſchatis, quam Sabbati, intelligeretur, non diceretur σάββατον ἐπέφωσκε, ſed πρώτη Ἀζύμων ἐπέφωσκε, uti omnibus patet. Appoſite Lutherus: es war der Rüſtag und der Sabbath brach an; & Diodati: *quel giorno era la Preparation é l Sabbato ſopraſtaua.* Sic in eadem ſignificatione *Matth. XXVII*, 62. παρασκευὴ abſolute ſumitur, diesque, qua poſt interfectum Chriſtum congregati ſunt Pontifices &

Digitized by Google

Pharisæi, ita describitur, quod fuerit ἡ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευὴν, i. e. feria septima Paraseeven, ceu sextam, proxime secuta. Omnium autem luculentissime rem explicat Marcus *cap. XV*, 42. dum non modo παρασκευὴν simpliciter memorat, sed & addit majoris lucis causa ὅ ἐστι προσάββατον quod est pridie Sabbati. Nihil clarius pro nostra sententia dici poterat. Non dicit saltem diem eum fuisse *Paraseeven*, quod nomen pro Paschatis Paraseeve forte quis capere posset; sed & idem per προσάββατον interpretatur. Παρασκευὴ quasi genus est, cujus species sunt προεόρτιον & προσάββατον. Illud diem quodlibet festum immediate præcedentem notat: hoc autem, nempe προσάββατον, nihil usquam aliud designat, quam feriam ante Sabbatum hebdomadale proximam, nempe sextam. Ita Helleniſtice hæc notio usurpatur *Judith VIII*, 6. ubi Judith per omnes viduitatis suæ dies jejunasse dicitur χωρὶς προσαββάτων καὶ σαββάτων &c. Vides προσάββατα cum Sabbatis conjungi, tanquam dies hæc antecedentes. Sicut enim σάββατον non nisi in primo ac proprio sui usu (quem ipse Langius monstrat *p.* 375.) hic sumi potest, cum contradistinguatur aliis ἑορταῖς καὶ χαρμοσυναῖς οἴκου Ἰσραὴλ *festis & solennitatibus domus Israel*, adeoque *Sabbatum hebdomadale* unice designat, ita & προσάββατον ejusdem Paraseeven tantum *h. l.* vi relatorum significat. Sic & Epiphanius *in Expos. Fid. Cath. n.* 22. προσάββατον simpliciter pro feria sexta adhibet. Memorat ibi συνάξεις τετράδων καὶ προσαββάτων *conventus quartarum & sextarum feriarum*, item νηστείαν τετράδος καὶ προσαββάτου *jejunium quartæ & sextæ feriæ*. Addit non licere jejunare die Epiphaniorum, κἂν τε περιτύχῃ τέτρας ἡ προσάββατον, *tametsi in quartam vel sextam feriam inciderit*. Mox quorundam institutum refert, qui τὴν μὲν τὴν πέμπτην ὑγρυπνοῦσιν ἐπιφωσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον, *ea nocte pervigilant, qua feriam quintam sequitur, & in sextam feriam desinit*. Idem apud alios Græcos Patres frequenter deprehendes. Hic itaque penes Marcum προσάββατον omnino feriam sextam notat. Accidit enim Paraseevæ illi, qua passus est Dominus, ut tum ex consuetudine esset προσάββατον, i. e. παρασκευὴ τοῦ σαββάτου, tum casu προεόρτιον, i. e. παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Syrus apposite reddit: קרם שבתא רמשא דערובתא דאיתיה *vespera paraseeves, quæ est ante Sabbatum*; Lutherus: Der Rüſtag/ welcher iſt der Vor-Sabbath. Diodati: *la Preparatione, cioe l' Antisabato*; Beza: *Paraseeve, hoc est, ante Sabbatum*. Apertissime autem Arabs feriam sextam designat, dum יום נמעת i. e. *diem congregationis* interpretatur. Intelligit enim

enim eum ſeptimanæ diem, quem Muhammediſtæ ita appellant, eo quod hebdomadatim in illo conveniant, & ſolenniter ad ſacra peragenda congregentur, eſtque dies Veneris, ſeu feria ſexta, quam illi obſervant, ſicut Judæi ſeptimam, Chriſtiani primam, ut & a Judæis & a Chriſtianis differant. Vide de hoc gentis iſtius inſtituto Scaligerum *Emend. Temp. lib. V. p. m.* 486. 487. Hinc in Hiſtoria Sarracenica ab Erpenio edita prælium Bedrenſe ſecundum, in quo illuſtrem Muhammed victoriam reportavit, contigiſſe dicitur לילת אלנמע *nocte congregationis*, i. e. die Veneris, cum *nox* Arabibus *diem civilem* deſignet. Nemo itaque dubitare poterit, quin dies ille, quo magnus Pan mortuus eſt, fuerit Paraſceve Sabbati (non Paſchatis tantum) adeoque feria ſexta, quæ nobis dies Veneris eſt. Sicque rectiſſime Nonnus in Paraphraſi D. Johannis metrica locum ſupra laudatum ita expreſſit:

Ἕκτη δ' ἣν ἐνέπουσι προσάββατον, ἔπλετο ἠὼς

Sexta vero, quam proſabbatum vocant, dies erat.

Si autem feria ſexta paſſus & ſepultus eſt Dominus, & feria prima reſurrexit, quod nemo ſanus negaverit, ſequitur ipſum ultra duas noctes & unum diem naturalem ſolidum in ſepulcro non eſſe commoratum, quod ſimul demonſtrandum erat.

Tertium documentum e nota diei, in quem Paſcha Judæorum eo anno incidit, petimus. Langius illud in feria ſexta collocat, cum Paraſceven ejus, qua crucifixus eſt Servator, feriam quintam fuiſſe ſtatuat. Sed paratragædiat. Baronius itidem & Cloppenburgius Paſcha Judaicum pridie Sabbati fuiſſe putant, licet in eo a Langio diverſi abeant, quod in ipſo feſto Paſchatis, non in Paraſceve, paſſum Dominum aſſerant. Satis autem eos refellit Lud. Capellus in *tract. de ultimo Chriſti Paſchate &c.* Euangeliſtæ ſane in diem Sabbati incidiſſe magnum Paſchatis diem non obſcure indicant. Lucas *c. XXIII.* 54. uti ſupra vidimus, circa finem diei παρασκευῆς *Sabbatum* illuxiſſe perhibet, & commate 56. ſepulto jam Chriſto mulieres reverſas eſſe, & *Sabbati* quietem obſervaſſe commemorat. Non dubito, quin Langius hic illud effugium quæſiturus ſit, quod *Sabbati* notio non ſaltem ſeptimum hebdomadis diem, ſed & quodvis feſtum Judæorum complectatur, ut hic ideo Paſcha notare queat. Video enim ipſum *p.* 375. aſſerere, quod *præter primum illum ac proprium hujus verbi uſum, etiam reliquæ Judæorum feſtivitates Sabbata vocata ſint, ut ex Lev. XXIII. patet.* Et *p.* 392. dicit: *omnes feſti dies, quibus ab opere quieſcere Judæi debebant, Sabbatum in lege vocantur.* Sed

Digitized by Google

non hac rima elabetur Langius, licet de ista vocis amplitudine consentientem forte reperturus sit Scaligerum *Emend. Temp. lib. II. de Per. Jud. Alex.* & alios. Nam sacros Ebræorum scriptores quod attinet, illi fere semper voce שבת *septimum hebdomadis diem*, aut synecdochice *integram hebdomadam*, nec nisi rarissime aliam *festivitatem* designant. Ostendit hoc omnium locorum collatio, quæ pauculis saltem exceptis, istam vocabuli significationem unice exhibent. Judæorum Magistros μεταγενεσέρχς non curamus, uti nec Ethnicos scriptores, qui Judaicarum rerum meminerunt, quippe qui vel ob vetustatis defectum, vel imperitiam, solidum hac de re testimonium dare nequeunt. Aliis nominibus prisci Ebræi cetera festa insigniverunt, ut vel מועדים vel חגים, quod neminem fugit. Novi autem fœderis scriptores Græci nusquam vocem σάββαλον aliter quam pro *Sabbato Creationis*, uti septimam feriam vocant Ebræi, vel pro tota septimana ejusque feriis acceperunt. Si quis ambigit, Concordantias inspiciat. Nullo in loco vel Pascha, vel aliud festum, præter hebdomadale, σάββατον appellatum reperiet. Ἑορτὴν illo in sensu usurpatam deprehendet, non σάββαλον. Sic ipsum hoc Pascha Christi ἀναγάσιμον *Joh. XI*, 55. & *Matth. XXVI*, 5. ἑορτὴ nuncupatur. Si idem solum Lucas loc. cit. intendisset, eandem sine dubio nomenclaturam, vel alteram magis propriam Πάσχα, retinuisset. Nunc cum σάββαλον vocet, illud intelligit, quod solenni appellatione ita dicebatur. Famosissima enim nominis significatio hic ut alias merito retinenda est. Sed omnem scrupulum eximit Johannes *cap. XIX*, 31. cujus verba sunt: ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνυ τῦ σαββάτυ. Subjectum hujus propositionis est ἡ ἡμέρα ἐκείνυ τῦ σαββάτυ. Nihil autem interest, utrum ἐκείνη cum Arabe, Vulgato, Erasmo, Casaubono, Diodati, Grotio, Vossio; an vero ἐκείνυ cum Syro, Luthero, Beza, Scaligero & pluribus Codd. legas. Illud omnino hic subjicitur, quod proprie & communiter σάββαλον vocabatur, nempe feria hebdomadis septima. Prædicatum, quod de illo enunciatur, est μεγάλη, ut hic sensus sit: *dies illius Sabbati* (vel *dies illa Sabbati*, i. e. dies quæ erat Sabbatum) *erat magna*. Vid. Capelli ἐπίκρισιν ad *Cloppenburg p. 66*. Dicitur vero ita πρὸς διαφολὴν, tanquam sit quædam ἡμέρα σαββάτυ, quæ non sit μεγάλη. Jam nulla ratio dari potest, quare dies illius Sabbati ἐξαιρέτως magna appelletur, nisi quod in eundem magna Paschatis solennitas inciderit. Quod Ebraice dicitur יום, id Helleniſtice μεγάλη ἡμέρα vocatur. Hinc festum tabernaculorum ἀντωνομαστικῶς dicitur μεγάλη ἡμέρα, exemplo Judæorum & Samaritarum, qui

Digitized by Google

qui eam καθ' ἐξοχὴν חג appellant, in Oratione olim Petro tributa apud Clementem Alex. *Strom. 6.* Sic & Johannes *c. VII.* 37. ultimum σκηνοπηγίας diem τὴν μεγάλην τῆς ἑορτῆς ἡμέραν nominat. Tria enim Ebræi proprie חגים & Helleniſtæ μεγάλας ἡμέρας vocarunt, nempe feſtum Azymorum XV. Niſan cum XXI Niſan, Pentecoſten VI. Siwan & Scenopegiæ primum ac ultimum diem, uti obſervat Scaliger in *Proleg. ad Emend. Temp.* Confer Caſaub. *Exerc. XVI. n.* 18. Sabbatum præterea ante Paſcha proximum Judæis *Sabbatum magnum* appellatum fuiſſe docet Buxtorfius *in Synag. Jud. cap. XII.* Addit Grotius *Annot. ad Luc. VI*, 1. præter illud etiam duo alia σάββατα, quæ Pentecoſten & σκηνοπηγίαν proxime contingebant, μέγαλα vocata fuiſſe, qua fide nihil ad nos. Conſuli poteſt Capellus id rejiciens in Append. Ἀπικρίσεως laudatæ. Ex circumſtantiis autem hiſtoriæ Euangelicæ id certiſſimum eſt, quod nullius חג ſeu *feſti* concurſus diei Sabbati illius a Johanne memorato peculiarem ſanctitatis cultum addere potuerit, præter ſolius Paſchatis, ſeu magni primique diei Azymorum, cujus expreſſa alias in paſſionis Chriſti deſcriptione mentio occurrit. Hic cum in Sabbatum iſto anno incideret, illud præter communem dierum ſeptimorum religionem peculiariter *magnum* & ſanctum effecit. Gemina itaque Judæos religio prohibebat, ne corpora crucifixorum in lignis relinquerent, nempe & Sabbati hebdomadalis, & concurrentis magni feſti Paſchatis veneratio. Si præter Paſchatis ſolennitatem nihil hic Johannes indicaſſet, μεγάλη quidem ἡμέρα vocari potuiſſet, at ἡμέρα ἐκείνη vel ἐκείνη τῶν σαββάτων appellata non fuiſſet. Manifeſtum proinde eſt, cum Paſcha Judæorum feria ſeptima fuerit, Paraſceven ideo, in qua mortuus eſt Servator, feriam ſextam ſeu diem Veneris exſtitiſſe, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Quartam rationem nobis ſuggerit locus *Lucæ XXIII*, 56. ubi dicitur, quod piæ mulieres ſepulto jam Chriſto a monumento reduces aromata ſibi comparavere, καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν. Syrus reddit: ובשבתא שלי אין רפקיד; Lutherus: Und den Sabbath über waren ſie ſtille nach dem Geſetz; Beza: & *Sabbato quidem quieverunt ſecundum præceptum*; Diodati: *e ſi ripoſarono il Sabato, ſecondo'l comandamento.* Cum Chriſtus feria ſexta ſeu die Veneris tumulo mandaretur a Joſepho & Nicodemo, comites ſe & ſpectatrices præbuerunt devotæ quædam feminæ, quæ ipſum e Galilæa ſecutæ fuerant *v.* 55. Condito autem jam funere, cum inſtaret veſpera Sabbati ſuccedentis, reverſæ eædem aromata coemerunt ante exordium Sabbati, & deinde ſolenni religione obſtrictæ Sab-

ba-

Digitized by Google

batum, quod ſtatim inibat, quietæ tranſegerunt. Solum Sabbatum memoratur, quo quieverunt illæ, unicus quidem dies, ſed duplice ſanctitate, Sabbati ſc. hebdomadalis & feſti Paſchatis, celebris atque illuſtris. Poſtquam vero præteriiſſet jam ille unicus Sabbati dies, & feria prima ſeu dies Solis ſuccederet, confeſtim illæ Sabbati nexu ſolutæ ad monumentum reviſendum, & pietatis officia ſepulto præſtanda, ſe accingunt, ut diſerte indicat Marcus *c. XVI*, 1. qui id factum ait διαγενομένου τοῦ σαββάτου, i. e. *exacto intercedente Sabbato*, uti Beza commodiſſime interpretatur. Tanto fere tempore quieverunt mulieres, quanto Chriſtus in ſepulcro, tanquam adjuratæ, ut quieſcere Sponſum paterentur, donec ipſe ſemet excitaret *Cant. II*, 6. Nam cum ad ſepulcrum venirent, ſponſum jam jam excitatum deprehenderunt. Sed nec ille nec illæ diutius quieverunt, quam per unum diem naturalem integrum, ſc. Sabbati, cum noctibus præcedente & ſequente, & particula pridianæ lucis poſtrema, uti e Lucæ verbis evidenter patet. Si Chriſtus juxta Langii opinionem die Jovis ſeu feria quinta paſſus ac ſepultus fuiſſet, & primus Azymorum ſeu XV. Niſan feria ſexta ſeu dies Veneris, ſecundus autem Azymorum ſive XVI. Niſan Sabbatum demum exſtitiſſet, non potuiſſet dicere Lucas, quod mulieres τὸ σάββατον quieverint. Si enim diverſus fuiſſet magnus dies Paſchatis a Sabbato hebdomadis, non minus illum καλὰ τὴν ἐιλολὴν, quam hoc, quietæ tranſigere debuiſſent mulieres. Cur autem non æque illud indicaſſet Lucas, atque hoc? Si feria quinta fuiſſet, cum mulieres a ſepulcro Servatoris reverterent, & duo dies ἄπρακτοι, nempe primus Azymorum & Sabbatum ordinarium, ingruiſſent, utriuſque ſane in otio a mulieribus exacti, non alterutrius tantum, mentionem Euangeliſta feciſſet. Cur enim quæſo dixiſſet illas Sabbato quieviſſe, ut non & addidiſſet, eas magno feſto Paſchatis feriatas fuiſſe, ſi alias duo diverſi dies fuiſſent, uti Langius pertendit? Si & feſtum Paſchatis σάββατον vocari potuiſſet, dixiſſet ſine omni dubio Lucas, ἡσύχασαν τῷ σαββάτῳ in duali numero, non τῷ σάββατον in ſingulari, ut per *duo Sabbata* ſuccedentia quieviſſe eas doceret. Alias ſingillatim dixiſſet ἡσύχασαν τὴν πρώτην τῶν Ἀζύμων καὶ τὸ σάββατον καλὰ τὴν ἐιλολὴν, ut duo iſta diſtincta feſta indicaret. Jam vero ita orationem temperat Lucas, ut unicum ſaltem diem feriatum fuiſſe liquido oſtendat. Id ſimul luculenter docet, unum ſolum integrum ac ſolidum diem inter ſepulturam & reſurrectionem Chriſti interceſſiſſe, uti omnibus apparet. Imo manifeſte in narratione Lucæ, a *commate* 54. *cap. XXIII.* uſque ad *cap.* ſeq.

Digitized by Google

ſeq. XXIV. comma primum, ἡμερολόγιον tridui illius ſynecdochice accepti, quo Chriſtus in ſepulcro jacuit, continetur. Primum diem indigitant verba *v.* 54. καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, quæ cum ſepulturæ hiſtoria ſeorſim connectenda videntur. Secundum diem oſtendunt verba ejuſdem commatis proxima, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, quo & pertinent verba illa *v.* 65. quæ jam explicavimus. Tertium diem, quo ſurrexit Servator, indicat phraſis *cap. XXIV*, 1. τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, ubi particula δὲ clarum exhibet σύνδεσμον hemerologii cum verbis illis præcedentis *cap. v.* 56. καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν. Sicque tanta loci hujus Lucæ lux eſt, ut qui eam non percipit, nec ſolem in meridie ſplendentem agnoſcat. Marcus quoque loco allegato idem, quod hic Lucas innuit, deſignavit. Nam locutio ipſius διαγενομένης σαββάτε non coincidit cum phraſi Matthæi *cap. XXVIII*, 1. ὀψὲ σαββάτων, uti Langius ſibi perſuadet *p.* 377. quaſi utraque hebdomadis exitum denotet. Matthæus quidem per σάββατα omnes *ſeptimanæ ferias* intelligit, quas tum effluxiſſe docet, cum Dominus prima novæ hebdomadis feria ſurgeret. Marcum autem, σαββάτε dum meminit, *ſeptimanam* intendiſſe nihil ſuadet, quomodo alias *Luc. XVIII*, 12. eam vocem ſumi non negamus. Omnes fere Interpretes reclamant, qui σάββατον apud Lucam quidem *ſeptimanam*, hic autem apud Marcum *Sabbatum* reddunt. Sic Beza, uti antea monuimus, hic *Sabbatum*, illic *hebdomadem* habet. Lutherus hic: Da der Sabbath vergangen war/ illic zwar in der Wochen. Diodati hic *paſſato il Sabato*, illic *due volte la ſettimana.* Sic & Caſaubonus ac Grotius, ut alios taceam. Aliud quoque eſt σάββατον Marco in ſingulari, aliud σάββατα Matthæo in plurali. Hic *feriæ hebdomadis* intelligi poſſunt, ſicut in eo, quod ſtatim ſequitur εἰς μίαν σαββάτων, quomodo id etiam recte accepit Diodati, dum *finita la ſettimana* interpretatur. Apud Marcum autem feria ſeptima ſaltem & ultima, nempe *Sabbatum* deſignatur. Et participium διαγενομένης convenientiſſime redditur *cum interceſſiſſet*, uti Grotio placet & Caſaubono *Exerc. XVI. n.* 113. & a Beza in verſione ſupra a nobis laudata expreſſum eſt. Nam διαγίνεσθαι *intercedere* notat *Act. XXV*, 13. & *XXVII*, 9. Sicque intervallum indicatur, quo Chriſtus in ſepulcro manſit, & ſenſus planiſſimus hic exiſtit, uti a Caſaubono repræſentatur: *cum inter ſepulturam corporis Chriſti, de qua proxime locutus erat Euangeliſta, & adventum mulierum ad monumentum, dies Sabbati medius interveniſſet, atque is jam eſſet exactus, &c.* Atque hac ratione Lucas & Marcus amice conſpirant, illudque ſpatium manſionis Chriſti

in ſepulcro apertiſſime definiunt, quod hactenus ab omnibus creditum fuit, & nos jam contra Langium defendimus.

Quintum probationis momentum locus *Luc. XXIV*, 21. ſponte nobis offert. Cum enim Chriſtus eodem die, cujus diluculo reſurrexerat, poſt meridiem duobus illis diſcipulis appareret, qui Hieroſolymis in vicum Emaus ibant, atque illi ea, quæ mutuis ſermonibus inter ſe agitarant, ipſi exponerent, nempe quod de Jeſu Nazareno a Pontificibus occiſo locuti fuiſſent, quem Iſraelem redemturum ſperaverant, dicunt inter alia: ἀλλά γε σὺν πᾶσι τούτοις τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον, ἀφ' οὗ ταῦτα ἐγένετο. Beza ad verbum ita vertit: *Atqui præter hæc omnia tertium hunc diem agit hodie, ex quo hæc facta ſunt.* Commodius ſenſum expreſſit Lutherus: Und über das alles iſt heute der dritte Tag / daß ſolches geſchehen iſt. Nam activum imperſonaliter pro paſſivo poſitum eſt, uti ſæpe alias, ſenſuſque eſt: *tertius hodie dies agitur.* Vide Grotium ad *h. l.* Syrus pro numero ordinali cardinalem poſuit: יומין תלתא והא *& ecce tres dies ſunt.* Sic & Diodati: *benche ſieno tre giorni.* Quod hæc apparitio Chriſti die Solis, & eadem feria prima, qua mane reſurrexerat, contigerit, manifeſtum eſt e *comm.* 13. ubi ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ hoc factum dicitur, qua reliqua præcedentia acciderant, nempe τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, quæ *comm.* 1. diſerte expreſſa fuit. Pomeridianum autem diei tempus fuiſſe, e *comm.* 29. patet, ubi Chriſtum, ſecum ut commoretur, rogantes dicunt: πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ, καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα. Dicunt vero diſcipuli *hunc diem*, quo hæc geſta ſunt, *tertium fuiſſe*, ex quo ea facta fuerant, quæ *v.* 20. commemorant, nempe quod primores ſui Jeſum εἰς κρίμα θανάτου tradiderant, & cruci affixerant. Si igitur hic dies Solis tertius fuit a damnatione & paſſione Jeſu Nazareni, diem Veneris omnino fuiſſe oportet, quo damnatus & crucifixus eſt. Si autem dies Jovis ille exſtitiſſet, uti Langius opinatur, mentiti eſſent hi diſcipuli, qui proximum Solis diem *tertium* ab eo dixerunt, cum *quartum* dicere debuiſſent. Sive enim νυχθήμερα, ſive dies naturales, a diſcipulis iſtis intelligi dixerit Langius, ne hilo tamen proficiet. Quartus a die Jovis Solis dies erit, quomodocunque eum accipiat. Si νυχθήμερα velit, primum erit illud, cujus diurno ſpatio circa horam ſextam crucifixus, & circa nonam mortuus eſt Servator. Secundum quod a veſpera feriam quintam ſecuta init, & cum occaſu Solis feria ſexta terminatur. Tertium e nocturno diurnoque Sabbati ſpatiis conſtat. Quartum demum fuit illud feriæ primæ, cujus diurna luce jam declinante hoc a Cleopha ejuſque comite prolatum

Digitized by Google

latum fuit, qui ſic falſum dixere, dum *tertium* id vocarunt, quod *quartum* revera exſtitit. Sin autem dies naturales malit, quos Solis ortus inchoat, occaſus terminat, non minus hic quartus dies e Langii hypotheſi evadet. Primus enim erit dies Jovis, cujus veſpere Chriſtus ſepultus eſt, cujus duas horas cum parte tertiæ pro uno die naturali numerandas cenſet ipſe Langius *p.* 383. Secundus eſt dies Veneris. Tertius Saturni. Sicque quartus erit ille, quo jam ad finem decurrente hæc in via Emauntica geſta ſunt. Si autem quartus fuit, utique *tertius* eſſe non potuit, quod duo illi diſcipuli perhibuere. Sed tutius teſtibus illis oculatis & auritis, præſertim de re nuperrime acta pronunciantibus, quam Langio ſomnium & nænias venditanti, credimus. Nihil hic addimus, ne Soli lucem fœnerare velle videamur.

Sextum argumentum e characteriſmo diei Pentecoſtes petimus, qui eo ipſo anno, quo paſſus eſt Dominus, in feriam primam incidit, & ſolenni Spiritus Sancti miſſione nobilitatus fuit. Hinc enim evincemus, diem XVI. Niſan, ſeu ſecundum Azymorum, quo offerebatur Omer, itidem fuiſſe feriam primam, adeoque diem XV. Niſan, ſeu ipſum magnum diem Paſchatis fuiſſe Sabbatum, non feriam ſextam, uti Langius putat, & conſequenter Paraſceven Paſchatis, in qua mortuus eſt Servator, feriam ſextam exſtitiſſe. Ita autem ratiocinamur. Quod dies ille, quo Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos cœlitus demiſſus eſt, dies Solis ſeu feria prima fuerit, tota orthodoxa credidit antiquitas, eamque ob cauſam non alio die ejuſdem memoriam celebrandam conſtituit. Scaliger in *Proleg. ad Emend. Temp.* dicit, *Eccleſiam & omnem Chriſtianitatem ab ultima uſque antiquitate credidiſſe, illam Pentecoſten, qua Spiritus S. ſuper Apoſtolos deſcendit, fuiſſe diem Dominicam.* Idem aſſerit Card. Baronius *ad A. C.* 34. *n.* 239. *Quod ad tempus attinet*, ait, *ſeu diem, facta hæc eſſe die Dominico, ſanctorum Patrum aſſertio, ſacrorum Conciliorum Canones, Eccleſiaſtica traditio firmant, ac ipſa denique ratio monſtrat.* Vide & Barradam *Conc. Euangelic. T. IV. lib.* 10. *c.* 1. Quod autem idem dies Dominicus, miraculoſo ſummi Paracleti deſcenſu illuſtris, Pentecoſtale Judæorum feſtum fuerit, ex *Act. II*, 1. liquido conſtat, ubi hoc factum memoratur ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, *cum compleretur dies Pentecoſtes.* Utrum hic ἡμέρας in plurali cum Syro & Arabe legas, quod probat Scaliger in *Can. Iſag. l.* 3. *p.* 217. 218. an ἡμέραν in ſingulari cum Chryſoſtomo & plurimis Codicibus, quos Lutherus, Beza, Diodati & alii ſequuntur, nihil prorſus refert. Si ἡμέρας

Digitized by Google

legas, intelligi poterit tota illa periodus quinquaginta dierum, cujus clausula seu ultimus dies tum advenerat. Inepta autem est Scaligeri ratio, propter quam alteram lectionem (ἡμέραν) rejicit, nempe quod si ἡμέρα τῆς πεντηκοστῆς *pro solenni sextæ Siwan sumi debeat, non possit dici* συμπληρωθῆναι, *nisi postquam præteriit.* Nam quod ille etiam dies dicatur stylo Scripturæ συμπληρῦσθαι, qui non præteriit, sed vel advenit, vel instat saltem, suprà *cap. III.* luculenter ostendimus, quo lectorem remittimus, ne actum agamus. Sic & hic ipsa Pentecostes Judaicæ solennitas compleri dicitur, cum jam festus ille dies advenisset. Hinc rectissime Beza reddit: *quum advenisset dies Pentecostes*; & Diodati: *come il giorno della Pentecosta fugiunto.* Fallitur Lud. Capellus, vir alioquin doctissimus, quando in Ἐπικρίσει ad Cloppenburgium *n.* 22. 23. 24. Pentecosten Judaicam eo anno non in feriam primam, sed Sabbatum, incidisse putat, eundem nempe septimanæ diem, quo magnus Paschatis dies accidit. Existimat enim Pentecostes festum diem quinquagesimum esse, non respectu XVI. Nisan, seu secundi Azymorum, sed respectu XV. Nisan & primi Azymorum. Sed hoc diserte contra legis divinæ verba *Levit. XXIII.* 15. 16. & contra Judæorum consuetudinem currit, ut mox patebit. Deinde missionem Spiritus Sancti non in ipso Pentecostes Judaicæ festo, quod in Sabbato collocat, sed postridie feria prima factam esse putat. Sed repugnant verba Lucæ *Act. II*, 1. quæ illud ἐν τῷ συμπληρῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς contigisse evidenter indicant. Quod enim hanc locutionem Capellus una cum Cloppenburgio ita explicat, ac si idem notet, quod μετὰ τὸ συμπληρῦσθαι, id sine exemplo fit, & textui vis infertur. Reclamat quoque narratio Lucæ *comm. 6. seqq.* de solenni πανηγύρει, quæ tum aderat, & miraculum factum oculis auribusque usurpabat. Nam quod tam frequens concio post Pentecostes Judaicæ ἐξόδιον convenerit, vix verisimile videtur, licet illud probabile ut efficiat, miris modis se torqueat. Nobis clara *cap. II.* πραξαποστόλυ litera facile persuadet, quod tum die Dominico, tum ipso Pentecostes Judaicæ festo Spiritus S. cœlitus delapsus fuerit. Ipse Langius *p.* 434. dicit, *Christum promissum Apostolis suis Spiritum Sanctum misisse ipso die Pentecostes, Karraorum feria prima.* Rationem, cur Pentecosten Karræorum in feria prima collocet, nullam hic addit Langius. Suspicor autem secutum eum esse Cl. Seldenum, qui in *tract. de anno Civili & Kalend. Vet. Reip. Judaicæ c. 7.* verbis Eliæ Ben Moseh Scripturarii ostendit, Karræos epocham Pentecostalem non a die altero post XV. Nisan seu secundo Azymorum, sed a die post Sabba-

Digitized by Google

Sabbatum hebdomadale, quod Paſchatis feſtum ſequitur, proximo ordiri, & illud שבת *Lev. XXIII.* 15. non de feſto Paſchatis, ut Talmudici, ſed de Sabbato creationis interpretari. Huc enim Langius *p.* 397. collimare videtur. Sicque fortaſſis Karraitarum Pentecoſte in feriam primam incidere potuit. Sed quid cauſæ ſit, cur in horum potius, quam Talmudicorum, Pentecoſtali feſto mirabilem ſacri Flaminis effuſionem contigiſſe exiſtimet, ego παχύς τις ὢν non video. Imo plane a vero id alienum arbitror. Nam Lucas dum abſolute τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς commemorat, illorum ſine dubio feſtum intelligit, qui præcipua & potiſſima in Judaico populo pars erant, nempe Traditionalium ſeu Talmudicorum, quibus Synedrii Principes & populi primores adhærebant, uti ipſe Langius fatetur *p.* 405. Quis enim putabit illum Scripturariorum ſolennitatem, hominum inter Judæos paucorum & ceteris inviſorum, diem Pentecoſtes ἁπλῶς vocaſſe? Totius potius ſenatus populique feſtum deſignaſſe eum omnia ſuadent. Quod Langius alibi de Paſchate Karræorum a Chriſto obſervato, & Talmudicorum neglecto, diſſerit, id neque certum adeo eſt, neque huc quadrat. Solius enim Eliæ iſtius Scripturarii teſtimonium, quod unicum e Seldeno allegare potuit, liquido oſtendere non poteſt, iſtam Neomeniæ e phaſi Lunæ obſervata conſtituendæ rationem tempore Chriſti obtinuiſſe, quam recens ille auctor deſcribit, qui mille quingentis ferme poſt Chriſtum annis, teſte Seldeno, vixit, & iſtos ſuos *Sedarim* ſeu *Ordines* compilavit. Nec ſequitur, ſi vel Chriſtus cum Karræis Paſcha comediſſet, ideo & Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos in eorundem feſto delapſum fuiſſe. Alia enim ratio fuit, ſi Servator Paſcha Scripturariorum obſervavit, ab ipſo Langio *p.* 405. propoſita, nempe *ut Chriſtus impoſito legalibus fine, ipſo die, quo typicus agnus Paſchalis Talmudicis mactabatur, pro peccatis populi immolaretur.* Talis autem hic nulla ratio fingi poteſt, cur Karræorum potius feſtum Pentecoſtale, quam Talmudicorum, θαυμασίῳ ſuo deſcenſu Spiritus Sanctus honorare voluerit. Præſertim cum abſona eorundem legis *Lev. XXIII,* 15. explicatio, & menti Legiſlatoris incongruens periodi Pentecoſtalis ſupputatio, omnino videatur. Obſtat quoque inſignis ille hominum confluxus, quem iſto die factum memorat Lucas, ne Scripturariorum hoc feſtum fuiſſe credamus. Cum enim pauci fuerint Karraim pro portione Rabbaniim, teſte magno Scaligero *l.* 2. *Emend. Temp. p.* 144. iique potentioribus iſtis Talmudicis magnopere exoſi, & ſub Sadducæorum nomine traducti, uti concedit Langius *p.* 403. quis quæſo putabit, in aliqua

Digitized by Google

eorum ſolennitate tantam mortalium multitudinem e plurimis gentibus ac nationibus congregatam fuiſſe, quanta ad ſtuporem uſque a Luca *comm.* 6. 9. 10. 11. deſcribitur? In eo id feſto verius ſtatuitur, quod e Senatus Judaici decreto, & totius fere populi conſenſu, ſolenni πανηγύρει celebrabatur. Qui de Karræorum ſecta, inſtitutis ac conditione plura ſcire avet, conſulat Seldenum in tractatu laudato *c.* 2. auctoreſque ab ipſo citatos, & conferat Scaligerum *in Elench. Tribar. contra Serarium p.* 28. 235. 318. *&c.* Buxtorf. *Lex. Talm. in Rad.* קרא, & *Syn. Jud. c.* 1. Benjamin. *Itiner. p.* 28. 52. Menaſſe ben Iſrael *de Reſurr. lib.* 1. *c.* 6. Schikard. *Bech. Happ. p.* 103. Druſium *Queſt. l.* 1. *q.* 44. Rittangelium *ad lib. Jezira p.* 33. Hackſpan *in Nizach.* R. Lipm. *p.* 249. Hottinger. *Theſ. Philol. l.* 1. *c.* 1. *ſect.* 5. *n.* 9. & alios, nobis enim hic non licet eſſe diffuſis. Poſtquam vero jam conſtituimus, Talmudicorum, nempe Synedrii & maximæ e plebe partis, ſolennitatem hanc Pentecoſtalem fuiſſe, qua miraculo emiſſus eſt Deus Spiritus, nec non diem Solis ſeu Dominicum exſtitiſſe eandem probavimus, facile modo demonſtrabimus, quod Paſcha Talmudicorum, cujus Paraſceve Domino mortem, mundo vitam attulit, in diem Saturni ſeu ſabbatum eodem anno inciderit. Nam e præſcripto legis divinæ *Lev. XXIII*, 15. ſeptem hebdomades numerari debebant ממחרת השבת *a craſtino die Sabbati*, qui fuit XVI. menſis Niſan, quo Omer ſeu manipulus primitiarum e novellis frugibus DEO offerri debebat. Per *Sabbatum* hic recte Talmudicos ipſum magnum diem Paſchatis intelligere probat Seldenus loc. cit. & fatetur ipſe Langius *p.* 397. ita ut *craſtinus Sabbati* ſit dies, qui XV. Niſan ſeu primum Azymorum proxime ſequitur. Includi autem debebat ille XVI. Niſan ſeu ſecundus Azymorum in numero 50. dierum, ut is primus exiſteret, & dies feſtus Pentecoſtes ultimus, ipſe nimirum quinquageſimus, evaderet. Oſtendunt enim id clara legis verba, & interpretum doctiſſimorum unanimis conſenſus. Pentecoſten ſemper in ſextam Siwan incidere aſſerit Scaliger *l.* 2. *E. T. p. m.* 105. Ita & Munſterus *in Kalend. Ebr. p. m.* 151. & Ribera *de Templo l. V. c.* 7. & Torniellus *A. M.* 2445. *n.* 20. Supponunt nimirum menſem primum Niſan ſemper eſſe cavum, & 29. dies habere, & ſecundum Ijar perpetuo plenum e 30. diebus conſtare, ut ea ratione ſextus Siwan omnino ſit quinquageſimus dies a decimo ſexto Niſan inclusive accepto. At Seldenus ob diverſitatem menſium hoc Septimanarum feſtum nunc quintum, nunc ſextum, nunc ſeptimum diem tertii menſis Siwan juxta Talmudicorum calculum occupare potuiſſe docet, idque quia uno

Digitized by Google

uno in anno Niſan & Ijar utrique pleni, in altero utrique cavi, in alio alter plenus alter cavus, eſſe quiverunt. Ita & Johan. Coch *in Sanhedr. cap.* 1. *p.* 10. Sed hoc nihil ad nos. Illud certum eſt, quod XVI. Niſan, ſeu ſecundus Azymorum, & dies ab eo quinquageſimus, ſeu feſtum Pentecoſtes, in eandem hebdomadis feriam incidere debuerint. Neque enim aliter fieri potuit, quam ut primus & quinquageſimus unius periodi dies, ambo incluſive ſumpti, in unum ſeptimanæ diem caderent, niſi ſeptimanam plurium quam ſeptem dierum comminiſci quis velit, quod abſurdum eſt. Omnes in hoc eruditi conſentiunt. Nec ipſi abludunt, qui Paſcha Judaicum ejus anni in feria ſexta collocant, licet aliud quid fingant, quo θέσιν φυλάττειν ſatagunt. Dicit enim Baronius *ad A.* 34. *n.* 239. *dies illos* 50. *non a XVI. Niſan, vel die ſequenti Paſchatis, numerari cœpiſſe, eo quod dies ille Sabbatum eßet, quo falcem in meſſem mittere vetitum erat, ſed manipulum hoc anno oblatum fuiße ipſo die Dominico &c.* Idem ajunt Sigonius *de Rep. Ebr. l.* 3. *c.* 10. Ribera *de Templo l.* 5. *c.* 7. Torniellus *ad A. M.* 2544. *n.* 40. & Barradas *T.* 4. *l.* 10. *c.* 1. *n.* 5. repugnante Fr. Suaretzio *T.* 2. *in Thomæ P. III. quæſt.* 53. *art.* 2. *diſp.* 45. *ſect.* 1. Recte quidem ſtatuunt illi Omer die Dominico demeſſum ac oblatum fuiſſe. Labuntur autem, dum eum diem non ſecundum, ſed tertium Azymorum, non XVI. ſed XVII. Niſan, fuiſſe contendunt. Nam quod Sabbati religio manipuli illius abſciſſionem ac oblationem non impediverit, e Rabbinorum placitis ſatis oſtendit ipſe Langius *p.* 397. 398. Quare ſi Omer die Solis oblatus eſt, idem dies ſecundus Azymorum, & decimus ſextus Niſan, adeoque dies Sabbati XV. Niſan ſeu primus Azymorum omnino exſtitit. Si itaque ſecundus Azymorum, & craſtinus Paſchatis fuit feria hebdomadis prima, etiam quinquageſimum ab illo diem, nempe feſtum Pentecoſtes, feriam primam fuiſſe oportet, & vice verſa. Nam quod in eandem ſeptimanæ feriam ambo illi dies cadere deberent, jamjam evicimus. Quoniam autem ſupra demonſtratum eſt, Pentecoſten Talmudicorum, qua ſolenniter Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos effuſus eſt, diem Solis ſeu Dominicum fuiſſe, E. & ſequitur, quinquageſimum ab illo diem, nempe XVI. Niſan ſeu ſecundum Azymorum, itidem diem Solis ſeu Dominicum exſtitiſſe. Si vero ſecundus Azymorum & XVI. Niſan fuit feria prima & dies Solis, E. primus Azymorum & XV. Niſan juxta Talmudicos fuit dies Saturni ſeu Sabbatum, & per conſequens ejus Paraſceve, in qua extra controverſiam Servator crucem adſcendit, fuit dies Veneris ſeu feria ſexta. Id

quod

Digitized by Google

quod nobis probandum incumbebat. Atque ſic characteriſmus ille Pentecoſtalis firmiſſime iſtud contra Langium tuetur, quod ab ipſo tanto cum molimine oppugnatur.

Sufficit, ut ſpero, hic argumentorum noſtrorum e Scriptura petitorum ſenio, ut antiquam de feria paſſionis Dominicæ ſententiam ſecuram atque invictam præſtet. Nec plura cumulare neceſſum arbitror, qui majus in delectu, quam in numero, robur fore confido. Poſſem quoque e typis ac figuris nonnullis rationes depromere, ſicque ſanctos Patres Irenæum, Epiphanium & alios imitari. Verum cum ſciam, eum argumentandi modum non ſatis valide in hujuſmodi diſceptationibus concludere, prorſus illo ſuperſedere, quam minus ſolida ac evidentia afferre, conſultius duco. Nullus enim dubito, quin quæ jam attuli momenta, tantum ponderis apud omnes cordatos habitura ſint, ut Langiani dogmatis vanitatem haut gravatim agnoſcant. Exiſtimaveram, cum primum hujus quæſtionis conſiderationem aggrederer, Langium Mathematicis demonſtrationibus novam hanc ſuam opinionem maximopere firmaturum, & in calculo præcipuum præſidium poſiturum fuiſſe, ita ut e neomeniarum & pleniluniorum ſcrupuloſa computatione oſtendere allaboraret, Paſcha Judæorum, in cujus Paraſceve paſſus eſt Dominus, in eum ſeptimanæ diem incidiſſe, qui cum ipſius mente congruere poſſet. Sed tantum abeſt, ut Langius e calculo probare præſumat, diem σαυρώσιμον feriam quintam fuiſſe, ut potius hanc hypotheſin, e prava loci *Matth. XII*, 40. παρερμηνείᾳ unice deductam, principii ac fundamenti loco uſurpet, atque inde concludat eum annum, cujus plenilunium Niſan feriæ ſextæ convenit, adeoque XIV. Niſan ſeu Paraſceve Paſchatis feriæ quintæ congruit, verum annum σωτηρίᾳ paſſionis exiſtere, veluti penes ipſum *L. II. P.* 2. *c.* 8. videre eſt. Quod demonſtrandum erat Langio, illud ipſe ceu demonſtrationis principium adhibet, ſicque revera τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει. Quis enim ipſi hanc hypotheſin concedet, quam tota Eccleſia, univerſi Patres, & doctiſſimi quique Chronologi merito ut abſurdiſſimam rejiciunt, nimirum quod Servator die Jovis ſit crucifixus? In contrarium hactenus tendit omnium eorum laudanda praxis, qui in eo toti occupati fuere, ut tempus mortis Dominicæ eruerent. Hi enim hoc ὑποθέσεως loco conſtituerunt, quod e Scriptura & omni antiquitate, notiſſimum judicarunt, nempe quod feria ſexta ſeu die Veneris diros mortis cruciatus Servator toleraverit. Sic nominatim Beda, Scaliger, Petavius, Baronius, & tota Chronologorum natio. Hoc ceu principio

ἀναν-

Digitized by Google

ἀναλήμπτῳ conſtituto, mox inde annum ac menſem morte Chriſti claros colligere conati ſunt. Cum vero nos iſtam Langii hypotheſin, qua feriam quintam paſſionis characterem ponit, falſam ac Scripturis adverſam eſſe luculenter evicerimus, atque e contrario illam, quam ipſe exagitat ac ſpernit, de feria ſexta ſententiam e ſacris literis evidenter adſtruxerimus, illud jam ſupervacaneum cenſemus, ut ambitioſo calculandi labore verum menſis ac hebdomadis diem eruere ſatagamus. Nam & ipſe Langius, qui ea opera ſuperſedit, otium nobis hic fecit, & ampliorem ea res tractationem requirit, quam ut hujus Diatribes anguſtiis includi queat. Cum enim nondum inter nos conveniat, quoto anno vel Juliano, vel Periodi Julianæ, vel Tiberii &c. paſſio Dominica contigerit, nec nobis a Langio in ejus demonſtratione ſatisfactum eſſe putemus, nec jam anxie de eo nos diſquirere inſtituti noſtri ratio permittat, illud quoque nobis non incumbere credimus, ut menſis ac ſeptimanæ diem calculi beneficio oſtendere tentemus. Certiores enim e ſacris monumentis dedimus dabimuſque probationes, quam ut ullæ Mathematicæ ἀποδείξεις iis vel præferri, vel æquiparari poſſint. Sed nec ipſe Langius, quando ſtabilita, uti opinatur, ſua de feria quinta hypotheſi, tabellam Neomeniarum Paſchalium, calculi ope indagatarum, proponit, certo oſtendere potis eſt, num XIV. Niſan ſeu Paraſceve Paſchatis Talmudicorum eo anno Per. Jul. 4746. quo paſſum Chriſtum aſſerit, in quintam, an ſeptimam hebdomadis feriam inciderit. Incertum enim eſt, vel ipſo fatente *p.* 413. utrum novilunium Niſan ceciderit eo anno in noſtrum Martium, an vero in Aprilem. Si in Martium incidit, uti debuit, quando a Synedrio non fuit intercalatum, erit juxta ejus calculum XV. Niſan ſeu magnus dies Paſchatis Traditionalium III. Aprilis feria ſexta, & Paraſceve ejuſdem II. Aprilis feria quinta. At cum intercalari poſſet annus integro menſe, ob frugum immaturitatem & agnorum hædorumque tenuitatem, teſte ipſo *p.* 415. ut is annus XIII. menſes haberet, potuit quoque eo anno Martius noſter Judæis Adar ſecundus ſeu Veadar eſſe, & Aprilis demum noſter Niſan illis exiſtere, cujus novilunium Karræis XVIII. Aprilis fuit, & plenilunium ſeu XV. Niſan iiſdem II. Maji feria ſeptima, ideoque XIV. Niſan ſive Paraſceve Paſchatis Karræorum I. Maji feria ſexta. Talmudicis autem & Synedrio novilunium Niſan hac ratione in XIX. Aprilis incidit, & plenilunium ſeu primus Azymorum in III. Maji feriam primam, ac conſequenter XIV. Niſan ſeu Paraſceve Paſchatis eorundem in II. Maji

Digitized by Google

feriam ſeptimam cadere debuit. Ita Langius ſupputat *p.* 413. atque ſatis oſtendit, quam lubricum ſit ſubſidium, quod ejuſmodi calculus hac in parte afferre poterit. Nondum enim certo ipſi conſtat, quis menſis Julianus fuerit, quem morte ſua Servator nobilitarit. Imo *p.* 413. diffiteri non audet, quin paraſceve Paſchatis Judæorum in feriam hebdomadis ſextam eo ipſo Paſſionis σωτηρίς anno incidere quiverit, dum ita ait: *ſi quiſpiam ideo communem hodiernæ* (quaſi vero non & antiquæ eſſet) *Eccleſiæ opinionem ſequi vellet, ne teneris indoctorum hominum conſcientiis ſcrupulum injiceret, non tamen alio anno, quam hoc ipſo, Chriſtum paſſum dicere poſſet. Nunquam enim in reliquis annis Paraſceve Paſchatis feriæ ſextæ convenire ulla vera ratione poteſt. Hoc vero, ſi dicatur noviluniium Martii non fuiſſe menſis Niſan, cadet Paraſceve Paſchatis in I. Maji feriam ſextam. Atque ſic ſatis concinne loqueretur, &c.* Ecce ultro & diſerte concedentem Langium, quod Mathematica neomeniarum ac pleniluniorum ratio non repugnet, quin is ſeptimanæ dies σαυρώσιμος eſſe potuerit, quem fuiſſe omnes Chriſtiani hactenus cenſuerunt. Id quidem unicum hinc ſecuturum incommodum metuit, quod *ſic nulla ratio dari poſſit, cur alio tempore Chriſtus, alio Judæi, Paſcha comediſſent, niſi diceretur, Chriſtum erraſſe.* Sed inanis hic timor eſt, & vana perſuaſio. Cauſa enim ſufficiens non deeſt, quæ Chriſtum Judæos in Paſchatis celebratione anticipantem ab omni erroris ſuſpicione liberet, ſi vel nova illa Langiana ratio, de Karræorum conſuetudine a Servatore obſervata, valere jubeatur. Nam ſi dicamus, Chriſtum legis Dominum ad præcepti cærimonialis rigorem ſe tam arcte adſtringi haut paſſum fuiſſe; ſed libertate ſua uſum ideo pridie Paraſceves Judaicæ ſuum Paſcha comediſſe, quia poſtriduana luce, qua agnus umbraticus e legis præſcripto mactandus erat, ipſe verus & antitypicus Agnus in odorem DEO gratum immolari debebat, nihil abſonum aut a veritate abhorrens dicturos nos fore confidimus. Ipſe Chriſtus *Matth. XXVI*, 18. rationem hanc dat, cur illo tempore Paſcha ſuum πρὸς τὸν δεῖνα facere voluerit, dum inquit: ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν, *tempus meum*, nempe quo pati & mori oportet, *vicinum eſt.* Syrus מטא לה זבני *tempus meum appropinquat.* Explicat autem ſe *Luc. XXII*, 15. quando deſiderium comedendi cum diſcipulis Paſchatis πρὸ τοῦ αὐτὸν παθεῖν *priuſquam paſſurus ſit* luculenter exponit. Paralogiſmum Langii, quem *pag.* 394. e *Matth. V.* 17, fabricat, non formidamus. Nam per νόμον, quem ſe non ſolutum ire Chriſtus ibi pronunciat, aliud quam legem moralem intelligi, nihil cogit. Hanc enim

Digitized by Google

enim propria & principe ſignificatione ea notio deſignat. Ejus quoque explicandæ ac vindicandæ præcipuam rationem in tota montana concione Servatorem habuiſſe manifeſtum eſt. Cærimoniales autem leges, νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς *Ebr. VII*, 16. quo præceptum de Paſchate omnino pertinet, Chriſtus ſæpius non modo non accurate obſervavit, dum earum dominum quandoque egit, vid. Caſaub. *Exerc. XVI. n.* 21. ſed & plane tandem ſolvit, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας *Epheſ. II*, 15. Si vero hoc Langio ſatisfacere nequeat, nec illud ſolum urgere neceſſum eſt. In promptu enim eſt alia ratio, quæ Chriſtum debito & legitimo tempore Paſcha comediſſe, Judæos autem traditiones παραδόσεις ſecutos feſtum, ob concurſum Sabbatorum vitandum, in diem ſequentem tanſtuliſſe perſuadet. Langius quidem hanc de feriarum apud antiquos Judæos tranſlatione ſententiam explodit *p.* 396. *ſeqq.* poſtquam eam e Pauli Middelburg. Epiſc. Foroſempr. mente deſcripſerat. Idem fecerunt ante eum Cardinales Toletus & Baronius, nempe ut ſuæ ſcenæ ſervirent, ac Chriſtum eodem cum Judæis tempore Paſcha celebraſſe obtinerent. Hic præſertim in *Annal. ad A. C.* 34. *n.* 25. *ſeqq. novam eam de tranſlato Paſchate in Eccleſiam invectam opinionem* accuſat, *eamque e commentitiis ſcriptis nomine Gamalielis vel aliorum petitam eſſe*, clamat. Sed Baronio operoſe ac ſolide reſpondit eruditiſſimus Caſaubonus *loc. cit.* ejuſque ſententiæ antiquitatem defendit, quem adeant, quibus lubet. De R. Gamaliele ſeorſim monet, quod *vetuſtiſſimus ille magiſter, de quo multa Zacuthus, in hoc argumento citetur cum in Kalendario Ebraico, tum ab aliis Rabbinis, ejuſque ſcripta, quia hodie nuſquam fortaſſe exſtant, commentitia tamen nullo jure appellentur, &c.* Sicque Langium diſerte refellit, qui *librum illum, qui ſub nomine Gamalielis circumfertur, plane ſuppoſititium* & ψευδεπίγραφον eſſe contendit *pag.* 398. Sane illuſtris Scaliger de ejus vetuſtate ac fide non dubitat, dum *Emend. Temp. l. VII. annot. in Comp. Jud.* Canonem hujus Magiſtri Gamalielis laudat & explicat. Habet autem ea de Paſchatis tranſlatione a Judæis facta ſententia patronos longe plurimos, viros undecunque doctiſſimos, nec quaſi unius Epiſcopi Foroſempronienſis opinio traduci poteſt. Paulus de S. Maria Burgenſis in Hiſpania Epiſcopus, genere Judæus, e ſanguine Levitico oriundus, Ebraicarum rerum ſcientiſſimus, e doctrina Kalendarii Ebraici & rituum nonnullorum obſervationibus eam propoſuit *in Addit. ad Lyram in Matth. XXVI.* & *R. Eliezeri ac collegarum conſtitutionem, ſtatim poſt domum Sanctuarii ſecundam, exſtitiſſe illam* e

Digitized by Google

Seder Olam oſtendit. Munſterus *in Kal. Ebr. p. m.* 128. 129. 139. 141. & *in Euang. Matth. c. XXVI.* eandem ex iisdem principiis fuſe tuetur. Defendunt quoque eam Joſ. Scaliger *Emend. Temp. l. II. & VII.* & *Canon. Iſag. lib. III.* Joh. Lucidus *in l. de die paſ. Chriſti c.* 9. Onuf. Panvinius *Faſtorum lib. II.* Joh. Stœflerus, Henr. Buntingus, Edu. Liveleus Anglus, Sethus Calviſius, Iſ. Caſaubonus *Exerc. XVI. n.* 13. & 21. Accedunt e Pontificiis Janſenius Epiſc. Gandavenſis *in Conc. c.* 128. Alf. Salmeron *T.* 9. *tr.* 4. Bapt. Mantuanus *Faſt. l.* 2. Joh. Gagneus *comm. in Johan.* Maldonatus *in Matth. XXVI.* E noſtris autem A. Oſiander, Flacius, Bucerus, Hunnius, Gerhardus *Harm. Cont. T.* 2. *c.* 166. & Calixtus *Conc. Eu. lib. VI. c.* 1. Omnes uno ore docent, Chriſtum quidem tempus a lege præſcriptum obſervaſſe, ac Judæos antevortiſſe, Judæos autem majorum placita legi divinæ præferentes uno die tardius, ne concurſus ſabbatorum fieret, Paſcha celebraſſe. Atque hoc modo omnia retunduntur, quæ tanto nixu Langius *p.* 394. opponit. Nec obſtant illa, quæ occinit *p.* 396. ſeqq. maximam partem e Cl. Cocceji *notis ad tit. Talm.* Sanhedrin. *c.* 1. *p.* 12. 13. deſumpta. Recentiora enim ſunt ea e Talmud, Aben Ezra & Rambam petita documenta, quam ut liquido oſtendant, hunc feſta transferendi morem ſtante templo ſecundo & Chriſti tempore plane fuiſſe inuſitatum. Antiquiora e Seder Olam documenta iſtum morem probant, quam ut Talmudicorum placita ei derogare queant, multo minus ſequiorum Rabbinorum. Conſcriptus enim eſt liber ille *Seder Olam* a R. Joſe Ben Chilpheta, qui vixit circa A. C. 130. præceptor R. Jehudæ Hakkadoſch, auctoris libri *Miſchnajos*, & Talmud Babylonicum in Gemara mentionem ejus fecit tum Cod. *Jebamos fol.* 82. tum Cod. *Nidda fol.* 46. ut gratis proinde aſſerat Langius *p.* 398. quod Judæi fateantur, *nihil ſe antiquius habere Miſchna & Talmude, præter ſacros Codices, eorum παραφράσεις, & ſententias quaſdam &c. licet quidam & de Zohar & Bahir contendant.* Nam & Seder Olam vetuſtius eſſe e dictis patet. Quæ itaque a Langio objecta ſunt, magis non ſtringunt, quam quod e ſolius Eliæ Karraitæ verbis apud Seldenum repertis concludere tentat, Chriſtum nimirum Paſcha cum Karræis, qui Talmudicos nonnunquam præverterunt, potius quam Traditionalibus manducaſſe, quod ante innuimus. Si αὐτόπτης eſt iſtius Eliæ teſtimonium, de ſui quidem ævi conſuetudine, quod verba ejus deſignare videntur, verum perhibere potuit: at quod idem mos tempore Chriſti & templi ſecundi obtinuerit, id Scripturarius ille, qui annis

Digitized by Google

annis post Christum 1480. demum vixit, certo demonstrare non valuit. Adeoque ab illo ad hoc colligere velle, prorsus ἀναπόλυθον est. Nobis hic latius nos diffundere non licet. Dabitur alias occasio, si DEUS volet, uberius de his differendi. Ad alia jam accingi oportet, quæ simul declarare polliciti sumus.

CAPUT VII.

Hemerologium actorum Christi in Paschali septimana proponitur. Quid sit πρὸ ἓξ ἡμερῶν τ̃ πάσχα, Johan. XII, 1. Quo die Christus Bethaniam venerit, ibique unctus sit? Locus unctionis non fuit domus Lazari, sed Simonis Leprosi. Hierosolymas feria prima solenniter invectus est. Templum repurgavit feria secunda, non prima. Feria tertia gesta recensentur, quæ Langius ad feriam secundam perperam trahit, duosque dies confundit. Sermonem de Urbis Templique eversione Christus feria quinta habuit. Tum & a Juda venditus est. Lotio pedum institutionem S. Eucharistiæ præcessit. Senatui Judaico capitalia judicia quomodo adempta fuerint? Qua hora feria sexta crucifixus sit Dominus? Marci locus ab inepta Langii κρίσει vindicatur, & cum Johanne conciliatur. Piæ mulieres quando aromata coemerint? &c.

ARgumentis e Scriptura productis succedat jam eorum Christi gestorum series, quæ in ultima hebdomade, quam memorabilem passio Dominica effecit, contigisse Euangelica Historia docet. Ut evidenter appareat, nulla alia hebdomadis feria, quam sexta, mortuam ac sepultam esse Vitam nostram, hemerologium τῶν πραξέων Christi e manifesta Euangelistarum narratione conficiemus, & quid singulis 6. vel 7. ante Pascha Judaicum proximis diebus acciderit, accurato ordine & succincto exponemus. Simul ostendemus Langium, dum ejusdem septimanæ acta in ordinem redigere conatur *lib. II. cap. ult.* integrum septimanæ diem expungere, eaque quæ biduo gesta sunt, in unum diem compingere. Alia quoque nonnulla Langii circa hanc historiam παρεραμματα breviter detegemus. Ordimur autem a Christi in vicum Bethaniam adventu, quem Johannes *c. XII*, 1. πρὸ ἓξ ἡμερῶν τ̃ πάσχα, accidisse refert. Postquam *cap. præced. v.* 55. *seqq.* dixerat, quod Pascha Judæorum appropinquaverit, ad cujus solennitatem plurimi Hierosolymam adscenderunt, & cum

Digitized by Google

Christus non statim præsentem se sisteret, alii mirati sint; alii autem, ut Pontifices & Pharisæi, ejus indicium fieri jusserint, si quis ubi esset compertum haberet, subjungit jam Christum se Bethaniam contuliſſe, cum jam sex dies ante Pascha essent. Locutio Johannæa πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα Interpretes non parum exercuit. Vulgatus, Erasmus & Syrus ad verbum reddunt *ante sex dies Paschatis.* Beza Vulgatum reprehendit, tanquam qui id ita intellexerit: *ante Pascha, quod sex diebus constat.* Arguit hoc, *quia festum Paschale erat septem dierum, non sex.* Drusius in *Præter.* Vulgatum contra Bezam tuetur, quod Pascha septem dies habeat incluso termino, sex excluso eodem, quomodo Josephus hebdomadam 8. dierum facit, incluso utroque termino. Ipse id ita accipit, ac si esset *ante hexaemeron Paschale.* Sed fallitur Drusius, dum festum sex dierum id dici posse putat, quod e legis præscripto omnino septem dies habere debuit. Josephi septimanam octo dierum huc non quadrare bene ostendit Lud. de Dieu ad *h. l.* Imo si Drusii & Vulgati interpretamentum admittatur, nullum certum tempus a Johanne designatum esse sequetur. Si enim integro mense vel amplius ante Pascha Bethaniam venisset Christus, venisset tamen ante Hexaemeron festi Paschatis. Certam autem temporis notam intendisse Euangelistam e *comm.* 12. patet. Beza commodius vertit: *sex ante Pascha diebus*; sicut & Lutherus: Sechs Tage vor Ostern; & Diodati *sei giorni auanti la Pasqua.* Placet & hoc Grotio. Trajectum enim est illud πρὸ veluti alias sæpius, idemque est quod ἓξ ἡμερῶν πρὸ τοῦ πάσχα. Non ovum ovo similius est, quam hæc phrasis illi Hellenisticæ *Amos I,* 1. πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ, i. e. *duobus annis ante terræ motum,* ac si esset δύο ἐτῶν πρὸ τοῦ σεισμοῦ, quomodo fontes diserte habent שנתים לפני הרעש. Forte & ita 2 *Cor. XII,* 2. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων exponi potest, *annis quatuordecim ante hunc diem.* Lud. de Dieu hunc sensum esse putat: *cum adhuc plusquam sex dies ad Paschæ restarent. Nam cum sex dies futuri Paschatis sint sex dies ad Pascha, ante sex istos dies declarat tempus, quod proxime anteceſſit.* Sic Arabs id expressit: קבל שתת איאם מן אלפסח *ante sex dies a Paschate,* i. e. *antequam sextus a futuro Paschate dies venißet.* Sed cum hæc expositio duplex πρὸ textui intrudere videatur, ac si esset, πρὸ ἓξ ἡμερῶν πρὸ τοῦ πάσχα, & tempus simul incertum relinquat, Lutheri, Bezæ & aliorum sensum meliorem ac convenientiorem judicamus, ut Euangelista Christum sex diebus ante Pascha appuliſſe indicaverit. Quod vero aut sabbato aut prosabbato proximæ ante Paschalem septimanæ hic adventus Christi

Digitized by Google

Chriſti contigerit, ſequentes actorum ipſius ephemerides luculenter monſtrant. Grotius poſt Cajetanum, Janſenium & Toletum proſabbato id accidiſſe cenſet, *quia ſabbato tantum itineris facere non licuit.* Sed unde novit Grotius, quantum viæ ſpatium Chriſtus eo die emenſus ſit? Johannes id nullo apice indicat, nec ex Euangeliſtis alius. Potuit forte in vicinia pernoctaſſe Chriſtus, ut Bethaniam tendenti non ultra ὁδὸν σαββάτου, ſpatium nimirum bis mille cubitorum conficiendum ſuperfuerit. Atque ita ſabbato adveniſſe ipſum nihil prohibet, quod & Thomas *Comm. in Johan. XII.* Barradius *Conc. T. 3. l. 7. c. 1.* & Torniellus *ad A. M. 4084. n. 3.* aſſerere non verentur. Langii mira hic vertigo cernitur. Dicit primo *p. 431. eum ſex dies ante Paſcha feria prima veniſſe. Johannes enim numerat a Paſchate Judæorum, quæ* (voluit dicere *quod*) *incidebat in feriam ſextam.* Egregia vero connexio. Paſcha Judæorum fuit feria ſexta, E. Chriſtus ſex dies ante illud venit feria prima. Et antecedens & conſequens falſum eſt. De priori jam *cap. VI.* probatum eſt. Poſterius facile liquet. Quod enim ſex diebus ante feriam ſextam factum eſt, id non feria prima, ſed ſeptima antegreſſa ad minimum accidiſſe oportet. Si feria quinta eſt prima ante ſextam, retrorſum numerando, feria prima quinta ſaltem erit ante eandem, non ſexta. Sed nec adhibuit Johannes numerum ordinalem; verum cardinalem. Non dixit τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ; ſed quod oppido diverſum eſt, πρὸ ἓξ ἡμερῶν. Adeoque cum Paſcha fuerit feria ſeptima, uti ſupra evicimus, ſex diebus ante illud factum dicitur, quod proximo præcedente Sabbato contigit. Verba enim illa ita ſonant, ut ſex integri dies inter adventum Bethanienſem & Paſcha interpoſiti deſignari queant. Niſi dicere quis malit, per Paſcha a Johanne Paraſceven intelligi, ſeu decimam quartam Niſan, quæ *Matth. XXVI, 2.* & *Marc. XIV, 1.* abſolute πάσχα, ac *Matth. XXVI, 17. Marc. XIV, 12.* & *Luc. XXII, 7.* πρώτη τῶν ἀζύμων, ſeu ἡμέρα τῶν ἀζύμων appellatur. Sic enim ante illam, quæ feria ſexta fuit, dies ſabbati, quo Chriſtus Bethaniam venit, ſextus eſſe potuit. Addit mox Langius: *nec Sabbati die Maria hoc opus*, ſc. unctionis, *facere potuit.* Statim vero ſe corrigit, aitque: *niſi forte dicendum ſit, veſpera, finito ſabbato, hoc factum fuiſſe, quod magis veriſimile eſt:* Bene habet, quod illud ut vero vicinius admittat Langius, quod veriſſimum eſt. Unctum Bethaniæ veſpera ſabbatum proxime ſecuta fuiſſe a Maria Chriſtum concedit, E. & convivio, in quo unctio paracta eſt, eundem illo ipſo die exceptum non negabit. Lituram itaque meretur, quod ante ſcripſerat,

Chri-

Digitized by Google

Christum feria prima Bethaniam venisse, nisi asserere velit, convivio exceptum unctumque Bethaniæ esse Christum prius, quam illuc venisset, quod pueri ridebunt. Verum sicut in tempore unctionis istius, ita & in loco ejusdem demonstrando Langius insignem suam ἀκρίβειαν prodidit. Dicit ibidem, quod *Christus, postquam Bethaniam venit, ibi a Maria in domo Lazari unctus fuerit.* Ne autem putes μνημονεύτικον ἁμάρτημα hoc esse, repetit illud *p.* 432. *Judas memor eorum, qua in Lazari domo ante quatuor dies gesta erant, &c.* Unde hoc hauserit Langius, locum convivii & unctionis fuisse domum Lazari, ego non dixerim. An forte e verbis textus *comm.* 2. quæ Lazarum inter discumbentes referunt? An e *v.* 1. ubi ejusdem, ceu Bethaniensis civis, mentio exstat? Aut num id ipsi persuaserunt Baronius *A. C.* 32. *n.* 28. & *A. C.* 34. *n.* 4. & 13. ejusque Epitomator Spondanus *ad A.* 32. *n.* 6. & *A.* 34. *n.* 2. qui ab eo hac in parte non abludunt? Id scio, quod vehementer hic hallucinetur. D. Johannes *h. l.* non indicat, a quo, vel ubi paratum sit illud convivium, sed omissa ejusmodi circumstantiarum notatione nude rem narrat *v.* 2. ἐποίησαν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ, *fecerunt* (personale pro impersonali positum) *ipsi convivium ibi*, sc. Bethaniæ. Hinc Lyra & Toletus incolas Bethaniæ communi consensu cœnam instruxisse putarunt. Sed Matthæus *cap. XXVI.* 6. 7. & Marcus *cap. XIV.* 3. eandem plane historiam describentes locum diserte exprimunt, nempe *domum Simonis Leprosi.* Lazari ædium nullo apice meminerunt. Quod enim eadem prorsus sit unctio, quam tres illi Euangelistæ Matthæus, Marcus & Johannes iis in locis commemorant, circumstantiæ evidenter ostendunt. Locus unus est Bethania, persona ungens eadem, unguentum item, ejus pretium non diversum, murmur secutum ejusque prætextus coincidunt, apologia tandem Christi pari modo concepta, &c. Ita sentiunt Augustinus *de Cons. Euang. l.* 2. *c.* 7879. Victor Antiochenus *in Marc. XIV.* in *Bibl. Patr. T.* 1. Jod. Clichtovæus *in Addit. Cyrilli in Johan. l.* 8. *c.* 6. ac doctissimi quique Interpretes, Jansenius, Salmeron, Tirinus, Barradius, Torniellus, Maldonatus, Gerhardus, Calixtus, Grotius, Belgæ Synodici, Diodoti & alii. Baronius e contrario & Spondanus, nonnullos e Patribus secuti, bis Christum ante passionem unctum esse contendunt, semel ea unctione, quam Johannes refert, deinde altera, quam Matthæus & Marcus in domo Simonis factam narrant. Opponunt 1. diversitatem temporis, quod unctio apud Johannem sex diebus; illa autem apud Matthæum & Marcum

biduo

Digitized by Google

biduo tantum ante Paſcha facta videatur. Reſpondeo Matthæum & Marcum hiſtoriam unctionis non ſecundum temporis ordinem; ſed rerum ductum, deſcribere. Uterque verbis μετὰ δύο ἡμέρας non convivii ac unctionis, ſed conſilii Phariſæorum ultimi, cui Judæ proditio occaſionem dedit, tempus deſignat. Cumque ambo eam Judæ proditionem referre vellent, unctionem iſtam hoc loco per ὕστερον πρότερον inſeruerunt, ut quid Judam impulerit ad facinus, quod ἀμέσως ſubjungitur, indicarent. Johannes autem hiſtoriam hanc ſuo tempori reddidit, dum eam ut ſex diebus ante Paſcha factam propoſuit. Opponunt 2. diverſitatem objecti, quod Johannes pedes Chriſti unctos; ceteri autem duo caput ipſius delibutum perhibeant. Sed unum non excludit alterum. Nihil vetat credi, prius pedes perfuſos, deinde & caput, aut vice verſa. Si quis inſtet, addatque Matthæum & Marcum murmur illud pluribus diſcipulis; Johannem autem ſoli Judæ proditori adſcribere: reponam ego, accenſendam eſſe hanc locutionem aliis, quibus plurale ad unum e pluribus deſignandum adhibetur, ut *Matth. XXVII*, 44. οἱ λῃσαὶ οἱ συσαυρωθέντες αὐτῷ ὠνείδιζον αὐτῷ, pro quo Lucas dicit *c. XXIII*, 39. εἷς τῶν κρεμασθέντων κακούργων ἐβλασφήμει αὐτόν. Exempla plura apud Glaſſium exſtant *Gramm. Sac. l. 3. tr. 1. can. 27.* Unica itaque fuit hæc unctio, a tribus Euangeliſtis in literas relata, & nullo alio in loco facta, quam ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, ut Matthæus & Marcus manifeſte tradunt. Vide Gerhardi *Harm. Cont. c.* 143. ubi late hac de re agitur. Commentum proinde Langii eſt, quod in Lazari domo Chriſtus unctus fuerit. Simonem Leproſum (nempe qui ante talis fuerat,) Lazari patrem fuiſſe, nonnulli putarunt apud Nicephorum *H. E. l. 1. c. 27.* & Theophylactum in *Matth.* 26. Sed figmentum hoc eſt. Conſanguineos illos fuiſſe, Grotius exiſtimat, quod nos in medio relinquimus. Certum eſt, in domo Simonis iſtius convivio exceptum unctumque fuiſſe Chriſtum, non in Lazari ædibus. Lazarus autem inter convivas accubuit, & Martha miniſtravit *Joh. XII*, 2. Utrumque, convivium & unctio, veſpera illa, quæ Sabbato ſucceſſit, accidit, uti ante oſtendimus. Quæ ad convivium pertinebant, aut pridie in Paraſceve, aut poſt exitum Sabbati demum parata ſunt. Cœnis lautioribus ac ſolennioribus ante Paſchatis dies ſe mutuo excepiſſe Judæos, auctor eſt Theophylactus, qui videri poteſt. Eodem Sabbati die multorum e Judæis ad Jeſum & Lazarum confluxus contigit *Johan. XII*, 9. item conſultatio Pontificum de Lazaro occidendo *v.* 10. *&c.*

Digitized by Google

Elapſo jam Sabbato, una cum nocte feriæ primæ, Chriſtus Hieroſolymam aſino vectus intravit, quem e plebe plurimi palmas geſtantes fauſtis acclamationibus exceperunt, *Matth. XXI*, 1. 12. *Marc. XI*, 1. 10. *Luc. XIX*, 28. 44. Feria prima, ſeu noſtra die Dominica, factum id eſſe, innuit Johannes *c. XII*, 12. dum τῇ ἐπαύριον *poſtero die*, nempe poſt convivium ac unctionem, turbam multam Jeſu Hieroſolymas venienti obviam proceſſiſſe, ramoſque palmarum manibus vibraſſe, & ſolenne ſuum *Hoſchianna* acclamaſſe, memorat. Tota quoque antiquitas id agnovit, dum Dominicam Palmarum hujus facti memoriæ conſecravit. Ipſe Langius idem fatetur loc. cit. *ſequenti die*, ajens, *feria prima, Dominica Palmarum, Chriſtus rex noſter mitis & manſuetus, pullo aſinino inſidens, Hieroſolyma ſolenni pompa invehitur.* Mox a Græcis ad videndum poſtulatus ſermones nonnullos habuit, & cœlitus teſtimonium accepit &c. *Joh. XII.* 20. 36. Veſpera autem ejuſdem diei ὀψίας ἤδη ὄσης τῆς ὥρας cum diſcipulis ſuis Hieroſolyma Bethaniam exiit *Marc. XI*, 11. & Bethaniæ pernoctavit *Matth. XXI*, 17. Confer *Joh. XII*, 36.

Feria ſecunda, quam Marcus diſerte per τὴν ἐπαύριον deſignat *c. XI*, 12. ſeu die Lunæ, cum Chriſtus mane (Matthæus enim *c. XXI*, 18. πρωΐας id factum eſſe dicit) Bethania egrederetur & in urbem tenderet, eſurivit, & viſam ficum aggreſſus eſt, cui fructibus vacuæ maledixit. Vide Matthæum & Marcum locis citatis. Deinde ubi in urbem venerat, templum ingreſſus, nundinantes & menſarios expulit, ac ædem ſacram repurgavit. Langius hoc die Dominica, qua ſolenni pompa Hieroſolymas invectus eſt Chriſtus, factum eſſe arbitratur, dum hunc actum cum illo ſtatim conjungit *p.* 431. *Tandem*, inquit, *dimiſſo pullo, cui inequitaverat, templum ingreſſus, illud a vendentibus ac ementibus repurgavit.* Sed fugit eum ratio. Marcus enim hanc heroicam Chriſti actionem ficus maledictioni, ac ingreſſui Hieroſolymitano feria ſecunda facto, manifeſte ſubjicit *v.* 15. *ſeqq.* Indicat quidem *v.* 11. Servatorem pridie feria prima, poſtquam tanto cum apparatu urbem intraverat, in templum introiviſſe, & omnia ibi circumſpexiſſe: ejectionis autem eo die factæ non meminit. Matthæum *cap. XXI*, 12. & Lucam *cap. XIX*, 45. eam hiſtoriam ita narrare non diffiteor, ac ſi eo tempore contigiſſet, quo Langius contigiſſe putat. Sed neuter tam accurato ac diſtincto ordine iſta aliquot dierum geſta deſcribit, quam Marcus. Matthæus enim ſicuti alias ea, quæ partim ſecunda, partim tertia feria, acciderunt, uno orationis contextu ita commemorat, quaſi omnia ſecunda feria facta eſſent, ut ficus male-

dictio-

Digitized by Google

dictionem, & ejusdem arefactionem a discipulis admirabundis observatam, quæ tamen diversis diebus evenisse, Marcus diserte refert, uti mox videmus: ita & ea, quæ ad primam feriam pertinent, tradens, quædam secundæ feriæ gesta conjungit. Imo profectionem Christi in urbem ac templum tertia feria factam, & a Marco distincte *v.* 20. 27. descriptam, plane omittit. Sicque etiam hic numulariorum expulsionem per anticipationem proponit, ac si statim pomposum atque solennem primæ feriæ in urbem introitum secuta fuisset. Lucas autem ista compendio sine sollicita ordinis ac temporis cura recitat, ut cuivis patet. At Marcus ἀκριβέστερον hic in ordine est, quam reliqui, & singulis diebus sua acta assignat. Hic quoque Servatorem secunda demum feria, post alterum in urbem ingressum, negotiantes e templo ejeciisse aperte docet, cujus luculentam narrationem sine hæsitatione sequimur. Confer Calixti *Conc. lib. V. cap.* 33. & Tirini *Chron. Sac. c.* 49. Non ignoro, quosdam existimare, quod utroque illo die tale quid acciderit. Sed evidentem hujus assertionis rationem nullam video. Repurgato jam templo, orationem eam habuisse videtur Christus, cujus summam Johannes *c. XII*, 44. *seqq.* recenset. Deinde sub vesperam ὅτε ὀψὲ ἐγένετο, iterum extra urbem egressus est, *Marc.* XI, 19. & Bethaniæ procul dubio pernoctavit.

Feria tertia seu die Martis mane, cum iterum in urbem cum discipulis tenderet, hique ficum prætereuntes, eam radicitus arefactam esse adverterent, Petrus & reliqui id Christo cum admiratione exponunt, & responsum de fidei miraculosæ effectis accipiunt, *Marc. XI*, 20. *seqq.* Matthæus quidem, uti supra indicavimus, hoc ita ἀμέσως refert, ac si statim post maledictionem ficus contigisset, & dierum distinctionem prorsus omittit. Sed Marcus accuratus hic ordinis dux diserte ea ita distinguit, ut maledictionem feria secunda factam; arefactionem autem die sequente demum a discipulis illac transeuntibus observatam esse, ostendat. Cum enim τὰ πραχθέντα feriæ secundæ, inter quæ primum fuit arboris istius exsecratio, commate 19. clausisset, καὶ ὅτε ὀψὲ ἐγένετο, ἐξεπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως, statim *v.* 20 sequentis diei acta orditur, dum ait; καὶ πρωὶ παραπορευόμενοι &c. *& mane* (nempe feria tertia, cum secunda una cum nocte succedente effluxerat) *prætereuntes viderunt ficum e radicibus arefactam.* Nemo itaque hæc uno die facta asserere potest, nisi qui Marco mendacii crimen intentare non erubescet. Mox finitis in via sermonibus in urbem ac templum introivit Christus, statimque a Pontificibus & Senioribus populi interrogatus est de auctoritate ac potestate

Digitized by Google

ipſius, quibus ἀντερώτημα de baptiſmo Johannis propoſuit *Marc. XI*, 27. *ſeqq. Matth. XXI*, 23. *ſeqq. Luc XX. v.* 1. *ſeqq.* Deinde plures parabolas in medium protulit, quibus Judæos punxit, ut de duobus filiis in vineam a patre ire juſſis, *Matth. XXI*, 28. *ſeqq.* de vinea ignavis agricolis locata, de lapide ab ædificantibus reprobato, de nuptiis filii Regis & ingratis convivis, *Matth. XXI. & XXII. Marc. XII. Luc. XX.* Poſtea tentatus eſt a Phariſæis & Herodianis de cenſu Cæſari dando, *Matth. XXII.* 15. *ſeqq. Marc. XII.* 13. *ſeqq. Luc. XX*, 20. *ſeqq.* & a Sadducæis de reſurrectionis abſurditate, & a Legiſperito de maximo legis præcepto, quorum quæſtiones ſolvit aliamque ipſe de filio Davidis Chriſto propoſuit, *Matth. XXII. Marc. XII. Luc. XX.* Mox Phariſæorum & Scribarum perditos mores gravi ac prolixa invectiva objurgavit *Matth. XXIII.* toto, *Luc. XX*, 46. 77. & mittentes in gazophylacium obſervans viduæ oblationem omnium donariis prætulit *Marc. XII*, 41. *ſeqq. Luc. XXI*, 1. 4. His in templo peractis egreſſus demum, occaſione ſumpta e ſplendida templi ſtructura ſibi oſtentata, everſionem ejuſdem ſtrictim prædixit *Matth. XXIV*, 1. 2. *Marc. XIII*, 1. 2. *Luc. XXI*, 5. 6. Tandem ſub veſperam urbe exiviſſe & in montem Oliveti ſeceſſiſſe videtur, *Luc. XXI*, 37. Hæc omnia feria tertia geſta eſſe, hiſtoriæ Euangelicæ ἀκολουθία jam demonſtrata evidenter docet. Inſignis itaque hic Langii temeritas apparet, qui cuncta hujus dici acta cum præcedentis feriæ ſecundæ geſtis miſcet, & quaſi unius dici πραχθέντα confundit. Poſtquam enim ficus maledictionem, quæ die Lunæ facta eſt, poſuerat, ſtatim ſine diſcrimine pleraque illa, quæ jam recenſuimus feria tertia facta, commemorat *p.* 431. & 432. atque addit: *Hæc feria ſecunda geſta ſunt.* Sed toto cœlo errat. Jamjam enim oſtendimus, Marcum tam manifeſte hæc, ut duorum dierum geſta, diſtinguere, & alia feria ſecunda, alia feria tertia facta aſſerere, ut extreme aut oſcitantem aut impudentem eum eſſe oporteat, qui hunc ordinem pervertere, ac diſtinctas ephemerides confundere velit. An enim iſtæ actiones, inter quas ὄψε καὶ πρωὶ aperte a Marco interponuntur, in unum diem cadere poſſunt? Ληρῶδες ſomnium! Sed ignoſcendum eſt Langio, cui hoc neceſſario attentandum fuit, ne bella ipſius ſcena miſere peritura eſſet. Niſi enim hunc integrum pœnoſæ ſeptimanæ diem expungeret, conſiſtere non potuit ipſius commentum, quo Servatorem uno die anterius, quam hebes & obtuſa omnium Chriſtianorum factio putavit, mortuum ac ſepultum fuiſſe clamitat. Duorum ideo dierum acta in unum compingere debuit ac voluit, ne hæc impedirent, quo minus

Chri-

Digitized by Google

Christum die Jovis passum assereret. Sicque Sacrosanctæ Scripturæ & Euangelicæ historiæ ordini vis inferenda fuit, ut insanum istud ἐυρημα stabiliretur.

Feria quarta seu die Mercurii Christus passionem suam jam ingruentem discipulis prænunciat *Matth.* XXVI, 1. 2. Characterem temporis, quo id factum est, verba Christi continent: οἶδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ Πάσχα γίνεται. Si enim post biduum tum Pascha instaret, cujus Parasceve dies Veneris, magnusque dies Azymorum sabbatum fuit, ut liquido probatum est, hanc omnino feriam quartam exstitisse necessum est, quod mox ulterius patescet. Priusquam autem Christus de morte sua loqueretur, prolixum illum sermonem de desolatione templi ac urbis, signisque hanc antecessuris, ut & de ultimo suo adventu, ejusque præsagiis, eodem die habuisse videtur, quanquam alii eum antegressæ feriæ tertiæ adscribant. Nam discipulorum quæstio ad Jesum in monte Olivarum sedentem *Matth. XXIV. v.* 3. *Marc. XIII*, 3. quæ occasionem isti discursui dedit, vix eadem illa vespera contigit, qua e templo & urbe exivit. Cum enim statim ad eandem responderet Christus, omnia illa continuo ordine discipulis proposuit, quæ *capp. XXIV. & XXV.* integris Matthæus καθεξῆς commemorat. At Christum sub vesperam demum egressum, tamdiu in monte Oliveti hæsisse, antequam Bethaniam iret, donec universa ista explicare potuisset, vix verisimile apparet. Nec discipulos Christum totius diei laboribus defatigatum, jamque refectionis desiderio Bethaniam pergentem, tanti momenti quæstione detinuisse probabile est. Imo connexio narrationis Matthæi non obscure ostendit, Christum sermones hos feria quarta habuisse, eodem nempe die, quo passionem suam prædixit, & quo ultimum de ipso capiendo consilium Primores populi inierunt. Dicit enim *c. XXVI*, 1. *Et factum est, cum consummasset Jesus omnes sermones hos* (nempe duobus capp. proximis descriptos) *dixit discipulis suis: scitis quod post duos dies Pascha fit.* Innuit Matthæus, Christum, simul ac absolvisset præcedentes sermones, eodem tempore, exigua saltem morula, qualis mutanti orationis argumentum congruit, interjecta, passionem suam prænunciare cœpisse. Addit quoque statim *v.* 34. quod τότε, nempe mox eodem die, συνήχθησαν καὶ συνεβουλεύσαντο οἱ ἀρχιερεῖς &c. Nimis proinde exorbitat Langius, dum hanc quoque concionem de fine Hierosolymorum & seculi ad feriam secundam refert *p.* 442. Nam feria quarta matutino tempore, cum Christus post somnum captum in monte Oliveti consideret καθέναντι τῦ ἱεροῦ *Marc. XIII.*

Digitized by Google

3. discipulos quæstionem istam proposuisse, & Christum prolixe ad eandem respondisse, omnia suadent. Vid. Gerhard. *Harm. Cont. c. 160.* Primo autem de templi urbisque interitu, mox de finali totius mundi παντελεθρίᾳ, simulque de utriusque indiciis, fuse disseruit *Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI.* fere per totum. Deinde parabolam de decem virginibus sponso obviam progressis, alteramque de talentis a Domino peregre profecto servis concreditis adjecit, & una novissimi judicii apparatum modumque exposuit apud *Matthæum c. XXV.* Absolutis jam his sermonibus, mortem sibi ingruentem prædixit, de quo jam vidimus. Tunc etiam, eadem feria quarta, congregati in palatio Cajaphæ Pontifices, Scribæ & Seniores, de JESU dolo capiendo & occidendo deliberarunt, *Matth. XXVI*, 3. *Marc. XIV*, 1. *Luc. XXII*, 1. Judas autem a Satana impulsus, & increpatione Christi, quinto abhinc die Bethaniæ facta, ad iram ac livorem commotus, eodem die ad Pontifices abiit, seque JESUM proditurum stipulatus est, condicto prius proditioni XXX. argenteorum pretio: atque ita Magistrum benemerentem exsecrando flagitio vendidit. Hoc feria hebdomadis quarta omnino accidisse, non modo Scriptura, uti demonstravimus, luculenter docet; sed & orthodoxa antiquitas indubitato credidit, dum hanc unicam ob causam feriæ quartæ jejunium Ecclesiastica sanctione instituit. Augustinus *Epist. 86. ad Casulanum* diserte scribit: *cur quarta & sexta feria maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Euangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi &c.* Et mox: *Ex quo colligitur, quartam Sabbati fuisse, quando Dominus ait, scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Ac per hoc dies ipse jejunio deputatus est.* Hinc Theophylactus in *Matth. XIV.* dicit: *Feria quarta concilium convenit, & propterea jejunamus etiam nos quartis feriis.* Imo Clemens ille, cui de die natali Christi pronuncianti tantum tribuit Langius, ut eum ceu testem Chrysostomo antiquiorem laudet, veluti supra *c. II.* indicavimus, idem *Constit. l. V. c. 14.* rotunde ait: τετράδα καὶ παρασκευὴν προσέταξεν ἡμῖν νηστεύειν. τὴν μὲν διὰ τὴν προδοσίαν, τὴν δὲ διὰ τὸ πάθος. *Quarta feria & sexta jussit nos jejunare, illa quidem propter proditionem, hac vero propter passionem.* Quanquam enim nos Clementaſtrum istum non magni faciamus: contra Langium tamen ipsius auctoritas satis est valida, qui illam tantopere alia in re commendavit. Referri & huc possunt, quæ infra *c. VIII.* de Jejunio

Digitized by Google

nio quartæ & ſextæ feriæ ex antiquitate producentur. Adeoque tum Scripturæ, tum veterum ſententiæ obluctatur Langius, dum hanc Judæ proditionem ad feriam tertiam retrahit, & Matthæum, Marcum ac Lucam, qui biduum ante Paſcha ponunt, a Chriſti Paſchate, quod in quintam feriam incidit, numerare aſſerit. Sed & hoc ſtatuere debuit, quo fabulam ſuam exornaret. Ea enim abſurditatum fœcunditas eſt, ut data una plures ἀυτομάτην enaſcantur.

Feria quinta, ſeu dies Jovis, illa fuit, quam Matthæus *c. XXVI.* 17. & Marcus *c. XIV*, 12. τὴν πρώτην τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, appellant. Lucas, poſtquam proditionis ac pacti Judæ, quæ pridie contigerant, meminiſſet, notanter dicit *c. XXII*, 7. ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Intelligunt autem omnes Paraſceven Paſchatis Chriſti, qui eadem veſpera Judæos antevertens typicum agnum comedit. Primum Azymorum vocant eum, qui inter octo dies Azymorum, quot aliquando numerantur incluſa Paraſceve, primus erat, cujus parte poſtrema azyma edi incipiebant. Hoc vero die acceſſerunt diſcipuli, Servatorem quærentes, ubi Paſcha ſibi præparatum vellet. Ipſe duos in urbem miſit, & omnia inſtruere juſſit. Deinde ὀψίας γενομένης (Lucas ait *v.* 14. ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα) ipſe advenit, & cum diſcipulis accubuit. Peractæ cœnæ Paſchali ſucceſſit communis ſeu vulgaris, de qua ejuſque ritibus fuſe ac eleganter diſſerit Scaliger *Emend. Temp. l. VI. p.* 535. *ſeqq.* qua adhuc durante, antequam S. Euchariſtiæ Sacramentum inſtitueret, ſurrexit Chriſtus & Apoſtolorum pedes lavit. Nam Johannes *c. XIII*, 2. id δείπνου γενομένου factum eſſe, & *v.* 4. Chriſtum ἐκ τοῦ δείπνου ſurrexiſſe, deinde finita lotione iterum recubuiſſe *v.* 12. teſtatur. Docet idem Auguſtinus *l.* 3. *de Conſ. Euang. c.* 1. Quod autem hæc pedum lotio ſacratiſſimum corporis ac ſanguinis ipſius teſtamentum præceſſerit, tanquam concinna ad illud προδιάθεσις, omnes fere, quos ego quidem ſcio, tum Pontificii, tum Proteſtantes Doctores unanimi conſenſu hactenus judicarunt. Videantur ſaltem Baronius *ad A. C.* 34. & 36. Barradius *Conc. Euang. T.* 4. *l.* 2. *c.* 1. Torniellus *ad A. M.* 4084. *n.* 12. Spondanus *ad A. C.* 34 *n.* 11. Gerhardus *Harm. Cont. c.* 170. Calixtus *Conc. lib.* 6. *c.* 1. & 2. Grotius, Maldonatus & Diodati *ad Joh. XIII*, 12. Adeoque iterum hic ceſpitat Langius, qui Sacramenti Cœnæ inſtitutionem præmittit, & lotionem pedum ſubjungit *pag.* 432. Dicit enim: *Chriſtus veſpera adventante Paſcha cum ſuis comedit. Atque ita finitis legalibus novum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum in-*

Digitized by Google

inſtituit. Inde pedum lotionem inſtituit. Perperam & præpoſtere. Nec melius mox: *finita lotione Judas ad Pontifices abiit.* Interceſſit enim inter lotionem & abitum Judæ venerandi Sacramenti κοινωνία, cui & ipſe una cum ceteris Apoſtolis interfuit; uti notum eſt. Sed ut clavus clavum, ita error errorem trudere ſolet. Poſtquam lotis jam diſcipulis ſanctiſſimum Euchariſtiæ myſterium tradiderat, mox Servator proditorem acriter notavit, contentionem Apoſtolorum de primatu compeſcuit, & tandem dulciſſimos illos Hyblæoque melle ſuaviores ſermones valedictorios habuit, quos a Johanne ſolo *cap. XIII. XIV. XV. XVI.* late deſcriptos vehemente illa ac ardentiſſima ad Patrem oratione clauſit, quam *cap. XVII.* Johannes continet. Demum multa jam nocte urbe exit, inque villam Gethſemane pervenit, ubi agonem cum morte init, & precibus ad Patrem fuſis ter calicem deprecatur: ſtatim autem Judas armata caterva ſtipatus eum aggreditur, capit, & abductum Pontificibus tradit. A quibus dum examinatur & ludibrio habetur, nec non ter a Petro negatur, nox elabitur, dieſque ſuccedit.

Illuxit tandem feria ſexta, ſeu dies Veneris, inclytus ille & vere toti mundo σωτήριος, qui Paraſceve tum Paſchatis tum Sabbati hebdomadalis fuit, ut ſupra oſtenſum eſt. Itaque πρωΐας γενομένης *Matth. XXVII,* 1. vel ut Marcus ait εὐθέως ὅτι τῷ πρωΐ (Johannes dicit ἦν δὲ πρωΐα) poſtquam in Synedrio accuſatus ac morti deſtinatus eſſet, ad Præſidem Pilatum in Prætorium ducitur, quo infami ſupplicio plectatur. Ipſum enim Synedrium, quod judiciorum capitalium poteſtate paulo ante ſibi adempta deſtituebatur, neminem damnare aut interficere poterat, uti vel e propria Judæorum confeſſione liquet *Joh. XVIII,* 31. ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Nam arctior facta erat iſto tempore Senatus Hieroſolymitani juriſdictio, cum pars Judææ potior in provinciam eſſet redacta, conſtituto, ut ferme in omnibus provinciis Romani Imperii, ne Senatus quemquam mortis ſupplicio ſine Romani Præſidis conſenſu afficeret. Hoc in Pandecte Digeſtorum Talmudicorum titt. de *Synedrio* & *Sabbato* luculenter indicatur. Ipſe quoque Maimonides in *Hal. Sanh. c. XIV.* diſerte ait: ארבעים שנה קודם חרבן בית שני כשלו דיני נפשות מישראל *Annis XL. ante excidium templi ſecundi ablata ſunt judicia capitalia ab Iſraele.* Sic & R. Moſes Kotzenſis in *Sepher Mitzvos gadol. n.* 188. Neſcio proinde, quid ſibi velit ea Langii aſſertio *pag.* 433. *Ipſum namque Synedrium neminem vivum crucifigere poterat.* An putat igitur, alio mortis genere Chriſtum occidere Synedrio integrum fuiſſe? Ita ſane, niſi fallor

Digitized by Google

fallor, ſentire videtur. Huc enim forte & ea collimant, quæ præmiſit: *in illo Concilio damnatus Pilato traditur, ut crucifigeretur.* At Judæi non crucifigendi tantum, ſed quodvis ſupplicium inferendi facultatem ſibi deeſſe, loco allegato ſignificant. Ebræorum quoque Magiſtri de omnibus דיני נפשות *judiciis capitalibus* ἐν πλάτει pronunciant. Quod a Judæis nonnulli circa ea tempora publice occiſi ſint, non nego: ſed furore ac tumultu populari id factum eſt, non de jure, aut legitimo Synedrii judicio. Habuit quidem Senatus adhuc jus cognoſcendi de crimine, ob quod Chriſtum ἔνοχον θανάτῳ *Marc. XIV. verſ.* 64. judicare potuit: at jus pronunciandi ſententiam cum effectu non habuiſſe, certum eſt. Nec magis percipio, quo tendat Langius, dum mox addat: *Eo die crucifixio contigit, quo Judæis neminem interficere licuit: XIV enim Niſan Synedrium neminem judicare poterat, ut ex Maimonide aliiſque Judæorum commentariis patet.* Mire vagatur. Prius de genere mortis, jam de tempore ferendi judicii exceptionem dare ſatagit. An ideo extra illum diem XIV Niſan, vel alium ſimili religione Judæis obſervatum, Synedrio quenquam eo tempore damnare ac interficere licuit? Hoc ſine dubio vult Langius, niſi nullus verbis ejus nervus inſit. Voluit & hoc Annalium Pater Baronius *ad A. C.* 34. *n.* 76. qui verba Judæorum citata ad tempus illud ſolum, nempe feſtum Azymorum, reſtrinxit. Sed refellit eum Caſaubonus *Exerc. XVI. n.* 71. cujus judicium hic exhibeo: *Verior ſententia eſt doctiorum e recentioribus, qui e libris Talmudicis, Juchaſin, & aliis demonſtrarunt, judiciorum capitalium poteſtate Judæos tum caruiſſe, adempta ſibi paulo ante, atque ut ipſi Rabbini ſcribunt, annis XL. circiter ante excidium templi.* Indicant hoc manifeſte Judæorum verba, qui non ajunt: *hodie, vel circa hoc Azymorum feſtum, nobis non licet occidere quenquam*; ſed ἁπλῶς & abſolute id de omni tempore negant. Idem & Ebræorum domeſtica teſtimonia jam laudata perſuadent. Quare fallitur Langius, ſi hæc ei ſententia ſedet, quam verba ejus præ ſe ferunt, & adverſum ſibi doctiſſimum quemque experietur. Conſulantur modo P. Fagius *ad Deut. XXI*, 22. Sigonius *de R. H. l. VI. cap.* 7. Druſius *Præter. l.* 5. *pag.* 147. Petavius *Doct. Temp. l. XII. cap.* 19. Schikardus *Jur. Reg. Ebr. pag.* 184. L'Empereur *ad Middoth p.* 48. & *ad Bertram de R. H. pag.* 404. *ſeqq.* Grotius *ad Matth. V.* 22. Capellus *Vindic. pro Caſaub. l.* 2. *cap.* 9. & 10. Buxtorfius *in Lex. Talm. f.* 1513. nos enim his non immorabimur. Poſtquam jam Pilato traditus fuit Jeſus, diu multumque inter illum & primores Ju-

Digitized by Google

dæorum de ipso damnando vel absolvendo disceptatum est. Tandem vero Præses magnorum accusatorum clamoribus & pertinacia superatus, Christum prius flagellatum solenni sententia pro tribunali pronuntiata crucis supplicio addixit. Quota diei hora hoc factum sit, determinatu non adeo facile videtur. In Euangeliſtarum enim narratione aliquod hic ἐναντιοφανὲς apparet; Johannes *c. XIX. v.* 14. ὥραν ὡσεὶ ἕκτην definit. At Marcus *c. XV.* 25. ait: ἦν δὲ ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Valde in hac difficultate explicanda eruditi æstuarunt. Patres aliique Interpretes varia attulerunt, quæ hic commemorare nihil attinet. Doctissimus Casaubonus *Exerc. XVI. n.* 110. inter τὰ ἄπορα Scripturæ hoc collocat, *ad quæ solvenda Elias exspectandus erit.* Langius nodum secat potius, quam solvit *pag.* 433. & locum Marci nostris codicibus corruptum esse asserit: *In Marco*, inquit, *pro E extritis binis inferioribus lineis* Γ *irrepsit. Legendum itaque illic* ὥρα πέμπτη *pro* τρίτη. Expedita hæc est Scripturas conciliandi methodus, si quidvis pro quovis fingere, & quæ nobis incommoda videntur, ad lubitum corrigere liceat. Ah quantis quamque improbis laboribus supersedere potuissent Viri pietate & eruditione insignes, si promptam hanc S. literas explicandi rationem a Langio didicissent! Sed absit, ut hoc rabioso isti Gordono Huntlæo, aliisque male feriatis Scripturo-mastigibus concedamus, quod sacerrima ista monumenta usquam irreptitium aut vitiosum quid habeant. Extrema potius tentanda erunt, ut hunc unicum fidei nostræ Canonem illibatum ac sartum tectum obtineamus. Non Scripturæ autem solum integritati injuria; sed & suopte vana ac frivola hæc Langii conjectura apparet. Quis enim ipsum docuit, numeros in primigeniis codicibus per notas scriptos fuisse, vel per istas, quas putat, literas? Aut si literis ii expressi fuerint, majusculas, ut vocant, has fuisse, unde didicit? Nam si minores fuere, ea permutatio metui non potuit, cum inter ε & γ nulla sit affinitas. Cur autem non ullum adduxit codicem, qui hanc lectionem, quam nobis obtrudit, exhibeat? Nempe quia nullum reperire potuit. An autem fungi & pepones sumus, ut Langio ἀδεσπότως hoc pronuntianti simplicem credulitatem debeamus? Hieronymus quidem ante tot secula mendam librarii hic suspicatus est in *Comm. in Psal. LXXVII.* Sed non notam ε, verum ϛ pro γ substituendam esse, & ἕκτη, non πέμπτη, legendum putavit, ut Marco cum Johanne convenire posset. Nec is tamen ullum codicem attulit, qui ita haberet. Nec attulere Petavius, Toletus, Cajetanus & Melch. Canus, qui Hieronymum secuti sunt. Imo antiquissima est ea vul-

Digitized by Google

vulgaris lectio, uti ex omnium codicum & Syri, Arabis ac Vulgati consensu liquet, nec temere adeo sollicitanda. Quod si autem in alterutro loco, Marci scilicet vel Johannis, mendum statuendum sit, apud Johannem potius, quam Marcum, illud locum habere videtur, ut pro ἕκτη legendum sit τρίτη. Nonnus enim vetustissimus Paraphrastes aut ita legit, aut ita legendum censuit, dum hunc in modum Johannis verba metrice reddidit:

ἦν δὲ τιθαινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρα,
Agebatur autem tertia mortifera hora.

Camerarius quoque *annot. in Marc.* vetus quoddam MS. se vidisse testatur, ubi loci Johannæi lectio talis exstitit: ὥρα δὲ ὡς τρίτη. Rob. Stephanus & Beza non minus antiqua exemplaria MSS. laudant, quæ ita habuere. Etiam Petrus Alexandrinus *in Disp. de Paschate*, a Casaubono *loc. cit.* laudatus, auctor est, quod *libri accurate descripti, atque ipsum autographum manu propria Euangelistæ Johannis scriptum; quod gratia Dei ad suam etatem servatum exstabat in sanctissima Ephesiorum Ecclesia, & a fidelibus eo accedentibus magna cum reverentia invisebatur, ita habuerint:* ἦν δὲ παρασκευὴ ϛ πάσχα, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη. Idem legas in *Chronico Alexandr.* a Matth. Radero edito *pag.* 118. 150. Vid. Usserium *in Diss. de Epist. Ignat. c. XI.* Hinc & Theophylactus *in h. l.* multis disputat, γ in ϛ esse mutatum apud Johannem ἐξ ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων *per incogitantiam describentium.* Quod Langius illum Pet. Alexandrinum *personatum* appellat, eumque *sibi antiquitatem conciliare debuisse*, ajat, in eo criticum ejus acumen intempestive se prodit, quod convenientius in Pseudo-Clemen is istius νοθείας, & columnarum antediluvianarum fide dignoscenda se exerere potuerat. Sed non eo recurrendum nobis est, ut in S. literis mendum fingatur. In neutrius enim Euangelistæ verbis librarii incuriam quidquam pervertisse persuasi sumus. Jesuitæ Maldonati judicium laudamus, præsertim ut hominis ex eo grege, qui Scripturæ integritati non adeo æquum se per omnia ostendit. Ait ille *Comm. in Matth. XXVII.* 45. *Sunt qui conjecturam faciant, apud Marcum scriptorum culpa vitiatum esse numerum, &c. Nimis audax semper mihi ea conjectura visa est, & quia non alio nititur argumento, quam quod, qui ea utuntur, non possunt hujus loci difficultatem explicare. Et non debemus, ut Scripturam interpretemur, corrumpere.* Ipse quoque H. Grotius, in sua alias non semel circa Sacra κρίσει liberior, quam par erat, *lectionis hic mutandæ causam se non videre*, profitetur.

tetur. Et *Annot. ad Matth. XXVII*, 45. *Nihil in ſcriptura Marci aut Johannis contra vetuſtiſſimorum codicum & μεταφρασῶν auctoritatem immutandum*, cenſet. Neque enim ita inter ſe illi pugnant, quin facile conciliari queant. Præter communem illam Judæiſque familiarem diei in XII. horas partitionem, alia quoque ejuſdem in IV. quadrantes, ſicut noctis in IV. vigilias, diviſio in uſu erat. Quilibet quadrans tres horas complectebatur, & ferme ab illa hora, quæ initium ei dabat, appellationem ſortiebatur. Primus a prima ad tertiam extendebatur, ſecundus a tertia ad ſextam, tertius a ſexta ad nonam, &c. Mos ille e templi conſuetudine natus videtur, ubi ſacrificia & preces hora tertia, ſexta & nona fieri ſolebant. Hinc ubi ſtatarum precum mentio fit, non alia fere horarum nomina occurrunt. Sic *Act. III*, 1. ὥραν τῆς προσευχῆς ἐνάτην leges; & *c. X*, 9. Petrum preces fudiſſe περὶ ὥραν ἕκτην deprehendes. Etiam Cornelio circa horam nonam oranti Angelus apparuit *Actor. X*, 3. Inde horæ illæ ceu vulgo notiores celebratæ, & quidquid inter illas evenit, ut ſolent quæ in medio ſunt poſita, nunc ad hunc, nunc ad illum terminum relata ſunt. Vide *Act. II*, 15. In parabola Chriſti *Matth.* XX, 3. 5. 6. ita horæ, tertia, ſexta & nona, quibus operarios conduxit Paterfamilias, commemorantur, ut inter eas nulla nominetur. Poſt nonam autem undecimæ ſaltem, ut a fine diei proximæ, mentio injicitur. Huc itaque pertinet, quod Euangeliſtæ ſimiliter in paſſione Chriſti horas *tertiam*, *ſextam & nonam* indigitent. Marcus & Johannes dum crucifixionem Servatoris circa horas tertiam & ſextam factam indicant, illum diei quadrantem omnino deſignant, qui a tertia hora incipit, & in ſextam deſinit. Uterque idem tempus notat, non diverſum. Marcus Chriſtum ſecundo diei quadrante crucifixum dicit, eo nimirum, qui a tertia hora exordium & denominationem habuit: non initio quadrantis, tertia hora, ſuſpenſum oſtendit. Idem ait Johannes, dum ὥραν ὡσεὶ ἕκτην fuiſſe docet. Notanter addit particulam ὡσεὶ, ne horæ σιγμὴν intelligas. Non præciſe hora ſexta fuit: nec longe tamen abfuit. In eo quadrante id factum ſignificat, quem ſexta hora terminat. Sicque nulla plane inter divinos Hiſtoricos contrarietas. Matthæus & Lucas, dum a ſexta ad nonam tenebras factas indicant, optime concordant, ut & ipſe Marcus idem aſſerens *comm.* 33. Chriſtus enim ante ſextam crucifixus eſt. Brevi autem poſt ſextam tenebræ ingruerunt. Hac ratione omnis hic difficultas evaneſcit, quidquid demum occinat Langius, cujus audacula correctio in ſpongiam incumbit. Conſule,

Digitized by Google

le, ſi placet, Baronium ad *ad A. C.* 34. *n.* 162. *ſeqq.* Torniellum *ad A. M.* 4084. *n.* 19. Tirini *Chron. S. c.* 2. *Cent. Magdeb. l. l.* 1. *c.* 10. Gerhard. *Harm. Paſſ. c. XI.* Schindleri *Lex. Pentagl. ad Rad.* נגה, Glaſſium *Phil. Sac. l.* 1. *tr.* 2. *p.* 159. Grotium & Maldonatum locis citatis. Concinne proinde antiquiſſimus Pater Ignatius *in Epiſt. ad Trallianos* ſcribit Edit. Vedel. *p.* 12. τῇ παρασκευῇ, τρίτῃ ὥρᾳ, ἀπόφασιν ἐδείξατο παρὰ Πιλάτου. ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσαυρώθη, ἐνάτῃ ἀπέπνευσε, πρὸ ἡλίου δύσεως ἐτάφη. *In Paraſceve, hora tertia, ſententiam accepit a Pilato. Sexta hora crucifixus eſt, nona exſpiravit, ante ſolis occaſum ſepultus eſt.* Mortuus circa horam nonam, noſtram tertiam, Servator, mox circa decimam, noſtram quartam, de cruce demiſſus, & tumulo mandatus eſt. Exequias ipſi iverunt piæ mulieres, a quibus cum reverſæ eſſent, aromata coemerunt, priuſquam dies illa tota elapſa eſſet, & ante ſabbati ſuccedentis exordium, quod veſpera afferebat. Diſerte hoc Lucas *cap. XXIII*, 56. ſignificat, nimirum, quod mulieres eadem Paraſceves die, qua jam crucifixus & ſepultus erat Dominus, ὑποστρέψασαι ἡτοίμασαν ἀρώματα καὶ μύρα: cum vero hæc ſibi jam comparaſſent, ac ad uſum iſtum, cui ea deſtinaverant, præparaſſent, τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν. Rurſus itaque in ordinem Hiſtoriæ impingit Langius, dum finito demum ſabbato hanc aromatum præparationem factam putat *p.* 377. *Finita*, inquit, *una cum occaſu ſolis, veſpera Saturni, hebdomade priore, liberatæ ſabbati (tam Paſchatis quam hebdomadis) relligione feminæ, aromata coemerunt, ac nocte prapararunt, ut ungerent Jeſum.* Aperte id S. Lucæ repugnat, qui hoc feminarum factum quieti earundem Sabbaticæ manifeſte præmittit, idque ſtatim in reditu a monumento, cui jamjam funus Servatoris illatum fuerat, contigiſſe demonſtrat. A ſepulcro reverſæ confeſtim aromata ad unguenti confectionem ſibi compararunt: mox autem ſabbatum religioſa quiete obſervare cœperunt. Quies ſabbati non unguenti præparationi jam factæ; ſed unctioni demum ſecuturæ opponitur. Marcus quidem Langio prima fronte favere videtur *c. XVI*, 1. quaſi mulieres διαγενομένης τοῦ σαββάτου demum aromata emiſſe aſſerat. Sed verbum ἠγόρασαν, quo utitur, in forma plus quam perfecti commodiſſime cum Beza, Tremellio & Belgicis interpretibus, reddi poteſt, *emerant*, ut mulieres ad ſepulcrum advenientes jam aromatibus antea emptis inſtructas fuiſſe notet. Conferatur *comm.* 2. & plana res erit. Nam quando exiverint mulieres, dici multum attinebat: item quod aromata ſecum habuerint, cum id cauſam exitionis indicet. Quia autem nil re-

Digitized by Google

ferebat ſciri, quando aromata iſta comparaſſent, ideo ἀορίςως illud expreſſum eſt. Sic aoriſtus ſæpius pro pluſquamperfecto ponitur, & notat id, quod ante contigerat. *Matth. XIV*, 3. ἔδησεν αὐτὸν non *vinxit*; ſed *vinxerat eum* rectius interpreteris. Ita & illud *Matth XXVII*, 2. δήσαντες αὐτὸν capiendum eſſe, res ipſa loquitur. Senibus quoque Helleniſtis frequentiſſimum id eſſe nemo neſcit. Sicque Marcus hac ratione explicatus nec diverſum a Luca prodit, nec Langio ullo modo patrocinatur. Imo interpretem Marci diſerte agit Lucas *c. XXIV*, 1. dum verba ejus ita circumloquitur: ἦλθον ἐπὶ τὸ μνῆμα, φέρουσαι ἃ ἡτοίμασαν ἀρώματα. Illud ἡτοίμασαν per *præparaverant* reddendum eſſe, & connexio verborum docet, & Interpretes probant. Syrus רפיכי הוי, Tremellius ac Beza *quæ paraverant*, Belgæ **die ſy bereyt hadden** / Diodati *haveano preparati* Nempe emerant & paraverant ea feria ſexta, quæ feria prima circa diluculum ad ſepulcrum attulerunt. Hinc Diodati τὸ ἠγόρασαν Marci convenienter vertit *havendo comparati*, idque factum addit *nelle ire ultime hore del giorno, nel quale il Signore fu crocifißo*, cum quo & Belgæ Synodici apprime conſentiunt. Vide quoque Gerhard. *Harm. Reſurr. 6.* 1. & Grotium ad *h. l.*

Succeſſit feria ſeptima ſeu Sabbatum, ipſa Paſchali ſolennitate tum illuſtre, quod Servator in monumento, mulieres devotæ aliique in otio, totum tranſegerunt. Pontifices autem & Phariſæi hoc die, quem Matthæus τὴν ἐπαύριον, ἥτις ἐςὶ μετὰ τὴν παρασκευὴν *cap. XXVII*, 62. appellat, Præſidem una acceſſerunt, & vigiles pro ſepulcro cuſtodiendo flagitarunt, ne a diſcipulis ſcilicet Chriſtus ſurriperetur, quos & impetrarunt. Elapſo autem Sabbato duplice religione ſancto, mulieres mox ad monumentum reviſendum ſe accinxerunt. Matthæus id ὀψὲ σαββάτων factum perhibet, quæ phraſis quid notet, ſupra *c. VI.* oſtendimus. Quod feria prima circa diluculum ad ſepulcrum pervenerint, omnium Euangeliſtarum narratio docet. Venientes autem Chriſtum jam reſurrexiſſe deprehenderunt, & ab Angelo id nunciante confirmatæ ſunt. Reverſæ Apoſtolis illud retulerunt, nec tamen perſuaſerunt, &c. De ceteris ad Hiſtoriam Paſſionis & Reſurrectionis pertinentibus diſquirere ab inſtituto noſtro alienum foret. Non enim commentamur; ſed contra Langium diſputamus. Nec Diatribes anguſtiæ prolixos nos eſſe patiuntur. Chriſtum die Solis ſeu feria prima reſuſcitatum eſſe, nemo Chriſtianus unquam negavit. Langius id ipſum non concedit modo: ſed & operoſe probat. Sicut autem dies Solis ἀναςάσιμος fuit, ita quod dies Veneris ceu feria ſexta

ſav-

Digitized by Google

παυρώσιμος exstiterit, hoc, quod jam proposuimus, actorum ipsius ἡμερολόγιον, præter argumenta superius adducta, luculenter evincere confido. Ad alium enim septimanæ diem passionem Dominicam referri non posse, demonstratum est, nisi unum ex hebdomade pœnosa diem expungi, vel bidui gesta in unum confundi oporteat, quod utrumque absurdissimum est.

CAPUT VIII.

Veteris Ecclesiæ Patrumque sententia exhibetur. Ignatii locus vindicatur. Clemens ὁ Διαταγεὺς, Irenæus & Theophilus Antiochenus allegantur. Jejunium quartæ sextæque feriæ qua de causa antiquitus institutum sit? Tertulliani, Clementis Alex. Origenis, Petri Alex. Hippolyti, Cyrilli Alex. & aliorum testimonia. Epiphanii & Gregorii Nyssæni mens declaratur. Hieronymi, Nonni & Gaudentii Brixiani consensus. Augustini explicationes luculentissimæ. Isid. Pelusiotæ, Leonis M. Bedæ, Hippol. Thebani & Theophylacti suffragia ostenduntur. Langiani dogmatis novitas suopte ejicula.

E Scriptura & historiæ Evangelicæ serie atque ἀκολουθίᾳ vetustam & Catholicam de feria passionis & triduo mortis Dominicæ sententiam satis confirmavimus. Tam clara & luculenta documenta produximus, ut effrontem extremeque protervum eum esse oporteat, cui hæc satisfacere nequeant. Nihil jam restat, nisi ut veterum Christianæ pietatis Antistitum auctoritate ac suffragiis eandem muniamus. Venerandi illi & antiqui Ecclesiæ Doctores ac Patres communibus votis Langianum istud dogma, ut insolens ac inauditum, damnabunt & proscribent. Unanimis eorum consensus luculenter ostendet, falsum esse, quod asserere non erubescit Langius, *antiquæ Ecclesiæ opinionem fuisse eam*, quam ipse tuetur. Contrarium potius omnibus patescet, illam nimirum, quæ hodiernæ Ecclesiæ est, etiam vetustæ fuisse sententiam; Langianum autem commentum nemini Veterum in mentem venisse. Ibimus ergo per secula, singulosque istos Heroas ac doctissimos Viros, unumquemque secundum suam ætatem, sententiam rogabimus, ut, collectis omnium calculis quantum a falso verum distet, cognoscatur. Primum autem se nobis sistit Patrum antiquissimus Ignatius, Episc. Antiochenus, Apostolorum discipulus, primi seculi Doctor ac Martyr sanctissimus, qui in *Epist. ad Tral-*

Digitized by Google

Trallianos Edit. Vedel. *p.* 11. primo dicit, quod Chriſtus διὰ τριῶν ἡμερῶν ἀνέϛη, quæ verba Vedeliana verſio reddit *intra triduum reſurrexit*; Uſſeriana autem *reſurrexit tertia die*, plane ut alibi *in Epiſt. ad Smyrnenſes* ſcribit: ὁ λόγος τὸν ἑαυτοῦ ναὸν λυθέντα ὑπὸ τῶν χριϛομάχων Ἰουδαίων ἀνέϛησε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, *verbum ſuum ipſius templum, quod ſolutum erat a Judæis Chriſtum oppugnantibus, excitavit tertia die*, directe contra Langium quatuor dies fingentem. Mox vero *p.* 12. addit: τῇ παρασκευῇ, πρὸ ἡλίϰ δύσεως ἐτάφη, τὸ σάββατον ὑπὸ γῆν μένει ἐν τῷ μνημείῳ, ᾧ ἀπέθετο αὐτὸν Ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ Ἁριμαθίας. ἐπιφωσϰούσης κυριαϰῆς ἀνέϛη ἐϰ τῶν νεϰρῶν, ϰατὰ τὸ εἰρημένον ὑπ' αὐτοῦ. περιέχει οὖν, ἡ μὲν παρασκευὴ τὸ πάθος, τὸ σάββαλον τὴν ταφὴν, ἡ ϰυριαϰὴ τὴν ἀνάϛασιν. *In Paraſceve ante occaſum Solis ſepultus eſt, Sabbato ſub terra in monumento remanſit, in quo poſuit eum Joſeph Arimatheus. Illuceſcente Dominico die reſurrexit ex mortuis, juxta id, quod dixerat*: (nempe Matth. XII, 40. de ſua in corde terræ mora.) *Complectitur itaque Paraſceve paſſionem, Sabbatum ſepulturam, Dominicus dies reſurrectionem.* Vides ipſum diſerte Paraſceven paſſioni, & unicum ſaltem Sabbati diem integrum moræ in ſepulcro tribuere. Imo tres illos dies proxime ſibi ſuccedentes ita diſtinguit, ut primum paſſioni, ſecundum quieti in monumento, tertium reſurrectioni aſſignet. Quartum is neſcivit, quem Langius interponit. Illud non diſſimulo, quod Vedelius poſteriora hæc verba irreptitia eſſe cenſeat, cujus & judicium ſine ſua ἐπιϰρίσει Uſſerius Archiepiſc. Armachanus proponit. Rationes ſunt I. *Quia apud Pſeudo Clementem* in Conſtitutionibus *eadem verba reperiantur*, lib. 5. c. 13. Repono ego, quod æque dici poſſit Clementaſter ille ab Ignatio ea mutuo accepiſſe, ut per hanc cum vetuſtiſſimo auctore convenientiam antiquitatis ſpeciem ſibi conciliaret. II. *Quia verba ea hiatum facere videntur, & ſeriem orationis Ignatianæ interrumpere, in qua verba, quæ hunc hiatum ſequuntur, cohærere manifeſtum eſt cum iis, quæ eum antecedunt.* Reſpondeo, id mihi non videri. Appoſite enim ſatis ad ſcopum Ignatii quadrant, quæ Vedelius interpolata putat. Vult enim is demonſtrare, Chriſtum revera paſſum & mortuum eſſe, non apparenter, coſque impugnat, quos ἀθέους ſtatim vocat, qui id τῇ δοϰήσει & hominum ſaltem opinione factum eſſe, ac Servatorem τῷ δοϰεῖν τεθνηϰέναι, πεπονθέναι ϰ τῷ ὄντι, *apparenter paſſum, nec revera mortuum eſſe*, pertendebant. Urget itaque contra illos momenta temporis, quibus damnatus, crucifixus, mortuus, ſepultus & reſuſcitatus eſt Dominus, eque illo vero & reali ſpatio veram

ac

Digitized by Google

ac realem ejus paſſionem fuiſſe concludit, atque id obtinet, quod ἀληθῶς, καὶ ὲ δοκήσει, ἐσαυρώθη καὶ ἀπέθανε, βλεπόντων ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, &c. Eadem enim ratione hic in argumentando procedit Ignatius, qua Chryſoſtomus eo in loco, quem ſupra *c. V.* expendimus. Idem quoque pro ſe Servatoris oraculum e *Matth. XII*, 40. allegat. Satis etiam apte cohærent cum his verbis tam ea quæ præcedunt, quam quæ ſequuntur, ut quivis judicare poterit. Adeoque nihil hic a genuina Ignatii mente alienum ab interpolatore inſertum eſſe arbitramur, quanquam id alibi non ſemel factum eſſe haut diffiteamur, quod tum a Dion. Petavio *in Præfat. Tom. II. Dogmat. Theolog. cap.* 2. tum a nuperis ipſius Editoribus Jacobo Uſſerio & Iſaaco Voſſio oſtenſum eſt. Ignatio proximum locum mererent Clementis Romani Conſtitutiones, ſi illius patris fœtus eſſent, cujus nomen mentiuntur. Sed ſpuriæ cum ſint, Langio id acceptum ferant, qui pro legitimis ipſas agnovit, quod hoc ordine a nobis collocentur. Neque enim is Clementaſtrum hunc ſpernere jam poteſt, quem antea tanto honore dignum judicavit. Et ſane licet vetuſtiſſimi iſtius Romani Epiſcopi ſoboles non ſint hæ Conſtitutiones: alium tamen ſatis antiquum patrem habuiſſe eas, non inficiamur. Produximus ex his cap. præced. cum de feriæ quartæ actis ageremus, teſtimonium clariſſimum, quo Servatorem quarta feria proditum, & ſexta paſſum eſſe indicabatur. Jam aliud e *lib. VII. c.* 24. afferimus, quod ita habet: ὑμεῖς ἢ τὰς πέντε νηςεύσατε ἡμέρας, ἢ τετράδα καὶ παρασκευήν. ὅτι τῇ μὲν τετράδι ἡ κρίσις ἐξῆλθεν κατὰ τοῦ Κυρίου, Ἰούδα χρήμασιν ἐπαγγειλαμένου τὴν προδοσίαν. τὴν ὲ παρασκευήν, ὅτι ἔπαθεν ὁ Κύριος ἐν αὐτῇ πάθος τὸ διὰ σαρκὸς ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου: *Vos vel per totos quinque dies jejunate, vel in quarta feria & Paraſceve. Quoniam in quarta quidem judicium contra Dominum prodiit, cum Judas proditionem pecunia promiſerat: in Paraſceve vero, quoniam in ea Dominus crucis ſupplicium paſſus eſt ſub Pontio Pilato.* Ita ὁ Διαταγεὺς. Canones Apoſtolorum, quos vocant, eidem Clementi ſuppoſiti, non alia de cauſa *Can.* 68. (*Græc.* 69.) jejunia τῆς τετράδος ac τῆς παρασκευῆς commendant. Sed non major Canonum horum, quam Conſtitutionum, auctoritas eſt, uti inter eruditos conſtat. Quare teſtes jam indubitatæ fidei in medium adducemus. Irenæus ſecundi ſeculi Epiſcopus & Martyr *lib. V. adv. Hæreſ. c.* 23. diſerte ſcribit: *Manifeſtum eſt, quoniam in illa die mortem ſuſtinuit Dominus, obediens Patri, in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo. Hunc diem recapitulans in ſemetipſum Dominus venit ad paſſionem pridie ante*

Digitized by Google

Sabbatum, quæ eſt ſexta conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt. Mox clariſſime: *hoc eſt Paraſceve, quæ dicitur cœna pura, id eſt feria ſexta, quam & Dominus oſtendit paſſus in ea.* Conferendus autem hic locus Irenæi eſt cum alio *lib.* 1. *c.* 10. ubi Græca in Edit. Franc. Feuardentii ita habent: καὶ διὰ τοῦτο Μωσέα ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν εἰρηκέναι τὸν ἄνθρωπον γεγονέναι, καθὰ τὴν οἰκονομίαν ἣ ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν, ἥ τις ἐστὶ παρασκευὴ, τὸν ἔσχατον ἄνθρωπον εἰς ἀναγέννησιν ἣ πρώτου ἀνθρώπου πεφηνέναι: i. e. *& propter hoc dixiſſe Moſen, ſexta die conditum hominem fuiſſe: juxta diſpoſitionem autem ſexta die, qua eſt paraſceve, noviſſimum hominem ad primi hominis regenerationem apparuiſſe.* Idem exiſtimavit Theophilus Cæſarienſis, niſi Beda fallat, quod ſupra oſtendimus. Conſentit Theophilus Epiſc. Antiochenus *lib.* 1. *Allegoriarum in Sac. Euang.* quæ exſtant *T.* 1. *Bibl. Patr.* Marg. de la Bigne, dum ait: *Quomodo die tertio reſurrexit Chriſtus a mortuis? Sciendum, quod prior fuit nox die; nam tenebræ erant ſuper aquas antequam a Domino fieret lux: & cum primo die Azymorum facto veſpere Chriſtus a Juda ſit traditus; primus paraſceve paſſionis Dominicæ intelligendus eſt dies; ſecundus Sabbati; tertius is, qui a reſurrectione Domini Dominicus appellatur, & primus eſt Sabbati.* In tertio ſeculo plures Patres jejunia quartæ & ſextæ feriarum commemorant, quæ ad memoriam proditionis & paſſionis Chriſti his diebus factarum recolendam Eccleſiaſtica ſanctione inſtituta fuere, uti e modo allatis liquet, & e ſecuturis alterius patebit. Tertullianus *de Jejun. adv. Pſychicos c.* 14. *Cur ſtationibus* (i. e. ſtatis jejuniis, vide Pamelium ad *h. l.*) *quartam & ſextam Sabbati dicamus?* Clemens Alexandrinus *Stromat. VII.* εἰδὼς αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω, ὃν ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν Ἑρμοῦ, ἡ δὲ Ἀφροδίτης: *Novit ipſe quoque jejunii horum dierum myſteria, quartæ inquam & ſextæ feriæ, quarum illa Mercurii, hæc Veneris cognominatur.* Origenes *Hom. X. in Levit. Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter jejunamus.* Huc quoque ſpectat inſignis ille e Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris Synodico locus, quem Fr. Sylburgius allegat in notis ad Clem. Alexandr. loc. cit. ὃν ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστέτακται: τὴν μὲν τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ὅτε τῇ προδοσίᾳ ἣ Κυρίου. τὴν δὲ παρασκευὴν διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν: *Nemo nos reprehendet, qui quartam & ſextam ferias obſervamus, in quibus ut jejunemus ſecundum traditionem conve-*

Digitized by Google

convenienter conſtitutum eſt: quartam quidem feriam propter conſilium a Judæis de proditione Servatoris initum, ſextam vero propter paſſionem ejus pro nobis ſuſceptam. Credidit itaque tota tertii ſeculi Eccleſia, Chriſtum feria ſexta paſſum eſſe, dum ejus rei recordationi ſolenne iſtius diei jejunium conſecravit. Referendus & huc eſt Hippolitus Epiſcopus & Martyr, quem Ant. Capellus in *Diſſert. de Cœna Chriſti ſuprema c.* 5. *ducentis ante Auguſtinum annis in marmorea tabula ſua Paſchali paſſionem Domini VIII. Kal. Aprilis & feria ſexta affixiſſe* teſtatur. In quarto ſeculo Epiphanius Epiſc. Salaminis in Cypro *Hær.* LXXV. *n.* 6. *contra Aerianos* ita de eodem jejunio diſſerit: τινὶ δὲ συμπεφώνηται ἐν πᾶσι κλίμασι τῆς οἰκουμένης, ὅτι τετρὰς καὶ προσάββαλον νηστεία ἐστιν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὡρισμένη. Εἰ δὲ καὶ χρὴ τὸ τῆς διαλάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὡρίζοντο τετράδα καὶ προσάββαλον νηστείαν διὰ παντὸς, &c. *Quis eſt uſpiam terrarum, qui non in eo conſentiat, quartam ſextamve feriam ſolenni in Eccleſia jejunio conſecratam? Quod ſi ex Apoſtolorum conſtitutione repetenda nobis auctoritas eſt, cur illis quartæ ſextæque feriæ jejunium perpetua lege ſancitur, &c.* Vides catholicum totius οἰκουμένης conſenſum ab Epiphanio circa iſtam feriæ ſextæ obſervationem indicari. Cauſam autem ipſe reddit *in Expoſ. Fid. Cathol. n.* 22. Συνάξεις, inquit, ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαι εἰσιν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων τετράδι καὶ προσάββατῳ καὶ κυριακῇ. τετράδι δὲ καὶ ἐν προσάββατῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης. ἐπειδήπερ ἐπιφωσκούσῃ τετράδι συνελήφθη ὁ κύριος, καὶ τῷ προσάββατῳ ἐσταυρώθη. *Sacri conventus ab Apoſtolis inſtituti ſunt quarta ſextaque feria & Dominica. Item quarta ſextaque feria jejunium uſque ad horam nonam, propterea quod quarta feria comprehenſus eſt Dominus, & ſexta in crucem ſublatus.* Fallitur quidem Epiphanius, dum Chriſtum feria quarta comprehenſum exiſtimat, & ab omnibus aliis Patribus diſſentit, cum venditum proditumque dicere debuerit: at de cauſa jejunii feria ſexta indicti verum prodit, & cum univerſis concordat. Idem doctiſſimus Pater *Hær. LI. n.* 31. per Omer ſeu manipulum illum, qui XVI. Niſan offerebatur, præſignificatum eſſe τὸ εὐλογημένον δράγμα ἐγειρόμενον ἐκ νεκρῶν *benedictum manipulum e mortuis excitatum*, nempe Chriſtum, aſſerit. At ſi dies ille Dominicus, quo ſurrexit Chriſtus, idem fuerit, quo Omer offerebatur, ſc. XVI. Niſan, utique XV. Niſan, ſeu magnus dies Azymorum, dies ſabbati fuit, & conſequenter Paraſceven ejuſdem, qua paſſus eſt Servator, feriam ſextam exſtitiſſe manifeſtum eſt. Sin vero Langii opinio obtineat, Chriſtus non eo die, quo Omer offerebatur, ſed inſequente, XVII. Niſan, ſurre-

Digitized by Google

xisse dicendus est, ut omnes vident. Gregorius Episc. Nyssenus, Basilii M. frater *Orat. 1. de Resurr. Chr.* prolixam de triduo mortis ac sepulturæ Dominicæ ῥήσιν exhibet, cujus summam saltem, ut chartæ parcamus, ex interpretatione Laur. Sifani repræsentabimus. *Quod si plene*, inquit, *& exacte horum dierum in passione præstitutum numerum videre desideras (deest enim huic numero pars haud exigua, si numeres tempus post horam Parascaeves nonam, ex qua in manus Patris spiritum commendavit:) subsiste paulisper, & ratio fortasse tibi hujus rei declarationem præbebit.* Eo autem, mox tendit, ut initium tridui istius in feriæ quintæ vespera collocet, qua corpus & sanguinem suum Apostolis in S. Eucharistia dispensavit, eoque tempore putat *jam perfectam & absolutam agni immolationem factam fuisse. Non enim ad edendum idoneum esset corpus victimæ animatum: sed jam latenter pro potestate mysterium administrantis ineffabiliter & invisibiliter corpus immolatum erat, & anima illic erat, ubi eam potestas administrantis collocaverat.* Deinde addit: *si quis ab eo tempore, ex quo hostia Deo oblata est, numeret tempus in corde terræ immorationis, is a veritate non aberrabit. Vesper enim erat, cum comestum est illud sacrosanctum corpus: nox autem, quæ parascaeven præcessit, vesperum illum excepit, deinde dies parascaeves adscititia atque superinducta nocte divisus, pro una nocte ac diebus duobus computatur. Nam si tenebras Deus noctem vocavit: tribus autem horis super universum orbem terrarum tenebræ fuerunt: hæc, quæ circa medium diei novo more introducta est, nox duas secturas dierum per sese circumscribit ac definit: unam quidem ab diluculo ad sextam usque horam, alteram vero a nona ad vesperam usque, ut hactenus noctes duæ, ac totidem dies sint: deinde nox quæ sabbatum præcessit, subsequitur, quam excipit ipse sabbati dies. Habes dies treis, & noctes treis.* Concludit demum: *Quod si hæc ita se habent, stat nobis præstitutum tempus a vespero, qui quintum diem excepit, ad vesperam sabbati, dinumerato tempore noctis interjectitiæ, parascaeven, ut dictum est, in dies duos & noctem unam scindentis.* Non parum incommodam ac contortam esse hanc hujus Patris explicationem facile concedimus, idque quia tres dies ac noctes divisim sumptas numerari debere existimavit. Credidit tamen Christum ea vespera, quæ feriam quintam excepit, corporis ac sanguinis sui sacramentum instituisse, adeoque sequente demum feria sexta, nempe Parascaeve, mortalitatem exuisse, uti e verbis ipsis manifestum est. Maluit enim triduum istud a mystica, quam innuit, Christi in Eucharistia immolatione computare, quam ut ipsum

Digitized by Google

ipſum feria ſexta mortuum ac ſepultum eſſe negaret. Atque ſic Langio aperte adverſatur. Eruditiſſimus Stridonienſis Presbyter Hieronymus *comm. in Jon. II.* ita ſentit: *nos* συνεκδοχικῶς *totum intelligamus a parte, ut ex eo, quod* ἐν παρασκευῇ *mortuus eſt, unam diem ſupputemus & noctem, & ſabbati alteram: tertiam vero noctem, quæ diei dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius: nam & in Geneſi nox non præcedentis diei eſt, ſed ſequentis: id eſt principium futuri, non finis præteriti. Hoc ut intelligi poſſit, dicam ſimplicius. Finge aliquem hora nona egreſſum eſſe de manſione, & alterius diei hora tertia ad manſionem alteram perveniſſe: ſi dixero bidui eum feciſſe iter, non ſtatim reprehendar mendacii: quia ille, qui ambulavit, non omnes horas utriuſque diei, ſed quandam partem in itinere conſumpſerit.* Idem in *comm. ad Matth. XII. Hoc breviter nunc dixiſſe contenti ſumus, quod ſynecdochice totum intelligatur ex parte, non quod omnes tres dies in inferno Dominus ſteterit: ſed quod in parte paraſceves, & dominica, & tota die ſabbati, tres dies & totidem noctes intelligantur.* Nonnus Panopolitanus D. Johannis μεταφράσης iſto quem ſupra *cap. VI. arg. 2.* adduximus verſu, ſuum de feria paſſionis conſenſum diſerte profitetur, dum hæc ei ἕκτη ἡώς *ſexta dies* appellatur, quæ aliis *proſabbatum* dicitur. Gaudentius Epiſc. Brixienſis, cujus opuſcula exſtant in *Tom. II. Bibl. Patr. in tract. 1. in Exodum*, ita ait: *Sexta feria, qua hominem Deus fecerat, pro eodem paſſus eſt, & die Dominica, quæ dicitur in Scripturis prima ſabbati, in qua ſumpſerat mundus exordium, reſurrexit.* Quod & hæc diſertiſſimi Patris Joan. Chryſoſtomi ſententia fuerit, quidquid incaſſum oggeſſerit Langius, jam antea *cap. V.* luculenter probavimus. In ſeculo quinto magnus Hipponenſium Præſul Auguſtinus clare mentem ſuam non uno in loco aperuit. Nam *lib. IV. de Trinit. c. 6.* cum verba Servatoris *Matth. XII, 40.* allegaverat, ita eadem explicat: *Ipſum autem triduum non totum & plenum fuiſſe, Scriptura teſtis eſt, ſed primus dies a parte extrema totus annumeratus eſt: dies vero tertius a parte prima, & ipſe totus: medius autem inter eos, id eſt ſecundus dies, abſolute totus viginti quatuor horis ſuis, duodecim nocturnis & duodecim diurnis. Crucifixus eſt enim primo Judæorum vocibus hora tertia, cum eſſet dies ſexta ſabbati. Deinde in ipſa cruce ſuſpenſus eſt hora ſexta, & ſpiritum tradidit hora nona. Sepultus eſt autem cum jam ſero factum eſſet, &c.* Mox paucis interjectis: *ab hora ergo mortis uſque ad diluculum reſurrectionis horæ ſunt quadraginta, ut etiam ipſa hora nona connumeretur A veſpere*

Digitized by Google

autem ſepulturæ uſque ad diluculum reſurrectionis triginta ſex horæ ſunt, qui eſt quadratus ſenarius. Quanta hic inter Auguſtinum & Langium diſtantia! Hujus chim ex hypotheſi inter mortem & reſurrectionem horæ ad minimum ſexaginta numerandæ veniunt. Idem doctiſſimus Pater *Quæſt. Euang. l.* 1. *c.* 7. eadem Chriſti verba ita declarat: *ſextæ feriæ diei partem, qua ſepultus eſt, cum præterita nocte, pro nocte & die accipias, hoc eſt pro toto die: ſabbati noctem & diem, & noctem dominicam cum eodem die illuceſcente: ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum & tres noctes, &c.* Idem *de Conſenſ. Euang. l.* 3. *c.* 24. *Reſtat ergo ut illo Scripturarum uſitatiſſimo loquendi modo, quo a parte totum intelligitur, inveniamus extremum diem, tempus paraſceves, quo crucifixus & ſepultus eſt Dominus, & ex ipſa extrema parte totum diem cum ſua nocte, qui jam peractus fuerat, accipiamus: medium vero, id eſt ſabbati diem, non a parte, ſed integre totum: tertium rurſus a parte ſua prima, id eſt a nocte totum cum ſuo diurno tempore: ac ſic erit triduum, quemadmodum illi octo dies, poſt quos adſcendit in montem, quorum medios integros attendentes Matthæus & Marcus dixerunt, poſt ſex dies: quod Lucas dixit, poſt octo dies.* Idem *Epiſt.* 49. *Quæſt.* 6. ita ſcribit: *De ipſo autem triduo mortis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quomodo ratio reddatur, quum a parte totum intelligitur, in die primo & noviſſimo, ut toti tres dies cum ſuis noctibus computentur, longum eſt diſſerere, & in aliis ſermonibus jam ſæpiſſime dictum eſt.* Vides ubique ſynecdochen diſerte ab incomparabili Eccleſiæ Doctore urgeri, unumque diem integrum cum duabus noctibus in triduo mortis Chriſti exprimi. Vides & paſſionem Dominicam feriæ ſextæ rotunde aſſignari. Imo *Epiſt.* 86. ad Caſulanum ita clariſſime ſcribit: *Ipſa quarta ſabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſpera Dominus paſcha cum diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam ſabbati, deinde traditus eſt ea nocte quæ jam ad ſextam ſabbati, qui dies paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat.* Subjungit deinde: *Hoc ergo die intermiſſo* (ſc. quinto ſeptimanæ) *paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit, ſexta ſabbati, quapropter & ipſa ſexta recte jejunio deputatur.* Ecce luculentiſſimum Auguſtini teſtimonium, quo ſextam ſabbati *manifeſtum paſſionis diem, de quo nullus ambigit*, pronunciat, idque ſuo ſeculo indubitato creditum fuiſſe oſtendit. Adeoque Langium ſolum hic ambigentem & repugnantem non obſcure damnat. Solenne quoque ſextæ

feriæ

Digitized by Google

feriæ jejunium in paſſionis memoriam inſtitutum hoc ſeculo & inſequentibus obtinuiſſe, tum ex hujus eximii Patris verbis liquet, tum aliorum auctoritate firmatur. Cyrillus Alexandrinus *lib. X. in Leviticum* inſit: *Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ diem, quibus ſolenniter jejunamus.* Apud Leonem M. *ſerm. 4. in Quadrag.* idem deprehendes. In Jure Canonico *de Conſecrat. Diſt. II. cap.* 16. e dictis S. Apollonii hæc verba affert Gratianus: *Jejunia ſane legitima, id eſt quarta & ſexta feria, non ſunt ſolvenda, niſi grandis aliqua neceſſitas fuerit, quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitavit, & ſexta feria crucifixus eſt Salvator.* Ibidem *c.* 13. ex Innocentii Papæ Epiſt. ad Decentium verba adducuntur, quibus ſexta feria propter paſſionem Domini jejunandum decernitur. Et quid in re manifeſta probationibus opus? Sicut de prioribus Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis jam patet, ita & de poſterioribus noſtræque ætati vicinioribus temporibus notorium eſt, ſextæ feriæ jejunium eam ob cauſam univerſali uſu fuiſſe receptum. Tot ergo vetuſtæ veræque ſententiæ teſtes ac approbatores habemus, quot paſſionis Dominicæ memoriam feriæ ſextæ jejunio ſibi recolendam duxere, qui ſane infiniti ac innumeri exiſtunt. Atque cum tota Eccleſia unanimi conſenſu feria ſexta jejunandum ſtatuit, eo ipſo ſe Chriſtum eadem feria paſſum catholica ſententia credidiſſe teſtata eſt. Quare hoc unico argumento Langiani dogmatis novitas, & ab omni antiquitate ac univerſa Chriſtianitate diſſidium, evinci poſſet, ſi nullum aliud ſuppeteret. Sed pergemus in ſuffragiis colligendis. Iſidori Peluſiotæ quænam mens fuerit, ſupra *c. IV.* aliquot ex ipſius Epiſtolis depromptis documentis oſtendimus, quæ huc referri poſſunt. Unum jam inſuper adjungimus ex ejuſdem *lib. I. Epiſt.* 114. Ἐν τῇ παρασκευῇ παρέδωκεν ὁ Κύριος τὸ πνεῦμα, τοῦτο μία ἡμέρα τὸ σάββαλον ὅλον ἐποίησεν ἐν τῷ τάφῳ. εἶτα τοῦτο τὴν νύκλα. ἐπιφωσκούσης Κυριακῆς ἀνέστη ἐκ τοῦ τάφου, καὶ τοῦτο ἡμέρα. ἐπειδὴ ἀπὸ μέρους, ὡς οἴδα τὸ ὅλον γνωρίζεται, ὅτως δὲ καὶ ἡμεῖς τὰς τῶν τελευτώντων μνήμας ἐιώθαμεν τελεῖν, ὁποίᾳ δ' ἂν ὥρᾳ τῆς ἡμέρας τις τελευτήσοι, τὴν ἐξῆς ὑπερτίθεσθαι μόνην, καὶ τῇ ἑτέρᾳ ἔιωθεν τὴν τριταίαν αὐτοῦ ἄγειν ἡμέραν. ἔχεις, ὡς οἶμαι, τὴν λύσιν οὗ ζητεμένου. Hoc ita interpretatur Rittershuſius: *In die paraſceves Dominus ſpiritum tradidit. En una dies: Sabbatum totum in ſepulcro exegit. Poſtea ejus noctem. Luceſcente Dominica e ſepulcro ſurrexit. Id quoque dies eſt, ſiquidem a parte, ut noſti, totum intelligitur. Sic autem nos quoque eorum, qui mortem obeunt, memoriam celebrare conſuevimus. Quacunque enim diei hora quiſpiam vi-*

tam

Digitized by Google

tam cum morte commutarit, posteroduntaxat die interjecto, altero post die tertianum ipsius diem agimus. Habes, ni fallor, propositæ quæstionis solutionem. Leonem M. Urbis Episcopum idem de triduo mortis Christi statuisse, quod hactenus omnes ante Langium existimarunt, verba ipsius, quæ ante allegavimus, evidenter docent. In octavo seculo Ven. Beda *lib. de Temp. Rat. c.* 40. hanc de feria sexta passione Dominica nobilitata sententiam inter ea dogmata collocat, *de quibus nemini dubitare licet Catholico*, uti ipse Langius fatetur *p.* 354. & 374. Idem quoque eo, quem supra produximus, loco, Christum eadem hebdomadis feria, qua primus Adam conditus est, nempe sexta, passum fuisse, rotunde asserit. Langius quidem, ut Bedæ auctoritatem elevet, reponit, *eundem Christum paßum dicere XXV. Martii, quod quis, etiam inter doctiores Pontificios, non rejicit?* Sed si Bedam, Langi, ea unica de causa fide dedigneris, hanc quoque eandem ob rationem aliis antiquis Patribus ut deroges necessum erit. Nam & Tertullianus *lib. adverſ. Judæos cap.* 8. & Augustinus *l.* 4. *de Trinit. c.* 5. & Hippolitus Martyr, & Chrysostomus *Homil. de Johan. Bapt.* Christum VIII. Kal. Apriles passum esse dixerunt, eodem nimirum die, quo conceptus creditur. Nec omnes inter Pontificios doctiores id rejiciunt. Baronio quidem, Petavio, Spondano & Tirino id non placet: at Jac. Salianus doctissimus Jesuita & Annalista, ac Anton. Capellus eruditus Franciscanus, quique ab iis laudantur, id operose defendunt. Adeoque hoc non obstat, quin Bedæ sua hic constet auctoritas, præsertim ut illud asseveranti, quod Scripturæ totique antiquitati consentaneum est. Quinam autem quæso tuam, Langi, opinionem probarunt, qua Christum IV. Nonas Apriles passum esse statuis? Omnes scilicet illi, qui ipsum feria quinta mortuum crediderunt, quorum magnum numerum in Utopia reperies. Addemus unum aut alterum e posteriorum seculorum Patribus, & concludemus. Neque enim adeo de recentiorum Ecclesiæ Doctorum testimoniis conquirendis solliciti sumus, quorum unanimis hac de re consensio a nemine in dubium vocari poterit. Quod veteris Ecclesiæ & antiquorum Patrum sententia hæc fuerit, ostendendum nobis erat, quod jam satis præstitum arbitramur. Quid Simeon Metaphrastes & Hippolitus Thebanus senserint, e verbis Hippoliti patet, quæ Henr. Canisius *in Ant. Lect. T.* 3. exhibet: τῇ κγ' μαρτίᾳ μηνὸς ἐσαυρώθη, τῇ κδ' ἐτάφη, καὶ τῇ κε ἀνέστη ἡμέρᾳ πρώτῃ, τελέσει κυριακῇ, ὡς ὁ Μεταφραστὴς δηλοῖ. Si enim XXIII. Martii crucifixus est Christus, & XXV. surrexit, uti hic

Digitized by Google

hic asseritur, sane ultra duas noctes & unum diem integrum in sepulcro commorari non potuit. Si autem dies XXV. Martii, quo surrexit, Dominicus fuerit & feria prima, ut ait Hippolitus, utique XXII. Martii, quo passus est, feria sexta esse debuit, quod omnes vident. Doctissimum Bulgarorum Archiepiscopum Theophylactum præterire non possum, qui in *Matth. XII*, 40. ita commentatur: *Tres dies & tres noctes a parte intelligas, & non integras. Mortuus enim est in paraſceve, quæ ipſa una dies est, & mortuus fuit ſabbato, nox autem Dominica ipſum adhuc mortuum apprehendit. Tres igitur dies & noctes a parte numerantur, quia & ſic ſæpe numerare conſuevimus.* Idem *in Enarr. ad Matth. XXVIII. verſ.* 1. triduanæ Christi in monumento moræ tres explicationes affert, quarum media atque optima hæc est: *In paraſceve tradidit ſpiritum, ecce unum diem; ſabbato in ſepulcro fuit, ecce ſecundus dies. Nocte Dominicæ reſurrexit, & aperte numeratur ut Dominica in alium diem, & ita tres dies. Nam & de defunctis dicimus, ſi unus moriatur circa decimam horam noctis, & alter circa primum ejus diei, quod uterque eodem die ſit mortuus.* E ceteris duabus prior e tenebris, quæ in cruce pendente Christo ingruerunt, noctem unam, eque reliqua Paraſceves parte unum diem facit &c. Sed incommoda hæc est, quanquam & apud Hieronymum *in Jon. II.* & Peluſiotam *loc. cit.* exstet. Posterior cum Greg. Nyſseni declaratione coincidit, de qua jam dictum est. Sed de his satis. Si ea SS. Patrum testimonia coacervare animus esset, quibus Christum tertio a passione die resurrexisse asserunt, tantam eorum copiam haberemus, ut harum pagellarum angustiæ eam non caperent. Nemo enim inter eos exstitit, qui non Servatorem ipsum, Angelum ac Apostolos imitatus, tertio, postquam mortuus fuerat, die in vitam rediisse Dominum credidit ac docuit. Provoco Langium, ut vel unicum e tot sanctissimis divinæ veritatis confessoribus ostendat, qui Christum *quarto* post mortem *die* resurrexisse dixerit, quod ipse dicere non reformidat. Nam Theophilum Cæsariensem, cui soli id affingi posse putavit, illud nusquam dixisse aut sensisse ante evicimus. Manet proinde βέβηλος καινοφωνία, quam Langius introducere allaborat. Dogma ipsius, detersо jam fuco, tam S Scripturæ adversum, quam universæ veteri Ecclesiæ, totique orthodoxæ antiquitati, contrarium apparet. Quæ ipse in scripto suo toties pro vetustatis defensione contra novarum ac singularium opinionum auctores reponit, ea nos optimo jure contra ipsum, solum hic novandi avidum, invertimus. Scaligerum ita perstringit *p.* 113. *Mani-*

Digitized by Google

festa res, quæque tot tantisque testibus confirmatur ac demonstratur, sequiorum hominum dubitationibus ac conjecturis minime obnoxia esse debet. De Orbis conditi Epocha cum agit, eundem iterum admordet *p.* 246. *si novus quidam ab antiquis sine majori auctoritate, aut firmioribus rationibus obloquatur, rejiciendus est.* Diem baptismi Servatoris VI. Januarii fuisse ostensurus, ita infit *p.* 335. *seqq. Quod tanto omnium consensu approbatum, tanta antiquitate nititur, id sine omni dubio longe verissimum erit, præsertim si non modo a Scripturarum veritate nihil plane dissentiat, sed etiam apprime cum illa conveniat.* Mox contra Epiphanium: *verisimilior reliquorum omnium consentiens opinio, qua vel ideo recipienda esset, quod tot ac tantis viris tradita sit.* Rursus: *quia in hac sententia omnes fere Patres, tam Orientales, quam Occidentales conveniunt, ipsaque Scripturis apprime consentit: nos eandem sequemur.* Iterum *p.* 370. adversus Epiphanium: *sed potior est privata unius opinione totius Ecclesiæ consentientis auctoritas, præsertim ubi Scriptura huic magis favet.* Hæc omnia Langii tela in ipsum retorquemus, ac sententiam ideo de Christo feria sexta passo, quam tum Scripturæ apprime consentientem, tum universæ Ecclesiæ consensu nixam luculenter demonstravimus, unius sequioris hominis dubitationi obnoxiam esse haut debere; sed eum, qui sine majori auctoritate ac firmioribus rationibus utrique obloqui sustinuit, rejiciendum esse, concludimus. Unius enim novatoris ἀλλόκοτον φαντασίαν, omni solida ratione destitutam, totius Ecclesiæ omniumque Patrum, tam Orientis quam Occidentis, concordibus votis postponendam esse, nemo sine extremæ temeritatis nota negaverit. Salva ac sarta tecta magnis Christiani nominis luminibus auctoritas sua ac veneratio maneat, a quibus θεοπνεύστων monumentorum reverentia non est violata. Resorbeat quoque Langius, quos in Augustanæ Confessionis Doctores & Scripturæ Interpretes benemerentes jecit, cavillos, & doctissimis optimisque viris, quem meruere, honorem tribuat. Nos hanc causam peroratam jam esse putamus.

CAPUT IX.

Oraculum Jacobæum Gen. XLIX, 10. consideratur. Quam periculosa sit Langii assertio, quod adventus Messiani tempus illo prorsus non designetur? An sola Danielis prophetia sit irrefragabilis? Tempus natalis Messiæ non minus, quam passionis ejus, prænunciatum fuit.

Langii

Digitized by Google

Langii gloſſema judaizat. Idem textui vim inferre, & omnibus Judæorum Interpretibus aliis, nec non menti Patriarchæ, ac ipſi eventui adverſari oſtenditur. Verus vaticinii ſenſus eruitur ac confirmatur. Quæ Langius contra eundem objectat, ordine diluuntur ac confutantur, &c.

CYgnæum annoſi Vatis, Jacobi Patriarchæ, de adventu Meſſiæ ſalutifero oraculum primum ac antiquiſſimum in SS. Biblico codice eſt, quod tempus venturi Servatoris determinat. Quæ ſeminis mulieris, aut ſeminis Abrahæi gentibus benedictionem impertituri promiſſiones præceſſere, Meſſiam quidem exhibendum, non autem exhibitionis tempus, deſignarunt. Hoc vero Senis entheati vaticinium primum omnium occurrit, quod χρόνε προσημασίαν adjunctam habet. Unde fortiſſimi Chriſtianæ fidei athletæ, ſanctiſſimi graviſſimique Patres, hoc nervo validiſſimo rabidos Chriſticidas, implacabiles Euangelii hoſtes, conſtringere inde a primis Eccleſiæ incunabulis allaborarunt, quo hi eventu juxta prædictionem æſtimato, Meſſiam jam exhibitum agnoſcerent, vanaque venturi exſpectatione miſſa eundem nobiſcum amplecterentur. Hoc imitati omnes recentiores Eccleſiæ Doctores, tam Pontificii quam Proteſtantes, firmiſſimo hinc deducto argumento, promiſſum mundo Redemptorem dudum veniſſe, quia tempus vaticinio definitum pridem præteriit, evicerunt. Quanquam enim tum hi, tum illi, nonnihil in ejuſdem vaticinii interpretatione diſſenſerint, nec æqua omnes dexteritate genuinum ipſius ſenſum aſſecuti ſint: in eo tamen univerſi conſpirarunt, quod tempus illud exoptatiſſimum, quo Meſſias mittendus erat, Jacobæa hac prædictione non obſcure ſignificetur, certaque ibi adventus Meſſiani jam facti demonſtratio ſubminiſtretur. At Langius ſupra vulgum Chriſtianorum acutus, plus hic improbis Judæorum fæcibus, Chriſti & Eccleſiæ irriſoribus, quam toti Patrum, Interpretum ac Doctorum orthodoxorum phalangi, pretii ſtatuit, atque ineptam & abſonam illorum παρερμηνείαν omnibus horum ſanioribus explicationibus præferendam cenſuit. Magnam certe Langius ab omnibus recutitis gratiam init, cum concedat, fruſtra ac perperam Eccleſiam pro gratioſo Redemptoris adventu demonſtrando hunc locum adverſus Synagogam ſollicitaſſe. Ecce enim verba illius *p.* 424. *Quod nonnulli dicunt, veritatem prophetiæ Jacobi* Gen. XLIX. *deſcripta inde* (nempe e natali Chriſti) *dependere, id falſum plane eſt. Neque enim illa prophetia de tempore nativitatis ullum*

Digitized by Google

verbum facit. Mox illos omnes refellere aggreditur, qui *tum Messiam adventare debere, cum sceptrum a Juda ablatum esset*, collegerunt. Rejecta communi Christianorum sententia, Judaizans suum interpretamentum proponit *p.* 425. quod mox expendemus. Tandem concludit: *unde manifestum est, tempus nativitatis huic minime indicari, &c.* Cohorrui, ita me sospitet Diespiter, cum in hæc inciderem, & vix oculis meis credidi. Hominem Christiana fide imbutum, pietatis & divinæ humanæque eruditionis cultorem, quis illud tentaturum crederet, ut præcipuum doctrinæ nostræ fulcrum ac stabilimentum, quo hactenus nixa insanos Verporum insultus aspernata est, quantum in se, convelleret & quasi cuniculis suffoderet? Quis enim amplius promissum orbi Messiam dudum venisse ex hoc oracluo, quod ipsi Apellæ pro αὐτοπίστῳ habent, concludere poterit, si id tempus nascituri ac revelandi Messiæ nullo verbo indigitet? Non magis certe, stante Langiana ψευδερμηνείᾳ, illum, quem nos veneramur, verum ac tot promissionibus decantatum Redemptorem esse, quam alium quemcunque Messiæ nomen ac schema mentitum, aut etiamnum exspectatum, hinc probare pronum erit. Fluctuabunt infirmæ conscientiæ, triumphabunt protervi adversarii, si temporis ratio hinc petita nihil solidi evincere queat. Quam periculosæ plena res aleæ sit, si per intempestivum ejusmodi novandi pruritum nuda nostra latera ferocium divinæ veritatis oppugnatorum incursibus objiciantur, judicent illi,

οἷς μὴ τᾶυτ' ἐπιτετράφθαι καὶ τόσα μέμηλε.

Unde quæso e temporis ratione pertinaces Judæos convincam, quod de Messiæ adventu toties promissum fuit, dudum impletum esse, si ad hunc locum confugere non liceat? Magno sane id emptum velit impia Verporum natio, si frustra hic præsidium quæri, concedente Langio, obtineat. Ipse Langius *p.* 355. dicit, *interesse Christianæ veritatis, hæc quam maxime ac certissime demonstrata habere.* Intelligit autem tempus revelati per nativitatem in carne Filii Dei, uti patet ex iis, quæ statim addit: *Scriptura enim dicit, Deum Ter Maximum tam accuratam temporis rationem in hoc admirando ac ineffabili mysterio habuisse, ut non antea quam in plenitudine temporis Filium suum miserit*, Gal. IV. Mox subjungit: *ideoque firmissimum argumentum ex temporum ratione contra Judæos desumitur, &c.* Ubi vero, Langi, ejusmodi firmissimum argumentum reperiam, si id in moribundi Vatis carmine non offeratur? Nusquam certe geminum oraculum habebo, quod adversarii pro ἀξιοπίστῳ admit-

admittent, nisi unicum illud Danielis de LXX. hebdomadibus. At an solum hoc tale est, si nullum aliud conjungatur, ut ne mutire quidem contra illud Apellæ audeant? Id quidem confidenter asseris *p.* 244. dum ais: *cætera quidem omnia* (V. T. testimonia) *variis modis eludere, & ad suum Messiam, quem adhuc exspectant, applicare possunt: hoc vero unicum* (Danielis) *testimonium os ipsis obturat, ut plane conticescant & obmutescant.* Conantur utique, Langi, Judæi multa alia, etiam hoc Jacobæum, oracula variis modis eludere, idque maligne plerumque & contra conscientiam. Sed ne hilo proficiunt. Semet potius ludunt, operamque perdunt improbam, quam ut divinam veritatem ullo successu eludere queant. Tu quoque, Langi, insigne hoc testimonium eludere ac enervare tentas, & gratissimam Judæis operam navas. Sed nec illud cœlesti veritati minimum officiet. Manebit illa firma ac inconcussa, & assertores suos obtinebit, qui contra quosvis incursantes & novatores, quantumvis ringentes, eam defendent. Num vero, quæso te Langi, minus in Danielis prophetia, quam aliis vaticiniis, eludenda desudarunt recutiti? Num minus hic, quam alias, invincibilem suam pervicaciam ostentarunt? Num hic plane conticescunt, uti ais, & obmutescunt? Non puto. An nescis, quibus corruptelis R. Schelomoh Jarchi & R. Levi Ben Gerson hanc prophetiam offuscare tentaverint, quas D. Helvicus noster pridem retudit? An ignoras, quam proterve eandem insanus ille Christiani nominis antagonista R. Lipman in suo *Nizachon n.* 232. pervertat? Alii Judæorum magistelli quas hic tricas nectant, orbem eruditum, in cujus conspectu istæ ineptiæ jacent, non fugit. Certe si solum hoc Danielis oraculum contumacibus nostri seculi Apellis opponas, æque invenient, quæ contra illud excipiant, ac si Jacobæum vaticinium urgeas, quanquam utrobique frivola ac futilia. Neque magis hic, quam alias, κρησφύγετα sollicite quærentibus deerunt. Melius proinde tibi consulueris, si istos veritatis hostes aggressurus de gladio non uno tibi prospexeris. Quo pluribus telis armatus accesseris, eo magis te formidabilem feceris. Certior erit victoria, si non uno argumento veritas defendatur, & falsitas impugnetur. Ut uni suum robur constet, alterum enervari non debet. Si unum altero validius sit, neutrum tamen rejiciendum aut explodendum erit. Conjungenda potius sunt, quæ vim probandi non obscuram habent, ut facilius, qui repugnant, convincantur. Sit Danielis oraculum irrefragabile, ut e temporis ratione Messiæ adventum solidissime demonstret. Maneat tamen & Jacobææ prædictioni

Digitized by Google

ſuum robur, nec ludibrio exponantur, qui & inde firmiſſimam ejuſdem ἀπόδειξιν arceſſunt. Dicis quidem: *tam neceſſarium non eſſe, ut nativitatis Servatoris tempus præciſe adeo cognitum habeatur, cum nulla prophetia id accurate prædixerit, ut hujus cauſa natalis accuratiſſime neceſſario inquirenda eſſet, quod in paſſionis tempore faciendum fuit.* Sed gratis hoc ais. Cur enim tanta neceſſitas non poſtulat, ut natalem exacte compertum habeam, quanta pro paſſionis tempore interpellat? Quomodo hæc conſiſtent cum iis, quæ ante protuliſti, nimirum quia Deus tam accuratam temporis rationem habuit, ut non antea, quam in plenitudine temporis, Filium miſerit, ideo Chriſtianæ veritatis intereſſe, ut certiſſime hæc demonſtrentur? Annon miſſio Filii Dei, γενομένη ἐκ γυναικὸς *Gal. IV.* 4. facta ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τ̃ χρόνου, ipſa ejus e Virgine nativitas exiſtit? Si intereſt Chriſtianæ veritatis ejus tempus certiſſime demonſtratum habere, quomodo hic non neceſſarium id eſſe pronuncias, ut tam accurate, quam paſſionis tempus, cognitum habeatur? Quanta vertigo! Commentum id tuum eſt, a nemine tibi concedendum, quod nulla prophetia nativitatis tempus accurate prædixerit. Dies quidem præciſe aut χρόνου σημὴ nullo vaticinio definitur. Sed neque paſſionis dies aut momentum uſquam in V. T. tam præciſe deſignatur. At ſicut hujus, nihilominus tempus ſat notanter a Daniele: ita & illius a Jacobo non obſcure determinatum eſt. Tum enim Meſſias in carne manifeſtandus prædicitur, cum ſceptro & legiſlatore Reſpublica Judaica ſpolianda eſſet, quod quando factum ſit, eventus jam docuit. Quæ in contrarium moves, elumbia eſſe ſtatim probabo. Gloſſematis tui abſurditatem primo oſtendam. Deinde vera & convenientiſſima interpretatione propoſita, quæ adverſus eandem objectas, diluam. Omnia tamen, quoad fieri poteſt, in compendium redigam, quæque minus ad inſtitutum pertinent, cuncta præſcindam. Aliorum diverſas explicationes non tangam, quas paſſim eruditorum monumenta cuivis obvia exhibent, ne toties ab aliis actum agam, & tum lectori, tum mihi, moleſtiam ſupervacaneam creem. Langianum gloſſema ita habet: *In verbis Jacobi nulla difficultas eſt, modo recte vertantur. Ita autem legendum eſt: Non auferetur ſceptrum a Juda, & legiſlator ab inter pedes ipſius ſemper: quia veniet Siloh, & ipſi obedientia populorum.* עד *denotat uſque & ſemper, ſive in perpetuum, ut in Pſalmis* לעולם ועד *ſemper & in æternum, & in Minhagim Judæorum frequentiſſime: &* כי *quoniam, ut notum. Particulæ igitur hæ non conjungendæ ſunt, ſed ſeparandæ. Et ſic ſenſus manifeſtus erit. Dicit Jacob:*

Juda,

Digitized by Google

Juda, te laudabunt fratres tui, & tibi ſe incurvabunt filii patris tui. Tuum namque regnum æternum erit: nec unquam finietur. Quippe ex te prodibit Schilo, & illi parebunt populi. Regnabit enim a mari ad mare, uſque ad fines terræ regno æterno & perpetuo, Pſ. 72. Obſervanda hic primum aliena & incommoda textus Sacri diſpunctio, qua vis ei infertur. Propoſitionis Jacobææ duo ſunt membra ſeu κῶλα, quæ accentu regio *Athnach* dirimuntur. Prius eſt לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו. Poſterius eſt עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים. Particulam עד, quæ poſterius κῶλον manifeſta orditur, Langius ad prius trahit, ac ſi illud clauderet: Notoria hæc textus perverſio eſt, quæ, etiamſi nova alicui prima fronte videri poſſit, Langio tamen multo antiquior deprehenditur. Nam & apud R. Bechajum in *Piruſch* ejus ad *h. l.* reperitur, & frequens hodiernis Judæis eſt, teſte D. Helvico *in Epel. Jud. I.* §. 3. qui ſimiliter עד per æternitatem reddunt, & ad præcedens membrum referunt. Menaſſeh Ben Iſrael *in Conciliatore quæſt.* 65. inter XI. hujus loci expoſitiones talem tertio loco e Bereſchith Rabba *c.* 99. adducit, ſecundum quam ita vertendum erit oraculum: *non auferetur ſceptrum a Jehuda in æternum: quando veniet ille, cui regnum & congregatio populorum.* Addit quoque, *accentum Muſicum huic interpretationi valde favere, quia adverbium* עד *notatur Jethib, qui diſtinguit & dividit periodos. Adeo ut velit S. S. non auferetur ſceptrum a Jehuda, neque legiſlator a pedibus ejus in æternum: hic interpungendum eſt; tum additur fore illud, quando veniet Meſſias. Hæc interpretatio fuit quoque Anqueli a Ger, ut notat R. Bahye, &c.* En egregios duces, quos Langius ſequi non dubitat. Cæcos illos ſtupidoſque Verpos, juratos Chriſti Redemptoris & Euangelicæ veritatis inimicos, tanti æſtimat, ut malitioſam eorum depravationem omnium Chriſtianorum Interpretum ſententiis ac declarationibus præponat, atque illorum ὑπεραοπιστὴν agere non dubitet. Quanquam enim in hoc ſaltem differat Judaicum commentum a Langiano, quod per hoc vocula כי reddatur *quia* ſeu *quoniam*, per illud autem *quando:* utrumque tamen eodem recidit, ſenſumque non diverſum exſculpit. Utrumque enim vaticinii nervum tollit, ut Meſſiæ venturi tempus oſtendere nequeat, dum in hoc conſpiret, quod textum perperam diſpungat, & עד per *ſemper* ſive *in æternum* reddendum cenſeat. Repugnat autem hoc Langianum & Rabbinicum interpretamentum tum manifeſtæ συναφείᾳ textus, tum menti Vatis cœlo proximi, uti jam oſtendemus. Nam I. accentus regius *Athnach*, voci רגליו adjunctus, κῶλον propoſitionis

Digitized by Google

ſitionis prius hic terminari, liquido docet. Familiare hoc ipſius officium eſſe, ut in medio periodi poſitus eandem interſecet, vel tyronibus Ebraiſmi notum eſt. Et hic ſane eodem munere fungitur, notatque vocem רגליו prius periodi membrum finire, ſequens autem עד poſterius ordiri. Quod accentum *Jethib* urget Iſraelides, frivolum eſt. Quis enim neſcit hunc levicule ſaltem voces ſubdiſtinguere, ut ὑποστιγμὴ duntaxat ſit, ac ſpiritum tantum aliquantulum ſuſtinendum ac ſuſpendendum eſſe indicet. Quid quod frequentiſſime otium agat, nihilque in continuato ſermone diſtinguat, uti Grammaticis obſervatum eſt. At *Athnach* præcipuus accentus pauſans eſt, & omnibus aliis potior, ſolo *Silluk* excepto, tantumque omnino valet, quantum nobis κῶλον. Quod & hic nonnunquam otietur, haut ignoro. Sed tum tota periodus omnem diſtinctionem reſpuit, quod vel in primo Biblici codicis verſu videre eſt. Ubi autem diſtinctio locum habet, tum ibi potius collocanda eſt, ubi *Athnach* hæret, quam ubi aliud ſemiinciſum, quale *Jethib* exiſtit, offenditur. E pluribus inſuper exemplis conſtat, hanc ipſam particulam עד cum *Jethib*, poſt *Athnach*, alioſve accentus diſtinctivos minores, ad ſequentia pertinere, & *donec* vel *uſque* ſignificare, ut *Exod. XXII*, 9. *XXIII*, 30. *Jud. IV*, 24. *Ruth. I*, 13. 1 *Sam. XXII*, 3. &c. Nimis itaque genuinam textus interciſionem violat Langius, aliamque prorſus non convenientem intrudit. Si ea ratione effugium quæſiturus eſt, ut accentus cum punctis vocalibus textui primigenio ætate pares eſſe neget, me ſibi fortiter contradicentem habebit. II. Aliena eſt ea voculæ עד interpretatio, qua *ſemper* vel *in æternum* redditur. Pro ea adſtruenda ſolam iſtam locutionem לעולם ועד adducit Langius, ubi talis ejus ſignificatio apparet. Menaſſeh Ben Iſrael allegat verba *Pſ. XIX*, 10. עומדת לעד *ſtans in æternum*. Sed utrumque exemplum ἀπόδειξιον eſt, nihilque probat. Utrumque enim longe aliam conſtructionem oſtentat, quam quæ *h. l.* cernitur. Illic עד vel per ו copulativum cum עולם connectitur, vel literam ל præfixam habet, ſicque paſſim *ſeculum* vel *ſempiternitatem* notat. Præterea idem quoque deſignat, cum præcedente aliquo nomine conſtructum, ut אבי עד *Eſa. IX*, 5. עולמי עד *Eſa. XLV*, 16. הרי עד *Habak. III*, 6. vel cum participio, ut שכן עד *Eſa. LVII*, 15. vel cum præpoſitione עדי ſæpiuſcule, vel cum alia מני *Job. XX*, 4. Extra has conſtructionis formas, ubi invenitur, nuſquam *æternitatem* ſignificat. Nuſquam abſolute poſitum, aut ante כי repertum eum ſenſum admittit, quem Langius tuetur. At in verbis Jacobi particulam כי proxime ſequentem habet. Oſtendat autem Langius

Digitized by Google

Langius vel unicum in univerſis Bibliis exemplum, ubi עד cum כי conjunctum *perpetuitatem* notat. Quando hæ particulæ junguntur, non niſi *donec* vel *uſque dum* ſimul ſumptæ ſignificant. Vide *Geneſ. XXVI*, 13. *XLI*, 49. &c. Et hoc extra dubium eſt. Ex Langii mente עד abſolute omnino poſitum erit, cum ad nullam ceterarum vocum in conſtructione referri queat, & nihilominus pro *ſemper* capiendum. Sed inſolens & abſonum hoc eſt, uti e dictis liquet. III. Repugnat hoc Langii gloſſema omnibus antiquis ipſorum Judæorum Interpretibus & pleriſque recentioribus, ut Chriſtianos plane taceam. Targumiſtæ tres una eam textus diſtinctionem & voculæ עד explicationem amplectuntur, quæ communiter hactenus recepta fuit. Jonathan ita reddit עד זמן די ייתי מלכא משיחא, Targum Hieroſolymitanum ſic עד זמן דייתי, quod utrumque pariter vertas: *uſque ad tempus quo veniet Rex Meſſias*. De Onkeloſo mox videbimus. LXX Senes ita: ἑως ἂν ἔλθῃ. Sic & ipſe R. Bechai *loc. cit.* in præcedentibus exponit per עד אשר *uſque dum*. Sic R. Moſes Hadarſchan, Bereſchith Rabba & Ketanna, Raſchi, Aben Ezra, Kimchius, Gerundenſis, Joel ben Sueb, Abravanel, Levi ben Gerſon, Chiskia auctor Chaskuni, & alii. Onkeloſum Iſraelides allegat tanquam adverſæ ſententiæ faventem, quem addito cognomine vocat *a-Ger*, id eſt הגר *proſelytum*. Sed mutilate & falſo allegat. Ipſius enim paraphraſis ita habet: וספרא מבני בנוהי עד עלמא עד דייתי משיחא, *& ſcriba de filiis filiorum ejus in ſeculum, donec veniat Meſſias*. Duas quidem hic voces Onkelos de ſuo inſeruit, nempe עד עלמא, quæ in fontibus non exſtant, quod & alias ipſi ſolenne eſt: interim illud עד כי יבא recte & appoſite reddidit: עד דייתי *uſque dum veniat*, & tempus venturi Meſſiæ Regis omnino deſignari credidit. Si ad Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores, veteres pariter ac recentiores, deſcendendum eſſet, omnes eos Langio adverſari, facile pateret. Vel unicum ſaltem uti adducat, rogito, quem ſuæ ψευδερμηνείᾳ faventem habeat. IV. Menti & genuino ſenſui Divini noſtri adverſatur Langius, dum per שבט regnum Chriſti perpetuum denotari exiſtimat. Nam Jacobus tale regimen, ſceptri notione & ſymbolo deſignatum, Judæ tribuit, quod non tum demum, cum Meſſias venturus erat, exordium habere, ſed longe illo anterius & vetuſtius eſſe, debebat. Non enim dicit, quod accepturus eſſet Jehuda ſceptrum perpetuum per adventum ſ Schilo; ſed quod illud, quo ante potiebatur, non eſſet prius receſſurum. At ſi Langii de regno Chriſti explicatio tenenda ſit, tum demum ſceptrum accepiſſe dicendus eſt Jehuda, cum Chriſtus ex ipſo

Digitized by Google

prodiit, & regnum a mari ad mare auſpicatus eſt, quod cum verbis Vatis διαῤῥήδην pugnat. 2. Patriarcha cum שבט conjungit ppmd, quam vocem plane prætermiſit Langius, talemque una cum ſceptro legiſlatorem Jehudæ aſſignat, quem non demum veniente Schilo adepturus erat; ſed quem pridem acceptum ante id tempus non erat amiſſurus, uti manifeſta oratio indicat. 3. Vates moribundus vocibus iſtis ſceptrum & regimen temporale Judæ tribuit, uti ex iis, quæ antecedunt, liquet. At Langius regnum Meſſiæ ſpirituale intelligit, quod de hoc mundo non fuit, quodque loco ab ipſo allegato *Pſal. LXXII.* deſcribitur. Niſi dicere velit, utrumque regimen, & temporale Jehudæ, & ſpirituale Meſſiæ, iiſdem vocabulis repræſentari, quod contra Scripturæ morem curret, quæ una voce unam ſaltem rem, non diverſas, principe ſenſu, denotare ſolet. 4. Divinus ille tale quid intendit, quod Jehudæ proprium ac peculiare futurum erat, & quandam ipſius præ fratribus prærogativam contineret, uti ipſe Langius contra Caſaubonum pertendit. At regnum Chriſti a Langio intellectum, quod per ipſius adventum inſtaurandum erat, non magis ad Jehudam, quam fratres ipſius ceteraſque tribus, imo quam ad omnes gentes & univerſos homines, pertinebat. Indicant hoc diſerta oraculi verba ולו יקהת עמים *& ad ipſum congregatio populorum*, i. e. omnium nationum gentiumque confluxus fiet, quibus & regnum Meſſiæ a tribus Judæ regno manifeſte diſcriminatur, tanquam univerſale ab eo, quod certo populo annexum eſt. Æque enim regni Chriſti cives ſunt omnes omnium tribuum, nationum ac populorum fideles, ac illi, qui e tribu Judæ ortum ducunt, quod nemo ſanus negaverit. Adeoque nulla hic tribus Juda ἐξοχὴ aut prærogativa locum habet. Quare nenti Patriarchæ cum ſenſu, quem Langius comminiſcitur, prorſus non convenit. V. Cum eventu, qui certiſſimus plerumque Prophetiarum interpres eſt, Langiana interpretatio e diametro pugnat. Aut enim ex ejus hypotheſi dicendum eſt, Jeſum Nazarenum, quem nos Chriſtiani colimus, non fuiſſe verum illum Schilo & promiſſum Meſſiam; ſed Prophetiæ eventum adhucdum exſpectandum eſſe, quod impium & blaſphemum eſt: aut veniſſe quidem Schilo, ſed vaticinium eventu præcipuo fruſtratum eſſe, dum Jehudæ regnum & regimen per ipſum non redditum ſit æternum, verum potius ſtatim abolitum & abrogatum, quomodocunque demum id intelligas. Nam & temporale Chriſticidarum regimen dudum eſt quod totaliter deſiverit, inque fumos abiverit, & ſpirituale Chriſti regnum propter fatalem eorum incredulitatem pridem ab ipſis ablatum

Digitized by Google

latum est, & ad gentes traductum. Langius æternitatem ac perpetuitatem regni Judæ competentis a Jacobo prævisam, & cum adventu ejus Schiloh, tanquam cum causa sua, per conjunctionem causalem כי connexam esse arbitratur. Hic enim explicationis ejus sensus est, nisi nullus sit. At quis dicet, illorum regnum veniente Christo æternum factum esse, qui & spirituali ipsius regno per malitiosam repugnantiam indignos se reddiderunt, & temporali regimine, ac jurisdictione sceptro adæquata, ob summam in eundem ingratitudinem, ante tot secula penitus exciderunt. De priori enim certum est, nullam esse proportionem numeri eorum, qui ad fidem Christi conversi sunt, ad eam multitudinem, quæ vel in finali ἀπιστίᾳ periit, vel adhuc Christo & Ecclesiæ ejus pro virili obluctatur. Inter eos autem, qui ad Christi castra transierunt, æque aliarum φυλῶν tribules nomina dederunt, ac illi, qui Jehudæ posteritas exstiterunt. Nihilque adeo Jehudæ præ ceteris fratribus eminentiæ hac in parte relictum est. Imo nec præ ulla alia gente minima ipsi hac ratione ἐξοχὴ concessa est, cum ad universale Christi regnum omnibus sine ortus discrimine aditus patuerit. De posteriori nemo dubitaverit, nisi cui suavia Apellarum somnia de imaginario quodam & Utopico imperio, ac stramineis proceribus, arridere potuerint. Quis illis æternum regnum ac perpetuum regimen adjudicaverit, quorum Respublica dudum funditus eversa est, quosque misere per totum orbem dispersos viri jam olim barba, pueri lacinia traxerunt? De transmarino quodam recutitorum regno, per fluvium Sabbaticum ab aliis diviso, nugivenduli somnient. Nos non intercedimus, — καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις

Πᾶσα νέων ἄγλως μαυλεύεται. —

Vident, opinor, omnes, non uno nomine ineptum ac rejiculum Langianum glossema existere. Ipsum Divini nostri oraculum longe aliam nobis interpretationem suggerit. Quod particulæ כי עד conjungendæ sint (non divellendæ, uti Langius vult) & per *donec* vel *usque dum* vertendæ, tum accentus *Athnach*, tum perpetuus usus, cum constans antiquorum Interpretum consensus indubitato persuadent. Neque adeo ambigimus, quin tempus venturi Messiæ hic liquido prænuncietur. Per Schilo Messiam denotari, inter omnes fere convenit, quanquam de propria ipsius significatione plurimi digladientur. Langius quoque illud, tanquam extra controversiam positum, admittit, nobisque demonstraturis otium facit. Verum vaticinii sensum indagabimus. De subjecto ejus, nempe Jehuda, quæstio enascitur, quomodo id ab entheato Sene consideratum

Digitized by Google

fuerit? Quod non individuum Judæ præciſe intelligatur, dudum inter omnes conſtat. De ſola tribu Juda, qualis & quanta a tempore benedictionis Jacobææ uſque ad Meſſiæ adventum exſtitit, id expoſuere Origenes, Auguſtinus, Lyra, Toſtatus, Baronius & alii. Hoc autem interpretamentum plane eviſcerarunt Pererius, Caſaubonus & Montacutius, poſt quos nihil commentabimur, ne Iliada poſt Homerum ſcribamus. Hi ipſi poſt Euſebium, cum ſequacibus Petavio, Bonfrerio, Capello & Phaletrano, univerſum populum Iſraeliticum ſub nomine ac notione Jehudæ comprehendi exiſtimarunt. Sed cum hi Synecdochen quandam hiſtoricæ fidei adverſam obtrudant, dum tribum Jehudæ toti Ebræorum genti nomen ſuum impertiviſſe ſtatuant, nobis ſe eorum expoſitio non probat. Notum enim eſt, quod poſt fatalem demum regni ſciſſionem populus Davidicæ ſtirpi ſubjectus Judaicus denominari, ſuamque ſibi Rempublic. ſeorſim ab Iſraelitis habere cœperit, in cujus quidem ſocietatem Levitæ & Benjamitæ venere; ſed quia pauciores, pro acceſſione ſaltem quadam reputati fuere. Ceteræ tribus fatis durioribus, quæ delictis meruerant, attritæ, neque a Juda unquam appellationem ſortitæ ſunt, neque patriis focis, poſtquam a Salmanaſſare ſemel abductæ fuere, unquam reſtitutæ ſunt; ſed extorres, ac inter Colchos, Parthos, Indos, Æthiopes diſperſæ manſerunt, teſte Joſepho *Antiq. XI. cap.* 5. Præterea Jehudæ non minus peculiare aliquid hoc Jacobæo effato aſſignatur, quam ceteris tribubus, in tota illa benedictione, qua cuique ſingulare quid ἐξαιρέτως tribuitur. Imo *commate* 8. manifeſta Jehudæ ad fratres ſuos ac reliquas tribus oppoſitio apparet, dum is a reliquis celebrandus prædicatur. Videatur omnino eruditiſſimus Cunæus *de Repub. Hebr. lib.* 1. *capp.* 9. 10. & conferatur Rivetus *Exerc.* 179. *in Geneſin.* Illorum itaque lubentiores ſententiam amplectimur, qui ſolam tribum Judæ a moribundo Vate intelligi cenſent, in eo tamen ſtatu conſideratam, in quo demum poſt X tribuum a domo Davidica defectionem uſque ad Meſſiæ tempora perſeveratura erat. Duas quidem e Levitica & Benjamitica tribu mantiſſas ſimul promiſſione hac comprehendi non diffitemur. At reliquas tribus ſceptro Davidico graves prorſus eo non pertinere, perſuaſi ſumus. Nec tribus Judæ ſtatus, qualis proximis a benedictione hac temporibus futurus erat, a Jacobo attentus fuit: ſed ſeros is annos prævidit, & ventura ſciſſionis tempora, quibus Reſpublica nuper Ebræa & Iſraelitica, nunc Judaica nominari cœpit. Ex hoc enim primum tempore tribus Juda ſceptrum & poteſtatem, cujus jus ante perpetuum habue-

Digitized by Google

buerat, actu ipſo in Davide & poſteris ejus obtinuit, eandemque majeſtatem ſub diverſis Rerumpublicarum formis uſque ad Meſſiam integram ſervavit. Nam quod ſceptri notione non neceſſario Regalis Majeſtas; ſed quævis alia ἀνυπεύθυνος, ſub quacunque regiminis forma, deſignetur, in omnibus linguis ac inter omnes gentes in confeſſo eſt. Hinc in medio Synedrio, ſub Ariſtocratica Reipublicæ gubernatione, ſceptrum Majeſtatis inſigne pependiſſe, ipſi Ebræorum Magiſtri memorant. Vide Galatinum *Arc. Cath. Ver. IV. cap.* 5. Sicut autem per שבט principatus, ita per מחקק poteſtas judiciaria ac νομοθετικὴ tribui Juda ſimul aſſeritur. Hanc Philoſophus τὸ δικάζον vocat, & diſtinguit ab eo, quod ſceptro analogum eſt, & κύριον τῆς πόλεως appellatur. Et hanc quoque eodem modo, quo ſceptrum, ab eo termino ad Meſſiæ adventum tribus Jehudæ obtinuit. Neutrum ante Schilo exhibitum prorſus amiſit. Ipſo autem revelato, utrumque non diu poſt totaliter receſſit, uti eventus docuit. Talem enim receſſum intendit Patriarcha, qui non levis aliqua tranſlatio, ſed totalis Majeſtatis abolitio exiſtat, quomodo verbum סור *Oſe. IV*, 17. ejuſmodi receſſum, qualis vini in vappam eſt, ſignificat. Tale quoque *donec* per עד כי intelligit Vates, quale *Geneſ. XIX*, 22. *XXIV*, 33. &c. occurrit, & excluſivam determinationem exprimit. Remotionem ſceptri & legiſlatoris ante & Schilo adventum fore negat, poſt eundem autem hanc ſecuturam eſſe indicat. Ἄξίωμα illud ἀρχικὸν & νομοθετικὸν in tribu Juda uſque ad Meſſiam duraturum; hoc autem exhibito ceſſaturum eſſe oſtendit. Tempus vero ablati ſceptri & Mechokek, ſicut & nati Anti-Chriſti, in unum τὸ νῦν coerceri non poteſt: ſed gradus nonnullos habuit. Primum quaſi momentum fuit Pompeji irruptio, cum in Urbem, tum in Sanctum Sanctorum. Acceſſio calamitatis fuit redactio Judææ in provinciam, Archelao Viennam relegato. Ultima ἀκμὴ atque complementum exſtitit finalis Reipublicæ Judaicæ πανολεθρία, quæ, exciſa per Veſpaſianum urbe, incenſoque templo, evenit. Quæ cum ita ſe habeant, hic planiſſimus celeberrimi oraculi ſenſus emergit, quo admiſſo quaſvis ſalebras devitare licebit. Patriarcha ſanctiſſimus in extremo vitæ poſitus ita dicere voluit: Tua tribus, Jehuda fili, eam ſuo tempore præ aliis tribubus & fratribus tuis prærogativam ac eminentiam habitura eſt, ut cum a reliquis deſciſcentibus ſeparata, & peculiare regimen ac majeſtatem ſortita fuerit, eandem ſuam dignitatem ac ἀξίωμα per longam temporum periodum penitus non ſit amiſſura, aliis interim tribubus omni regimine ſpoliandis, ac ſine ſpe reſtitutionis hinc inde di-

Digitized by Google

ſpergendis; ſed ſceptrum ac αὐτονομίαν retinebit ad illud uſque tempus, quo promiſſus orbi Meſſias veniet: poſtquam autem hic mortalium cœtibus datus fuerit, tum & tuæ tribus majeſtas & imperium prorſus deſinet, & Schilo ille regnum aliud, ceſſante tuo, conſtituet, ſibique firmabit, cui, ceu ſpirituali & univerſali, omnes populi ac nationes ſubjicientur. En commodiſſimam & maxime perſpicuam memorabilis vaticinii ἐξήγησιν, quæ & cum Vatis θεοπνεύστῳ mente, & cum ipſo eventu apprime congruit. Latiſſimus hic nobis ad excurrendum campus pateret, ſi vel aliorum placita luſtrare, vel ſingula huc pertinentia exequi animus ferret. Sed ad metam breviori a carceribus ſpatio disjunctam contendimus, & omnia prætercurrimus. Langii ſaltem ictus, quibus hanc expoſitionem impugnat, facili & compendioſo labore reprimemus. Primo illis, qui dicunt, *Meſſiam tum adventare debere, cum ſceptrum a Juda ablatum eſſet*, hoc opponit: *At ſeptingentis fere poſt hanc prophetiam annis nemo in tribu Juda erat, qui ſceptrum habebat. Quippe anno poſt hanc prophetiam 667. primus a tribu Juda Rex creatur David.* Sed hæc Langii objectio nos prorſus non ferit. Illos potius tangit, quos ante nominavimus, qui ſceptrum & poteſtatem judiciariam tribui Judæ temporibus a benedictione Jacobæa proximis adſcripſerunt. Horum interpretamentum nobis non probari, ſupra indicavimus, dum tribum Juda non in eo ſtatu a moribundo Sene conſideratam fuiſſe diximus, quem mox poſt hoc Patriarchæ vaticinium habitura erat; ſed ſeram eam tempeſtatem a Vate fuiſſe prævisam, oſtendimus, qua Davidi ejuſque domui ſceptrum deferendum erat, poſt quam demum tribus Judæa, cum jam X tribus per fatale σχίσμα avulſæ eſſent, majeſtatem ac αὐτονομίαν uſque ad Meſſiæ adventum retinere debebat. Non enim dicit Divinus noſter, quod ſceptrum & legiſlator tribui Jehudæ ſtatim obtingere debeat: imo nullum plane terminum a quo obtinendi ſceptri definit. Terminum ſaltem ad quem indigitat, nempe quouſque ea dignitas Judæ manſura erat, & non prorſus receſſura. Non indicat, quando ὑπεροχὴν iſtam tribus Judæa acceptura, ſed quo tempore eandem amiſſura erat. Nos facile Langio largimur, toto iſto tempore, quod Davidicum regnum præceſſit, tribum Juda nullum plane ſceptrum habuiſſe. Concedimus, hallucinari illos, qui a primo Juda Jacobi filio ad Herodem ſummam poteſtatem actu penes tribum Judæ ſtetiſſe, contendunt. Si quaſdam hæc prærogativas priſcis iſtis temporibus obtinuit, ut prima in caſtris, prima in oblatione munerum, prima in cernenda hæreditate terræ Canaan, prima

in

Digitized by Google

in expeditionibus bellicis exſtiterit: non tamen ſceptrum habuit, ſed ejus præludiis ſaltem nonnullis gaviſa fuit. Primi Regalis illius ſacerdotii & peculii divini duces Moſes & Joſua fuere, ille Levita, hic Ephraemita. Inter Judices autem præter unum alterumve nemo e Judæo ſtemmate ortus deprehenditur. Satis tamen famoſiſſimo oraculo ſua veritas conſtat, ſi tum demum in ſceptri poſſeſſionem tribus Judæa immiſſa dicitur, cum Davidi ejuſque domui ſummum imperium cederet. Non enim pertinet illud niſi ad ea tempora, cum Reſpubl. appellari de Judæorum nomine cœpit. Quod cum mente verbiſque Jacobi ſatis convenire jamjam probavimus. Secundo oggerit Langius: *In domo Davidis imperium per 472. annos manſit. Poſtea regnum Juda plane exciſum eſt, nec ullus Rex e ſemine Juda. Equidem poſt captivitatem Babylonicam Princeps unus aut alter ex tribu Juda in populo eminebat, qui vices Regis Perſarum gerebat. Sed tum non ſceptrum penes Juda erat: ſed penes Reges Babyloniæ, Chaldæos nempe, Perſas & Græcos.* Sed & hunc Langii ictum ante declinavimus, ut incaſſum jam cadat. Fruſtra enim & perperam vocis שבט ſignificationem ad ſolam Regiam dignitatem reſtringit Langius, cum eam æque poteſtatem ἀρχικὴν ſeu ἡγεμονικὴν, atque βασιλικὴν, notare, ſupra a nobis ſit oſtenſum. Quævis enim majeſtas ſub quavis Reipubl. forma ſceptri notione deſignatur, aliuſque quam Regius magiſtratus eo nomine nonnunquam appellatur, uti e loco 2. *Sam. VII*, 7. collato cum 1. *Par. XVII*, 6. ad oculum patet. Hinc Jonathan Uzielides hanc vocem tam per מלכין *Reges*, tum per שליטין *Dominatores* reddit: Onkelos autem γενικῶς per עבד שלטן i. e. *facientem poteſtatem*. Symmachus etiam generaliter ἐξουσίαν, & LXX Senes ac Theodotion ἄρχοντα interpretati ſunt. Altera quoque vox מחקק, quam præterit Langius, quamvis judiciariam vel νομοθετικὴν poteſtatem complectitur, non eam ſaltem, quæ Regio ἀξιώματι annexa eſt, uti e *Pſal. LX*, 9. & *CVIII*, 9. liquet, & omnium Interpretum conſenſus docet. Inepte itaque fecerit, qui hic in arctum deſilire, & ſceptri dignitatem ad ſolos Reges alligare voluerit. Quicunque enim populus ſua quadam Republica, ſuiſque legibus utitur, is recte gloriari de imperio, deque ſceptro poteſt. Nam ſceptrum nihil aliud eſt, quam majeſtas imperii, quæ ipſi Reipublicæ aſſidet. Sic Rempublic. Romanam non Reges, non Principes, ſed Conſules ac Senatus agitavere, cum lex iſta fœderis data Ætolis eſt, quam Livius refert, *uti majeſtatem populi Romani conſervarent ſine dolo malo.* Adeoque licet Judaicus populus e tribu Juda denominatus, longa temporum

ſerie

Digitized by Google

ſerie nullos Reges, nullumve regnum proprie dictum habuerit, majeſtatem tamen habuit ſceptro analogam, ſimulque αὐτονομίαν talem, qualem Jacob per ſuum ppnn expreſſit, nec ante Meſſiæ adventum totaliter eam deperdidit. Paſſa quidem eſt utraque ea poteſtas ac dignitas quandam quaſi eclipſin in captivitate Babylonica, abducto illuc Zedechia cum populo Judaico. Sed tum non totalis ſceptri & legiſlatoris receſſus contigit, qualem a Jacobo prædici ante docuimus: ſed brevis ſaltem interciſio, quæ nihil ad vaticinium fecit. Interrupta quidem aliquantiſper fuit iſta ſceptri ὑπεροχὴ, non autem penitus ac finaliter remota vel ſublata. Habuit populus certam ſpem revertendi in terras ſuas, & recuperandi imperii, quam Prophetæ aſſiduo divinis promiſſionibus refocillarunt. Tacco, quod umbra aliqua priſtinæ poteſtatis in Æchmalotarchis remanſerit, ut ipſum Talmud cod. *Sanhedrin* cap. *Dine mamonos* teſtatur. Synedrion quoque Babylone fuiſſe, Targum Hieroſolymit. *in Cant. Cantic. VI*, 1. perhibet. Soluta jam captivitate, populoque patriis laribus reddito, dignitas βασιλικὴ in ἡγεμονικὴν mutata eſt, & cidaris ac corona Regia remota eſt, juxta verbum Numinis *Ezech. XXI*, 26. 27. Mera enim ἀνισαρησία fuit, cum Cyrillus *l.* 8. *adverſ. Julianum*, dixit, *a Zorobabele ad Herodem uſque Regiam dignitatem in ſtirpe Judæa propagatam fuiſſe.* Sublato enim ἀξιώματι Regio ἀρχικὸν tum ſucceſſit, quod diu in tribu Juda perſeveravit apud Zorobabelem & ejus ſucceſſores, qui 1. *Par. III*, 7. *ſeqq.* recenſentur. Synedrium quoque tum in integrum reſtitutum eſt. Et quanquam eo temporis ſpatio magnitudinem Chaldæam vel Perſicam nonnihil reveriti ſint Judæi, ſuum tamen regimen ſalvum, ſuamque αὐτονομίαν obtinuere. Majeſtatem ſuam populus habuit, licet non ſub eadem, qua prius, Reipublicæ forma. Quod & vaticinio noſtro oppido conſentaneum eſt. Tertio opponit Langius: *Cum tandem* 140. *annis ante Chriſtum Judæi ſe in libertatem aſſeruiſſent, non cuidam ex familia Juda, ſed ex familia Levi, imperium commiſſum eſt, penes quos tamdiu manſit, uſque quo Herodes alienigena regnum occuparet.* Sed hoc argumentum plane ineptum eſt. Quid enim, quæſo, intereſt, qua de tribu fuerint, qui Judaicas res moderati ſunt, modo ipſa Reſpublica & majeſtas realis penes Judæum populum fuerit? An putas, Langi, Fœderati Belgii Rempublicam majeſtatem ſuam perdidiſſe, cum Dictatorem ſibi e Naſſovica domo adſcivit? An imperium non penes Romanum populum exſtitiſſe cenſes, cum Galli Thraceſve Imperatores eligerentur? Num Polonos regnum ſuum amiſiſſe exiſtimas,

cum

Digitized by Google

cum e Francis Henricum Valleſium, e Tranſſylvanis Bathoreum, ſibi præfecerunt? Id ſi credis, magnopere falleris. Plane eodem modo Levitæ Haſmonæi populi Judaici imperium uſque ad Regalis dignitatis invidiam tenuere, manente nihilominus apud ipſum Judaicum populum Republica & majeſtate. Scite ad Neronem Cæſarem ſapientiſſimus Magiſter *lib. 1. de Clementia* ſcribit, *non Rempublicam Principis eſſe, ſed Principem Reipublicæ.* Illis ipſis temporibus, quo imperium atque rerum ſummam tenuere Cæſares, accuratiſſimus JCtus Ulpianus dicere non dubitavit *l. 1. §. 1. ff. ad leg. Jul. Majeſt. Majeſtatis crimen eſſe, quod adverſus populum Romanum, vel adverſus ſecuritatem ejus committitur.* Eadem certe ratione penes populum Judaicum mediis illis in turbis majeſtas reſedit, quanquam fortiſſimi e Maccabæis duces, e familia Levi oriundi, quaſi Dictatores exſtiterint. Quod cum veriſſimum ſit, eo nos cum nonnullis eruditorum recurrere nihil cogit, ut Haſmonæos materna linea ſanguinem Judææ tribui imputaſſe dicamus, cum & incertum id ſit, & cauſam ne hilo juvet. Juris enim Judaici certa eſt regula, familiam matris non vocari familiam. Neque cum Langio de Herodis genere diſputare neceſſum eſt, quem ἀλλόφυλον fuiſſe, Scaliger, Caſaubonus aliique negant, repugnantibus plurimis aliis, quibus ratio faventior videtur. Nam nec hoc quidquam ad rem facere arbitramur. Quarto Tarnovii interpretationem de *Virga tribus* proponit Langius, eamque refellit, qua in parte nobis non adverſatur. Tarnovium enim nec defendimus, nec expoſitionem ejus, quæ & Belgicis Interpretibus non diſplicet, menti Patriarchæ conformem eſſe judicamus, noſtrumque adeo calculum Langio lubentes hic addimus. Quinto Caſaubonum perſtringit, cujus ſententiam hanc facit: *Nunquam ſine Politia & regimine fore Judæos uſque ad adventum Meſſiæ. Jacobi ergo vaticinium excidio Hieroſolymorum ſub Tito terminat.* Addit Langius: *ſed hoc non magis ad tribum Juda, quam ad reliquos pertinebat.* Dubito, Langi, an vel Caſaubonum ipſum conſulueris, vel mentem ipſius perceperis. Nam is non de tribu Juda peculiariter hoc vaticinium exponit; ſed de toto Iſraelitico populo, quem e Judæ nomine appellationem ſortitum cenſet. Aliquam quidem tribui Judææ præ reliquis ἐξοχὴν tribuit: omnes tamen tribus Jacobæo oraculo comprehendi exiſtimat. Hanc Caſauboni aliorumque explicationem nos ipſi ſupra rejecimus & confutavimus. Quomodo enim ad ceteros Iſraelitas hæc prophetia extendi poterit, quos poſtquam Salmanaſſar abduxit captos, fluvius Euphrates, quem ſemel tranſivere, ſemper coercuit, &

Digitized by Google

æterno carcere clauſit. Nunquam eos, qui ex iſtis X tribubus orti ſunt, patrium ſolum reduces excepit, nec cum Judæis unquam conjuncti ſunt: ſed inter Barbararum gentium imperia, etiam hodie, ſi qui adhuc ex illa colluvie ſuperſint, improbæ defectionis graves pœnas exſolvunt. Adeoque in republica Judæorum eſſe, aut nominis honorem ab illis accipere non potuere, qui procul ab iis diverſo in orbe diſſiti, aliud cœlum, alia ſydera intuiti ſunt. Cetera in Caſauboni expoſitione ſatis recte ac congrue ſe habent. Quod ſubjungis, Langi: *tot erant in Galilæa ac Judæa Benjamitæ, quot Judæi, ac forte plures*, id ego plane nego ac pernego. Multos fuiſſe concedo Benjamitas, multos quoque Levitas, Judæis permixtos. Falſum autem eſt, quod vel tot fuerint, quot Judæi, vel plures. In Judaica enim Republica maxima omnino verorum Judæorum pars fuit. Levitæ ac Benjamitæ, qui ſe illis ſociaverant, pauciores tenuioreſque fuere, & nihil niſi acceſſio habiti, ſeu pro adſcititiis æſtimati. Itaque nec Reſpublica ab illis appellationem accepit, & ipſi pene nomen ſuum amiſere. Omnes enim communiter Judæi dicti fuere. Quod ultimo loco quæris, *quid hoc ad excidium Hieroſolymorum?* ad id reſpondeo, quod multum omnino ad ſceptri ac poteſtatis iſtius ceſſationem atque remotionem hoc faciat. Etiamſi enim ſub Herodis regno, & durante Chriſti in carne οἰκονομίᾳ, ad interitum inclinaverit Judaica Reſpublica, ſceptrum tamen in totum non receſſit, nec regimen penitus ablatum eſt, antequam urbs Hieroſolymitana finali & miſerando excidio a Romanis deleta fuit. Tum vero una cum urbe, quæ gentis caput fuerat, univerſa Judaici populi Reſpublica funditus everſa ac deſtructa eſt, nec ullam ex eo tempore vel majeſtatem, vel αὐτονομίαν, gens iſta obtinuit. Atque hic fatalis ille politiæ Judaicæ terminus fuit, quem divinus Vates ante tot ſecula prædixerat, qui licet ipſum & Schilo adventum non proxime fuerit comitatus, ab eo tamen haut longo temporis intervallo ſejunctus exſtitit. Quod enim ad Meſſiæ ætatem hoc pertinuerit, ipſe Chriſtus *Matth. XXIV*, 34. & *Luc. XXI*, 32. ſignificare videtur, dum generationem illam (vel hominum tum viventium ætatem) non prius tranſituram eſſe aſſeveravit, quam omnia iſta, de templi urbiſque interitu a ſe prædicta, eveniſſent. Sicque & hic celeberrimo oraculo eventus ſatis exacte reſpondit. Nos jam illuſtrem hanc prophetiam a Langii corruptela, inepto gloſſemate, & iniqua oppugnatione ſatis vindicaſſe nobis videmur. Senſum ipſius planiſſimum luculenter expoſuimus, & commentum recutitorum, de regno poſt Meſſiam nunquam deſituro,

ad

Digitized by Google

ad amasios suos, eorumque hyperaspisten Langium, remisimus. Tempus quoque & Schilo orbi mittendi manifeste eodem indicari ostendimus, cum ipsius regnum cessante illo, quod in tribu Judæ eousque perseverare debuit, exoriturum atque ad omnes populos extendendum prænuncietur. Bonis cordatisque omnibus hæc satis fore speramus. Ceteros non moramur, quibus hæsitandi causa ubivis offertur.

Constitueram penes me, aliorum plurium S. Codicis locorum minus recte ac commode a Langio explicatorum vindicationem ac explanationem huic Diatribæ annectere. Paucis agere decreveram de loco *Gen. IV*, 26. quem Langius aliene interpretatur *lib. 2. c. 3. pag. 251.* Volueram succincte expendere conciliationem Mosis *Gen. XLVI*, 26. cum Stephano *Act. VII*, 14. de numero animarum e Jacobi progenie ortarum, ac in Ægyptum descendentium, quam *c. 4. p. 261. seqq.* proponit: item aliam Mosis *Gen. XI*, 26. cum seipso *ibid. v* 32. & *c. XII*, 4. cumque Stephano *Act. VII*, 4. de annis Abrahami & patris Tharæh, quam *p. 257.* exhibet: nec non expositionem verborum D. Pauli *Act. XIII*, 20. de numero annorum, quibus Judices præfuerunt, quam affert *c. 7. p. 279.* Animus etiam fuerat prophetiam Danielis de LXX. Hebdomadibus, ejusque explicationem Langianam *L. 2. P. 2. c. 9.* ad veritatis amussim examinare. Alia insuper nonnulla circa historiam Sacram paulo incautius a Langio asserta simul considerare destinaveram. Nec παράδοξον ipsius de Monarchiarum numero opinionem, quam in Disputatione Haffniæ habita proposuit, prætermittere volupe mihi fuerat. Sed cum in multo majorem molem, quam fore putaveram, hæc Diatribe jamjam excreverit: cum etiam sat prægnantes causæ aliæ id me impræsentiarum persequi haut patiantur, omnia ea in aliud tempus differre, jamque receptui canere, necessum habeo. Dabitur forte, si summo Numini placuerit, melior propediem commoditas, qua fretus, ea, quæ jam invitus prætereo, ex voto pertexere queam. Nunc manum de tabula, ne simus quod Protogenes in pictura.

Digitized by Google

AD CL. V.

WILHELMUM LANGIUM.

HÆc fere fuere, Doctiſſime Langi, de quibus amice placideque tecum agere libuit, vel potius per temporis commoditatem licuit. Per tuum vero te candorem quæſo & obſecro, ne meum hunc, quem publice profeſſus ſum, diſſenſum, aut φιλονικίᾳ *ac contradicendi libidini, aut invidiæ, aut animo gloriolam in muſtaceo captanti adſcribas. Aliena eſſe a mea ingenuitate hæc omnia, ipſe noſti, ſi me noſti. Alma antiquaque veritatis amor eo me non tam allexit, quam impulit, ut priſcæ* ὀρθοδοξίας, *quam vana novitati tantum non ſuccumbere vidi, defenſionem ſuſciperem. Si quæ acerbiora nonnunquam ſcribenti mihi exciderunt, jamjam excidiſſe pœnitet. Exiſtimo tamen nihil a me aſperius dictum eſſe, quin rerum pondera, cauſæque, cui hanc advocationem commodavi, gravitas id omnino flagitaverint. Tibi tuiſve laudibus obtrectare, nec animi mei candor, nec conſtans ille, quo te complexus ſum, amor unquam permiſit. Paratus ſum, ſi quæ habeas, quibus vel tuas opiniones defendi, vel meam hanc lucubrationem impugnari poſſe putes, eadem æquitate ac moderatione iſta ut excipiam, quam a te experiri cupio. Tu modo ingenue id agas, quod agendum eſt, & affectibus obſequium deneges. Quo citius quid replices, eo gratius id mihi accidet. Occaſionem enim præbebis, ea planius ac diductius explicandi, qua temporis iniquitas & properandi neceſſitas prolixius jam exequi prohibuere. Spero, me per Dei gratiam prorſus tibi ſatisfacturum circa ea, quæ ad uberiorem rerum hic brevius propoſitarum declarationem deſiderari videbuntur. Neque enim tam ſterile eſt præcipuum hujus Exercitationis argumentum, nempe de feria paſſionis Dominicæ, quod a nemine eruditorum, quod ſciam, ex profeſſo pertractatum eſt, quia a nemine hactenus lis de eo mota eſt, quin plura dari queant, quæ lucem illi fœnerent. Ad ceterorum quoque illuſtrationem multa ſe offerent, quæ hac Diatriba comprehendi haut potuere. Interim vale, & hæc æquo animo accipe.*

GEORGI

GEORGI ERICI PHALETRANI

EXERCITATIO

HISTORICO-PHILOLOGICA

DE

SCEPTRI JUDAICI ABLATIONE:

Qua non tantum

ORACULUM D. JACOBI,

Sed etiam

VARIA S. SCRIPTURÆ DICTA,

Multaque ex Patribus, & Profanis Scriptoribus Explicantur, Illustrantur, Emendantur.

Digitized by Google

Lectori Erudito & Candido.

EN tibi, Lector erudite, & candide, exercitationem Hiſtoricæ-Philologicam, de ſceptri Judaici, circa tempora adventui Meſſiæ deſtinata, a Juda in Regem aligenigenam divinitus prædicta, tranſlatione, quam ad hiſtoriæ, qua ſacræ, qua profanæ amuſſim ita concinnatam deprehendes, ut interim illam ab analogia fidei vel latum quidem unguem deflexiſſe conqueri nemo poſſit. Cæterum vero, a nonnullis Doctorum ſeorſim ſentimus placitis, non quidem φιλονεικίας, aut κομποραγίας gratia, ſed conſcientiam, quæ mihi DEI inſtar, teſtor, ſolius veritatis amore: Veritatis inquam, quæ vita noſtræ magiſtra, actionum regula, ſtudiorum meta ſemper fuit, ſemper erit. Neque enim unquam, meam erit, quidquid illa eſſe ſuum non agnoverit. Quod cum igitur in aprico ſit, quædam illorum, quæ viris, longe eruditiſſimis, de divino hoc Jacobi Oraculo, impulſu antiquiſſimi erroris exciderunt, ad hiſtoricam, Reginæ noſtræ regulam, minime quadrare, & propterea, tanquam plumbea tela, a Judæorum pervicacia rideri magis, quam timeri: id egimus, ut ex illius armamentariis exſtaret, quod non umbram, ſed jugulum iſtorum χρισομάχων feriret. Hîc ſcopus exercitationis noſtræ, quem, quam feliciter attigerimus, Tu, Lector erudite & candide, [Nam vos reliquos, qui, cum pueri ſitis, rhinocerotis naſum induitis, altero tanto minus curo, quam ille apud Comicum ſuem occiſam] Tu inquam erudite, & candide, vide, lege, judica, noſtriſque nobiſcum utere. At

– – – Siquid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: – – –

Nunquam Tu promptior eris ad monendum, quam ego ad emendandum. Homo ſum, cui nihil tam naturale eſt, quam errare. Certe ego monitu Plinii Junioris, alierum erroribus æquior fui, ut Tu, ſi qui forſitan exſtent, meis. Vale, benevole Lector, noſtriſque ſtudiis fave, quod ſi Te facere ſenſerimus, deinceps Κυριακῶν *quoque noſtrorum Tibi communicabimus libros, quibus præcipuæ partes hiſtoriæ Dominicæ, ſtilo hujuſmodi pertexuntur Philologico. Iterum Vale, DEOQUE & Muſis operare ſedulo.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

Sceptrum ſignum Imperii, & cujuſvis ſumma poteſtatis. Ovidius emaculatus. Vitis ſceptrum caſtrenſe. Schebhet hic non virga arboris genealogicæ. Quis Mechokek, variæ de illo Interpretum ſententiæ. Hoc loco pontificem denotat. Particula, Et, interdum explicativa eſt, tam Ebraïs quam Græcis, & Latinis. De inter pedes alicujus eſſe, quid ſit. Διαμηρισμὸς. Interfemineum: Apulejus tentatus.

MYſterium incarnationis FILII DEI, Domini noſtri JESU CHRISTI conſideranti, in primo quaſi limine piæ meditationis auguſtiſſimum illud D. Jacobi Patriarchæ oraculum occurrit, quod afflatu Spiritus S. vir cœlo jam proximus de adventu, perſona & officio Meſſiæ, Judæ fata canens protuliſſe, *Gen. XLIX. n.* 10. legitur. De cujus excellentia hæc aureæ illud oraculum eloquentiæ Chryſoſtomus *Hom. in Gen. LXVII.* protulit: *Benedictio Judæ data, myſtica eſt, præſignans omnia quæ ad Chriſtum attinent. Quia cum ex hoc tribu oriturus erat Chriſtus, ſecundum diſpenſationem, propterea Spiritu S. afflatus prædixit Jacob per ea, quæ ad Judam dicuntur, non ſolum deſcenſum Domini ad homines, ſed & ſacramentum, & crucem, & ſepulturam, & reſurrectionem, & ut ſemel dicam, omnia.* Tanti igitur cum momenti Jacobæum hoc ſit oraculum, operæ pretium eſſe duxi, de vera illius ſententia, & implemento exercitationem ſuſcipere. Fecerunt hoc ante nos Viri eruditiſſimi, laudabili conatu, impari ſucceſſu, quorum veſtigia ita noſtra leget Exercitatio, ut inter præclaras, Hiſtoriarum, & Philologiæ oleas decurrens, pleriſque intacto ſtadio, ad veritatis metam properet. Quod ut recte & ordine fiat, faxit ille qui ſolus via, & veritas.

Ait igitur Vir divinus: *Non auferetur ſceptrum de Judâ.* Sceptrum per-

Digitized by Google

per metonymiam ſigni ſummum imperium denotare nemo ignorat. Reges enim in publico, aut pro tribunali verſantes, ſceptrum manibus tenebant, mos hic Hebræorum: *Amos Cap. I. n.* 5. *Baruch. Cap. VI. n.* 13. Perſarum, *Eſth. V. n.* 2. Græcorum quoque & Romanorum. Unde Achilles paſſim ab Homero σκηπτοῦχος nominatur. Ovidius vero *VI. Metam.* ſic Latinum deſcribit:

Conveniunt populi ſævum Mavortis in agrum,
Conſiſtuntque jugis, medio Rex ipſe Latinus,
Agmine purpureus, ſceptroque inſignis eburno.

Sic enim, non *purpureo*, legendum eſſe, ex Mſcr. obſervare licet. Verum enim vero non tantum Regiam, ſed quamlibet etiam ſummam poteſtatem, ſceptri vocabulo Ebræis notari, ex *Pſalm. CXXV. n.* 2. & *Ezech. cap. XIX. n.* 11. & 14. apparere arbitror. Nam quod Propheta dicit, *in vite illa Judaica fuiſſe virgas fortitudinis ad ſceptrum dominantium*, ut vertit Arias Montanus, eo ipſo caſtrenſem poteſtatem indigitat. Magiſtratibus enim caſtrenſibus bello vitis id in manu erat, quod domi Regibus aureum, aut eburneum ſceptrum, de qua re nos multa jam olim ad illud *Sat. VIII.* Juvenalis,

- - - Nodoſam frangebat vertice vitem,

notavimus. Sceptri igitur appellatione Vatem noſtrum non tantum Monarchicum regni ſtatum, qualem uſurparunt Reges Judæorum, ſed etiam quodlibet κύριον τῆς πολιτείας, & cum primis ἀναχτο-τελειω-ταρχίαν, i. e. Pontificatum cum Principatu conjunctum, qualem a captivitate, uſque ad Herodem, ſub quo D. Meſſias natus eſt, obtinuerunt Pontifices; pro explorato habemus. Minime interim dubitamus, Jacobum θεόπνευσον ideo ſceptri appellatione uti voluiſſe, quod jam tum Herodis in oculis haberet regnum. Xant. Pagninus τὸ *Schebbet*, non per ſceptrum reddidit, ſed per virgam, unde nonnulli virgam arboris genealogicæ intelligunt, quod nec alienum a mente Tremellii. Vertit enim: *non deſiſtet tribus a Juda.* Et addit: *ſenſus eſt, tribulis ratio, & Regia illa ac Judicialis auctoritas, (quæ metonymice ſignificatur ſceptro) in tribu Judæ conſtantiſſime futura eſt, ac paulo quidem ante convelletur propemodum, tribus, & tota tribulis ratio, quæ ad illa uſque tempora perſcripta fuerat, & regnum ei quoque eripietur.* Et paulo poſt: *hoc proximum ſignum futurum eſt, & certiſſimum adventus Chriſti prænuncium, cum tribus Judæ affligetur graviſſime, & regno ſuo, dynaſtiiſque orbabitur.* Tremellianæ applaudit ſententiæ *lib.* 2. *Exercit. Bibl. Claſ.* 1. do-

Digitized by Google

doctiſſimus Tarnovius ubi §. 8. locum hunc ſic interpretatur: *Juda non deſinet eſſe tribus peculiaris, & a reliquis non diſtincta modo, ſed & ratione majorum reliquis antecellens, neque deerit qui leges cærimoniales inculcet, & exſequatur.* Et §. 11. *Juda non deſinet eſſe tribus talis, cujus familiæ & ſtirpes diſtincte numerari poſſint, ac linea Davidis diſtincte oſtendi, cum venerit Meſſias.*

Sed, quod pace tantorum virorum dixerim, quibus rationibus hoc interpretationis commentum ſervari poſſit, non video. Demus enim vocis Ebraicæ ſignificatum ad virgam arboris genealogicæ poſſe extendi, illud tamen quod ſupponitur, genealogicam nempe tribuum rationem, Regiamque illam, & Judicialem auctoritatem paulo ante Schiloh adventum de tribu Juda fuiſſe ſublata, falſiſſimum eſt. Reliquit quidem Euſebius *lib. 1. hiſt. Eccl. cap. VII.* Herodem conſcientia ignobilitatis impulſum accuratiſſimos illos genealogiarum commentarios, *quibus unuſquiſque genus ſuum ad Patriarchas aut Proſelytos olim Iſraeli, cum egrederetur ex Ægypto, immixtos referre poterat, exuſſiſſe*, ſed Herodis hac veſania totam rationem tribulem conturbatam, & adeo ſublatam fuiſſe, ut vel tribus Juda, vel ab illa alia quævis tribus peculiaris eſſe deſierit, omnique familiarum diſcrimine abolito, linea Davidis ulterius oſtendi non potuerit, inde minime ſequitur. Quin ipſe Euſebius allegato loco teſtatur, genealogicas hujuſmodi tabulas privatorum ſtudio fuiſſe conſervatas, & obſervatas. Certe ſi ante Chriſti nativitatem tribuum, & familiarum diſtinctio ſublata fuit, dicant nobis, unde Euangeliſtæ illa acceperint, quæ in delineanda Chriſti protulerunt geneſi. Dicant nobis, unde D. Lucas acceperit, Eliſabetham Zach. *cap. I. n.* 5. & Barnabam, *Actor. IV. n.* 36. de Levi: Hannam vero Prophetiſſam illam, *Luc. cap. II. n.* 35. de Aſſeris fuiſſe tribu. Dicant, unde hauſerit, Joſephum, ſponſum B. Virginis de domo & familia fuiſſe Davidis, *Luc. d. c. II. n.* 4. Dicant, unde Paulus ſe Benjaminitam, & quidem Hebræum ex Hebræis, i. e. tali ſtemmate ortum, quod nullo externo matrimonio unquam corruptum, didicerit, *Philip. III. n.* 5. *Rom. XI. n.* 1. Et ſi omnis tribulis ſeries, & diſtinctio Chriſti nativitate ſublata, qua ratione idem Doctor gentium, *Actor. XXVI. n.* 6. imo ipſe Chriſtus *Matth. XIX. n.* 28. populum Judaicum, XII. tribuum diſtinguit nomine? Deinde Regiam, & Judicialem auctoritatem penes tribum Judæ, uſque ad Meſſiæ adventum perſeveraſſe, illoque inſtante, tribum Judæ afflictam fuiſſe graviſſime, æque falſum eſt. Nam totis quinque ſeculis ante ad-

Digitized by Google

ventum τῷ Schiloh, ſceptrum de tribu Judæ, in tribum Levi tranſlatum fuit, tribu Juda ſuis interim latente ruderibus. Præeminentia denique Davidici ſtemmatis, naſcente Chriſto, qualis eſſe debuerit, vaticinia divini Eſaiæ, ſtemma Meſſiæ *trunco ſucciſo in terra arida hærenti*, *cap. XI. n.* 1. & *cap. LIII. n.* 1. comparantis explicant. Qualis vero fuerit paupertas θεοτόκυ *Luc. II. n.* 24. nec non Joſephi ξυλουργία, *Matth. XIII. n.* 55. docere nos poſſunt. Quod cum igitur inter omnes conſtet, Patriarcham poſteris ſuis ſignum jamjam adventuri Meſſiæ in ablatione τῷ *Schebbet* proponere voluiſſe, manifeſtum eſt, illius nomine virgas arboris genealogicæ minime venire poſſe, cum etiam nato & denato D. N. tribuum & familiarum diſtinctionem, accuratiſſime, & ad ſuperſtitionem uſque obſervatam fuiſſe, vel ex D. Paulo appareat. Veterum igitur inhæremus ſententiæ, quibus τὸ *Schebbet ſceptrum* ſignificat.

Jam pergimus; pergit enim divinus noſter, & addit: *Umechokek*, i. e. vertente Vulgato: *& Dux*, quo ſenſu & LXX. καὶ ἡγούμενον: Xanti Pagnino, Ariæ Montano & Tremellio *Mechokek*, *Legiſlator*: Vatablo vero in notis eſt *Scriba*, idque ex Onkelo, paraphraſte Chaldaico, & Thargum Hieroſolymitano, quod ita vertit: *neque ſcribæ Doctores Legis.* Unde opinor Hieronymus: *neque Doctor*, & B. Lutherus noch ein Meiſter. Sed omnes quidem hi doctiſſimi Interpretes ut in verſionibus diſcrepant, ita quoque in ſententia. Pleriſque *legiſlator*, & *ſcriba* Princeps eſt, quod ad illius officium pertineat, ſubditis leges ferre, & præſcribere. Aliis *ſcribæ* ſunt conſiliarii, qui juſſu Principis mandata & decreta ſcribunt, a quorum ſententia non prorſus alienus ὁπολυμαθέσατος Caſaubonus, qui *exercit. I. contr. Baron. cap. III.* per *ſceptrum* ſummam poteſtatem, per *Mechokek*, alteram partem Reipubl. Magiſtratum, & judices intelligit. Verum enim vero, cum divinus noſter hoc loco de tempore adventus D. Meſſiæ vaticinetur, ſignumque illius in ablatione formæ priſtini regiminis collocet, certo certius eſt, illum quoque formam Reipub. illius ex ſpirituali veluti ſpecula contemplatum, & propterea de tali ſceptro locutum fuiſſe, quale populus Judaicus habiturus erat, illo tempore, quo jam inſtabat Meſſiæ nativitas.

Hæc itaque penitius conſiderans in eam trahor ſententiam, ut *Mechokek* nec *ſcribam*, aut *doctorem*, nec *Principem*, aut *Regem*, ſed qui *ſacrarum conſtitutionum*, *cærimoniarumque magiſter* erat, *Pontificem* hoc loco ſignificare exiſtimem; id quod nec ab ipſa dictionis etymologia alienum, nec ſuis deſtituitur rationibus. Nam in republica Judæorum duo ſum-

Digitized by Google

ſumma erant genera legum, quædam enim dicebantur *Mitzvoth*, quædam vero *Chukkim* LXX. illas ἐντολὰς *mandata*, has vero δικαιώματα, *juſtificationes* appellant; frequentiſſimaque hæc legum diſtinctio in Sacris occurrit, ut vel ex ſolo *Pſal. CXIX.* cuilibet patet. Cæterum mandata ad Politiam, atque adeo officium pertinebant Principis: Juſtificationes vero ad ſacra & religionem, & propterea propius ad officium ſpectabant Pontificis; vocabanturque *Chukkim*, eo quod non æque ut mandata naturali paterent conſcientiæ, ſed divino Dei conſilio revelata, & præſcripta eſſent. *Mechokek* igitur præſes & cuſtos τῶν *Chukkim*, quod proprium erat Pontificis.

Porro cum poſt captivitatem Babylonicam in Republica Judæorum uſque ad Chriſtum iidem Pontifices fuerint, qui Principes, (quam teſte Ariſtot. *lib. III. polit. cap. ultim.* antiquiſſimam formam regiminis Græci ἀνακτο-τελειωτ-αρχίαν, i. e. *principatum pontificalem*, ſive ut D. Petrus *Epiſt. I. cap. II. n.* 9. loquitur, βασίλειον ἱεράτευμα, *regalem pontificatum* appellare ſolebant.) nullus dubito particulam U, ſive *Vau* hoc loco non eſſe copulativam; ſed, ut alias ſæpe, ἐξηγητικὴν, quo caſu non per *Et*, ſed vel per adjectivum alterutrius ſubſtantivi, vel per pronomen *qui* ἐξηγητικῶς reddenda eſt. Sic *Daniel. IV. n.* 13. *Vigil & ſanctus*, i. e. vigil qui erat ſanctus; ſive ex numero ſanctorum Dei. *Eſai. LIII. n.* 8. *De anguſtia & judicio ſublatus eſt*, i. e. de judicio anguſtiſſimo, ſive de anguſtia judicii. *Zach. IX. n.* 9. *equitans ſuper aſinum, & ſuper pullum*, i. e. ſuper pullum aſininum. Sequuntur hanc loquendi Hebræorum formulam Helleniſtæ N. T. Sic *Johann. cap. I. n.* 14. *Plenum gratiæ & veritatis*, i. e. veræ gratiæ. Et D. Paulus *Rom. XV. n.* 6. *Omnes uno ore glorificare* jubet *DEUM & Patrem Domini noſtri* Jesu Christi, i. e. Deum qui eſt Pater: & Coloſſenſibus *cap. III. n.* 17. præcipit *quidquid egeritis ſermone aut facto, omnia in nomine Domini JESU facite, gratias agentes DEO & Patri per illum*, i. e. Deo, qui eſt Pater ipſius. Plane & Latium hoc modo elegantiſſime ἑβραΐζει. Sic enim Maro *II. Georg. Pateris libamus & auro.* Luc. *lib. VI. Chalybem frænoſque momordit.* Et Juvenal. *ſat. VI. Prodigium & mores urbis damnante Canopo.* i. e. aureis pateris, chalybæos frænos, prodigioſos mores. Sed nec Græcia hoc abſtinuit χηματισμῷ. Sic enim apud Strabon. *lib. XXVII.* ταφαὶ καὶ καταγωγαὶ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν ἰδιτήδιαι. i. e. *Sepulchra, & caverne condendis mortuis idonea*, ſunt cavernæ ſepulchrales.

Quando igitur divinus noſter ſic canit: non auferetur de Juda ſceptrum

Digitized by Google

& Pontifex, hæc ipſius eſt ſententia: non auferetur de Juda ſceptrum Pontificale, ſive non deficiet in Juda ἀναχτο-τελειωτὴς, i. e. Princeps, qui ſimul ſit Pontifex, ſive quod perinde eſt, Schiloh jam jam in carnem venturo deſinet ἀναχτοτελειωταρχία Judæorum. Plane ex ipſo quoque Judæorum Talmud ſententia hæc noſtra confirmari poteſt. Nam in *lib. Sanhedrin, cap. Dinemamaoth* annotatur, *Scribam hoc loco eſſe Principem in terra Iſrael poſt captivitatem Babylonicam.* At vero hi omnes, ut *capite ſeq.* demonſtrabimus, ſimul fuerunt Pontifices. Atque hæc quidem de *Mechokek* noſtra, ut opinor, veriſſima eſt ſententia, cui tamen & alteram nec illam prorſus improbabilem ſubnecto. Poſſis enim dicere, locutionem hujus verſiculi eſſe ellipticam, ita ut ad prius hemiſtichium ex poſteriori illa verba: *de inter pedes ejus*, & contra ex priori ad poſterius verba illa: *non auferetur*, revocanda ſint, ac ſi ſcriptum eſſet: *Non auferetur ſceptrum, ſive Princeps de Juda, qui ſit de inter pedes ejus, neque auferetur Pontifex, qui ſit de inter pedes ejus, donec venit Schiloh.* Res quidem eodem redit, ſed rationem implementi aliqua harum interpretationum eſt differentia, de quo ſuo loco. Jam paucis expediamus, quid ſit *de inter pedes* eſſe. Ita enim, ad verbum ſi reddas, Hebraica ſonant.

Diverſæ autem & hic apparent Doctorum opiniones. Quidam ad educationem hanc phraſin pertinere cenſent, alii ſubſellia ſcribarum judicialium, alii vero, quibus hic Doctores legis placent, ſubſellia diſcipulorum in ſynagogis intelligunt, qua ratione D. Paulus παρὰ πόδας Gamalielis ſe eruditum dicit *Actor. XXI, n.* 3. Ut & *Deut. XXXIII, n.* 3. & *Luc. VIII, n.* 35. ubi Gloſſa Saxon. erudite hunc morem illuſtrat. Sed ſimpliciſſima veriſſimaque eorum interpretatio eſt, qui hic, ut & *Deuteron. XXIIX. n.* 57. pedes ſive femora ἐυφημισμῷ ſanctæ linguæ uſitato, genitalia eſſe membra exiſtimant. Apud Eſaiam certe *cap. XII* n. 20. *pilipedum*, eſt pubes, & pili qui pecten ſeminalis veſtire ſolent membri, quos veteres Hebræos demetere ſolitos fuiſſe, teſtatur Vatablus, ubi etiam notat, *aquam pedum* ab illis urinam dici. Patet autem ſchematis hujus ratio. Ὀμηρὸς etenim, ut ad *Pſalm. XLIV.* docet B. Baſilius σύμβολόν ἐϛι τῆς κατὰ γένεσιν ἐνεργείας, id quod & ante eum B. Hieron. ad *cap. V. Epiſt. ad Epheſ. n.* 14. obſervaſſe memini. Elegantiſſimus inde Hebræorum χηματισμὸς, quo poſteri alicujus dicuntur eſſe de femore illius, de quo vide *Gen. XXXV. n.* 11. & *cap. XLVI. n.* 26. *lib.* 1 *Reg. cap. IIX. n.* 19. & *lib.* 11 *Chronic. cap. VI. n.* 9. quem ita

Digitized by Google

ita exprimunt ſanctiſſimi novi Fœderis Notarii: ἀνισάναι vel ἐξέρχεσθαι ἐκ τῆς ὀσφύος, vid. *Act. cap. II. n.* 30. & *Epiſt. ad Hebræos cap. VII. n.* 5 & 10.

Sed nec apud profanos auctores χηματικὴ hæc λέξις inuſitata. Nam & apud Græcos, ἀπὸ τῶν μηρῶν συνιστάζοντες διαμηρίζειν dicuntur *Gloſ. vet:* διαμηρισμὸς, *coxizatio, coitio.* Unde Hebraicum *inter-pedes* Græce non inepte διαμήριμα, Latine certe, eleganter dixeris *interfemineum*, quo vocabulo membrum illud, quod natura inter femina collocavit, non uno loco appellat Apulejus. At quia λογοδαίδαλος ille Philoſophus primus omnium vocem hanc Latio donaſſe exiſtimatur, fugientem illam de latifundiis ejus, ipſi hic quoque ſine invidia reſtitui poſſe arbitror. Sic autem *lib. X. Mileſior.* Medaurenſis loquitur, ſed librarii ore. *De hinc titione candenti inter media femina detruſo crudeliſſime necavit.* Quidvis perdo ſi non ſcripſit Apulejus, *inter media interfeminea detruſo.* Sed hæc κατὰ πάροδον.

Ad Vatem noſtrum redeo, ipſumque non tantum regiminis Judaici circa tempora naſcituri Meſſiæ ſtatum, ſed etiam illius everſorem Herodem hominem Idumæum ex fratris rejectanei Eſavi ſanguine ortum trahentem, imo etiam Ananelum hominem & ipſum non de interpedes Juda, & illum quidem regnum, hunc vero illius auſpiciis Pontificatum invadentem in oculis habuiſſe, & propterea addidiſſe Meſſia jamjam naſcituro ſceptrum Pontificale ſublatum & ad homines, qui non eſſent ex regno illo Juda translatum iri, exiſtimo.

Caput II.

Juda cui ſceptrum promittitur, quis ſit. An tribus Juda, quæ communis opinio Doctorum. Sed, quod oſtenditur, erronea. Soluta captivitate Babylonica Pontifices Rempublicam Judæorum adminiſtrarunt, idque mandato DEI. Zorobabelem non præfuiſſe Judæis, in Judæam reductis. Hathirſata. Alſtedii Chronologia notatur.

AIt Divinus noſter: *non auferetur ſceptrum de Juda*: Jam vero quis Juda ille? num Judas, Jacobi filius? At illo vivente nulla fuit Iſraelitarum Reſpublica, ac propterea neque ſceptrum. Quid igitur? an tribus Juda, & præcipue ſplendidiſſimum illius ſidus, David, Rex populi Iſraelitici ut primus, ita potentiſſimus? Ita tam Euangelicæ, quam

Digitized by Google

Pontificiæ religionis DD. communiter ſentire video. Rationes quibus ſubnititur illorum aſſertio, hæ præcipue: tum quia reliqua Propheticæ hujus benedictionis capita ad cujuſque filii tribum pertineant: tum quia in Scripturis Sacris Judæ vocabulo aliud quid, præter tribum Juda, ſignificari, exemplo careat: tum quod conceſſo illo, per Juda aliam quamlibet tribum poſſe intelligi, concedendum ſit, regnum Judæorum etiam poſt Chriſtum duraſſe: tum quod eventus doceat, regnum in tribu Judæ perſeveraſſe, ad Chriſti uſque adventum, tum denique quod BB. Patres in illa ſententia communiter acquieſcant, veluti Cyrillus: cujus hæc ſunt verba *lib. VIII. cont. Julian.* in princ. *Cum rediiſſent in patriam* (Judæi) *tunc apud illos accepit ſceptrum Zorobabel Salathielis filius, de tribu Juda. Quomodo igitur ceſſaſſe dicitur regnum Judæ in Sedechia, cum Zorobabel, ut dixi, poſt captivitatis tempora in regni ſolio conſederit, fueritque de tribu Juda & David, tranſmiſſumque ſit per poſteros illius ſceptrum uſque ad regnum Herodis, qui ex matre quidem fuit Judæa, ſed patre alienigena.* Cyrillo addicit Hieronymus, qui ſic ad *cap. I. Sophon. Quia ſemel tropologice exponere cœpimus, viſitabit Dominus in adventu & paſſione Salvatoris,* i. e. *in die hoſtiæ filii ſui, ſuper Pontifices, & ſuper Sacerdotes populi Judaici, & ſuper domum Regiam. Uſque enim ad illud tempus perſeveraverunt Reges Judæ de ſtirpe Davidis ſecundum prophetiam Jacob: non deficiet Princeps.* &c. *Poſt hoſtiam enim Domini ſublatum eſt regnum de Judæis.* Hoc antea quoque tenuit Origenes, *homil. XVII. in Gen. Conſtat,* inquit, *ibi uſque ad nativitatem Chriſti non defeciſſe principes ex genere Judæ, nec duces de femoribus uſque ad Herodem Regem, qui ſecundum hiſtoriæ fidem, quam Joſephus ſcribit, alienigena fuiſſe, & per ambitionem in regnum Judæorum dicitur irrepſiſſe. Statim ergo ut hoc factum eſt, & ut defecit Dux de femore tribus Judæ, advenit cui erat regnum repoſitum.* Denique ſic etiam Auguſtinus *cont. Fauſt. lib. XII. cap. XLVII. Sunt literæ certiſſimæ, hiſtoriæ ipſorum quoque Judæorum, quibus oſtenditur primum alienigenam Regem fuiſſe in gente Judæorum, quo tempore natus eſt Chriſtus. Ita non defuit Rex de ſemine Judæ, donec venirent, quæ repoſita erant.* Equidem non contradicendi libidine, quæ ſe ſemper a me ſprevit longiſſime; ſed veritatis impulſu, ſeceſſionem facio.

Et ſi enim quæ pro tribu Judæ Davidiſque familia a Doctiſſimis viris proferuntur, ſpeciem non vulgarem exhibeant, quia tamen penitius excuſſa, nec ad veritatis hiſtoricæ regulam quadrare, nec pondus, quod

in

Digitized by Google

in fronte promittunt, in receſſu habere deprehenduntur: æquiſſimum certe eſt, relicta ſpecioſi erroris nubecula ipſam Reginam conſcientiarum, veritatem amplecti. Hoc igitur ut recte, atque ordine fieri poſſit non quidem univerſæ Reip. Judaicæ ſtatum inde ab incunabulis ad nativitatem ſalutificatoris noſti Jesu Christi, ſed ultimam ſaltem illius ſenectutem excutiamus, & majoris perſpicuitatis cauſa quinque illa, & quod excurrit ſecula, quæ a reditu gentis Judaicæ, ad partum Virginis uſque effluxerunt, in duas dividemus periodos, quarum prima captivitatis ſolutione, uſque ad Maccabæorum dynaſtiam, altera vero inde ad ipſius Schiloh adventum porrigitur.

Quærentibus de prioris periodi ſtatu, nemo nobis, ut opinor, certius reſponſum dare poterit, atque graviſſimus ille ἀρχαιολογίας Judaicæ Scriptor, Flavius Joſephus, & qui ante eum de Judæis librum conſcripſit, Hecatæus Abderita, homo & Philoſophus, & rebus ſub Alexandro geſtis clariſſimus. Sic autem ille, referente Joſeph. *lib. I. adverſus Apionem*: *Ezechias Judæorum Pontifex unus erat, qui cum Ptolemæo Lagi filio in Ægyptum profecti ſunt. Sunt autem in univerſum Judæorum Sacerdotes, qui frugum decimas accipiunt & Remp. adminiſtrant, numero circiter mille quingenti.* Ipſe vero Joſephus clarius hæc exprimit *lib. XI. cap. 4. Poſt dedicationem templi incoluerunt* (Judæi) *Hieroſolymas. Inſtituta autem Reſpublica ea forma, quæ per optimates cum paucis adminiſtratur. Penes Pontifices enim fuit ſumma auctoritas donec Aſmonæorum gens, mutato rerum ſtatu, regnum obtinuit.* Et ne forte putes non ſtatim a reditu, ſed a dedicatione templi, ſummam poteſtatem in Pontifices, & tribum Levi, fuiſſe tranſlatam, audi eundem *lib. XX. cap. 8.* hæc clarius explicantem: *Poſt ſeptuageſimum captivitatis annum Cyrus Perſarum Rex dimiſſis Babylone Judæis, & reverſis in patriam, permiſit templum condere, quando Jeſus Joſedeci filius aſſumpſit ſummum ſacerdotium. Hic, & ejus poſteri quindecim univerſi, ad Regem Antiochum Eupatora uſque, ſtatum Reip. popularem rexerunt.* Idem quoque teſtatur, ſed ut ſolent gentiles in deſcriptionibus hiſtoriæ Sacræ, veris falſa miſcens, Juſtinus *l. xxxvi. cap. 2. Poſt Moſem*, inquit, *etiam filius ejus Aruas ſacerdos ſacris Ægyptiis, mox Rex creatur, ſemperque exinde mos apud Judæos fuit, ut eoſdem reges & ſacerdotes haberent, quorum juſtitia relligione permixta incredibile quantum coaluere.* Recte, ſi tollas errorem temporis. Non enim ab Aarone quem Aruam vocat, cepit ἀναχτο-τελειωτ-αρχία Judæorum. Nam ſoluta demum Babylonica capti-

Digitized by Google

captivitate Pontifices simul clavum administrasse Reipub. rectius docet Josephus, & id insuper exempla quoque confirmant.

Cum enim Alexander ille βασιλῶν βασιλικώτατος, καὶ στρατηγῶν στρατηγότατος, ut illum prædicat *lib. IV.* Arrianus, ad expugnationem Tyri Judæorum subsidia sibi expetenda esse judicaret, ad Jaddum sive Jadduam, ut *Neh. XII.* vocatur, Pontificem literas dedit, ut idem testatur, Joseph. *lib. XI. cap.* 8. Idem postea fecit Ptolemæus Philadelphus Rex Ægyptius, & Lacedæmoniorum Ἄρχων, Arias. Nam cum ille Interpretes legis Mosaicæ desideraret, ad Eleazarum: hic vero, cum ob cognationem originis (nam & Lacedæmonios ab Abrahamo esse, ex libris, ut scribit, antiquis acceperat) societatem & fœdus peteret, ad Oniam Pontificem desideria sua detulit, referente Josepho *lib. XII. cap.* 2. & auctore *lib.* 1. *Maccab. cap. XII. n.* 19. Tantos vero Reges in tam arduis, & partim jura belli, pacisque concernentibus negotiis, Pontifices Judæorum adiisse credibile est, si penes illos summa rerum non stetisset, aut aliquis de tribu Juda Principatum tenuisset Judaicum? Quin & illud constat, arctissimo populi & Patrum consensu lege veluti Regia Principatum in Pontifices translatum, sanctissimeque cautum fuisse, ne ullis temporum intervallis Sacerdotium & Principatus divellerentur. Cum enim novissimis Maccabæorum temporibus, Aristobulus, cum majore natu fratre, Hyrcano, de principatu contenderet; exigeretque, ut ipse contentus pontificatu, regnum sibi cederet, populus ad seditionem usque intercedit, & pertinacissime urget, ne quid contra statuta majorum admitteretur. *Ajebant*, inquit Josephus *lib. XIV. cap.* 5. *se nolle esse sub Regibus: haberent statutum patrium, ut sui DEI parerent sacerdotibus. Hos* (Hyrcanum scil. & Aristobulum) *quidem Duces esse de sacerdotum genere, sed velle principatum in aliam formam traducere.*

Vides, patria Judæorum lege cautum fuisse, ne illa soluta μετοικεσίᾳ τοῦ Βαβυλῶνος, inducta ἀνακτο-τελειωτ-αρχία in aliam regiminis formam traduceretur, quod certe erat æquissimum. Neque enim humano arbitrio, sed definito DEI consilio evenit, ut & sceptri præeminentia de tribu Juda, & contaminatissima Davidis familia amoveretur, & in tribum Levi, ipsosque Pontifices de familia Eleazaris transferretur, ita ut Pontificatus, & Principatus in uno cohærerent subjecto. Hæc autem ita se habere, non tantum ex vaticinio nostro, quod signate de ἀνακτο-τελειωτ-αρχίᾳ Judaica hæc loquitur, sed & aliis quoque Sacræ Scripturæ infallibilibus probari potest oraculis.

De

Digitized by Google

De tribu enim Juda posterisque Davidis sceptrum auferendum, non tantum Jechoniæ Jeremias *cap. XXII. n.* 30. sed etiam *Ezech. c. XXI. n.* 27. ultimo de tribu Judæ Regi, Zedekiæ prædixit. Nam cum extrema Judaicorum Regum improbitas, & apostasiæ, definitum iniquitatis suæ terminum attigisset, JEHOVA nequissimo illi Regi jubet edicere: poneret cidarim & coronam, se enim regnum ejus funditus perdendum dedisse, nec illud in posteris ejus restabilitum iri, donec veniat Messias, i. e. nunquam. Sic enim locum hunc post auctorem glossæ ordinariæ Walfredum Strabum Abbat. Fuld. recte interpretatur Vatablus.

Porro vero sceptrum de tribu Juda jam ablatum in tribum Levi Pontificesque ordinarios transferri debere, ipse itidem JEHOVA constituit. Instante enim illa seculorum periodo, qua Messias in lucem proditurus erat humanam, placuit divinæ sapientiæ eam in populo suo adornare Reip. formam corporaliter, quam regnum Messiæ obtinere debebat Spiritualiter. Quod cum igitur Messias Ecclesiæ suæ, simul Rex (ut habetur *Es. XXXIII. n.* 22. *Mich. IV. n.* 7. *Daniel. VII. n.* 14. *Luc. I. n.* 33.) simulque Pontifex (*Psalm. CX. n.* 7. *Hebr. II. n.* 17. & *c. V. n.* 10.) futurus erat, præcipit JEHOVA Zachariæ Prophetæ Josuam primum a soluta captivitate Pontificem duabus coronis ornare, atque ita illum & in illo omnes illius successores sacerdotes in solio, i. e. ἀνακτο-τελειωτὰς constituere, *Zach. cap. VI n.* 11. & 12. *Accipiens*, inquit ibi divina Majestas, *argentum & aurum facies coronas, & impones capiti Josuæ filii Jozadoki Sacerdotis maximi, quem alloqueris dicendo: sic ait JEHOVA exercituum: Ecce virum cujus nomen est Zemah, qui a loco suo germinabit & ædificabit templum Jehovæ, idemque reportaturus decorem, & sessurus, ac dominaturus in solio suo, eritque sacerdos in solio suo, & consilium pacis erit inter utrumque.* Mysticum sensum Messiam respicere, certissimum est: sensum vero literalem ad Josuam Pontificem pertinere, illumque jussu & instituto hoc JEHOVÆ non tantum Pontificem summum, sed & summum Principem creatum fuisse, minime dubitare debemus. Omnia enim quæ mystice de Christo dicuntur secundum historiæ veritatem, Josuæ quoque conveniunt. Nam & ille ædificavit templum, ut patet ex libro Esræ, germinavitque e suo loco; quippe cujus posteri post CCCC. ferme annos τελειωταρχίαν exercuerunt Judaicam. Ipse quoque portavit decorem, i. e. ornatum Pontificalem, quem, quod esset ὑπερεξοχώτατον, *decorem* vocabant Ebræi, Vid. *Esai. LXI. n.* 10. *Ezech. XLIV. n.* 18. *Sapient. XIIX. n.* 24. & tamen sedit in solio Principis, sive ut loquitur textus,

Digitized by Google

fuit sacerdos in solio, i. e. ἀναστο-τελειωτὴς, quod supra ex Josepho probavimus. Fuit quoque inter utrumque scil. principatum Regium & Pontificalem, consilium pacis, i. e. nemo usque ad Christum iniit consilium de divellendis principatu & pontificatu.

Et id est quod JEHOVA, Prophetam duas coronas, ut doctissimus observavit Hieronymus, capiti Josuæ imponere jubet, quia scilicet geminum illum principatum, quem etiam B. Chrysostomus in *Psalm. CXXII.* annotavit, ipsi & posteri ejus portaturi essent, quod & eventus rerum comprobat clarissime, ut nemo a sensu communi adeo remotus esse possit, qui non intelligat, ἀξίωμα hoc τελειωταρχικὸν, non casu, aut Pontificum cupiditate regnandi, sed consilio, & mandato DEI, a Zacharia Propheta introductum, & per tot secula ad Christi usque durasse adventum.

Sed audio, qui nobis Zorobabelem, & nescio quos præterea de tribu Juda Principes populi Judaici objiciunt, inter quos omnium, quod scio, liberalissime vagatur clarissimus vir Johan. Hen. Alstedius, qui *cap. IV. Thesaur. Chronolog.* Zorobabelem & posteros ejus ultra CCC. annos a captivitate soluta, tota scil. hac prima periodo nostra, principatum obtinuisse non tantum asserit, sed quindecim etiam Principes, & numerat, & nominat, omnes nimirum illos, quos D. Lucas in genealogia Christi a tritavo illius Janna, qui Alstedio Johannes Hircanus, ad usque Zorobabelem recensuit. Sed profecto Zorobabelem & posteros illius soluta captivitate in territorio Judaico principatum tenuisse, nec certis argumentis, nec ullius ἀξιοπίστου historici auctoritate probari potest. Fuit ille Dux populi, ut infra probabimus, in Babylonia; fuit etiam remigrantis, sed itineris, alioqui legatus Regius, non gubernandæ, sed ordinandæ Reip. præcipue vero ædificando templo missus. Unde & ab Esra, *cap. XI. n.* 36. & Nehemia *cap. VII. n.* 20. *cap. VIII. n.* 9. & *cap. X. n.* 1. *Hathirsata*, i. e. ut notæ Tremellianæ habent, & Franc. Vatablus quoque observavit, *Commissarius Regis* dicitur. Constat præterea ex *cap. IV. lib. XI.* Josephi, ædificatione templi a Cambyse prohibita, Zorobabelem in Mediam rediisse, ac postea inter cubicularios Darii receptum. Quomodo vero σωματοφύλακα, ut eum appellat Joseph, Regis Persiæ simul principatum administrare potuit Judaicum?

Porro minime nos latet hunc eundem Zorobabelem secunda vice (non tamen Darii Hystaspis, quod plerique Josephum sequentes prodiderunt, sed ut ex *cap. IV.* & *V. Esræ* illustris Scaliger demonstravit, Darii Nothi au-

Digitized by Google

auſpiciis) in Judæam rediiſſe, & templi ſtructuram, aſſiſtente Joſua Pontifice & Zacharia Propheta, perfeciſſe. Sed profecto, vel principatum adminiſtraſſe, vel in terra Judaica ad obitum uſque ſubſtitiſſe magnum illum virum, nuſpiam legitur. Imo cum ſupra a nobis luculenter demonſtratum ſit, ipſo JEHOVA ſic ordinante formam Reipublicæ Judaicæ in ἀνακτοτελειωταρχίαν abiiſſe, & proinde principatum ad Pontificem Joſuam, & ſucceſſores illius jure divino pertinuiſſe: quis ſibi perſuaderi patietur, Zorobabelem, virum juſtiſſimum, divinorumque mandatorum obſervantiſſimum, principatum, præſente Zacharia Propheta, vel ſibi uſurpaſſe, vel poſteris ſuis expoſuiſſe?

Manifeſto igitur Chronologia illa, unde tandem hauſta ſit, falſa deprehenditur. Veriora ſunt, quæ de forma Reip. Judaicæ reſtauratæ prodidit B. Hieronymus, *in fin. cap. XXI. n. 29. Ezech. In Zedechia*, inquit, *finitum regnum Iſrael de ſtirpe David, qui poſtea uſque ad adventum CHRISTI Reges fuerunt, fuerunt pariter & Sacerdotes.* & B. Ambroſius *lib. II. in Lucam. Jechonia regnante, Judæi in Babyloniam ducti fuerunt, neque poſtea unquam de ſemine ejus regnum quiſque in Judæa potuit obtinere. Poſtea enim populus de captivitate dimiſſus ſub Sacerdotibus, & Tetrarchis fuit.* His gemina protulit doctiſſimus ſui ſeculi Interpres Nicol. Lyra: *Deus populum ſuum*, inquit ille in *cap. I. Eſr. poſt ingreſſum terræ promiſſionis triplici modo gubernavit. Primo per Judices, de eo agitur in lib. Judicum. Secundo per Reges, de eo tractatur in lib. Regum. Tertio per Pontifices, ſcil. a reditu captivitatis Babylonicæ uſque ad Chriſtum.* Atque his quidem tribus nitidiſſimis gemmis periodum primam, & cum illa, hoc quoque obſigno capitulum.

Caput III.

Aſmonæorum hiſtoria. Antipater Herodis Pater. Herodes Maccabæorum genus radicitus exſtirpat. Maccabæos non fuiſſe de tribu Juda. Baronii de illis falſa opinio refutatur. Fontibus Sacris quælibet cedere debet verſio, contra concilium Tridentinum. Hebræis, Græcis & Latinis Vir, Vir fortis eſt.

ASmonæorum jam excutiamus tempora, qui & ipſi ex tribu Levi oriundi, majeſtatem Regiam ſplendidius exercere cœperunt, adeo ut ſecunda hac periodo jam non pontificalis, ut retrorſioribus ſeculis, ſed prin-

Digitized by Google

principatus prævaleret dignitas, Pontificesque palam Imperatoris domi, belloque fungerentur officio, tribu interim Juda privatis se continente limitibus. Cum enim fœdum illud, & non nisi sceleribus nobile monstrum, Antiochus Epiphanes Ægypto subacta jam Judææ immineret, Hierosolymisque captis, populo religionem patriam, & omnem eripere conaretur libertatem, nemo de tribu Juda, aut Regii sanguinis, sed Matathias, Johannis filius, Simonis nepos, ab abavo Asmonæus dictus, primus ad arma conclamavit, suoque exemplo, opes vitamque libertati impendere, fractos jam Judæos docuit.

Fuit autem hic Matathias, ut Auctor historiæ Maccabæicæ *Cap.* 2. in princ. & *cap. XIV. n.* 29. nec non Josephus *lib. XII. cap.* 8. testantur: ἱερεὺς ἐξ ἐφημερίας Ἰωάριβ. Sacerdos ex vice, & ita ex familia præclarissimi illius, & primæ sortis sacerdotis, Joaribi, qui ex posteris Eleazaris, filii Aaronis. De quo videndus historicus sanctus, *lib.* 1 *Chron. cap. XXIV. n.* 7. Matathiæ fatis concedenti, successit filius Judas, cognomento Maccabæus, qui Dynastiam politicam pontificatui jungens, arma & aram una manu tractare, primus instituit, 1 *Maccab.* 3. *& seqq.* Josephus *lib. XII. cap.* 12. & 17. Successorem autem utriusque dignitatis fratrem habuit Jonathanem, 1 *Maccab. cap.* 9. Josephus *lib. XIII. cap.* 1. & 5. qui Tryphonis perfidia, & captus, & cæsus, Simoni fratri Dynastiam, & sacerdotium reliquit. 1 *Maccab. XIII, & seqq.* Josephus *d. l. XIII. cap. XV.* Hic Simon licet alias & bello, & pace felicissimus, omnibusque charus exstiterit, eandem tamen fortunam passus est: infelicior fratre, quod non aliena, sed generi Ptolemæi, perfidia perierit, 1 *Maccab. c.* 16. Successorem tamen habuit filium Johannem, cognomento Hyrcanum, Josephus *d. lib. XIII. c.* 15. Huic vero filius Aristobulus successit, qui primus diademate arrepto, principatum Judaicum ad pristinam revocare majestatem, nomenque Regis usurpare, ausus fuit, Josephus *d. l. XIII. cap.* 19. Sed admodum breve hujus gloriæ fuit gaudium. Nam vix anno elapso omnem hanc dignitatem Alexandro fratri, mortis imperio relinquere coactus fuit. Hic vero duos reliquit filios, Hyrcanum, qui segnior, quam spiritus Regios decebat, & Aristobulum, industrium quidem, sed temerarium, & ambitiosum. Alexandro mortuo uxor ejus, Alexandra, filium Hyrcanum Pontificem constituit: ipsa vero, prætextu testamenti mariti defuncti, regni suscepit gubernacula, consentiente & filiis & populo. Fatis vero cum & hæc succumberet, Hyrcanus regnum pontificatui more majorum rursus con-

jun-

Digitized by Google

jungere nititur, cui frater Ariſtobulus reſiſtit, conſcriptoque exercitu, quod jure non poterat, armis obtinere molitur. Quæ ambitioſa Ariſtobuli temeritas, non tantum familiæ Aſmonæorum, ſed toti etiam regno Judaico fatale intulit excidium. Hyrcanus enim, inſtigante & procurante Antipatro Idumæo, Aretam Arabem: Ariſtobulus vero Pompejum Romanum ad partes vocavit. Romanus ultro adeſt, & more patrio ita opitulatur Ariſtobulo, ut potius ſuum populique Romani negotium gereret. Arbitri enim partes ſibi arripiens, moram trahit, & interim Ariſtobulum quieſcere, caſtelliſque munitis cedere jubet. Hic vero, cum imperata facere indignaretur, Romanus, ex ſocio fit hoſtis, obſidentur, & diripiuntur Hieroſolymæ, capitur Ariſtobulus, vinctuſque cum liberis, Romam mittitur. Hyrcano vero tandem Pontificatus cum Principatu reſtituitur, ita tamen, ut ſocii ſub titulo, Romano ſtipendium ſolvere cogeretur, quæ omnia diligenter conſignavit rerum Judaicarum vernaculus ſcriptor, Joſephus *l. XIV. cap.* 1. & *ſeqq.* uſque ad 9.

Erat, porro, Antipater ille, quem a partibus Hyrcani ſtetiſſe diximus, homo Idumæus, filius Antipatri illius, quem Alexander Maccabæus Idumææ ſubactæ ſummum olim dederat principem. Hic cum & divitiis, & prudentia polleret pariter, in Hyrcani ſurrepit amicitiam, & cum illum ſegniorem, ac plus quam talem virum decebat, quietis amantem videret, ita negotia amici geſſit, ut interim omnia ad nutum Romani dirigeret, quibus artibus, & quod præterea Cæſari poſt victum Pompejum in Ægyptum moventi, qua auxiliares copias conciliando, qua fortiter in acie pugnando, Ægyptiiſque victoribus victoriam ſua virtute extorquendo egregiam navaſſet operam, illius quoque amicitiam penetravit, Joſephus *d. lib. XIV. cap.* 2. & 15. Filius huic fuit Herodes. Hic paternis inhærens veſtigiis, calliditate ingenii, animique magnitudine, tandem eo pervenit, ut Marci Antonii auſpiciis, a S. P. Q. R. fuerit Rex Judæorum declaratus; quam dignitatem poſt victoriam Actiacam illi Auguſtus Cæſar, quamvis Herodes ad inſolentiam uſque confiteretur, ſe Antonium auxiliis, conſiliiſque contra Cæſarem, omnibus adjuviſſe modis, adeo non ademit, ut magnanimitate, & conſtantia hominis delectatus, amici & commilitonis titulo eum potius honorandum, adeoque in regno confirmandum judicaverit, ut videre eſt apud Joſephum *d. lib. XIX. cap.* 26. & *lib. XV. c.* 10. Herodes igitur ut ſuæ ſecuritati conſuleret, Judæorumque odium metu comprimeret, a Pompeja-

Digitized by Google

nis ut Ariſtobulum, jam amicum Cæſaris, veneno tollerent, Joſephus *lib. XIV. c.* 13. ab Antonio vero, ut Antigonum illius filium qui & Alexander dictus fuit, ſecuri percuteret, Joſephus *d. lib. XIV. c. fin.* & Plut. *in Anton.* impetravit.

Reſtabant tunc de Maccabæorum ſanguine Hyrcanus Pontifex jam decrepitus, illiuſque ex filia nepos, Ariſtobulus, & neptis Mariamne, quorum pater fuit capti Ariſtobuli filius, Antigonus, ſive Alexander, quem ſecuri ab Antonio percuſſum diximus. Hyrcanum blanditiis ex Babylone iterum Hieroſolymam pertractum, primum Herodes in ſummo honore habuit, adeo ut & neptem Mariamnem connubio ſibi jungeret, & Ariſtobulum, ſubmoto Ananelo, Pontificem ſummum declararet; tamen ne hi quidem crudelitatis illius tyranni evitare potuerunt fulmina. Nam Ariſtobulum quidem in piſcina natantem quaſi per ludum ſubmerſum, parricidarum manu præfocavit: Mariamnem vero, & Hyrcanum ferro ſuſtulit, de quibus omnibus late ſcripſit Joſephus *lib. XIV. c.* 3. 6. & 10. & *lib. XV. cap.* 13. & 28.

Atque hæc quidem de ortu & interitu Principatus & Regni Maccabæici breviſſima narratio. Ex qua tamen luce meridiana clarius patere arbitror, tota etiam hac ſecunda periodo, uſque ad regnum Herodis, ſub quo Chriſtus D. N. natus eſt τὸ κύριον τῆς πολιτείας Judaicæ, penes tribum Levi, & ex illa oriundos, Maccabæos, minime vero penes tribum Juda, aut Davidis fuiſſe poſteros. Etſi autem hæc tam manifeſta ſint, ut ne Carneades quidem de iis dubitandi anſam habere poſſit: video tamen ſummos, excellentiſſimoſque viros in erronea illa de tribu Juda, opinione adeo obfirmaſſe animum, ut illius cauſa graviſſimis ſacræ & profanæ hiſtoriæ auctoribus, os obvertere, imo & naturæ vim facere, natoſque ex tribu Levi Maccabæos, in Judæ tribum mira arte tranſplantare auſi fuerint.

Verum enim vero, cum errantium communis hæc fortuna ſit, ut via Regia ſemel relicta, per varia labyrinthorum diverticula in diverſas abripiantur opinionum ambages: mirari nemo debet, idem doctiſſimis in hoc negotio uſu venire viris. Sunt enim, qui Nicolai de Lyra, Dion. Carthuſian. Genebrard. & Epiſc. Abulenſ. auctoritatibus inhærentes; Maccabæos tribui Judæ ſatis commode inoculari poſſe exiſtimant, ſi maternum illorum genus, ex Regia Davidis ſtirpe decerptum fuiſſe contendant. Alii vero, Paulum illum, olim Judæum, poſt Carthaginenſem, & tandem Burgenſem Epiſcopum, Regis Caſtellæ Johannis, Archicancella-

Digitized by Google

cellarium ſequentes, tribui Judæ ſceptrum conſervari poſſe confidunt, ſi ad Synedrium magnum confugiant. Ad illud igitur duplici via graſſantur. Alii enim ſynedrium illud ex ſolis proprie ſic dictis Judæis, i. e. viris ex tribu Juda oriundis conſtitiſſe contendunt. Alii vero difficultate probandi territi, ſaltem Præſidem Synedrii ex Juda fuiſſe aſſerunt. Cæſar Baronius, vir inter purpuratos Romani Flaminii non poſtremus, Andabatarum more, cæco impetu in veritatem irruens, Maccabæos etiam ἀρχῆθεν de tribu fuiſſe Juda, in *Apparatu ad ann. Eccleſ. fol.* 8. affirmare non dubitavit. *Quamvis*, inquit, *Rabbinorum nonnulli voluerint Aſſamonæos paternum genus ex tribu Levi, maternum vero ex tribu Judæ duxiſſe, contrarium tamen eſt verum, paternum ſcil. e ſtirpe Regia, maternum fuiſſe Levitica gente, quod & ipſe liber Maccabæorum ſatis aperte mihi teſtari videtur, nam ſic habet ad finem de Iſraelitis, qui confligentes cum hoſtibus male pugnarunt: Ipſi non erant de ſemine illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael, & viri Judæ magnificati ſunt valde, in conſpectu omnis Iſrael.* Et addit: *ſed qui quæſo viri Judæ, niſi ex illa tribu prognati quorum præcipui Aſſamonæi duces. Uſitatus quippe mos in Scriptura Sacra reperitur, ut per viros Judæ, tribus Judæ ſignificetur.* Hæc ille; quæ ipſum ex animi ſui ſententia dixiſſe, ſuperos, inferos medioximoſque juranti Deos, non credam. Quis enim ſibi perſuaderi patietur, tantum ſedis ἀναμαρτήτῳ Cardinalem, vel fontium Biblicorum puritatem, vel Latinæ verſionis ignoraſſe corruptionem? Græca *lib. Maccab. cap. V. n.* 63. ſic habent: καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, ἐδοξάσθησαν σφόδρα ἐναντίον παντὸς Ἰσραήλ. Hæc ita Latinus interpres; *& viri Judæ magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael.* Sed quis tam κτηνώδης, ut fontibus inſpectis non ſentiat mutilata, & vitioſa codicis Maccabæici ſcriptione, bonum illum interpretem fuiſſe deceptum? cujuſmodi errores excuſare humanum, in tanta vero luce, contra fontes approbare, Diabolicum eſſe cenſeo. Digna vox auguſtiſſimo Præſule, Auguſtini eſt *lib. XV. de civ. Dei. cap.* 13. *Cum diverſum quid in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque verum eſſe non poteſt, ei linguæ potius credatur, unde eſt in alias, per interpretes facta tranſlatio.* Sed aliud placuit Patribus Tridentini conciliabuli, qui *ſeſſion. IV. decret. II.* neſcio quo ſpiritu præſide, ſub fulmine anathematis decreverunt, verſionem illam, plurimis locis corruptiſſimam, etiam contra fontes θεοπνεύστως, pro authentica habendam. Unde Romanæ ſatellites aulæ, etiamſi cum Ovidiana Medea

vi-

Digitized by Google

videant meliora, probentque: tamen bruto hoc dementati fulmine, deteriora ſequuntur, & perquam ſimiles adulatori illi, qui apud Satyrographum,

—— ſemper laudare paratus
Si bene ructavit, ſi rectum minxit amicus,
Si trulla inverſo crepitum dedit aurea fundo.

Crepitus, & ructus ſanctiſſimorum Patrum, tanquam ancilia cœlo delapſa, adorant, cum minime interim ignorent, quid Cyprii bovis merenda, a Jovis diſtet ambroſia. Sed valeant illi, & quandoquidem orta luce cæcutire expetunt, liceat illis per nos vel ἀειπλοταίης navigare Cimmerios: nos fontium puritate gaudemus, quibus nihil limpidius, nihil certius. Quod autem Judas ὁ ἀνὴρ vocatur, ad laudem ipſius pertinet, ac ſi diceres fortiſſimus ille Judas. Sic enim loquuntur Hebræi: *Confirmate vos, & eſtote viri*, invicem ſe inclamant Philiſtæi in aciem ruentes, 1 *Sam. IV. n.* 9. Sic Græci, ſic Latini. Homerus Ιλ. Θ. Ἀνέρες ἔστε φίλοι, μνήσασθε δ᾽ ἀλκῆς. Quod Terentio eſt: *præſta te virum.*

CAPUT IV.

Maccabæos ex matribus fuiſſe de Juda, probari non poteſt. Uxor nubenda etiam apud Hebræos in poteſtatem & nomen tranſibat mariti. A ſponſa dotem accipiebat ſocer. Eccleſia, quomodo dicatur de nomine DEI nominata. Apud Judæos familia matris, familia filii non erat. Maccabæos non uxorum nomine principatum tenuiſſe, contra Marium: nec nomine tribus Juda, contra Canum. De Synedrio & illius Præſide: & quod non ex ſola tribu Juda fuerit. Davidem plurimos ex familia ſua habuiſſe bello Duces, domi Conſiliarios. Domus, apud Ebræos non ſemper familiam, ſed ſtatum prædicati ſui, denotat.

BAroniana cauſa perorata, jam illos aggredimur, qui per maternum genus, Maccabæos in tribum Juda ex Levi tranſplantare nituntur. Perquam autem abſurda mihi illorum videtur intentio. Etſi enim res deciſa eſſet, vel omnibus pariter Judæis extra tribum ſuam ducere uxores, vel ſaltem tribui Levi, aut ſummis Sacerdotibus cum tribus Judæ, aut Regiæ ſtirpis feminis matrimonia contrahere licuiſſe, (de quo tamen, ut ex iis apparet, quæ pro affirmativa Marius, & Bonfrerius, pro negati-

va

Digitized by Google

va vero Tremell. in *cap. fin. lib. IV. Mos.* & Tarnov. *lib. I. Exerc. Biblic. παρεργ.* 2. annotarunt; quibus adjicienda, quæ Josephus *lib. I. adv. Apion.* & *lib. XI. ἀρχαιολ. cap.* 4. reliquit; hodie quam maxime controvertitur) quo tamen exemplo, aut cujus *ἀξιοπίστε* scriptoris auctoritate probabunt novelli nostri *μεταφυτευτήριοι*, vel omnes, vel quasdam saltem Maccabæorum matres, ex Juda & Regia Davidis stirpe fuisse prognatas. Deinde quam absurdum est, filios maternæ accensere familiæ? Communi omnium gentium consuetudine, maxime vero apud Hebræos receptum fuit, ut feminæ initio matrimonii fœdere in sacra & familiam mariti transirent, & propterea nec paternum genus retinerent, nec partum in potestate haberent materna. Quemadmodum enim apud priscos Romanos, uxor per coemptionem in plenissimam potestatem mariti veniebat, ita & apud Hebræos. Strabo *lib. XV. de Indis.* *πολλὰς δ' γαμεῖσιν ὠνητὰς παρὰ τῶν γονέων, λαμβάνουσί τε ἀντιδιδόντες ζεῦγος βοῶν. ὧν τὰς μὲν ἐπειθείας χάριν, τὰς δ' ἄλλας ἡδονῆς καὶ πολυτεκνίας:* *Multas nuptas habent quas a parentibus accipiunt, pari boum emptas: alias obedientiæ gratia, alias prolis, & voluptatis.* Non sponsa sponso dotem afferebat, sed sponsus sponsam a socero veluti redimere cogebatur: cujus antiquissimi ritus luculenta exstant vestigia *Genes. XXIX.* & *XXXIV. n.* 11. ut & 1 *Samuel. XIIX. n.* 26. Matrimonio igitur contracto, filia ex potestate patris, familiaque paterna, prorsus exibat, elegantique formula emitti foras dicebatur, ut videre est *Judic. cap. XII. n.* 9. Ubi Ibzan XXX. filias foras emisisse dicitur.

Sane Hebræis mulieres inde a radice *Nascha*, i. e. *oblitus est*, vocantur *Naschim*, quod scilicet nubendo ex paterna familia transeant, & in oblivionem veniant, ac si nunquam de gente fuissent paterna. Emissa autem sacris paternis sponsa in potestatem transibat mariti, adeoque etiam in nomen illius. Unde Esaias *cap. III.* in fin. *Prehendent septem mulieres virum eundem tempore illo dicendo: cibum nostrum comedemus, & vestimentum nostrum induemus, tantummodo vocemur de nomine tuo: aufer probrum nostrum*: i. e. Duc saltem nos in matrimonium. Ut enim nuptis *ἀτεκνία*, sic nubilibus *ἀγαμία*, apud Judæos maxime probrosa erat. Sed inde nata est formula illa precandi Prophetis frequentissima; *de nomine tuo, O DEUS, vocati sumus. Esa. XXXVI. n.* 19. *Jerem. XIV. n.* 16. *Dan. IX. n.* 18. qua irato Deo, spirituale matrimonium cum populo suo initum, in memoriam revocabant. Eandem nostram assertionem probat quoque lex de votis maritarum, *Num. cap. XL. n.* 4. ubi

Digitized by Google

virgines in vetis nuncupandis, consensum patris, elocatæ verò consensum mariti adhibere jubentur. Quo autem hæc lex, si maritæ ex potestate, & familia patrum, in potestatem, & familiam maritorum non transibant? Denique pro nostra sententia facit Talmudistarum regula, quæ ex Talmud. Juchasin, & aliis Rabbinis, referente Casaubon. *exercit. I. cap. 2. adv. Baron.* & Daniele Heinsio *l. I. exercit. sacr.* sic habent: *Familia matris, familia non est.* De hac ipsa regula *hom. II. in Matth.* sic B. Chrysostomus: *Necessarium est*, inquit, *dicere, cujus rei gratia Josephi, in generationibus, Evangelista memoravit; cum virginem omiserit. Quanam igitur hac causa est? Non erat mos apud Hebræos generationum catalogum per feminas texere.* Et paulo post: *Ut ergo nos discerneremus, quæ esset Maria, & unde, & consuetudo legis permaneret immobilis* (nimirum per mares tantum texere genealogias) *generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de domo Davidis illum fuisse monstravit.* Chrysostomo consentit Damascenus. Sic enim *lib. IV. de fid. cap. 15. Scire operæ pretium est, nec apud Hebræos, nec in Sacra Scriptura in mere positum fuisse, ut mulierum genus recensetur.*

Certe, in omnibus tabulis genealogicis, quæ & in sacro Codice, & in profanorum scriptorum monumentis habentur, cum ne unicum quidem exemplum detur, viros principes per materni sanguinis stemmata generis sui deduxisse ortum; dicant nobis, matribus Maccabæorum quo privilegio datum fuerit, ut filios in potestate sua gignerent, paternamque, nuptiarum emancipatione amissam, in illos derivarent familiam. Emplastrum quæsivit absurdæ huic sententiæ Marius in *Comm.* ad nostrum *vaticinii n. 41.* sed ipso morbo nocentius, adeo verum est, quod ait Poeta:

Causa patrocinio non bona, pejor erit.

An enim quia γυναικοκρατίας exempla, veluti Deboræ, & Athaliæ, in Sacris reperiuntur literis, (quibus, ut propius hanc nostram controversiam tangeret, per me licuisset illi, Alexandram Maccabæam adjungere) dicendum est, Maccabæorum; de tribu Juda quod essent, uxores participes imperii, & ita sceptrum tribui Judæ per illas conservatum fuisse? Mirum profecto, nisi Maccabæi bello vitem proprio, domi sceptrum uxorum tenuerunt nomine, quod παράδοξον tamen, sed alterius phantasmatis involutum nebula, Melch. Can. *l. 2. locorum Theolog.* amplexum fuisse video. Nam quod ille uxoribus, id hic toti tribui Judæ acceptum refert, Maccabæos nempe non proprium, sed a tribu Juda ipsis concreditum,

Digitized by Google

ditum, & veluti depoſitum tenuiſſe principatum, ſomnians. Sed pueris hæc perſuadeat, nobis non licet eſſe tam imperitis, ut principatum, quem totius populi conſenſu, publiciſque ſuffragiis, Maccabæorum genti delatum fuiſſe *lib. 1. Maccab. cap. IX. n. 28. & cap. XIII. n. 7. & cap. XIV. n. 41.* certo ſcimus, Vicarium fuiſſe credamus.

Falſum igitur eſt, imo abſurdum, Maccabæos per maternum genus in tribum Judæ tranſiiſſe. Lyram hic deliraſſe, vidit Paulus Burgenſis: alia ergo via ſuccurrendum eſſe tribui Judæ putavit. Nec deſunt viri eruditi, qui ipſius ductum ſequentes, concedunt quidem Maccabæos de tribu Judæ non fuiſſe: Sceptrum tamen illi tribui per Synedrium magnum, aut ſaltem illius præſidem conſervatum fuiſſe. Verum enim vero & hæc elabendi via in lubrico, imo lapſu poſita eſt. Dicant enim nobis, qua ratione ſceptrum Synedrio, aut illius præſidi tribui poſſit, quod Maccabæos principes tenuiſſe nec negant, nec contra Scripturæ auctoritatem negare poſſunt? Dicant præterea nobis, quibus argumentis probari poſſit, ultimis hiſce temporibus vel totum Synedrium ex ſola tribu Judæ conſcriptum, vel ſaltem illius præſidem, alium a Pontifice & a ſummo Principe, de tribu Judæ, & Davidis familia fuiſſe hominem. Plane utrobique contrarium verius eſſe, exiſtimo.

Erat Synedrium priſcis temporibus, conſilium ex principibus paternarum familiarum conſtitutum. Nam cum populus Judaicus in *XII.* tribus, tribus ſingulæ vero in ſuas familias, familiæque rurſus in domos diviſæ eſſent, *Joſ. VII. n. 16. lib. 1 Reg. cap. X. n. 19.* ſingulæ tribus ſuos habebant principes, *Num. I. n. 4. & cap. XVII. n. 2.* quemadmodum & ſingulæ familiæ, ſuos patres, qui & ipſi principes, ſed paternarum familiarum vocabantur, *Jerem. cap. XXI. n. 1. II Chron. XIX. n. 8. Eſræ. cap. IIX. n. 29. & c. XI. n. 1.* alibique paſſim. Ex his ipſis autem principibus paternarum familiarum Synedrii Senatores eligebantur, ut videre eſt *Num. d. cap. XI. n. 16. & l. II Chron. Regii d. c. XIX. Eſr. X. n. 16. & Neh. X. in principio*, ubi Synedrii hujus patres fœdus cum Deo initum hoc ordine obſignant, ut primum Sacerdotes, ſecundum Levitæ, & ultimum demum locum principes paternarum familiarum tenerent. Ex quo non tantum quæ tunc temporis præeminentia tribus Levi fuerit, ſed Synedrii maximam quoque partem ex illius tribus ſacerdotibus, & Levitis collectam fuiſſe dilucidatur. Erat porro in ſummo hoc conſiſtorio præſes, qui priſcis temporibus Moſes, & poſt illum, ſupremus quilibet populi dynaſta, Johova ſic ordinante, *Deut. XVII. n. 9. & 12.*

Digitized by Google

Forma deinde Reipub. in regnum conversa, pro qualitate causarum præsidebat vel Rex ipse, aut illius vicarius, vel Pontifex. Sic enim pragmatica regni sanctione constituisse Josaphatum, testatur Chronicon sacrum *l.* 11. *c. XIX. n.* 11. Captivitate porro soluta, pontificatuque in principes translato, illos & in politicis, & in causis ad religionem pertinentibus, solos præsediſſe, & analogia historica exigit, & non obscure ex Joseph. *l.* 14. *cap. XVII.* colligitur, ubi præclarissimum illud de Herode Ascalonita sub Hyrcani Pontificis Præsidatu coactum describitur consistorium. At enim de laudato illo, & Regii sanguinis præcellentia conspicuo Præside, altissimum in historia silentium. Nec audiendi, qui nobis *v.* 9. *Psal. CIIX.* ubi Juda *Dux* dicitur, oggerunt. Nam tota illa ode Davidica non de politica Synedrii constitutione, sed expeditione loquitur bellica. Dubium autem non est, imo ex *cap. penult. lib.* 2 *Samuel.* liquido apparet, Davidem plerosque duces bellicos ex sua prosapia & tribu Juda elegisse. Nam ex XXXVII. Chiliarchis, quorum ibi nomina recensentur, plurimos de tribu Juda fuisse, inde firmiter colligitur, quod urbes, ex quibus oriundi dicuntur, maxima ex parte in ditione tribus Judæ sitæ fuerunt. Ejusdem momenti est, quod ex *Psalm. CXXII. n.* 5. profertur. Nam licet ibi throni Judiciales, throni domus David appellentur, non tamen inde consectarium fit, Præsidem, aut Patres Synedrii semper fuisse ex familia Davidis. Vocabulum siquidem *domus*, in Sacra Scriptura non semper familiam, sed sæpe statum prædicati sui denotat. Ut enim domus Sacerdotis (Zadoki) sacerdotium est, 1 *Sam. II. n.* 35, domus Jeroboami regnum illius, 1 *Reg. XI. n.* 38. Ita hic ut & 1 *Sam. XXV. n.* 28. Domus Davidis, non Davidis familiæ, sed regnum, atque adeo throni judiciales domus David, dicasterium Regium denotare potuerunt. Sed demus, Regiis illis temporibus in hoc dicasterio Regiam familiam, qua præsidendo, qua assidendo partes præcipuas tenuisse: (Neque enim & ipsum Davidem, filios suos præsides constituisse ignoro, docente illud Sacra historia *lib.* 2 *Sam. c. VIII. in fin.* & *lib.* 1 *Chron. c. XVIII. in fine.*) verum enim vero an inde consectarium erit, idem temporibus Maccabæicis observatum fuisse. Equidem ne in dubio quidem casu, tale argumentum procedere arbitror, cedo igitur quid statuendum ubi historica reclamat veritas? Falsum igitur est, temporibus Maccabæicis vel totum Synedrium magnum, vel caput illius, Præsidem, ex sola tribu Juda eligere, usitatum fuisse.

Digitized by Google

Caput V.

Ad argumenta pro tribu Juda adducta respondetur. Vaticinium de Juda est mysticum, continet tamen & temporalia. Judaos a Juda nomen trahere, Justinus emaculatur. Juda non semper tribum Judæ denotat. Scaligeri in ea re error & illius causa. Patrum auctoritas quanta esse debeat, ex sententia Augustini. Hieronymus glossemate liberatur.

NOn tantum Judaicæ historiæ testimoniis, sed etiam Scripturarum oraculis, aliarumque idonearum probationum argumentis hactenus veluti ὀφθαλμοφανεῶς demonstravimus, nec Maccabæos, nec qui retro fuerunt principes, de tribu fuisse Juda, & propterea vaticinium D. Jacobi de sceptri perseveratione ad tribum illam salva fide neutiquam referri posse. Restat ut nostram de Juda illa proferamus sententiam, quod facturi sumus, si prius ad argumenta dissentientium, supra *cap.* 2. adducta, responderimus.

Parum autem roboris illa habere in propatulo est. Non enim quia Patriarcha in reliquis Vaticinii capitibus sub filiorum nomine tribum & posteros illorum intelligit, ideo & hoc quoque capite Judæ vocabulo, tribum Juda notari necesse est. Diversissima enim hujus, & reliquorum capitum ratio. Illa quippe in solo sensu literali, figurato licet, persistunt, & sine ullo mysterio de rebus temporalibus tantum, utpote successibus, & fortuna singulorum loquuntur, hujus vero capitis, sensum esse mysticum, & maximam partem ad Messiam pertinere, nec illi quidem, qui nostra negant, negare audent. A separatis igitur nulla fit illatio. At inquis: nihil igitur hoc benedictionis caput ad tribum Juda pertinet? Omnino multum. Promittitur enim illi non tantum dignitatis præeminentia, & in reliquas tribus imperium; sed etiam, ineffabilis D. Messiæ generatio. Jam vero a primordiis Reipub. Judaicæ tribum hanc & fœcundissimam, & clarorum virorum feracissimam fuisse, nemo ignorat, qui profanus non omnem juxta divinæ Scripturæ ignorat historiam. Licet autem ob insignem ingratitudinem, creberrimasque & inemendabiles apostasias hæc florentissima tribus a Nebucadnezare truncatenus fuerit recisa, adeo ut ad ultimam gentis impiæ παντελεθρίαν revirescere & ad pristinæ dignitatis vigorem redire non potuerit, in ipsis tamen suis

Digitized by Google

ruderibus magnam, divina ſic deſtinante providentia, adepta eſt gloriam, nimirum quod tota gens Iſraelitica in nomen hujus tribus tranſierit.

Prævidit hoc procul dubio omniſcio afflatus Spiritu, Jacobus, quando Judæ vocabulo, hoc ſuo vaticinio totum regnum Judaicum complectitur, illudque non ſubjectum iri Regi ἀλλοφύλῳ, niſi jamjam prodituro Schiloh, prædicit, Judæos vero a Juda nomen trahere etiam gentiles obſervarunt. Sic enim ex Trogi fabuloſis commentariis Juſtinus *l. XXXVI. cap. 2. Judæis origo Damaſcena, unde e Aſſyriis Regibus, & Regina Semirami genus fuit. Nomen, ubi a Damaſco Regi inditum. Poſt Damaſcum Azelus, mox Aſores, & Abiaham* (ita libri quos vidi etiam antiqui; ſed Abraham legendum eſſe, quis non videt?) *& Iſrael Reges fuere. Sed Iſraelem felix XII. filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit, itaque populum in X. regna diviſum, filiis tradidit, omneſque nomine Judæ qui poſt diviſionem deceſſerat, Judæos appellavit.* En tibi fidem profanæ hiſtoriæ in Sacris. Rectius Juſtino ſentit Joſephus, qui *lib. XI. cap. 5.* poſt reditum ex Babylonia Iſraelitas Judæos, & terram illorum Judæam vocari cœpiſſe nos admonet, quanquam antiquius nomen Judæorum eſſe mihi videtur. Nam quod nonnulli, ut ſupra *c. II.* diximus, argumento *verſ. 14. c. VII. Epiſt. ad Hebr.* τὸ Juda in Sacris literis nunquam pro toto populo Judaico, ſed ſemper pro tribu Juda accipi, & propterea vaticinium quoque noſtrum de tribu Juda accipiendum eſſe contendunt, omni ratione caret. Equidem & magnum illum Scaligerum in opulentiſſimo illo, quod ad Euſebium reliquit, cornu copiæ, ejuſdem ferme fuiſſe ſententiæ, ſatis mirari non poſſum. Sic enim *num. 1270. Judæa aliquando pro XII. tribubus ſumitur, ut notus in Judæa DEUS. Et facta eſt, in Judæa ſanctificatio ejus. Juda autem ſemper pro duabus tribubus Juda & Benjamin, quod & Hieron. ſtatim in principio Eſaiæ monuit.* Ignoſcite mihi piiſſimi manes, ſi Scaligerum veſtrum, cum hæc ſcriberet, dormitaſſe dixero. In tantum enim a vero abeſt, ut iis ipſis ex *Pſal. LXXVI. & CXIV.* adductis teſtimoniis contrarium probari poſſit apertiſſime. In fontibus ſiquidem non *Judæa*, ſed *Juda*, ſcriptum eſt. *Nobilis in Juda Deus, in Iſrael magnum nomen ejus.* Et *fuit Juda ſanctificatio illius Iſrael dominorum illius.* Sic vertit quoque Tremellius, ſic Xantes Pagninus, Arias Montanus, Vatablus, & B. noſter Lutherus. Quemadmodum enim alias in oraculis Divinis Jacob & Iſrael ut ἰσοδυναμοῦντα conjunguntur, ut *Geneſ. XLIX. n. 7. Num. XXIII. n. 10. Pſalm. XIV. in fin.* Ita hic David, πρόπα-

τορας

Digitized by Google

τορας sui Judæ, reposuit nomen, ἀντὶ τȣ̃ Jacob, in honorem tribus Judæ, de qua ipse erat oriundus. Vulgata, aut certe Gallica versio, qua incomparabilem illum virum plurimum usum fuisse scimus, procul dubio decepit hominem, alias falli non facilem. In illis enim ἀντὶ τȣ̃, Juda, Judæa perperam legitur. Verum interim est, quod Scaliger sentit, Davidem in utroque Psalmo, non de tribu Juda, sed de XII. tribubus, i. e. toto populo Israelitico loqui. Certe sic etiam apud Prophetam Jeremiam, *cap. IV. n.* 4. & *cap. XLIII. n.* 9. Viri Judæ nequaquam sunt tribus Juda, sed universus populus regni Hierosolymitani, sive Juda. Fugit igitur hic solertissimi viri diligentiam fontium puritas, τὸν δεῖνα vero, qui ex memorata Epistola ad Hebræos id ipsum probare nititur, recta ratio.

Porro quod nonnulli nos interpretatione nostra, qua per sceptrum Judæ τὸ ἀξίωμα τῆς πολιτείας Ἰȣδαικῆς a Principe, non tantum ex Juda, sed etiam ex alia qualibet tribu Judaica oriundo, administratum intelligitur, ita coarctari opinantur, ut contra Prophetiæ sententiam regnum Judæorum etiam post Christum durasse, concedere compellamur, quatenus negari non possit, Judæos suos Reges habuisse usque ad excidium urbis, id vero sententiæ nostræ umbram ferit, non jugulum. Neque enim nos negamus regnum & rempublicam Judæorum etiam post Christum natum durasse, nec id sane contra vaticinii fidem est. Eo ipso enim quod Jacobus indicat, Messia jamjam venturo sceptrum de Juda in Regem, qui non sit *de interpedes* Juda, sed ἀλλόφυλος, translatum iri, satis se explicat, quod non de totali abolitione sceptri, sed ablatione ejusdem loquatur; quæ durationem necessario præsupponit. Per inversionem igitur respondemus, ipsas potius sua se objectiuncula ita coarctare, ut aut Prophetam non de translatione, sed abolitione sceptri vaticinatum, aut Herodem Ascaloniten, & posteros illius non ἀλλοφύλȣς, sed Judæos fuisse, cogantur concedere, quod utrumque falsissimum esse, infra suo loco, σὺν Θεῷ, demonstrabimus. At enim ad rerum quoque eventum provocant diversæ sententiæ sectatores? Provocant. Sed quam infeliciter! illa demonstrare possunt, quæ superioribus capitibus ex Sacra, & prophana historia de statu Reipublicæ Judaicæ post captivitatem diximus. Illa hic recoquere, otio suo esset abuti.

Ad B. B. Patrum itaque testimonia, quæ magno applausu in partem vocantur, digredimur. Magna apud me antiquitatis auctoritas, sed si aliunde constet, quod verius est, ut sapienter olim de veterum Jctorum respon-

reſponſis cenſuit Imperator *l.* 1. §. 6. C. V. J. E. illud ſequimur. Solis Prophetis & Apoſtolis, qui θεόπνευσοι locuti ſunt, Pythagoricum illud: αὐτὸς ἔφα, competit, reliqui omnes, quantæ quantæ ſunt eruditionis, humanitatis ſubjecti ſunt conditionibus, inter quas præcipua eſt, poſſe errare. Agnovit hanc humani ingenii imbecillitatem ipſe Auguſtinus, & propterea graviter ſuos diſcipulos admonet, ne dilectionis ardore abrepti pro ipſo contra veritatem arma ſuſcipere audeant. *Si me ita diligitis*, inquit, (*Epiſt. VII.*) *ut me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, nec bonam cauſam ſuſcipitis, facileque me ipſo judice in ea ſuperamini. Contra Cypriani opinionem aliquam*, inquit idem (*Epiſt. XXIIX.*) *ubi quod videndum fuit, forte non vidit, ſentiat quiſque quodlibet, tantum contra manifeſtam fidem Apoſtolicam non ſentiat.* Quod cum igitur beati illi Patres in hac cauſa non viderint, quæ videnda erant, ſceptrum nempe captivitate ſoluta, de tribu Juda in Levi tranſiiſſe, contra illorum opinionem ſentire, ipſo Auguſtino judice, nobis non licere non poſſe perſpicuum eſt, præſertim in hujuſmodi controverſia, cujus cardo non in articulo aliquo fidei, ſed obſervationibus hiſtorico-chronologicis vertitur, in qua materia doctiſſimos illos viros cum bono Homero ſæpiſſime dormitare, nemo, qui illorum cognita habet ſcripta, ignorare poteſt. Certe Alexandrinus ille Epiſcopus eo ipſo loco, quem diverſum ſentientes pro ſua opinione adducunt, ἀνισοχρονίας committit vitia? Nam & Saulem Benjaminitam in tribum Judæ collocat, & Herodis matrem Judæam fuiſſe aſſerit, quæ tamen falſiſſima eſſe, ex hiſtoria Sacra, & profana ſcire poterat. Sed quis tam delicatis oculis, ut in ſplendidiſſimis tantorum virorum ſcriptis innoxios hujuſmodi nævulos æquo non poſſit intueri animo. Quis vero tam Ariſtarchus, ut fortiſſimos Chriſti athletas, quod non in omni armaturæ genere pariter excelluerint, culpandos eſſe cenſeat? Imo vero ſi interius attendas, deprehendes, pleroſque Patrum, ſub quorum clypeo pugnare diſſentientes videntur, quæſtionem hanc de tranſlatione ſceptri Judaici ex profeſſo, quod dicitur, nunquam tractaſſe; ſed illud egiſſe unice, ut Chriſto exhibito, abolitum eſſe ſceptrum Judaicum, Judæis oſtenderent, quam quæſtionem ab hac noſtra toto cœlo diſtare, nemo non intelligit. Alioqui, ut extra dubium eſt, acutiſſimos illos viros, ſi illorum deciſioni quæſtio hæc ſubjecta fuiſſet, facile ad arcem veritatis fuiſſe penetraturos. Ita nimium quam incivile eſt, ea, quæ aliud agentibus minus conſiderate exciderunt, pro decretoria ipſorum venditare velle ſententia.

Denique

Digitized by Google

Denique quod Hieronymum in partes vocant, invito fit Hieronymo. In noſtris ille militat caſtris. Sic enim in fine *cap. XXII. Jerem. Joachin non ſucceſſit Rex filius, ſed fuit in captivitate & Salathiel, & Zorobabel; & uſque ad Chriſtum nullus Regiam obtinuit poteſtatem. Omnes enim fuerunt captivi, & nullus deinceps de ſtirpe Davidis in terra Judæ tenuit principatum. Unde & Joſephus de ſacerdotali genere & tribu fuiſſe ſcribit principes, quibus ſucceſſerit Herodes Antipatri Proſelyti filius.* Hæc ibi Hieronymus, quæ ad *cap. XXI. n. 26. Ezech.* iis repetit verbis, quibus capitis præcedentis umbilicum exornavimus. At vero contrarium, inquis, Hieronymus ad *verſ. 8. c. I.* Sophoniæ (locum illum vide ſupra *c. II.*) reliquit. Ego vero tam puerilem inconſtantiam, ut iis quæ in his ipſis Propheticis commentariis bis repetit, διαῤῥήδην contraria protulerit, in tanti judicii Doctorem cadere nego. Manum igitur fidenter admoveo, & verbis illis: *de ſtirpe Davidis*, tanquam pannoſa gloſſatoris lacinia a purpura Hieronymiana reſectis, legere te jubeo. *Uſque ad illud tempus perſeveraverunt Reges ſecundum prophetiam Jacobi, poſt hoſtiam enim Domini ſublatum eſt regnum de Judæis.* Hoc dicit Hieronymus, quod communiter ſentiunt veteres Theologi, Chriſti nempe paſſionem finem impoſuiſſe Judæorum regno, idque ſecundum prophetiam Jacobi. Cæterum quinam Reges a ſoluta captivitate uſque ad Chriſti nativitatem regnum Juda adminiſtrarint, ad Jeremiam, & Ezechielem locis modo laudatis dixerat Hieronymus, quæ hic repetere, quod a nativitate, uſque ad paſſionem Chriſti non eadem forma regiminis perſeveraſſet, nec neceſſarium erat, nec ſatis commodum. Samius vero ille Lucumo, quiſquis tandem ille fuit, falſæ huic, & ipſi Hieronymo damnatæ, mancipatus hypotheſi, (regnum nempe ex prophetia Jacobi penes tribum Juda, & poſteros Davidis, uſque ad Chriſtum permanſurum) hæc minus conſiderate ab Hieronymo omiſſa, & ideo ex ſua penu ſupplenda eſſe cenſuit, illis nempe verbis: *de ſtirpe Davidis*, invita quod dicitur Minerva, imo Hieronymo, additis.

Caput VI.

Juda in hoc Oraculo, regnum denotat Judaicum. Quæ tribus Iſraeliticæ ad regnum hoc pertinuerint, & de ejus Origine. Jacobum non de tribu Juda, ſed regno Judæ vaticinaſſe, Patres etiam nonnulli docuerunt, qui tamen in eo falluntur, quod ablationem ſceptri in

Digitized by Google

ultima demum Reipublicæ Judaicæ deſtructione factam exiſtimant. Factam illam Herode regnum invadente, contra Scaligerum, & Caſaubonum. Juſtini Martyris inſignis locus enarratur, & bis, ter emendatur.

QUærentibus quiſnam ille Juda, cui ſceptri perpetuitas uſque ad illa promittitur tempora, quibus Meſſias adventurus eſſet, ſolidius reſpondebimus, ſi prius τὸ πολύσημον vocabuli Juda excuſſerimus. Juda igitur in Scripturis Sacris, quandoque tribum Juda tantum ſignificat, ut *Num. cap. XI. n.* 3. *Deut. XXXIII. n.* 7. *Judic. I. n.* 2. & in Novo Teſtamento *Heb. c. VII. n.* 14. Quandoque totum populum Hebræorum, quod *cap. præced.* ex *Pſalm. LXXVII.* & *CXIV.* probavimus. Quandoque vero Regnum Juda ſpeciale. Cum enim Rehabeam filius Salomonis, populo onera tributorum, quæ pater ipſius tyrannice imperaverat, ad æquitatem reduci poſtulanti, ſuperbum dediſſet reſponſum, decem tribus ab illo ad Jeroboam Ephraimitem, quondam Salomonis in territoriis Joſephi Pro-Regem, tunc vero pœnæ metu in Ægypto exulantem, defecerunt, regnumque Iſraeliticum in duo regna diviſum fuit, quorum alterum X. illas tribus apoſtatas continens, regni Iſraelitici nomen retinuit, alterum vero a nobiliore parte ſui, tribu ſcil. Judæ, regnum Juda vocari cœpit, ut videre eſt *lib.* 1 *Reg. cap. XII.* & *lib. II Chronic. c. XI.* De regno autem Juda hoc ſpeciali, divinum noſtrum loqui, inde apparet, quod ſimul de adventu Meſſiæ verba faciat. Ait enim regnum Juda perſeveraturum in manu principum indigenarum, ad illa uſque tempora, quibus venturus eſſet Meſſias.

Ut igitur accuratius intelligamus, quinam reſpectu hujus regni, indigenæ proprie dici poſſint, neceſſitas nobis incumbit, tribus illas, quæ ad hoc regnum pertinuerunt, inveſtigare exactius, præſertim, cum Sacra hiſtoria modo unius tantum, Juda ſcil. ut 1 *Reg. XI. n.* 32. & 36. & *c. XII. n.* 20. modo verò duarum, Juda & Benjamin mentionem faciat. Sed ut alia omnia, ſic hoc quoque ἐναντιοφανὲς ipſa Scriptura ſolvit, quando *d. cap. XII. lib.* 1 *Reg. n.* 17. & *d. lib. II Chron. cap. X. n.* 17. teſtatur, Rehabeam ſuper filios Iſrael regnaſſe, *quicunque habitabant inter civitates Judæ.* Quando igitur de tribu unica Juda loquitur, non de tribu ipſa, ſed ipſius ſorte, ſive territorio loquitur, quod erat ampliſſimum, & non tantum tribum continebat Juda, ſed etiam maximam partem tribus Benjamin, munitiſſimaſque illius urbes, ut videre eſt *II Chronic. XI.*

Digitized by Google

XI. n. 10. inter quas etiam ipſa urbs Regia Hieroſolyma, *Joſua XIIX. n.* 20. Pertinebat quoque ad Regnum hoc tota tribus Levi. Nam licet illa, Jehova ſic ordinante *Num. XXXV. n.* 7. per omnes tribus diſperſa, & in XLVIII. urbes diviſa eſſet, id quod etiam divinus noſter *d. cap. XLIX. Geneſ. n.* 7. prædixerat, regno tamen Davidico diviſo, quotquot inter deficientes X. tribus Iſraeliticas habitabant Sacerdotes, & Levitæ, ad regnum Juda conceſſerunt, tum pietatis, & veræ religionis zelo, tum metu perſecutionis Jeroboamææ. Cum enim impius ille Rex optime intelligeret, nullum eſſe fortius ſocietatis humanæ vinculum, quam ejusdem religionis obſervantia, & propterea vix fieri poſſe, ſi ſtante religione Judaica ſubditi ſui quotannis ſacrorum cauſa, ex lege Hieroſolymis ſacros conventus celebrarent, quin tandem cum fratribus in priſtinam unitatem regni coaleſcerent, mature ſibi de remediis proſpiciendum eſſe putavit. Multis igitur templis in montibus per univerſum regnum extructis, Ægyptiorum Apim colendum eſſe perſuaſit vulgo. Ne quis igitur populum a Dæmoniorum cultu revocaret; aut Levitæ, ut olim *Exod.* XXXII. *n.* 26. reſipiſcere nolentes ferro plecterent, omnes Sacerdotes & Levitas regno ſuo abire coegit, in illorum locum ſuffectis, ex infima fece plebis ſacrificulis, teſte Regio hiſtorico *lib.* I. *cap.* XII. *n.* 31. *Omnes itaque Sacerdotes, & Levitæ, qui erant in toto Iſrael, reliquerunt prædia ſuburbana ſua, & poſſeſſionem ſuam, abieruntque ad Judam & Hieroſolymam*, ut loquitur textus *lib.* II *Paralip. cap.* XI. *n.* 13. & 14. & *cap.* XIII. *n.* 9. Tribus igitur tribubus Juda, Benjamin, & Levi (Nam tribus Simeonitica, quæ & ipſa territorio Judæ inſerta erat, Joſuæ XIX. *n.* 1. quod admodum tenuis, & ne quidem proletaria eſſet, jamdudum tanquam προσδομαι, & appendicula tribus Judæ facta erat) regnum illud Juda conſtabat.

Quando igitur divinus noſter regno huic principes, & pontifices, qui *de interpedes* ejus, usque ad Meſſiam promittit, tales intelligere debemus, qui ſunt ἀρχῆθεν καὶ φύσει ex trium illarum tribuum aliqua oriundi. Atque hæc quidem de Juda, noſtra eſt ſententia, quæ & textui apprime convenit, & præterea ipſo eventu rerum, nec non veterum Theologorum comprobatur teſtimoniis. Textus enim de illo ſceptro Judæ loquitur, quod inſtante jam adventu Meſſiæ in Repub. Judæorum futurum erat. Applaudit præterea nobis rerum eventus. Surgit enim ille, & veluti δατυλοδείκτης in theatro hiſtorico nobis oſtendit ex altera parte tribum Juda, & Regiam ſtirpem Davidicam, in ipſa captivitate

Digitized by Google

Babylonica ſceptrum, & coronam ponentem: ex altera vero eandem tribum Juda, cum tribu Benjamin & Levi, cum reliquarum tribuum de votis quibuſdam familiis ex Babylone in Judæam remeantem, & Reipub. faſces Pontificibus, mandato DEI deferentem; a tergo denique Herodem Idumæum, jamjam proditurum in carnem Meſſia, illis vique doloque ſceptrum extorquentem. Sed de his ſuo loco: nunc noſtræ ſententiæ adſtipulantes in medium producimus Patres. Nam & doctiſſimi quinque illorum, per Judam, non tribum Juda, aut Principes ex tribu Juda ortum habentes, ſed, quale id fuit tempore adventus Meſſiæ, regnum intelligunt Judæ ἀνακτοτελειωταρχικὸν. Facit hoc ſanctiſſimæ vitæ Doctor & Arbiter Hieronymus *Comment. in cap. Jerem. XXI. n. 76. & c. XXVI. n. 21. Ezech.* Facit hoc ambroſia & nectare cœleſti diſtillans Ambroſius *l. III. in Lucam.* Facit hoc auguſtiſſimus Epiſcoporum Auguſtinus in immortali opere de *civit. Dei lib. XIIX. c. XLV. & l. XII. contr. Fauſt. c. XLVII.* Facit hoc aureæ eloquentiæ oraculum Chryſoſtomus *hom. in Geneſin LXXVII.* & qui illius operibus inſertus hodie legitur, Auctor *homiliar. in Matth.* doctus utique & diſertus. *hom. II.* Quibus adſtipulatur etiam Epiphanius *lib II. Tomo. 1. hereſ. 51.* & in omni hiſtoria exercitatiſſimus ille Euſebius *lib. VIII. de prap. Evang. & lib. I. hiſt. Eccl. cap. 7.* quibus etiam adjungimus Lyram in *c. I. Eſr.* Ex neotericis porro ſcriptoribus (tanta vis eſt inveterati erroris) neſcio an ullus ſit, qui vanam illam de principatu tribus Judæ opinionem, falſitatis arguerit, ſi doctiſſimum Pentateuchi interpretem, Bonfrerium, & magnum illum Baronii antagoniſtam Caſaubonum excipias.

Sed omnes quidem incomparabiles hi viri in eo, quod hypotheſin illam, regnum Judaicum in tribu Juda uſque ad adventum Meſſiæ duraſſe, falſam ſtatuunt, σοφῶς καὶ καλῶς: in eo vero, quod nonnulli illorum prophetiam Jacobi de ablatione ſceptri in ultima demum Reipub. Judaicæ abolitione adimpletam fuiſſe exiſtimant, minus accurate ſentire mihi videntur. Nam ut divinum circa promulgationem promiſſionis de adventu Meſſiæ paulo altius repetamus conſilium, illud conſtat, non ſtatim ab initio illam fuiſſe σαφηνεστάτην, ſed lapſu temporum, maxime vero ſub Jacobo, veluti per gradus ſua accepiſſe incrementa. Huic etenim divina revelavit providentia, poſteris illius ſplendidiſſimum ſuo obventurum regnum tempore, & a filio ipſius Juda regnum Judaicum vocatum, tandemque in ἀνακτοτελειωτάρχιαν converſum iri: illam vero uſque ad adventum Meſſiæ penes principes, qui origene, & φύσει ex regno

Digitized by Google

regno illius indigenis oriundi essent, perseveraturam. Sublata autem illa forma reipub. & sceptro quidem in Regem aligenigenam translato, jam mox venturum semen illud benedictum. Hæc omnia jam moriturus, filiis exposuit Patriarcha, ut temporis scil. adventui Messiæ divinitus destinati certum, & infallibile haberent signum. Nam cum ab obitu Jacobi usque ad adventum Messiæ XVII. plus minus supercessent sæcula, necessaria fuit hæc temporis nota, Ecclesiæ, ne tot sæculis elapsis nuspiam apparente Messia vel spem omnem abjicerent, vel alium minime Messiam, pro Messia susciperent.

Stante igitur illo (quod quidem nemo nisi φιλονείκως vitilitigare studeat, negabit) Patriarcham postgenitis signum jamjam venturi Messiæ vaticinio hoc proponere, quis non intelligit verba illius, non de totali abolitione sive ultima παναλεθρία Reipub. & Ecclesiæ Judaicæ, quæ teste Judaica historia adventui Messiæ totis LXX. annis postumavit, sed de illa translatione principatus in Regem non Judæum, quæ non adeo multis annis ante nativitatem D. N. Jesu Christi evenit, accipienda esse? Natura enim ita comparatum est, ut signa rerum eventum semper præcedant. Interim nec nos negamus ex ultima urbis, & templi destructione, & quod impia illa gens, cœli solique sui extorris, in hodiernum usque diem nullo statu fruatur politicò, aut hierarchico; sed per omnes orbis terrarum partes dispersa perpetuo subjecta sit exilio: optime inferri, Messiam jamdudum exhibitum, frustra a Cimmeriis, ut Lactantius loquitur, umbris, atriorem mentem gerentibus Andabatis exspectari. At vero hujus rei, nempe Messiæ exhibiti, indicium Patriarcha nequaquam in translatione sceptri, sed, ut capite sequenti dicam, in obedientia populorum collocat.

Omnino igitur signum Messiæ jamjam venturi a signo Messiæ exhibiti distinguendum, & maximopere nobis cavendum est, ne aut ψευδεῖ διαλεύοντες ὑποθέσει Judæorum nos prostituamus sarcasmis, aut translationem sceptri cum ultima destructione Reipub. Judaicæ confundentes, optimum illud pro Jesu Christi divinitate a tempore nativitatis τῦ *Schiloh* proveniens abrumpamus argumentandi adminiculum. Propius hujus distinctionis cautelam tetigerunt Eusebius, Hermias Sozomenus, &, si modo ore suo loquitur, Justinus Martyr. Sic enim historiæ Ecclesiasticæ princip. *lib. 1. cap. VII. Quando Herodes, primus eorum, qui sunt alieno ab Israele genere nati, Judaica gentis regnum accepit, prophetia per Mosen scripta adimpleta est, qua non desiturum principem ex*

Digitized by Google

Juda, nec ducem ex lumbis ejus, donec veniſſet cui repoſitum erat, quem in gentium exſpectationem futurum pronunciavit. Et paulo poſt: *cumque ad hujuſmodi ſtatum* (quo Herodes ἀλλόφυλος regnum tenebat) *veniſſet, aderat præ foribus exſpectatio gentium: ceſſantibus quippe principibus, qui apud hunc populum inde a Moſe ducta ſucceſſione, principatum tenuerant.* Sozom. *lib.* 1. *cap. I. Jacob, tum gentium exſpectationem, quæ eſt in Chriſto, tum tempus, quo eſſet Servator venturus, præſignificavit, his fere verbis: deficient principes tribus illius, quibus verbis Herodis indicavit principatum, qui patre Idumæo, matre Arabe natus, a Romanis, & Aug. Cæſare Judæis præfectus eſt.* Gemina in ſuo Tryphone reliquit cœleſtis ſapientiæ ſplendidiſſimus ille Candidatus, Juſtinus Martyr, cujus ſententiam, & ſi aliquam pluſculis conſtet verbis, integram ſubſignabimus, dabimuſque operam, ut piiſſimus ille Theologus a turpi ἀνισορησίας nævo, quem ipſi hactenus exprobravit Scaliger, liberetur. Librariorum culpa eſt, quidquid imputatur Juſtino, mirorque illam tam manifeſtariam, & Sylburgii, & Perionii, & Wolffii, & Stephani, & qui inſtar omnium, literatorum aquilæ, Scaligeri, in tantum fugiſſe oculos, ut ne in ſuſpicionem quidem venerit: ſolus, quod ſciam, ὁ πολυμαθέσατος Caſaubonus *exercit.* 1. *cont. Baron. cap. II.* ulcus hoc tetigit, ſed ſine medicina, quin & ipſe Juſtinum eo trahit, quo non vult, quando illius auctoritate probare nititur, primis Chriſtianiſmi temporibus receptum fuiſſe inter Doctores, vaticinium hoc non in Herode fuiſſe adimpletum, ſed poſt natum, & crucifixum Meſſiam, cum urbe capta, & domo ſecunda ſolo æquata, omnis ſimul eſt deleta Reipub. Judæorum forma & ſpecies, tam civilis, quam ſacræ.

Verba in omnibus quæ vidi, exemplaribus ſic concepta ſunt: Ὅτι οὐκ ἀφέλετο ἐν τῷ γένει ὑμῶν ἐπαύσατο, ἕως προφήτης, ἕως ἄρχων, ἐξότε ἀρχὴν ἔλαβε, μέχρις οὗ ἔστω Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ γέγονε, καὶ ἔπαθεν, οὐδ' ἀναισχύντως τολμήσετε εἰπεῖν, ἢ ἀποδεῖξαι ἔχετε. Καὶ γὰρ Ἡρώδην, ἐφ' ὃ ἔπαθεν Ἀσκαλωνίτην γεγονέναι λέγοντες, ὅμως ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα λέγετε ἀρχιερέα, ὥστε καὶ τότε ἔντος ὑμῖν κατὰ τὸν νόμον Μωσέως καὶ προσφορὰς προσφέροντος, καὶ τὰ ἄλλα νόμιμα φυλάσσοντος, καὶ προφητῶν κατὰ διαδοχὴν μεχρὶς Ἰωάννου γεγενημένων. Ὡς καὶ ὅτε εἰς βαβυλῶνα ἀπήχθη ὁ λαὸς ὑμῶν πολεμηθείσης τῆς γῆς, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἀρθέντων, μὴ παύσασθαι ἐξ ὑμῶν προφήτην, ὃς κύριος, καὶ ἡγέμενος, καὶ ἄρχων τοῦ λαοῦ ὑμῶν ἦν. Τὸ γὰρ ἐν τοῖς προφήταις πνεῦμα, καὶ τοὺς βασιλεῖς ὑμῶν ἔχρισε, καὶ καθίσα. Μετά τε τὴν τοῦ Ἰησοῦ τοῦ ἡμετέρου Χριστοῦ, ἐν τῷ

ἐν τῷ γένει ὑμῶν φανέρωσιν, καὶ θάνατον ὁδεμιᾶ προφήτης γέγονεν, ὁδὲ ἔστιν, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι ὑμᾶς ὑπὸ ἴδιον βασιλέα ἐπαύσατο.

Hæc ita vertit Joach. Perionius: *Desiisse, aut defuisse unquam in genere vestro prophetam, aut principem, ex quo regnum accepit, ad illud tempus, quo hic JESUS CHRISTUS & exstitit, & mortem passus est, ne imprudenter quidem audebitis, aut potestis dicere. Etenim cum Herodem quo regnante* passus est, *Ascalonitanum fuisse dicatis, tamen in genere vestro Pontificem fuisse dicitis. Ita cum esset ex Mosis lege Pontifex, sacrificiaque offerret, & cætera quæ lege sancita erant, servaret, Prophetæque successione, aut serie quadam ad Johannem fuissent, ut etiam cum Babylonem populus Judæorum abductus est, non desierit apud vos Propheta, qui populi vestri Dominus, Dux, & Princeps erat, Spiritus Sanctus, qui Prophetis inerat, & Reges vobis unxit, & constituit. At vero postquam JESUS CHRISTUS hic noster apud nos visus est, & mortem pertulit, neque exstitit, neque est propheta, quin & proprio regi parere desistis.* Sic Perionius. Paulo aliter vero & ad hunc modum Casaubonus: *Desiisse unquam prophetam, aut principem in genere vestro ab ipso illius principio, ad illud usque tempus, quo & natus & passus est hic JESUS CHRISTUS, neque vos ea estis impudentia, ut dicere audeatis, neque demonstrare potestis. Nam etsi Herodem, quo regnante natus est* (bene monet hic Casaubonus verba illa: ἐφ ᾧ ἔπαθε, aut tollenda, aut a Justino alibi mentem habente ἐφ' ᾧ ἔπαθε pro ἐφ' ᾧ ἐγεννήθη, sub quo natus, scriptum fuisse) *Ascalonitem fuisse dicitis, tamen ipsi hoc quoque dicitis, fuisse tunc in genere vestro Pontificem, adeo ut fuerit tunc secundum L. Mosis Pontifex, qui oblationes offerret, & reliqua Legalia servaret, manente vobis etiam successione Prophetarum usque ad Johannem. Similiter ut cum populus vester est captivus in Babyloniam abductus, terra bello devastata, vasis sacris ablatis, negatis* (deesse hic verbum λέγετε, aut ex superioribus quod nimium durum, repetendum censet Casaubonus) *desiisse in genere vestro Prophetam qui Dominus, Dux, & Princeps populi vestri esset. At postquam JESUS CHRISTUS noster, in genere vestro apparuit & mortuus est, prophetam neque habuistis amplius, neque habetis: quin potius cum proprio Regi prius parueretis, id quoque cessavit.*

Hactenus versio Perionii & Casauboni, qua tamen vel sibi ipsi non satisfeciisse, in quamvis sponsionem venire minime dubito. Nam illud: ὁδέποτε ἐν τῷ γένει ὑμῶν ἐπαύσατο ὅτε προφήτης, ὅτε ἄρχων, verti

posse:

Digitized by Google

posse: desiisse in genere vestro Prophetam aut Principem, nec ipsa quidem admittit Grammatica. Deinde qualis est illatio? Etsi Herodem Ascalonitanum fuisse dicitis, tamen hoc quoque dicitis fuisse tunc in genere vestro Pontificem, manente etiam successione Prophetarum ad Johannem usque. Quid enim ἀρχιεροσύνη Judæorum, aut διαδοχὴ Prophetarum facere poterit, ut Herodes minus sit, sive Herodes, sive Ascalonita? Deinde Johannem vel Prophetam fuisse, vel ad illius usque adventum duntaxat durasse Prophetarum ordinem, Judæos concessisse quis dixerit? Populo dènique in captivitate Babylonica, Prophetas vicem Ducis, & Principis fuisse, quid ad superiora probanda faciat, quis tam Oedipus, ut explicare queat? Certe Perionius, & Sylburgius hic magis muti quam pisces; ipse vero Casaubonus sibi aquam hærere non diffitetur. Diu me defatigavit hic locus, sed toto contextu pensiculatius considerato, mentem Martyris hanc fuisse deprehendo. Ex prophetia Jacobi in gente vestra tunc demum cessare debuit Propheta, & Princeps, quando venturus erat Messias. Atqui nato JESU CHRISTO cessavit in gente vestra Propheta & Princeps. Ergo: Assumptum probat Judæorum ipsorummet confessione, quod nimirum negare ne impudenter quidem audeant Regem illorum Herodem, sub quo Christus natus est, fuisse Ascalonitanum. Prius deinde illustrat ex historia Judaica, & tacitæ simul Judæorum objectioni respondet. Poterant enim Judæi reponere: At in captivitate Babylonica quoque non minus cessaverunt in gente nostra Reges, ut contra illa soluta, Prophetæ. Subjicit igitur Martyr: Atqui habuistis Prophetarum vicem Pontifices, & tales quidem qui non tantum sacrificia offerrent, sed qui etiam leges custodirent i.e. ἀνακτοτελειωτὰς, justo succedendi ordine usque ad Johannem; similiter & in captivitate Babylonica Principum vicem habuistis Prophetas, quos Spiritus Sanctus vobis illo tempore & Reges unxit & constituit. Hæc antiquissimi illius Patris intentio, quam etiam dilucide nobis verba subministrabunt, si quæ trajectionis vitio turbantur, in ordinem redegeris, & nonnulla librariorum culpa deturpata, paucis literis mutatis pristino nitori restitueris.

Totum igitur hunc locum sic in ordinem redige, & emenda: ὅτι οὖν οὐδέποτε ἐν τῷ γένει ὑμῶν ἐπαύσατο οὔτε προφήτης, οὔτε ἄρχων ἐξ ὅτου ἀρχὴν ἔλαβε, μέχρις οὗ οὗτος Ιησοῦς Χριστὸς, καὶ γέγονε, καὶ ἔπαθεν, ἀρχιερέως τὲ πάντοτε (sic pro exsenso illo ἀρχιερέα ὥστε καὶ τότε, legendum esse censeo) ὄντος ὑμῖν κατὰ νόμον Μωσέως καὶ προσφορὰς προσ-

προσφέροντος, καὶ τὰ ἄλλα νόμιμα φυλάσσοντος, καὶ προφητῶν κατὰ διαδοχὴν μεχρὶς Ιωάννου γεγενημένων. ὡς καὶ ὅτε εἰς Βαβυλῶνα ἀπήχθη ὁ λαὸς ὑμῶν, πολεμηθείσης τῆς γῆς, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἀρθέντων, μὴ ἐπαύσασθε sic lego, pro μὴ παύσασθαι. Neque enim τὸ λέγετε, quod ſatis dure advocari ipſe æſtimat Caſaubonus, nec aliud præcedit verbum, quod infinitivum παύσασθαι ſuſtineat) ἐξ ὑμῶν προφήτην, ὃς κύριος, καὶ ἡγούμενος καὶ ἄρχων τοῦ λαοῦ ὑμῶν ἦν. τὸ γὰρ ἐν τοῖς προφήταις πνεῦμα αὐτοὺς (ita lego pro καὶ τοὺς.) βασιλεῖς ὑμῶν ἔχρισε, καὶ ἀνέδησε. μετὰ τὴν τοῦ Ιησοῦ τοῦ ὑμετέρου Χριστοῦ ἐν τῷ γένει ὑμῶν φανέρωσιν, καὶ θάνατον, ὃν δεμοῦ προφήτης γέγονεν, οὐδ' ἔστιν, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι ὑμᾶς ὑπὸ ἴδιον βασιλέα ἐπαύσατο. Hic demum, quæ in principio hujus περικοπῆς impertinenter, & alieno loco leguntur, ſubnectimus: καὶ γὰρ ἐφ' ὃν γέγονε (ita omnino legendum. Nam ipſe Martyr ἀναχρονολόγικον illud ἔπαθε longe a ſe ſegregat, quando hoc ipſo dialogo, verba illa *Pſalmi XXII. Os ſuum aperuerunt ritu leonis*, explicans, diſerte profitetur, D. N. & ſub Aſcalonita natum, & ſub Antipa paſſum) Ἀσκαλωνίτην γεγονέναι λέγοντες, ὁμῶς ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα οὐδ' ἀναισχύντως τολμήσετε εἰπεῖν, ἢ ἀποδεῖξαι ἔχετε. Textu Græco hoc modo in ordinem redacto, & reſtituto, omnia jam plana ſunt, totumque locum ſic commode verti poſſe cenſeo: *Nunquam igitur in genere veſtro ceßavit, vel Propheta, vel Princeps, ex quo principatum habere cœpit, ad illud uſque tempus, quo hic JESUS CHRISTUS & natus, & paſſus eſt.* (Hoc ἔπαθε adjicit Martyr, non quod Prophetas, & Principes ex gente Judaica oriundos usque ad mortem Chriſti duraſſe, aut vaticinium Jacobi demum morte Salvatoris impletum fuiſſe contendat. Nam Johannem ultimum Prophetam Judaicum fuiſſe, paulo ſuperius dixerat: & Chriſtum ſub Principe aligenigena natum hoc ipſo loco contra Judæos ex prophetia Jacobi urget. Sed ut ſcandalum illud crucifixionis Tryphoni eximat, qua in re toto hoc dialogo frequentiſſimus eſt,) *cum vobis ſemper fuerit Pontifex, qui & oblationes offerret, & alia legalia cuſtodiret, manente vobis* (nimirum in ſucceſſione Pontificum) *ſucceſſione Prophetarum usque ad Johannem. Quemadmodum & cum in Babylonem populus veſter captivus abductus eſt, terra bello vaſtata, & ſacris vaſis direptis, non ceſſaſtis ex genere veſtro habere Prophetam, qui Dominus, Dux, & Princeps populi veſtri erat. Spiritus enim qui in Prophetis erat, illos vobis Reges & unxit, & conſtituit. Poſtquam autem hic noſter JESUS CHRISTUS in genere veſtro apparuit & mortuus eſt, nusquam exſtitit, nec nunc eſt Propheta,*

Digitized by Google

quin & proprio Regi parere desistis. Etenim cum Herodem, sub quo natus est, Ascalonitam fuisse concedatis, illum simul ex genere vestro fuisse neque impudenter dicere audetis, aut demonstrare potestis. Hæc mens, hæc verba Martyris, quibus abunde testatur, vaticinium hoc Jacobi eo ipso in Herode Ascalonitano impletum fuisse, quod in illo Principes ex Juda deficere cœperint, tantum abest, ut quod ipsi magnus imputat Scaliger, Herodem vel ἐν γένει Ἰουδαίων, aut illorum summum fuisse Pontificem, vel crediderit, vel prodiderit.

CAPUT VII.

Schiloh, Messias. Etymologia nominis, Messias dicebatur mittendus, venturus. Schiloh pacificator, qui Christus. Illius duplex adventus, incarnationis & sanctificationis a Propheta prædicitur. Quid sit ligare asinum ad vitem. Mystice id intelligendum, de collectione Ecclesia. Regio Hierosolymitana petrosa. Vinearum Hierosolymis pretium. Judæa nota hieroglyphica, palma. Asinus nota Judæorum: pullus Gentilium. Vinea Domini Ecclesia, vitis generosa CHRISTUS.

DIctum hactenus de Juda, nunc de *Schiloh*, illiusque adventu, & attributis. Ait enim divinus noster, sceptrum Judaicum ad Principem alienigenam non transiturum, donec veniat *Schiloh*, illique obedientiam præstituras esse gentes. Dominum Messiam hoc titulo denotari inter omnes, atque adeo ipsos etiam Patres Targumicos, & saniores Rabbinos convenit, quorum μοναρχίαν cum Clarissimus Gerhard. & nobile illud par Belgarum Daniel Heinsius *lib. IV. Exerc. sacr. cap. V.* & Hugo Grotius in *notis ad lib. V.* elegantissimi sui tractatus *de veritat. Rel. Christian. pag.* 328. largiproma expenderint diligentia, frustra sim, si verbum ulterius addam.

Ceterum de etymologia τῦ *Schiloh* quædam proferre, instituti nostri exigit ratio. Varia autem de illa, varii prodiderunt. Petrus Galatin. *lib. IV. cap.* 4. *de arcan.* referente Clarissimo Gerhardo *quæst. VIII.* ad oraculum nostrum ex Rabbi D. Kimh. *Schiloh* descendere opinatur: sicque vocari tradit sacculum quo infans in utero matris sustinetur. Unde colligit, Patriarcham non abs re ita locutum fuisse, sed aperte innuere voluisse, Messiam a matre, absque Patre nasciturum. Sane hoc magno quoque

Digitized by Google

que illi Philippo placuisse video, quando Jacobum, cum hoc proferret, proteuangelii verba: semen mulieris &c. in animo habuisse existimat. Sed cum secundinæ omnibus infantibus communes sint, quomodo illarum nomine Messiæ ἀπάτωρος incarnatio denunciari potuerit, mihi nondum liquere fateor. Probabilior B. Hieronymi opinio, qui vertit: *donec veniat, qui mittendus est*, ut legisse videatur *Schiloch*, a radice *Schalach, misit.* Patribus siquidem V. T. Messias MITTENDUS, sive VENTURUS dicebatur. Unde Johannes Baptista, ut Christum verum esse Messiam Discipulis monstraret, ablegat illos quæsitum, an ille esset ὁ ἐρχόμενος, i. e. Messias, *Luc. VII. n.* 19. Et populus miraculose a Christo satiatus, *Joh. VI. n.* 14. pleno ore exclamat: οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης, ὁ ἐρχόμενος, *ille Propheta, ille venturus.* Et Martha *Johan. XI. n.* 27. σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. *Tu es Christus, ille filius DEI, ille venturus in mundum.*

Ubi nota, quod his locis singularem emphasin in voce ἐρχόμενος, articulus habeat. Unde & Christus ipse toties MISSUM illum, sive legatum Patris se prædicat. Elegans est profecto observatio, quam *lib. VI. cap. XV. in Joh.* reliquit B. Cyrillus, ubi historiam illam, de cœco a Christo sanato enarrans: *Propterea*, inquit, *interpretationem nominis Siloa Evangelista adjecit dicens: quod interpretatur missus, ut doceat, quoniam & illic Christus, qui vere est Spiritualis Siloa, ad salutem hominum missus, eam curarit.* Et post: *cujus rei testimonium perhibet Jacob, Prophetico spiritu futura prænuncians, cum inquit: Non auferetur, sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus: ubi Hebraica litera habet vocem Schiloh, Christum ibidem insinuans, qui peculiari modo, ut verbum Patris, ad nos missus est.* Sed de *Schiloh* simplicissima mihi videtur B. Lutheri sententia, quam merito approbat Clariss. Gerhardus, & in elegantissimis suis *quæstion. de natal. Christi*, amicus noster Johan. Michael Dilherrus, Vir in tantum laudandus, in quantum virtutis, & eruditionis se extendunt tituli. Deducunt autem illi vocem hanc a radice *Schalah*, i. e. *pacificavit*, unde *Schiloh pacificator*, sive ut Propheta Esaias *cap. IX.* loquitur, *Sar-Schalom*, i. e. ut vertit Pagninus, *principes pacis*, sive magnus princeps pacis, seu magnæ pacis princeps.

Optimo jure autem hic titulus Messiæ competit. Ille siquidem est, cujus nativitas *pacem terris*, i. e hominibus restituit, testibus Angelis, *Luc. II. n.* 14. Ipse est qui *pacem* non tantum inter Gentes, & Judæos *conciliavit, & publicavit*, ut testatur Paulus in illa ad *Ephes. II. n.* 14.

Digitized by Google

& *ſeqq.* ſed etiam inter Deum & homines, eodem teſte in Epiſtola ad *Roman. cap. V. in princip.* Ille eſt *Rex Salem*, i. e. *Rex pacis*, ut illum nominat Epiſtola ad *Hebr. cap. VII. n.* 2. qui *pacem nobis ſuam dedit aternam*, *Johan. XIV. n.* 27 De hujus εἰρηνοποιοῦ duplici adventu, Incarnationis ſcil. & Sanctificationis, ut loquuntur Theologi, vaticinatus eſt Jacobus. Nam quod ait ablato ſceptro venturum Meſſiam, id ad incarnationem D. N. JESU CHRISTI pertinet, quod ait Meſſiæ incarnato gentes obedientiam præſtituras, id vero ad adventum ſpectat gratiæ. Quemadmodum autem Chriſto naſcente ſceptrum politicum, & cum illo ſucceſſionem Pontificum legitimam, de Juda ablatam fuiſſe oportebat: ita Synagogam Judaicam, jurisdictionemque ſacram uſque ad promulgationem Euangelii ſubſiſtere neceſſe erat. Adventum enim gratiæ mors, reſurrectio & in cœlum aſcenſio, τὴν ἀκμὴν vero ejuſdem etiam παναλεθρία templi & gentis Judaicæ omnino præcedere debebat, ut ipſe Salvator noſter indicat *Luc. cap. XVII. n.* 20. & 25. & *cap. XXI. n.* 24. & D. Pauli in illa ad *Rom. cap. XI. n.* 11. & *ſeqq.* Siquidem priſtinum fœdus, Moſe mediatore victimarum ſanguine in monte Sina ſancitum, prius antiquari, aut gentes ad illam ὑπακοὴν τῆς πίστεως, ut loquitur Apoſtolus ad *Rom. XVI. n.* 26. pervenire non potuerunt, *Matth. X. n.* 5. &. *c. XV. n.* 24. antequam novum fœdus per Chriſtum D. N. proprio ſanguine in monte Calvariæ confirmaretur, januaque verbi, *Coloſ. IV. n.* 6. & fidei, *Actor. XIV. n.* 27. gentibus aperiretur, quæ, ut capite præcedente quoque monui, accurate obſervanda ſunt, ne translationem cum abolitione ſceptri, aut adventum incarnationis, cum adventu ſanctificationis confundentes, turpi μεταχρονισμῷ Judæis nos deridendos propinemus.

Inter attributa porro Meſſiæ eſt ligare ad vineam aſinam, de qua re ſic Divinus noſter, vertente Vulgato: *Ligans ad vineam pullum ſuum & ad vitem, O fili mi, aſinam ſuam.* In illo quod habet Vulgatus, *O fili mi*, ſequitur ipſum, aſſentiente etiam Aria Montano, Pagninus. Sed rectius LXX. καὶ τῇ ἕλκικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ, i. e. *& ad generoſam vitem pullum aſinæ ſuæ.* Placuit hoc magno noſtro Luthero, & poſt illum etiam Tremellio & Vatablo. Ceterum Tremellius, Calvinus, Petrus Martyr, Bertram, & plerique illius ſectæ Doctores, hæc & ſequentia de terrena hæreditate tribus Judæ intelligunt, ipſique hyperbolica allegoria regionem vineis paſcuisque abundantem promitti exiſtimant. Sane non ignoro, etiam ex Patribus nonnullos eandem aluiſſe ſententiam. Sed myſticus omnino ſenſus eſt: tum quod Participium *Oſeri*, i. e. *ligans*,

Digitized by Google

gans, absolute positum, natura sua ad *Schiloh*, tanquam proxime præcedentem casum rectum, referendum sit: tum quod sensus litteralis, id quod etiam Origenes observavit, veritati minime conveniat. Sortem enim tribus Judæ non admodum vitiferam fuisse, & petrosa Regio Hierosolymitana, quam propterea Strabo *lib. XVI.* λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, καὶ ἀπόπετρον, *sterilem & siccam & petrosam* appellat, & ingens precium vinearum arguit. Ex Esaiæ enim *cap. VII. n.* 23. constat, singulas quandoque vites singulis venisse argenteis. Certe Tacitus etiam *lib. V. histor. cap. V.* Judææ fertilitatem describens, vinearum nullam facit mentionem, sed frugum tantum, & præterea balsamorum & pinearum laudat abundantiam. Strabo vero *dict. lib. XVI.* Judææ, præsertim agri Hierichuntici nobilitatem, in palmetis caryotiferis collocat: neque caryotas inveniri nisi ibi, & in Babylonia, aliisque Orientalibus nonnullis regionibus. Unde magnus ille naturæ Mystes Plinius, *Orienti præcipua vina ex caryotis* esse, *lib. XIII. cap. IV.* annotat. Certe Hieroglyphicis non vitis, sed palma, eo quod palmifera potius, quam vitifera esset, nota erat Judææ, uti ex nummo apparet Vespasiani, in quo sub titulo: CAPTA JUDÆA, palma conspicitur, subque illa mulier lugentium habitu sedens. Mysticum igitur cum Patribus sequimur sensum, qui Prophetam de attributis quibusdam Messiæ vaticinari, atque adeo alligatione asinæ ad vineam, & pallio sanguine madente duplex ipsius officium, Regium scil. quod in colligenda, & conservanda; & Sacerdotale, quod in redimenda consistit Ecclesia denotari, arbitrantur. Horum inhæremus vestigiis, donec cum bono DEO, & die melius quid occurrat.

Quod vero Jacobus & pulli & asinæ mentionem facit, ad summam illam distinctionem, qua olim omnes totius mundi populi, in Judæos & Gentes dividebantur, pertinere existimant. Asinum enim ὑποζύγιον legis cærimonialis, cum primis vero intolerabilium traditionum jugo, *Matth. XXIII. n.* 4. *Actor. XV. n.* 11. oneratos Judæos, qui & inde οἱ ἐκ τοῦ νόμου, *Rom. IV. n.* 16. vocantur: pullum vero Gentiles, qui contra ἄνομοι appellantur *Actor. II. n.* 22. denotare, quia nullis divinæ legis refrenati essent capistris *Rom. cap. II. n.* 14. Messiam vero sublata hac distinctione utrosque, Gentiles & Judæos ad vineam suam i. e. Ecclesiam, *Esaiæ V. n.* 1. *Psalm. LXXX. n.* 9. *Jerem. XII. n.* 10. *Matth. XXI. n.* 33. ducere, ibique illos generosæ viti, i. e. sibi ipsi, *Joh. XVI. n.* 1. vinculo pacis, *Eph. IV. n.* 3. & charitatis, *Colos. III. n.* 14. alligare. Videatur Justinus *in Tryph.* Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *pædagog. cap.*

Digitized by Google

V. Origenes *hom. XVII.* Chryſoſtomus *hom. LXVII. in Geneſ.* Cyrillus *lib. VIII. in Joh. cap. X.* Auguſtinus de *Civitate DEI, lib. XVI. cap.* 41.

CAPUT VIII.

Vino lavit ſtolam Meſſias in paſſione. Vinum ira DEI. Corpus, indumentum, & ſcena animæ; humana natura τῷ λόγῳ. Ea de redicta Scriptura & Patrum. Liber quæſtionum, falſo Athanaſio adſcribitur. Oculus divinitatis, dens humana educationis ſymbolum. Oculi rubicundiores, vino. Sed oculi vini-colores, οἰνοπίπαντος, vini color, niger. Gloſſ. vetus emendatur. Oculi nigri lacteo albo innatantes, in pulchritudinis cenſu. Manducare pro vivere.

PErgit Vates noſter de Schiloh vaticinari, & ait: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ, pallium ſuum.* Sic Vulgatus, quo cum omnes reliqui tranſeunt Interpretes. Quid eſt igitur veſtimentum ſuum vino, & pallium ſuum ſanguine uvarum lavare? Equidem, cum plerisque veterum Theologorum, Sacerdotale Meſſiæ officium, quod in redimenda Eccleſia conſiſtit, hac deſcriptione ſignificari cenſeo. Quæ redemptio, ut D. Petrus *Epiſt. I. cap. I. n.* 19. teſtatur, non auro, vel argento, ſed precioſo ſanguine Meſſiæ facta eſt. Ira enim divina, vinum illud excandeſcentiæ, *Jer. XXV. n.* 15. *Apoc. XIV. n.* 10 cujus calicem tam anxie deprecatur Dominus noſter, *Matth. XXVI. n.* 49. quemque tandem, quia ſalus humana aliter conſtare non poterat, ex imo hauſit fundo, ſeque totum illo proluit. Tunc ſcil. cum in horrendo illo mortis agone, univerſi mundi peccatis oppreſſus, totum corpus cruento diſtillaret ſudore, tunc, inquam, cum flagellis, ſpinis, clavis, lancea, tergum, caput, manus, pedesque, nec non ſacroſanctum latus, perfoſſus, veluti imbre diffluereret ſanguineo.

Quemadmodum autem fortiſſimus ille athleta Dei, ſanctus Hiob. *cap. X n.* 11. corporis creaturam *textile indumentum animæ* elegantiſſime appellat: ita non minori elegantia humana natura dicitur τῷ λόγῳ veſtimentum, & pallium. Plane ſic etiam Paulus ad *Hebr. cap. X. n.* 20. carnem Chriſti καταπέτασμα τῷ λόγῳ, & divus Johannes *cap. I. n.* 14. τὸν λόγον per incarnationem σκηνῆσαι, i.e. tabernaculum ex velamentis ſibi paraſſe prædicat. Et eo etiam pertinet, quod viro ſapienti *cap. IX. n.* 15.

Digitized by Google

15. Corpus humanum γεώδες σκῆνος, dicitur, quemadmodum & D. Paulo in *Epiſt. ad Cor. II. cap. X. n.* 1. & D. Petro *Epiſt. II. cap. I. n.* 13. Atque ita quidem de pallio Chriſti ſentiunt ex veteribus Tertullianus *lib. IV. adv. Marcion.* Auguſtinus *ſerm. de tempor. LXXXI.* & Auctor *Quæſtionum* quæ B. Athanaſio falso adſcribuntur (meminit enim Auctor ille *quæſt.* 129. Gregorii, qui multis annis denato Athanaſio natus eſt) *quæſtion. CIV.* Epiphanius *lib.* 1. *Tom. I. hæreſ.* 20. Diverſum ſentiunt Juſtinus *Apolog.* 11. Amb. *de Bened. Patriarch. lib. IV.* & Origenes, *hom. in Gen. XVII.* quibus pallium Chriſti ſanguine perfuſum, *Eccleſia* dicitur *crebris martyriis cruenta.* Sed a priore nos non recedimus ſententia, quam hac altera longe convenientiorem eſſe, nemo non intelligit.

Jam pergit θεόπνευς noſter: *Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus, lacte candidiores.* Sic Vulgatus. LXX. χαροποὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀπὸ οἴνου, καὶ λευκοὶ καὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ, ὡς γάλα. Hos ſequitur Tremellius: *Rubicundus oculis ex vino, & albus dentibus ex lacte.* Pagninus, aſſentiente Aria Montano: *Rubicundior oculis vino, & candidior dentibus præ lacte.* Et hoc etiam ante illos expreſſit B. Luther. Seine Augen ſind rötlicher dan Wein / vnd ſeine Zähne weiſſer dan Milch. Tremellium & reliquos, qui utrique literali inhærendum ſenſui ſtatuunt, ſi conſulas, cur Patriarcha Meſſiæ oculos tribuat rubicundiores vino, & dentes lacte candidiores, reſpondebunt, hæc quoque, ut & ſtolam ſanguine uvarum lotam, ad ubertatem vinearum, & paſcuorum pertinere. Sed quid, per DEUM immortalem, τῶν οἰνοπωπῶν rubentes oculi, ad Meſſiam? Nihilo magis, opinor, quam ipſum vinum ad artem fullonicam. Myſticam igitur præſtat proſequi ſententiam, arbitrorque divinum noſtrum, oculorum, & dentium hieroglyphico, ita geminam in perſona Meſſiæ venerari naturam, ut ſimul ad reſurrectionis reſpiciat gloriam. Plane, ut nullum in fabrica humani corporis membrum eſt, quod divini noſtri ortus originem, & cœleſtis providentiæ perfectiſſimam παντοελεψίαν propius referat, atque oculi: ita nulla corporis pars eſt, quæ in nutritione, & educatione hominis tam unice occupetur quam dentes.

Prius optime mihi intellexiſſe videntur Ægyptiorum Hieroglyphi, de quibus ſic Cyrillus *l. IX. adv. Julian. Volentes ſignificare Deum*, hoc eſt, *ſummam, quæ ſupra omnia, naturam, pingebant oculum, cui baculum* (ſceptrum) *ſubſtituebant, ut per hoc intelligatur, quod omnia videat, & ſit ei regia dignitas. Nam ſceptrum Regis intelligitur ſymbolum. Quamvis*

Digitized by Google

vis etiam per ſtantem baculum, quod nullo modo divina natura labefactari poſſit, ſed ſemper ſtare & ſuſtinere omnia diſcatur. Hæc Cyrillus, poſt quem plura de hac re ſignavit eruditiſſimus Pierius *lib. Hieroglyph. XXXIII. cap. IV.* At vero quinam illi oculi rubicundiores vino? Certe non rubicunduli illi, & acri malo ſemper ſtillantes heſternas amphoras cruditantium οἰνοπλήγων, quibus nihil turpius, nihil fœdius, ſed oculi ὄινωπες, vinicolores, i. e. hilari quadam nigredine vigentes. Talia enim Orientalium vina quæ inde a vate noſtro, & qui illum imitatur, Syracide, *cap. L. n. 17.* ſanguis vocantur uvarum. Homerus vero quoties ὀινοβαρὲς ὄινον decantat, toties & nigredinem, & flagrantiam notat vini. Græcis certe quod & illorum vina ſpiſſæ nigredinis, οἰνοπέπαντος, & ὄινοψ niger eſt. Gloſſarium vetus, οἰνοπέπαντος, niger, vini colore. Male: lege, unico verbo: vini-color. Homerus ιλ. α. ὁρόων ἐπὶ οἶνοπα πόντον, i. e. nigrum pontum.

Appoſitiſſime autem oculi nigri tribuuntur Meſſiæ, quod ille ſecundum utramque naturam formoſiſſimus omnium. Nemo autem priſcis temporibus perfectam pulchritudinis laudem conſequi poterat, ſi non & μελανόφθαλμος, i. e. nigroculus; de qua communi omnium gentium veluti opinione pauca delibare placet. Fuit illa Romanorum. Sic enim a nigredine oculorum Lycum commendat Horatius *l. I. Carm. 32.*

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

Apud Græcos ab Homero, Juno non tantum a magnitudine, ſed etiam a nigredine oculorum dicitur βοῶπις πότνια ἥρη. *Bovinis oculis veneranda Hera.* Idem vero vates Chriſeida, ἐλικωπίδα κούρην prædicat *Iliad. I.* ad quem locum ſic interpres, i. e. μελανόφθαλμον, ἀφ' ἧς ἱυπρεπὴ, ἕλικον γὰρ τὸ μέλαν. Zenobiæ vero Palmyrenorum Reginæ pulchritudinem ſic deſcripſit ex Vopiſco Sabell. *lib. VII.* Enn. *VII. Subaquilo colore fuiſſe dicitur, oculis nigris, ſupra modum vigentibus, dentibus adeo candidis, ut plerique margaritas dentium loco concinnaſſe crederetur.*

Ebræorum eadem opinio. Unde Eccleſia τῷ Schiloh ſponſi ſui pulchritudinem *cap. V. n. 11.* decantans, ipſi *oculos columbarum juxta alveos aquarum, ipſo lacte lotos,* ſive ut Pagninus vertit: *in lacte ſe lavantes,* tribuit, i. e. oculos nigros hilari pro-tuberantes vigore, quales oculi columbarum, quando avidius potum trahunt, conſpici ſolent.

Sed quia oculi columbarum albo carent, divinus vates Meſſiæ non ſimpliciter oculos columbarum; ſed ipſo lacte lotos, ſive in lacte ſe lavan-

Digitized by Google

vantes, i. e. lacteo albo humidiuſcule innatantes tribuit, id quod & ipſum pars erat pulchritudinis. Ariſtænetus *lib. I. Epiſt. I.* τὸ μέλαν τῶν ὀφθαλμῶν, αἱ κόραι μελάνταται, καὶ τὸ κύκλῳ λευκὸν, αἱ γλῆναι λευκόταται, καὶ ἑκάτερον ὑπερβολὴ πρὸς τὸ ἕτερον ἐπιδείκνυται, i. e. *nigrum oculorum, nigerrima pupula, & album quod in oculis eſt, orbes candidiſſimi; & alterum alterius oppoſitione eluceſcit.* Hæc Ariſtænetus, quæ pulchre explicant oculos columbinos in lacte ſe lavantes.

Porro quemadmodum oculus Hieroglyphicum divinitatis, ita dentes humanitatis. Cum enim illi præcipua ſint inſtrumenta humanæ educationis, quo alio ſymbolo, humanam Meſſiæ naturam divinus noſter denotare potuit, vel debuit? Ebræis certe τὸ manducare συνεκδοχικῶς ſæpenumero idem eſt, quod vivere & in humanis ſubſiſtere. Sic Eſaias quando *cap. VII. n.* 15. Immanuel *butyro & melle fruiturum* canit, nihil aliud, quam humanæ naturæ educationem, nobis inſinuat. Divinus vero Moſes, quando LXX ſeniores a conſpectu Domini redeuntes *comediſſe & bibiſſe Exod. XXIV. n.* 15. annotat, quid aliud ſibi vult, quam ſenatores illos, conſpectu DEI non fuiſſe intereremptos; ſed, ſecus atque alias fieri credebatur, (vide *Exod. XXXIII. n.* 20. *Jud. XIII. n.* 22. *Eſaiæ VI. n.* 5.) ſuperſtites inter homines vixiſſe. Sic quoque Salvator noſter, quod *Luc. XIII. n.* 26. damnatos Phariſæos in extremo judicio, dicturos refert: *Domine edimus coram te & bibimus*, ejus eſſe ſignificationis exiſtimo, ac ſi dicerent: Domine nonne noſti nos, qui tecum, cum in terris ageres, σύνχρονοι viximus. Certe Dominus noſter Diſcipulis de reſurrectione ipſius dubitantibus, non tantum manus, pedeſque videndos, palpandoſque porrigit, ſed nec ſic quidem credentibus, cibum poſcit, illiſque coram, de piſce appoſito comedit, *Luc. XXIV. n.* 42. non quidem quod cibis indigeret, ſed ut B Hieronymus *lib. adv. Johan. Hieroſol.* ad Pammachium ſcribit, *ut hominem, & carnem viderent*, quaſi manducatio certiſſimum veri indicium hominis.

Probe igitur hanc argumentandi vim obſervavit D. Petrus, qui Chriſtum vere humanam ſuam ex ſepulchro protuliſſe naturam, pro concione probaturus; *Hunc*, inquit *Actor. X. n.* 41. *Deus excitavit tertia die, & exhibuit eum, ut manifeſtus fieret, non toti populo, ſed teſtibus prius ad hoc delectis a Deo, nimirum nobis, qui edimus ac bibimus una cum illo, poſteaquam reſurrexit a mortuis.* Atque ex his quidem manifeſtum eſſe arbitror, dentium ſymbolo humanam Chriſti elegantiſſime indigitari naturam.

Digitized by Google

Quia vero, ut ſupra dixi, Meſſias θεάνθρωπος, omnium pulcherrimus, ideoque Oraculum, illi quoque dentes lacte candidiores, i. e. pulcherrimos tribuit. Pulchritudo enim dentium in candore conſiſtit, qui tanti apud Romanos, ut

Obſcuri dentes oculique minores,

quandoque in cauſas divortiorum venerint: quam veſaniam princeps ille ſatyragraphorum Juvenalis *ſat. VI.* merito ridet, & lapidat. De Palmyrenorum Zenobia dixi ſupra, de Aſpaſiæ vero candidiſſimis dentibus Aelianus *lib. XII. cap. I.* videri poterit. Ego unicum addo ex *cap. VI. n.* 50. *Cantici Salomonis*, ubi etiam Eccleſia pulchritudinis hanc partem, ſponſo Meſſiæ tribuit, quando dentes illius *lanis ovium ex lavacro aſcendentium* ſimiles decantat.

Quærit Barradius *lib. V. com. Tom. I. cap. I.* Cur Patriarcha oculorum, & dentium tantum mentionem fecerit, & cauſam in illo ponit, quod D. Jacobus *jam tum Meſſiam in carne viderit, ſed tanquam hominibus ſibi dilectiſſimis arridentem, quodque riſus maxime in oculorum hilaritate, & in ore modeſte aperto, ut dentium candor appareat, cernatur.* Σοφῶς, καὶ καλῶς mi Barradi, & mirum ni Meſſias de Periphanis Plautini familia, qui albis ridere ſolebat dentibus Imo dicas nobis, ſi Meſſias incarnatus juxta Chryſoſtomi *hom. VI. in Matth. ſemel quidem atque iterum fleverit, nunquam vero ridens, vel ſaltem leviter ſubridendo gaudens, inventus fuerit*, qua ratione, Jacobo in viſione ridentis apparuerit, quam nunquam ſuſcepturus erat, perſona. Equidem divinum noſtrum hæc filiorum ſuorum fata, & ſingularum ſortes tribuum, non ex nuda Spiritus revelatione pronunciaſſe, ſed ſpirituali viſione omnia contemplaſſe, atque etiam ipſum Chriſtum Dominum noſtrum, & patientem, & morientem, & reſurgentem, & triumphantem, revera conſpexiſſe arbitror. Quemadmodum igitur pallio cruentato paſſionis deſcribit ignominiam; ita oculorum vigentiſſima claritate, lacteoque dentium candore reſurrectionis depingit gloriam. Oculi enim caligantes, & deficientes ut mortis indicium, quæ & livore dentes corrumpere ſolet: ita nitida oculorum flagrantia, candenſque dentium pulchritudo, vitæ & felicitatis ſignaculum.

CAPUT

Digitized by Google

Caput IX.

Status populi Judaici in captivitate Babylonica. Illos, servos aut captivos proprie non fuisse, sed Colonos liberos: & autonomiam religionis retinuisse. Gentiles, victis religionem patriam non adimebant: illius rei causæ & exempla. Jazadocus Pontifex Judaicus etiam in Babylonide: In qua Judæi prædicationem verbi, & usum sacramentorum retinuerunt. Flumina immundis templi vicem. Tertullianus emendatur. Laterculus Pontificum Judaorum. Sigonii & Alstedii in illo error.

DE præclarissimi nostri vaticinii sensu ea, quæ & textui prophetico, & veritati historiæ convenientissima visa fuerunt, hactenus sparsim enarravimus. Illa, si juxta ordinem literæ conjungantur, talem præ se ferunt sententiam: Non auferetur τελειωταρχία semel cœpta a regno Juda, neque populus Judaicus habebit Principem, aut Pontificem, qui non sint indigenæ, & φύσει Judæi usque ad illa tempora, quibus jamjam in carnem venturus erit Messias. Ille mundo exhibitus, spirituale regnum in omnes orbis terrarum obtinebit populos, colligens, & sibi alligans, ex Judæis pariter & Gentibus obedientem Ecclesiam. Hanc proprii sanguinis profusione redimet ab æterna morte, qua moriendo victa, verus Deus, & verus homo vivus resurget a mortuis. Hic mysticus divinæ hujus Prophetiæ sensus, qui superioribus pro virili a nobis explicatus est capitibus. Restat quomodo facta dictis Propheticis suppetierint, omniaque in persona Salutificatoris nostri JESU CHRISTI adimpleta fuerint; ut demonstremus. Quod quidem circa illa, quæ ad passionem, & resurrectionem Messiæ pertinent, adeo in proclivi est, ut deductione peculiari minime opus habeat. Illa vero quæ ad ablationem τῆς τελειωταρχίας, Judaicæ, & translationem sceptri de Juda in Principem & Pontificem ἀλλοφύλως pertinent, gravissimis innodata sunt difficultatibus.

Has igitur ut e medio tollamus, duo nobis veluti extrema probanda veniunt. Demonstrandum enim est, populum Judaicum a primordiis regni concessi, usque ad illa tempora, quo Messias jam venturus erat, nullos expertum fuisse vel Principes, vel Pontifices, qui non ἀρχῆθεν Judæi fuerint. Deinde probandum est; illo, quo JESUS CHRISTUS

Digitized by Google

D. N. jam in carnem venturus erat, tempore τελειωταρχίᾳ ſublata, regnum Juda, & Pontificatum Hieroſolymitanum ab hominibus aligenigenis, ad quos ſucceſſio minime pertinebat, occupata fuiſſe. Priori captivitas Babylonica, poſteriori vero, contradicere videtur Joſephus, qui & Herodem, quem nos primum Regem ἀλλόφυλον, & Ananelum, quem & ipſum peregrini ſanguinis fuiſſe dicimus Pontificem, & Judæos; & hunc quidem ex ſacerdotali genere fuiſſe, non uno teſtatur loco.

Etſi autem Captivitas Babylonica ſimpliciter huc non pertineat, cum Oraculum Jacobi non de cujusvis, ſed de illius ſceptri ablatione loquatur, quod tempore advenientis Meſſiæ regnum Juda habiturum erat: quia tamen, ut *Capite I.* diximus, vaticinium de ablatione ſceptri, duplici modo intelligi, & etiam generaliter, ad regnum Juda applicari poteſt, ad inſtitutum noſtrum quodammodo pertinere exiſtimavimus, uberiore deductione planum facere, Judæos etiam μετοικεσίας Babylonicæ temporibus Pontifices, & Magiſtratus non aligenigenas, ſed ſui ſemper obſervaſſe generis. Rem aggredimur difficillimam, imo τῶν παραδόξων παραδοξοτάτην. Quis enim non intelligit, captivitatem, & Rempub. ergaſtula & ἀυτονομίαν in uno aliquo populo ſimul commorari nón poſſe? Sed ἰῤῥίφθω κύβος. Τό γὰρ ἐῦ μετ' ἐμᾶ, inquit Regina veritas, qua duce communem iſtam opinionem, quæ Judæos a Nebucadnezare captivos in ergaſtula abductos, & in operas damnatos ruſticas hactenus docuit, falſiſſimam eſſe dicimus. Abduxit Babyloniam Judæos, ſed non vendidit; patriam illius eripuit, ſed non libertatem, bello captos detinuit, ſed optimarum ſimul provinciarum colonos eſſe voluit.

Audi de hac re Beroſum Babylonium *lib. III. rerum Chald. Nebuchodonoſor*, inquit, (referente Joſepho *lib. I. adv. Apion.*) *patris imperio in totum potius, captivos adiit, iisque in Babylonia opportunas colonias aſſignavit.* Sic Gelenius. Sed Græca ἐμφατικώτερα: τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις παραγενόμενος ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀποδεῖξαι, i. e. *in commodiſſimis locis Babyloniæ colonias aſſignavit.* De hac ipſa re, ſic Flavius *lib. X. cap. II. Ceterum Rex, Babylonem reverſus, Zedeciam in carcere usque ad mortem ejus detinuit, mortuum tamen Regia funeris pompa ſepelivit: populo vero in Babylonia ſedes attribuit.* Vides, Judæos exules, in opportuniſſimas regni Babylonici colonias deductos fuiſſe, quod etiam ex ſcripturis probari poteſt Propheticis. Ezechiel enim *cap. III. n.* 15. partem populi ad flumen Chebar meditullium Meſopotamiæ coluiſſe, inibique (quod infra probabi-

Digitized by Google

babimus) magnas divitias, ut olim προπάτωρ illorum, Jacobus *Gen. XXIX. n.* 2. & *cap. XXXI. n.* 18. adquisiviſſe asſerit. Sancta certe lingua pleriſque in locis Judæorum hanc in Babyloniam abductionem *Haggola*, i. e. *tranſmigrationem*, *in colonias deductionem*, appellat, ut *Jerem. c. I. n.* 3, *Ezech. III. n.* 11. & 15. & *cap. XXIII. n.* 1. & *cap. XL. n.* 1. *Ezech. VI. n.* 10. *Eſr. I. n.* 4. & *cap. IV. n.* 1. alibique paſſim.

Hoc imitantur Helleniſtæ & N. T. Scriptores ſanctiſſimi, qui Judæorum hoc exilium, æque ut Joſephus & Beroſus, ἀποικίαν & μετοικεσίαν appellant. Baruch. *c. III. n.* 7. D. Matthæus *cap. I. n.* 17. D. Lucas *Act. VII. n.* 43. Quando igitur Sacra Scriptura captivitatis Babylonicæ mentionem facit, improprie, & κατὰ τὶ loquitur, reſpectu nimirum prioris libertatis, alioqui captivos & ſervos, a colonis immane differre, nec levi quidem hiſtoriarum aura afflatus ignorare poteſt. Illi enim ſub haſta vendebantur, hi vero tanquam cives & patresfamilias populariter in provincias deducebantur, ſalva libertate ſalvisque plerumque cærimoniis, & legibus patriis. Hujus rei duas præcipue reperio cauſas: tum quia ſcilicet prudentes Ethnici, experientia magiſtra intelligerent, non eſſe hominis, hominum imperare conſcientiis, nec ſatis fidam eſſe illorum fidem, qui ab avita relligionis fide deficere coguntur: tum quod τῆς πολυθείας præfaſcinati opinionibus omnibus Diis numen aliquod ineſſe, & propterea, ut Celſus ille apud Origenem *lib. V.* perinde eſſe putarent, *Jupiter vel Diespiter Romanorum, an Adonai, aut Sabaoth Ebræorum, an Amus Ægyptiorum, an Scytharum Papeus invocaretur.* Victis igitur, ut quietius imperarent, populis αὐτονομίαν ſacram relinquebant, & ut eſt in edicto Claudii apud Joſephum *lib. XX. cap. I.* Ἑκάστης κατὰ τὰ πάτρια θρησκεύειν, i. e. *omnibus ſecundum patria inſtituta religioſos eſſe* permittebant. Hac ratione Tiglath-Peleſarem, de quo etiam hiſtoria Sacra *lib. II Reg. cap. XVI.* Damaſcenos in ſuperiorem Mediam, & in illorum locum quasdam Aſſyriorum gentes in agrum Damaſcenum populariter, i. e. populos populis permutando, traduxiſſe, notatur a Joſepho *lib. IV. cap. XIII.* Sic Perſas quoque, & Medos, deportatis Iſraelitis, in Samariam traductos Perſica ſecum attuliſſe, & reſervaſſe, Sacra teſtatur Scriptura *d. lib. II Reg. cap. XVII. n.* 25. & *ſeqq.* Antiochum quoque M. Phrygia, & Lybia res novas molientibus, duo millia familiarum Judaicarum cum omni ſupellectili traduxiſſe, & per opportuniſſima præſidiis loca diſpoſuiſſe, illiſque ſic deductis libertatem propriis legibus vivendi, areaſque ad ædificandum, nec non ad colendum agros

Digitized by Google

& vineas, dediſſe, refert idem Joſephus *l. XII. cap. III.* De Judæis vero per univerſum terrarum orbem infinitis coloniis deductis, idem vernaculus antiquitatis Judaicæ ſcriptor, hæc *lib. XIV. cap. XII.* ex Strabone, ut dicit, reliquit: *Non eſt facile invenire locum in habitabili orbe, qui nationem illam* (Judæorum) *non acceperit, & ab ea teneatur. Nam & Ægyptus, & Cyrene, & alia multa regiones horum ritus admiſerunt, aluntque Judæorum congregationes maximas, utentes legibus patriis.*

Peculiare itaque fuit quodammodo ἀπωχισμένοις patrios ſervare ritus, & leges. Quid igitur? Deterioriſne conditionis in Babyloniam deducti Judæi? Imo melioris, præſertim quod αὐτονομίαν attinet ſacram. Conſtat enim ex prophetica divini Danielis hiſtoria, ipſum JEHOVAM, Chaldaicos tyrannos, ſi quid contra cultum divinum in Judæos ſtatuiſſent acerbius, vel miraculorum oſtentis, vel pœnarum ſuppliciis, in ordinem, & ad Divini decreti redegiſſe limites. Divina enim providentia cautum erat Eccleſiæ pene funditus exſtirpatæ inter deportatos conſervari ſeminaria. Hinc Nebucadnezaris, & Darii ſeveriſſima edicta, quibus cultus JEHOVÆ non tantum omnibus permiſſus populis, ſed etiam atrociſſima διχοτομίας pœna cautum erat, ne quis de DEO illo deorum loqueretur, aut ſentiret improbe.

Plane hoc argumento nonnullos veterum, (in horum numero Hieronymus ad *cap. IV. Dan.* & Auguſtinus, cujus ſententiam ex libris de *Provid.* Gratianus *cauſ. XXIII. q. IV. cap. XXII.* in *decret.* retulit) Nebucadnezarem proſelytum, imo ſalvum factum tradidiſſe, in *Faſc. Temp.* Wernerus Rolfinck, Monachus inter doctos ſui ſæculi facile princeps, annotat. His privilegiis muniti Judæi omnibus illis, quæ ad cultum Divinum pertinent, ſola ſacrificia, quæ obſtante lege, *Deut. cap. XII. n. 13. & c. XVI. n. 5.* extra urbem, & templum accendere nefas, ſi excipias, utebantur liberrime, idque ſub Pontifice ſui generis, Jozadoco magni illius Joſuæ, qui recidiva Hieroſolyma cum Zorobabele condidit, patre, de quo ſic Joſephus *d. lib. X. cap. II. Rex Babylonem reverſus populo ſedes attribuit, Pontificemque vinculis eximit.* At cui bono, niſi ut ſacris præeſſet? Unde & hic Jozadocus a Joſepho album Pontificum recenſente, inter Pontifices numeratur, ſacrumque hunc honorem in filium Joſuam ex lege Moſaica, eodem auctore, tranſmiſit.

Fuit præterea Pontifex ſecundaneus Iddo ſcil. ille, quem in Caſphia plurimos Sacerdotes, Levitas, & Næthinæos ſub manu habuiſſe commemorat

Digitized by Google

memorat Esra *cap. VIII. n.* 5. Frequens autem ille populus Sacerdotum & Levitarum, quorsum, si nulla fuerunt sacra, aut cærimoniæ? Retinuisse præterea deportatos illos Synagogas, & exercitia legem docendi publica, patet ex Ezechiele, qui & ipse fuit Sacerdos, & ad populum conciones multas habuit, *Ezech. cap. IIX. n.* 14. *cap. XX.* in *princ.* & *cap. XXXIII. n.* 30. Talis Doctor fuit quoque Esra, Joribus, Nathan, & reliqui, quorum fit mentio *Esræ VII. n.* 11. & *c. VIII. n.* 16. Populus vero proselytorum, qui ex Babyloniis relicto impio idolorum cultu, non tantum ad Judaismum, sed, teste Esra *cap. VI. n.* 21. relicta patria cum Judæis in terram etiam transivit Judaicam, unde nisi ex prædicatione verbi? ut in simili causa gravissime argumentatur Doctor Gentium, in illa ad *Rom. cap. X. n.* 15.

Porro non tantum prædicationem verbi, sed etiam sacramenta, Babylonicas retinuisse colonias, certum est. Nam circumcisos fuisse ex Babylonia reduces, illud probat, quod *juxta præscriptum Moſis Paſcha celebræße in Hieroſolymis* dicuntur, *Esr. cap. VI. n.* 17. & 21. At vero Pascha nemo comedere poterat, nisi circumcisus, *Exod. XII. n.* 44. Circumcisi igitur fuerunt & reduces Judæi, & proselyti. Aquilustria quoque observasse, (Nam & illa, quatenus promissione nitebantur gratiæ, & typus nostri erant baptismatis, sacramenta fuisse Veteris Testamenti, arbitramur) ἀπωχισμένους illos, dubio caret, idque causæ fuisse existimamus, quod solennes plerumque ad flumina indicerent conventus, qualis fuit Thel-Abbib ad Chebar, *Ezechiel III.* Sic Esram cum ingentibus Judæorum copiis, multisque Sacerdotibus, & Levitis Xerxis beneficio in Judæam rediturum, conventum ad Euphratem indixisse, ibique triduano jejunio peracto vota concepisse, pro felici itinere, Josephus *lib. XI. cap. V.* & ante eum ipse Esra *cap. IIX. n.* 15. & 21. annotatum reliquit.

Solebant enim Judæi peregre abituri sacrificia Deo offerre, *Gen. LXVI. n.* 1. Quia vero exules holocausta, & hostias in terra peregrina sacrificare non poterant, ideo ad flumina, quæ, ut docet Moses *lib. IV. cap. V. n.* 50. etiam priscis temporibus immundis, & quibuscumque Ecclesiæ interesse non licebat, templi instar erant, conveniebant, ibique vota, & aquilustria solvebant publica. Hanc majorum suorum consuetudinem etiam post ultimam διασπορὰν in consequentiam traxerunt Judæi. Unde Tertullianus falso ut solet, illorum orationes *littorales* appellat, & *lib. de jejun. cap. XIV.* Judæos littora fluminum, templi instar habuisse testatur,

Digitized by Google

ſtatur, *Judaicum*, inquit, *jejunium ubique celebratur, cum omiſſis templis, per omne littus, quocunque in aperto, aliquando jam precem ad cœlum mittunt.* Vilis mihi ſemper, & ſpuria viſa hæc lectio. Quo enim illud: *aliquando jam.* Aut omnia me fallunt, aut ſcripſit Septimius noſter: *quocunque in aperto eliquatulam precem ad Cœlum mittunt.* Eliquatulas preces vocat Judæorum, tum propter aquiluſtria jejuniorum, tum propter pronunciationis hypocritis familiarem emollitam infractionem, imitatus Perſium, qui ſic *Sat. I.*

- - - plorabili ſiquid
Eliquat & tenero ſupplantat verba palato.

Atque ex his quidem apparere arbitror, in ipſa quoque tranſportatione Babylonica Judæos ſub Pontifice legitimo, Sacerdotibuſque ἀρχῆθεν Levitis, retinuiſſe cultum Divinum, & quæcunque ad conſtituendam veram DEI Eccleſiam neceſſaria ſunt. Soluta porro captivitate, Pontificatus Judaicus non tantum luculentior factus fuit, ſed etiam firmior. A Joſua enim re, & nomine maximo illo Pontifice, primoque ἀναχτοτελειωτῆ, uſque ad Maccabæos quindecim populo præfuerunt Pontifices, omnes, ſi ultimum Alcimum tollas, ex ipſius ſtemmate oriundi, ut ex ſequente patet laterculo:

1. Joſua de quo multa apud Eſram & Zachariam.
2. Jojakim Filius. *Nehem. XII. n.* 10. Joſeph. *lib. XI. cap. V.*
3. Eliaſib. Jojak. filius. Nehem. *d. loc.* Joſeph. *d. lib. XI. c. V.*
4. Jojada ſive Judas Eliaſibi fil. Neh. & Joſeph. *d. loc.*
5. Jonathan. Judæ fil. Neh. & Joſeph. *d. locis.*
6. Jaddua ſive Jaddus Jonathæ fil. Neh. & Joſeph. *d. locis.*
7. Onias I. filius Jaddi, Joſeph. *d. lib. XI. in fine.*
8. Simon Juſtus Oniæ filius, *Syrac. c.* 50. *in princ.* Joſeph.
9. Eleaſar, frater Simonis. Joſeph. *d. loco.*
10. Manaſſes patruus Eleaſaris. Joſeph. *d. loco.*
11. Onias II. Simonis Juſti fil. Joſeph. *d. lib. XII. cap. III.*
12. Simon II. Oniæ II. filius Joſeph. *d. lib. XII. c. IV.*
13. Onias III. Simon. II. fil. Joſeph. *d. loco.*
14. Joſua qui & Jaſon, Frat. Oniæ. III. Joſeph. *lib. XII. cap. VI.*
15. Onias qui Menelaus Frat. Oniæ. III. Joſeph. *d. lib.*

Menelao demum ſucceſſit ab Antiocho Epiphane intruſus Alcimus, qui

Digitized by Google

qui non quidem ex Josuæ descendentibus: ex Aaronis tamen posteris, teste Josepho *lib. XII. c.* 15. & Auctore *lib. I Maccab. cap. VII. n.* 12. prognatus fuit. Alcimo porro sublato, unanimi populi consensu τελειωταρχία ad Maccabæos translata fuit, quos ex Aaronis familia fuisse oriundos, & continuata serie Pontificatum, usque ad Ananelum Pseudo-Pontificem, administrasse, supra *Cap. III.* probavimus, quæ hic repetere crambem esset apponere bis coctam.

Illud saltem prætereundum non est, Carolum Sigonium *lib. V. de Rep. Judæor. cap. II.* & Alstedium *cap. IIX. Chronol.* parum considerate fecisse, quod Oniæ III, præter Jasonem, & Menelaum, etiam Alcimum, & nescio quem Lysimachum adjungunt fratres. Lysimachus enim, cujus meminit Auctor *libri II Macc. cap. IV. n.* 29. ipsissimus ille Alcimus est, ut interiùs intuenti ex *cap. XV. ejusdem Lib.* non obscure apparet. Et alioquin Rabbinus ille esse nobis tanti non debet, ut contra Josephi, scriptoris gravissimi, testimonia illius admittamus nugas. Tradit autem Josephus *d. lib. XII. C. VI.* Simonem II. tres tantum habuisse filios, Oniam III. Jasonem, & Menelaum. Apage igitur fictitium illum Lysimachum, quem idem Josephus *lib. XX. cap. VIII.* denuo excludit, quando a soluta captivitate usque ad Maccabæos XV. tantum numerandos esse testatur Pontifices, quorum numerus laterculo nostro cum completus appareat, Lysimacho illo nullum in albo Pontificum locum relictum esse, manifestum est.

Caput X.

Judæos etiam tempore deportationis, aliqualem retinuisse Reipub. statum. Idque ex generali quasi consuetudine veterum, qua docetur, & exemplis illustratur, qua sacris, qua profanis. Josephus emendatur, & explicatur. Zorobabel Æchmatotarcha deportatorum in Babylone. Synedrii qualis qualis forma penes principes paternarum familiarum. Deportatorum incredibiles divitiæ, & in remigrantes regia liberalitas. Esaiæ locus explicatur.

DUrante etiam exilio, Babylonicas Judæorum colonias αὐτονομίαν sacram, eamque sub Pontifice legitimo retinuisse, iis quæ hactenus a nobis dicta sunt, æquo judici nos probasse, confidimus; nunc de Politico causa agenda est statu, circa quem iterum ad generalem veluti ve-

Digitized by Google

terum Monarchiarum provocamus consuetudinem. Solebant enim victores victis, sive illos suæ patriæ relinquendos, sive in novas transportandos esse censerent colonias, concedere, ut sui generis immediatos retinerent Magistratus, quos ipsos plerumque ex devictorum Regum prosapia constituebant.

Hujus vigore consuetudinis, Pharao Necho Rex Ægypti, victis Judæis non Ægyptium aliquem, sed victi vinctique Joahasi fratrem, Regem constituit. *II Reg. XXIII. n.* 34. Sic Nebucad-Nezar expugnatis Hierosolymis in victi Regis Jojacimi locum, illius patruum Zedekiam, *II Reg. cap. XXIV. n.* 17. & cum hic quoque perjurus rebellasset, deleta urbe, & deportato populo reliquiis Judaicis Godoliam, Saphanis olim Regis JOSIÆ Cancellarii, *Jerem. XXXVI. n.* 10. nepotem, *d. lib. II Reg. c. XXV.* & *Jerem. LX. n.* 5.

Plurima & egregia hujus consuetudinis exempla de victore illo orbis Alexandro Magno consignavit in historia sua Arrianus, quorum pauca quædam ex *lib. III.* attingere sustinebimus. Docet autem ibi Arrianus: *Susianis victis Abulicem Persam; totis vero Persidi, & Media Phrasaortam, Reomythri filium, & Oxyodatem, Persas præfectos fuisse*; ad Lybes, & Arabas vero eundem Alexandrum *Cleomenem Eunacratium cum mandatis misisse*, idem tradit historicus, *ut principes provinciarum liberos esse, suisque legibus vivere permitteret, modo tributa penderent.* Idem magnus ille Macedo Sidone expugnata, & Rege Stratone ejecto, in illius locum Abdolonymum quendam, nullam aliam ob causam, *quam quod longa quidem cognatione stirpi Regiæ connexus esset, licet tunc, ob inopiam hortum suburbanum exigua stirpe coleret*, ad Regium evexit fastigium, tradente Curtio *lib. IV. in princ.* & Justino *lib. XI. cap. X.*

Consuetudinem hanc Romanos quoque observasse dubio caret. Sic enim & apud illos, victo Armenio Artabazane Artaxiam filium substituisse M. Antonium, refert Josephus *lib. XV. cap. V.* quod ipsum etiam de Germanico testatur Tacitus *lib. II. annal. cap. LXIII.* Quin generalem hanc fuisse consuetudinem Romanorum, idem annotavit Flavius *lib. XIV. cap. XXVI.* ὃ γὰρ inquit ibi, de Herode, εἰς ἑαυτὸν ἀνέβη ταύτην (βασιλείαν) αἰτησάμενος. ὃ γὰρ ἐνόμιζεν αὐτῷ τὸς Ρωμαίους παρέξειν τοῖς ἐκ τοῦ γένους ἔθος ἔχοντας αὐτὴν διδόναι. Ἀλλὰ διὰ τὸ τῆς γυναικὸς ἀδελφῷ λαβεῖν ἀξιώσαν Ἀλεξάνδρῳ υἱωνῷ τυγχάνοντι, πρὸς μὲν πατρὸς Ἀριστοβούλε, πρὸς δὲ μητρὸς ὑρκανοῦ. Hæc ita vertit Gelenius: *Nunquam enim putabat Romanos hoc* (regnum) *sibi concessuros, solitis hunc honorem ejus*

Digitized by Google

ejus nationis hominibus tribuere, & ideo conjugis ſua fratri id petiturus erat, Alexandro nepoti, ex patre Ariſtobuli, ex matre Hyrcani. Locus corruptus, & præterea parum dextre a Gelenio verſus videtur. Verba enim illa: ὃ γὰρ εἰς ἑαυτὸν ἀνέθη αἰτησόμενος, prorſus otioſa ſunt, & nil niſi Græculi cujuſdam gloſſatoris manum redolent, unde a Gelenio recte omittuntur. At manifeſtiſſimum mendum miror eundem non animadvertiſſe. Quid enim? an Alexander Mariamnes, uxoris Herodis frater? Imo pater fuit, ut & Ariſtobuli junioris, quem in piſcina natantem parricidarum manu ab Herode interfectum ſupra *Cap. III.* diximus. Ipſe vero Alexander, filius fuit ſenioris Ariſtobuli, fratris Hyrcani, ipſius vero Hyrcani Pontificis gener, ut *lib. XV. cap. II.* ἀρχαιολ: & *lib. II.* Αλ. *cap. XVII.* ipſe indicat Joſephus. Omnino igitur legendum eſt: ἀλλὰ διὰ τὸ τῆς γυναικὸς ἀδελφῷ λαβεῖν ἀξιώσων Ἀριστοβούλῳ Ἀλεξάνδρᾳ υἱῷ τυγχάνοντι, υἱωνῷ δὲ, πρὸς μὲν πατρὸς Ἀριστοβούλᾳ, πρὸς δὲ μητρὸς Ὑρκανῷ.

Cæterum quod Gelenio, οἱ ἐκ τοῦ γένους, homines ejuſdem nationis, in eo mentem Joſephi minime aſſecutus eſt. Id enim indicat hiſtoricus; Herodem ideo deſperaſſe de regno, quod ſciret Romanorum eſſe conſuetudinem, iis occupatas tradere provincias, qui eſſent de priſtinorum Regum genere. Statuiſſe igitur uxoris ſuæ fratri, Ariſtobulo Regnum Judaicum a Romanis petere. Elliptica nempe eſt locutio, qua ſignificatur, Romanis fuiſſe conſuetudinem, debellata regna iis concedere, qui eſſent ἐκ τοῦ γένους, ex genere, ſive proſapia victorum ſcil. Regum. Hanc præterea Romanorum conſuetudinem, Antigonus quoque Maccabæus probat, & ad illam contra Herodem, apud eundem Joſephum *d. lib. XIV. cap. XXVII.* provocat. Nam *Silonem, militeſque Romanos* παρὰ δικαιοσύνην *Romanorum facere quæritur, qui Herodi regnum adſtruant, homini privato & Idumæo*, i. e. *ſemi-Judæo, cum id more gentis debeatur ſucceſſioni generis.*

Judæos porro Ægyptiacos, & Alexandrinos, Cyrenicoſque & alios, ſemper ſui generis Ethnarchas habuiſſe, ſuisque vixiſſe legibus, idem teſtatur Flavius *d. lib. XIV. cap. XII.* & *lib. XIX. cap. IV.* ubi de ea re edictum recitat Auguſti Cæſaris. Quod cum igitur hoc veluti commune devictarum gentium fuerit ſolatium, ut etiam in peregrinas tranſportatæ terras, ſuis nihilominus viverent legibus, ſuiſque generis parerent Toparchis, tanto profecto credibilius eſt, Babylonicis Judæorum coloniis idem jus conceſſum fuiſſe, quanto certius ex Divinis liquet Scripturis,

Digitized by Google

non tantum Danielem totius Regni fuisse Pro-Regem, omniumque Toparcharum confirmationes in manu habuisse, sed etiam socios illius: Sadrach, Mesach & Abednego, ipsius consilio & instinctu a Nebucadnezare, Satrapas regni fuisse constitutos. His enim sic stantibus, an credibile est, divinum illum Danielem populi sui, imo Ecclesiæ DEI, omnem abjecisse curam, aut magnos illos tres viros, alias sibi popoſcisse provincias, quam illas ipsas civium suorum colonias?

Sed quid conjecturarum opus adminiculis, cum de exulantium Judæorum Principibus præclara Scripturarum extent testimonia. *Producta instrumenta*, inquit Esras *cap. I. n.* 8. *Cyrus Rex Persidis, per Mithridatem præfectum ærario numeravit Schesbatzari, Principi Judæorum.* Atqui Schesbatzar ille, ipsissimus Zorobabel, nepos Regis Jeconiæ est, quod verba edicti Cyri probant, apud Josephum *lib. XI. cap. I. Misi eo etiam præfectum ærarii mei, Mithridatem, & Zorobabelem Principem Judæorum.* Habuerunt itaque in Babyloniam deportati legitimum Principem, eumque Regii sanguinis, Zorobabelem.

Erant præterea Principes paternarum familiarum, qui & ipsi suum in Coloniis intactum habuerunt ordinem, id quod ex Esra, Nehemia, & Josepho, omnium vero optime ex Ezechiele, probari potest. Ad illum enim Senatores hujusmodi, consultandi causa crebro confluxisse, ex *cap. VIII. cap. XIV.* & *cap. XX.* apertissime liquet.

Non prorsus igitur abs re est, quod, referente Clarissimo nostro Gerhardo. Rab. Moses & R. Salomon ad vaticinium nostrum reliquerunt, *DEUM* scilicet *populum suum in captivitate Babylonica per Sanhedrin gubernasse*: & quod in ipso Talmud. *lib. Sanhedrin cap. XI.* legitur: *sceptrum penes exules in Babylone remansisse.* Natum inde quoque est, ἀιχμαλωτάρχων vocabulum, quasi dicas bello captorum, coloniarumve principes, quorum quanta apud suos fuerit auctoritas, proverbium docet Judæorum, quod Illustris Scaliger *n.* 2112. *ad Euseb.* in hæc verba adducit: ἀιχμαλωτάρχης τῇ βαβυλῶνι ἐξοχώτερ & ἄρχοντος τῆς γῆς Ισραὴλ, *Æchmatotarcha in Babylone excellentior est, quovis Principe in terra Israel.*

Porro Judæos in Babylonem deportatos, certam Reipublicæ formam, cum αὐτονομίᾳ quadam politica obtinuisse, inexhaustæ quoque illæ, & incredibiles arguere mihi videntur divitiæ, quibus, qua splendidissimarum possessionum latifundia, qua auri & argenti ingentia pondera, affluebant. Ad tantas enim opes, si non populariter, ut Domini, & patres-fami-

Digitized by Google

familias in colonias deducti, sed ut adscriptitii servi; vel saltem extremissimæ plebis decermina, sparsim hinc inde alieni magistratus, & vicinorum injuriis expositi fuissent, adspirare nunquam potuissent. Ad delicias autem usque suaviter habitasse ἀπῳκισμένους Judæos, illud indicio esse potest, quod jure postliminii impetrato, maxima pars Babylonicis maluit inhærere affluentiis, quam cum fratribus in Judæam reverti, & ibi recidiva ponere Hierosolyma, de qua re sic Josephus *l. XI. cap. I. Multi maluerunt remanere apud Babylonem, non sustinentes possessiones relinquere.* Et hoc eod. Cap. *Atque hunc in modum Sacerdotes, & pars quædam populi Judæorum ad habitanda Hierosolyma sunt deducti; reliqua vero multitudo domos quisque suas rediit.*

Vides, partem tantum populi rediisse in Judæam, reliquam vero multitudinem resedisse in Babylonica. Qualis porro fuerit illa multitudo, proverbium Judæorum, quod ex Rab. Eleasare, Paulus Staffelsteinius, Judæus conversus, ad *Psalm. XXII.* adducit, explicare poterit, dicebant enim Judæi, *furfures in Judæam rediisse, siliginem mansisse in Babylonia:* quod prorsus coincidit cum illo, quod ex Scaligeri *animad. Euseb.* modo produximus.

Auri denique, & argenti regias possedisse gazas Judæos Babylonicos, summa illa liberalitas principum paternarum familiarum arguit. Esræ, siquidem *cap. II. n. 69.* legitur, illos ad structuram templi pro modo facultatum suarum voluntarium contribuisse stipendium, auri drachmas, semel & sexagies mille: argenti vero pondo, seu minas, quinquies mille, id est, si siclos, & minas sanctuarii ad nostram redigas monetam, 122000 ducatorum, & 150000 Joachimicorum. En tibi Regiam liberalitatem. Quam alia quoque, minor quidem, sed nec sic quidem aspernanda, tempore secundæ deductionis, sub Dario factæ, secuta est. Refert enim Josephus *lib. XI. cap. IV.* Judæos Babylonicos fratribus in Judæam tunc remeantibus, in impendia viarum centum minas auri, & quinquies mille argenti, i. e. 12000 ducatorum & 75000 Joachimicorum erogasse. I nunc, & cum Cornelio a Lapide (in *cap. III. Ezech.*) dic ἀπῳκισμένους illos in ergastula, & operas detrusos fuisse rusticas.

Denique necessarium quodammodo mihi videtur fuisse, qualemqualem formam Reipublicæ superesse deportatis, tum propter Ecclesiam, quæ tunc temporis, in solis istis Regni Judæ ruderibus consistebat, tum propter promissum reditum in terram Judaicam, tum propter sanctum illud semen Messiam, ut divinus Esaias *cap. VI. in fin.* indicat. Prommittit

Digitized by Google

enim ibi deportatis, fore ut etiam in derelictione ſtatum aliquem Reipub. retinerent. Ut enim quercus & lilia autumnali afflata frigore folia quidem abjiciunt, ſubſtantiam tamen formamque arboris retinent: ita populum quoque Judaicum in longinquas Regiones deductum, flores, & decus regiminis quidem amiſſurum, formam tamen qualis qualis ſervaturum regiminis, idque ſub Principibus de radice Juda. Atque hanc quidem Prophetiam adimpletam fuiſſe, ex ſuperius deductis, niſi forte quis φιλοκεινῶς reclamare geſtiat, conſtare arbitror.

Soluta porro ἀποικίᾳ Babylonica, quomodo in Republ. Judæorum, ἀνακτοτελειωταρχία cœperit, & ad tempora usque Herodis Aſcalonitæ, ſine ulla interruptione ſucceſſionis Principum de tribu Levi perſeveraverit, ſupra *Cap. II.* & *III.* ex hiſtoria, qua Sacra, qua Profana deduximus, quæ hic repetere, niſi quidem acta agere, & liberali otio turpiter abuti velimus, neceſſe non eſt.

CAPUT XI.

Herodis Aſcalonitæ familia recenſetur, illumque ἀλλόφυλον fuiſſe demonſtratur. Euſebius emaculatur, illinsque ex Africano, ut & Epiphanii error detegitur. Ananelus, qui Herode regnante Pontificatum ſuſcepit, quis fuerit. Geleniana verſio Joſephi notatur. Mendumque ex Græcis codicibus detegitur. Alius Joſephi locus expenditur, & emendatur.

DE Ananelo, & qui illum Pontificem conſtituit, Herode Rege, jam agendum, & tempore illo, quo promiſſus Patribus Meſſias mulieris ſemen ſuſcepturus erat, inſtante, ἀνακτοτελειωταρχίαν Judæorum ſublatam, Regnumque ab Herode, hujus vero auſpiciis, Pontificatum ab Ananelo, hominibus non de *interpedes* Juda, ſed peregrinis, occupatum fuiſſe, demonſtrandum eſt.

Herodes igitur illo ἀρχῆθεν non Judæus ex Jacobo, ſed ex Eſavo Idumæus fuit, Patre Antipatro, matre vero Cypro Arabiſſa progenitus. Sic enim de illius origine Joſephus *lib.* XIV. *cap. II. Amicus quidam Hyrcani Idumæus nomine Antipater, vir pecuniosus, & natura ſtrenuus. Quamvis Nicolaus Damaſcenus hujus genus a primatibus Judæorum,* (vides jam inde a Chriſtiani ſæculi primordiis id egiſſe Satanam, ut vaticinii noſtri obſcuraret fidem,) *qui in Judæam venerunt e Babylone deducat,*

Digitized by Google

ducat. Sed hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii (cui hic Nicolaus, ut idem teſtatur Joſephus *lib. XVII. cap. VII.* amicitia, & domeſtica conſuetudine erat conjunctiſſimus) *quem fortuna ad Judæorum regnum evexit. Hic Antipater primum vocabatur Antipas, eodem, quo pater ipſius nomine, quem ab Alexandro* (Maccabæo) *Rege, ejusque uxore conſtitutum ducem totius Idumææ ferunt amicitias Arabum, Gazæorum, Aſcalonitarumque coluiſſe, multisque eos ſibi conciliaſſe muneribus.* Et rurſus eod. lib. *cap. XII. Antipater plurimum apud Caſſium potuit, & maximam inter Idumæos auctoritatem habuit, apud quos duxit uxorem illuſtri inter Arabes natam loco, Cypron nomine, ex qua quatuor ei nati filii, Phaſaelus, Herodes, qui poſtea regnavit, Joſephus, & Pheroas, & filia Salome.* His gemina in *Canon. Chron.* conſignavit Euſebius Ἡρώδης Ἀντιπάτρᾳ τῷ Ἀσκαλωνίτῃ παῖς, καὶ μητρὸς Κύπριδος Ἀραβίσσης, ὃ δὲν αὐτῷ προσήκουσαν τὴν Ἰουδαίων βασιλείαν ὑπὸ Ρωμαίων ἐχειρέτεται, i. e. *Herodes Antipatri Aſcalonitæ filius, & matris Cypridos Arabiſſæ nihil ad ſe pertinens regnum Judæorum a Romanis accepit.* Idem Euſebius *lib. I. hiſt. Eccl. cap. 7.* ex Julio Africano cauſam quoque reddit, ob quam familia hæc Aſcalonitarum cognomine appellata fuerit. Τῶ γὰν σωτῆρος, inquit, οἱ κατὰ σάρκα συγγενεῖς εἴτ' οὖν φανητιῶντες, εἴθ' ἁπλῶς ἐκδιδάσκοντες, πάντως δ' ἀληθεύοντες παρέδοσαν καὶ ταῦτα. Ὡς Ἰδουμαῖοι λῃσαὶ Ἀσκάλωνι πόλει τῆς παλαιστίνης ἐπελθόντες, ἐξ εἰδωλίου Ἀπόλλωνος, ὃ πρὸς τοῖς τείχεσιν ἵδρυτο Ἀντίπατρον Ἡρώδου πατρὸς ἱεροδούλου παῖδα, πρὸς τοῖς ἄλλοις ἱεροσύλοις ἀιχμάλωτον ἀπῆγον. Τῷ δὲ λύτρα ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ καταθέσθαι μὴ δύνασθαι τὸν ἱερέα, ὁ Ἀντίπατρος τῆς τῶν Ἰδουμαίων ἔθεσιν ἐντραφεὶς, ὕστερον ὑρκανῷ φιλιῶται, τῷ τῆς Ἰουδαίας ἀρχιερεῖ. Hæc Wolffgangus Muſculus in *cap.* IIX. rejecta, ita interpretatur: *Cognati vero Chriſti ſecundum carnem, ſive manifeſtandi, ſive ſimpliciter docendi gratia, omnino tamen quod verum eſt, docentes, etiam iſta tradiderunt, quomodo latrones Idumæi in Aſcalonem Palæſtinæ civitatem irruentes, e templo Apollinis, quod muris adjacebat, Antipatrum Herodis cujusdam templi illius miniſtri filium, una cum aliis ſpoliis captivum abduxerint. Cum vero Sacerdos filium redimere non poſſet, Antipatrum Idumæorum moribus educatum, tandem in amicitiam Hyrcani ſummi Judæorum ſacerdotis perveniſſe.* Africani hæc confirmat quoque Epiphanius *lib. I. Tom. I. hæſ.* 20. ubi addit, *Herodem in Idumæa natum, cum Patre tamen tandem collatilia ſtirpe civium liberatum rediiſſe in Aſcalonem, indeque Aſcaloniten dictum.*

Sed

Digitized by Google

Sed vana hæc, imo fabulosa esse, illustris Scaliger, ad *d. loc. Canon. Eusebiani*, & qui illius vestigia sequitur ὁ θαυμάσιος Casaubonus *Exerc. I. contra Baron. c. III.* ostendit. Equidem ut in his talibus fieri assolet traditionibus, falsa veris permixta censeo. Nam Antipatrum Herodis cujusdam Apollinaris apud Ascalonitas fuisse ædituum, raptumque a latronibus Idumæis, quod a patre redimi non posset, Idumæum factum, falsa esse, multa sunt apud Josephum, quæ evincunt. Tradit enim ille, Herodis avum fuisse Antipam illum, quem Alexander Maccabæus bello subactæ Idumææ (procul dubio & generali illa consuetudine, de qua *Cap. præced.* multa diximus, quod scilicet Antipas ille victum Idumæorum Principem sanguine contingeret) Toparcham constituit.

Unde haud dubie colligitur, Herodis majores, viros fuisse clarissimos & summo loco natos. Ortum vero illos ex Ascalone urbe Philistæorum maritima, quæ populo Judaico, ut ex Sacris scitur Scripturis, & ipse Josephus quoque *lib. III. Ἀλ. cap. I.* testatur, semper infesta, infausta quoque peperit, duxisse, Ascalonitarum agnominatio indicat: nec vero dissimile est, illos aliquando in ista urbe sacerdotium obtinuisse. Unde me conjecturæ meæ, qua jam olim in Eusebio ἀντὶ τῦ Ἀντίπατρον Ἡρῴδε τινὸς ἱεροδύλε παῖδα, legendum esse conjecturabam: Ἀντίπατρον Ἡρώδε τινὸς ἱεροδύτε παῖδα, nondum pœnitet. Sane ipse Eusebius Herodem hunc hoc ipso loco ἱερέα vocat, ut dubium non sit, odio Herodis veram scriptionem ab antiquissimis etiam temporibus immutatam fuisse.

Ceteroquin non ignoro, & illustrem Scaligerum, & incomparabilem Casaubonum Eusebio, ceterisque sanctis Patribus valde iratsci, quod Herodem & proselytum & aligenigenam passim appellitent, veruntamen nec hoc ignoro, summos illos Viros injuria optimis iratsci Doctoribus, quam disceptationem commodiori diei & loco, servamus. Sufficit nunc indicasse, id quod nec Scaliger, nec Casaubonus inficiantur, Herodem patre Idumæo, matre vero natum Arabissa. Cum enim jura sanguinis a natura dependeant, & propterea immutabilia sint, impossibile omnino est, ex Esavi progenie descendentem Idumæum, simul esse de *interpedes* Jacobi, vel Judæ, i. e. φύσει, ut D. Paulus ad *Philip. II. n.* 15. loquitur, Judæum.

Missio igitur Herode, Ananelum in partes vocabimus. De illo sic Josephus *lib. XV. cap. II. Quin & aliis artibus procurabat, quidquid putabat sibi ad conciliandum principatum conducibile, unde tamen domestica se-*

Digitized by Google

seditionis nata occasio. Cavens enim, ne quis illustrium crearetur Pontifex, accito Babylone non obscuri generis sacerdote Ananelo, huic summum sacerdotium dedit. Sic vertit Gelenius, qui aut vitioso usus codice, aut ipse deceptus in illo, quod Josephus *cap. seq.* Ananelum hunc Pontificii fuisse generis asserit, textum corrupit. In Græcis enim codicibus sic legitur: φυλαττόμενος γάριστινα τῶν ἐπ ἡμῶν ἀποδεικύειν ἱερέα τοῦ θεοῦ, μετα-πεμψάμενος ἐκ τῆς βαβυλῶνος ἱερέα τῶν ἀσηματέρων Ἀνάνηλον ὀνόματι. τούτῳ ἀρχιερωσύνην δίδωσιν. i. e. *Cavens enim nequis illustrium crearetur sacerdos DEI, accito ex Babylone obscuri generis sacerdote Ananelo nomine, huic dedit Pontificatum.* Sane etiam Rufinus a Gelenio additam negativam illam non agnoscit. Vertit enim: *invitavit ex ignobilissimis sacerdotem.* Consentit præterea Johann. Sprengenius & Zacharias Menzerus, auctores versionis Germanicæ, qui hunc locum sic reddiderunt: **Derhalben er von Babylon / einen Priester / mit Namen** Ananelum, **von geringer Ankunfft / erfordert.** Genuinam denique hanc esse scripturam, ipse Josephus indicat, qui *lib. XX. cap. IIX.* sic de hac ipsa re commentatur: τὴν δὲ βασιλείαν Ἡρώδης παρὰ Ῥμαίων ἐνχειρισθεῖς οὐκέτι τοὺς ἐκ τοῦ Ἀσαμωναίου γένους κατίστησεν ἀρχιερεῖς, ἀλλὰ τησὶν ἀσήμοις, καὶ μόνον ἐξ ἱερέων οὖσι. Hæc laudato Josepho sic ferme exprimit Eusebius *lib. I. histor. Eccles. cap. 7.* vertente Musculo: *Herodes accepto a Romanis regno, summos sacerdotes non eos amplius constituit, qui essent ex antiquo sacerdotum genere, sed sacerdotium ignobilibus, & obscuris hominibus deputavit.*

Sed audiamus, quæ præterea Josephus de hoc Ananelo *d. lib. XV. cap. III.* ὁ δὲ βασιλεὺς *inquit*, Ἡρώδης, εὐθὺς μὲν ἀφαιρεῖται τὴν ἀρχιερωσύνην Ἀνάνηλον, ὄντα μὲν, ὡς καὶ πρώτερον εἴπομεν, οὐκ ἐπιχρώιον, ἀλλὰ τῶν ὑπὲρ Εὐφράτην ἀπῳκισμένων Ἰουδαίων. οὐ γὰρ ὀλίγαι μυριάδες τούτου τοῦ λαοῦ περὶ τὴν Βαβυλωνίαν ἀπῳκίσθησαν. ἔντεν ἦν Ἀνάνηλος, ἀρχιερατικοῦ γένους, καὶ πάλαι κατὰ συνήθειαν Ἡρώδῃ σπουδαζόμενος. i. e. Gelenio interprete: *Rex Herodes confestim pontificatum abrogat Ananelo, viro peregrini generis, utpote nato ex Judæis ultra Euphratem olim traductis ab Assyriis ut ante diximus. Multa enim millia hujus generis Babyloniam incolebant, unde & hic erat, a Pontificibus alioqui oriundus, & Herodi jampridem notus familiariter.* Quomodo ergo, inquit, Pontificatus, in hominem ἀλλόφυλον translatus, si Ananelus, hic non tantum Judæus, sed etiam ex Pontificum stemmate, vel ipso Josepho teste, oriundus fuit?

Digitized by Google

Ad utrumque, sed κατὰ πρωθύστερον, respondebimus. Ananelum igitur vel de genere Judaicorum fuisse Pontificum, vel illud usquam scriptorum suorum prodidisse negamus, Flavium. In antiquissimis enim Josephi codicibus totam hanc, quam modo adduximus, περικοπὴν, olim non extitisse inde manifeste colligitur, quod in Rufini versione de illa nec vola, quod dicitur, nec vestigium appareat. Sprengenius, & Mentzerus, qui codices Græcos diligenter consuluisse dicuntur, agnoscunt quidem paragraphum hunc, sed exclusis illis, quæ Ananelum de semine Pontificum fuisse tradunt, sic enim locum hunc exprimunt; Dann viel tausend aus dem Jüdischen Volcke in das Babylonische Land hinweg geführet worden sind/ und ist auch dieser Ananelus von solchen Juden bürtig/ und vorlängst des Herodis guter Bekanter gewesen; Non legerunt itaque verba illa ἀρχιερατικῆ γένος.

Præterea contradictionis, quæ hic deprehenditur, implicatio, quid aliud quam vel νοθείας, vel corruptæ scriptionis, præ se fert indicium. Si verum est, quod Josephus reliquit, Ananelum fuisse ἐκ τῶν ἀσημοτέρων, i. e. obscurum terræ Babylonicæ filium, utique falsum erit, eundem fuisse ἐκ τῆ ἀρχιερατικῆ γένος, quod apud Judæos semper, præsertim vero illis temporibus, ἐπισημότατον, i. e. illustrissimum, Regiæque prorsus dignitatis erat. Deinde si verum est, quod Josephus hoc ipso paragrapho tradidisse dicitur, Ananelum fuisse ἐκ ἐπιχωρίου, sed ex illis Judæis, qui ab Assyriis olim ultra Euphratem abducti fuerunt: utique falsum erit, illum fuisse ex genere Pontificum Judaicorum, qui ut sup. *Cap. VI.* ex Sacris demonstravimus, adeo non fuerunt consortes apostatici regni Israelitici, ut ne minima quidem Levitarum familia in illo manserit residua. Quod cum igitur, virum gravissimum, prudentissimumque Flavium Josephum tam manifestarias ἐναντιολογίας simul protulisse, citra calumniam asserere non possumus, fateamur necesse est, illam περικοπὴν vel notham, vel corruptam esse: Si prius amplectimur, ὁμόψηφον habere possumus Rufinum, & quoad verba controversa, auctores versionis Germanicæ: sin posterius, negativam excidisse dicendum erit, qua restituta, omnis sublata erit contradictio. Scribendum igitur: Ἔντεν ἦν Ἀνάνηλ@, ἐκ ἀρχιερατικῆ γένος, καὶ πάλαι κατὰ συνήθειαν Ἡρώδη σωνδαζόμεν@. Et vertendum: *Inde Ananelus erat non quidem ex Pontificio genere, quamvis* (ita hoc loco τὸ καὶ pro καίπερ reddendum est; quo sensu etiam apud alios idoneos occurrit Scriptores) *ob veterem consuetudinem Herodi esset in pretio.*

Vides.

Digitized by Google

Vides igitur falſum eſſe, Ananelum fuiſſe ex ſanguine Judaicorum prognatum Pontificum. At inquis, Judæus tamen fuit, & quidem ſacerdos. Fateor: ſed quia in regno Iſraelitico, unde Ananelum fuiſſe dicit Joſephus, Sacerdotes non ex Levi erant, ſed, ut *Cap. VI.* demonſtravimus, ejectis Levitis, ſacerdotia quibuſvis indifferenter conferri moris erat, quis certo definierit, an hic Ananelus ex ἀρχῆθεν Judæis, an vero ex proſelytis fuerit. Poſterius certe affirmat Nicephorus, qui illum ἀλλοέθνη, & Cedrenus qui ἀλλόφυλον appellat. Et quid ſcio, an non hoc ipſum ex Joſepho, quem ſuæ ſententiæ auctorem laudat Cedrenus, evinci poſſit. Neque enim Ananelum ſimpliciter Ἱερέα ἀσημότερον ſacerdotem obſcurum, ſed ſatis emphatice Ἱερέα τῶν ἀσημοτέρων nominat, certam nempe genus Sacerdotum indicans.

At quinam illi ἀσημότεροι? Illi ipſi, ut opinor, de quibus *Eſr. cap. II. n.* 59. Dicitur quod excuſſis libris genealogicis non potuerint indicare familiam majorum ſuorum, nec ſemen eorum utrum ex Iſraelitis eſſent. Et hoc ipſum vox ἄσημος quoque indicare videtur, quæ ſonat ignotum, qui nullo ſigno notatus, aut nobilis eſt. Plane cum oraculum Divinum illis temporibus, quibus venturus Meſſias, Pontificatum ad hominem, qui non de *interpedes* Juda, delatum iri prædicet, equidem non dubito Ananelum hunc cum Nicephoro & Cedreno ἀλλοέθνη & ἀλλόφυλον fuiſſe, aſſererem.

Sed tamen demus, Ananelum ἀρχῆθεν fuiſſe ex Judæis Iſraeliticis, neque ſic tamen nobis quidquam obſtabit, quin illum reſpectu noſtri oraculi, quod de regno Juda tantum loquitur, ἀλλόφυλον fuiſſe dicamus. Quicunque enim non ex tribu aliqua de regnum Juda pertinente oriundus eſt, reſpectu illius proprie eſt & dicitur ἀλλόφυλος. Stat igitur fides oraculi noſtri, quam nos tunc egregie exſolutam fuiſſe concludimus, cum Herodes ille patre Idumæus, matre Arabs, Regnum Judaicum Maccabæis vi doloque extorſit, illoque occupato, & Judæorum ἀνακτοτελειωταρχίᾳ ſublata, Ananelum, ἀλλόφυλον ἀλλοφύλῳ Pontificatum tradidit.

Caput XII.

Quomodo gentes adhæſerint Chriſto, oſtenditur. Προσφώνημα *ad Judæos.*

CHRISTO Meſſia jamjam in carnem veniente Sceptrum, & Pontificatum ad homines peregrinos, juxta Oraculi noſtri prædictionem,

Digitized by Google

translata fuisse demonstravimus: nunc de obedientia, & fide, quam eidem omnes orbis terrarum populos exhibituros canit Divinus noster, pauca subnecto.

Conspicua autem illa facta est, cum JESUS CHRISTUS Dominus noster post glorioſum resurrectionis triumphum super omnes cœlos elevatus, & ad dexteram Patris collocatus, Spiritu Sancto in Apostolicam effuso gentem, prædicationem Euangelii sui, fulguris instar, in omnes totius mundi partes effudit. Quantilli enim temporis spatio, quanta regna, quantæ gentes, inermi prædicationis ministerio, in fidei Christianæ obedientiam pertractæ sunt? Unica concione D. Petrus quot millibus conversionis prodromum immisit timorem? quot millibus ad Sacramenta Novi Fœderis concursantibus Characterem Domini baptismatis unda inscripsit? Divinus vero ille Paulus quam paucis annis totam ferme Asiam Christo subjecit? Certe non præter rem, quamvis calumniandi animo, clamant Judæi Thessalonici & Ephesini, hunc Paulum, & socios illius, esse, qui totum orbem terrarum prædicatione sua concutiant, *Actor. cap. XVII. n. 6. & cap. XIX. n. 26.* Nec Asia contentus, Doctor & Ductor ille Gentium, Europam quoque invasit, atque adeo non tantum in Thessalonia, sed etiam ipsa idolomaniæ æterna metropoli Róma, tantum Christianæ fidei excitavit incendium, ut Spiritualibus illis flammis totus mundus colluſtratus fuerit, de quo invictissimo Euangelicæ prædicationis progressu, ipse Deo gratias agit in divina illa ad *Romanos, cap. I. n. 8.* & ad *Thessal. cap. I. n. 8.*

Et ne in propria causa testimonium ipsum sibi dicere calumnia causetur, audiamus etiam Justinum Martyrem, ἔδει, inquit ille in *Tryph.* ἄλως ἐϛὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε ἑλλήνων, εἴτε ἁπλῶς ὁτινι οὖν ὀνόματι προσαγορευομένων, ἢ Ἀμαξοβίων, ἢ ἀοίκων καλουμένων, ἢ ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων οἰκούντων, ἐν αἷς μὴ διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ϛαυρωθέντος Ἰησοῦ εὐχαὶ, καὶ εὐχαριϛίαι τῷ πατρὶ, καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων γίνωνται. i. e. *Nullum est genus hominum sive barbarorum*, (Sic Græci reliquas omnes vocabant gentes. Vid. Scaligerum ad *Fest.* & Taubmannum ad *Scen. 1. Act. II. Menæch. Plaut.* & noviſſime Gerhardum ad *n. 14. cap. I. Epiſtol. ad Roman.* quod poſtumum opus magni illius viri optimo filio D. Johan. Erneſto Gerh. Chriſti debet Eccleſia) *sive Græcorum, sive ſimpliciter nomine quovis nominatorum, sive Hamaxobiorum, sive eorum quæ domos non habent, sive ſcenicolarum paſtorum, in quibus non per nomen JESU crucifixi, preces, & gratiarum actiones Patri, & effectori omnium concipiantur.*

Ar-

Digitized by Google

Arrige tu jam aures, Verpe, recutitaque ſabbata pallens, Judæe, erige frontem, ſi quam habes, & nega illum, quem nos verum DEUM, verum HOMINEM, quotidianis devote adorationibus colimus, illo tempore natum eſſe, quo Idumæus Herodes non tantum regnum veſtri ſanguinis Principibus, ſed & Pontificatum extorſit: & ne plures eodem tempore infantes natos fuiſſe ad calumniam trahas, dic nobis, quis ex omnibus illis tantam ſibi obedientiæ gloriam prædicatione Euangelii per omnes univerſi Orbis terrarum populos conciliaverit; monſtra illum, qui nova ſibi Eccleſia conſtituta Synagogam veſtram abrogaverit, gentium idola deſtruxerit; nomina, qui mortem moriendo vincens propria virtute, a mortuis reſurrexit; exhibe pacificatorem illum, qui, quod vobis olim peculiare erat, ut ſoli ex omnibus mundi gentibus DEI eſſetis populus, toti mundo communicaverit, exhibe, inquam, aut ſi non potes nobiſcum JESUM CHRISTUM, Filium DEI ab æterno, Filium Virginis a conſtituto tempore, in quo omnia, quæ de Schiloh προπάτωρ tuus divinus Jacobus prædixit, adimpleta vides, verum agnoſce Meſſiam.

Surge de veterno impietatis tuæ, ut JESUS te illuminet; ac typicas abjice indicatrices Meſſiæ cærimonias, ut ipſe te in Novi Teſtamenti ſui recipiat fœdera; agnoſce errorem, deprecare blaſphemias, poſce ſeria pœnitentia veniam, & eandem ſenties CHRISTI miſericordiam, quam Abraham impetravit; Iſaac adoravit; Jacob prædicavit. Patet adhuc janua vitæ, clamat adhuc JESUS noſter: convertimini, convertimini, ad quid moriemini domus Iſrael. Noli igitur cum majoribus tuis tempus viſitationis gratiæ negligere! Noli contra ſtimulum calcitrare, ſed convertere, ut vivas, id quod tibi calentis animi precamur affectu.

Digitized by Google

DE CAUSIS AMISSARUM

QUARUNDAM

LATINÆ LINGUÆ RADICUM,

Uti & multarum Vocum derivatarum.

CHRISTIANI DAUMI

DE LATINÆ LINGUÆ

ANALOGIA & USU

Commentationum

ΑΠΟΣΠΑΣΜΑΤΙΟΝ.

Digitized by Google

מן אלה אלמבתרא
ואליה אלמנתהי:

LECTORI,
LATINÆ LINGUÆ STUDIOSIUS,
ac ardentius dedito,

Salutem a CHRISTO Servatore, Liberatoreque decumanam.

PRovinciam, in Dictatura rei literariæ Scholasticæ, quam DEI nutu, & indultu nactus primam, quum & Mihi pro virili, & ἐκ καθήκε sive officio, ut Cicero loquitur, ornare tum statim animus esset, in id operam dedi, ut cupide discentibus meis ad Latinæ Linguæ puritatem, atque elegantiam, juxta Artes Dicendi, sive Logicas; viam non per ambages deviam, & aviam sed perviam eundam, monstrarem.

Licet autem a majoribus nostris, retro fere cunctis seculis fundamenta, in & ad illam Latinam feliciter jacta: tamen ob nimium ejusdem latentis difficultatis, qua & invictam Herculis sagacitatem quam diutissime possit remorari, intricatum laborem; multa intacta, & quasi Spicilegium copiosum, aliis relicta sunt. Quod & ante nos viderunt plurimi. Sic enim Augustinus Saturnius (qui vir tota mente, totoque animo, dum vixit, in hanc unicam curam instituit, ut repurgaret ab erroribus &c. ut scribit Nicod. Frischlinus in Præfat: ad Strigilim) Ecquis, *inquit*, ecquis relictis a tergo Prisciani, relictis Laurentii bonis inventis in anteriora nitens, novi aliquid e tenebris eruit, cum prope innumera sint, quæ servata optimis Auctoribus, ignorata superioribus Grammaticis, proh pudor, mortua, sepultaque jacent. *Idem Saturnius* lib. 6. c. 11. In quo, *inquit*, simul etiam apparet nostratium Grammaticorum socordia: qui, dum Prisciani sapientiam, Laurentii acumen attoniti suscipiunt, nihil præterea quærendum putant: perinde quasi aut huic arti colophonem ipsi imposuerint: aut ignorari necesse sit, quidquid illi non tradiderint.

Unde a tot Philologis, & Criticis hodiernum doctissimis, in longe hinc dissitis regionibus imprimis, ad Barbariem profligandam, Latinamque Linguam ampliandam, multa insuper protracta, continuata, ac firmata sunt, ut clarere, vigere, florere indies mascule inceperit: sed dispersè, & hinc inde diffuse in tot suis libris, & voluminibus, ut e sexcentis

centis vix unus, & alter docentium, ne dicam discentium singulos, & universos sibi eorundem libros comparare, inspicere, & lingua usurpare possit.

Atqui tamen quia illa erudite, sapienterque tradita, essent dignissima non cedrò, ut sunt: sed & ut juventus literis dicata cognosceret, sciret, teneret: ne tam varii libelli ob ingeniorum discrepantes sententias in Latinis addiscendis sese ubivis locorum ingererent, obtruderentque.

Ipsemet (præeuntibus aliis suo modo, ac modulo Discendi, ac Docendi Methodos undiquaque convasantibus) prævio Varrone in Libris suis de Lat. Ling. & aliis Lexico-graphis non contemnendis METHODUM Ling. Lat. addiscenda ex Naturæ principiis; *ex* intima Analogia; *ex* Usu præpolleute *in concinniorem formam deducere sui excitus. Sed in privatum commodum tantum: quando propter multorum librorum inopiam, & defectum, aliaque ἐμποδίσματα mentis cogitata, METHODIQUE meæ incepta, atque proposita; non, ut vellem, & deberem ad illam parvam Cynosuram, quam sub axe: sed ad Helicen dirigere, & disponere cogebar.*

Perspecto autem conatus istius mei perquam felici progressu; & quia is qui viderat, favebat, processumque ex literatissimis non unus volebat,

GYMNASII

Partem primam de VERBIS, ut potiorem, ad Latinam Linguam facile, ac feliciter addiscendam, Anno M DC XXII. in lucem prodire annui, & aquissimo Lectori aquissime dijudicandam posui: maxime ut Eruditorum, Litteratissimorumque censuram, sententiam, ac judicium exploratum cognoscerem, num nam

MODUS, METHODUS, ac VIA
ejuscemodi
sit Regia, Plana, Legitima?
vel
tanquam Mercurialis statua viam
præmonstrans
citra omnem euntis aberrationem
ad
LINGUAM LATINAM
docendam, atque discendam.
Et an sit
Con-vel uni-forme, consonum, ac constans
FUNDAMENTUM
Illius?

Aut

Digitized by Google

Aut si nuncubi errarim, errorum, atque opinionum admonitus, conformentur vitiosa, & corrupta emendentur.

Verum enim vero temporis interea nulli nisi Zoili, Theones venenati, discipuli Calpurniani, (Hieronym. in Apol. 3. c. 18. Apulej. in Apolog.) *apparuerunt; & Laverna non furum: sed detrectatorum ad nos traducta plurima, quibus impune (ut eorum fert opinio) cornicari lubitum; & tanquam ex veteri convitia de plaustro spargere, famamque alienam ereptum ire, & si illos penes rerum summa, vel famem, ventosa sua lingua* (Maronis verba) *addant. Quum tamen, DEO aliter disponente, Glaucia similes isti: a quo C. Marius splendidior, quum eum (Glaucia) iratus vituperabat, quam qui eundem laudabat, factus.* Cicero in l. de resp. Aruspicum, & l. 3. Orator. 3.

Posthabito igitur illo labore, Provincia Latii a me deserta; dataque opportunitate εὐκαιρίαν *observitans, Orientalem ingressus, ejusdem Linguarum quid operæ ob alias etiam rationes impendi; non quidem pœnitendæ, uti Specimina progressionis, itidem* Docendi, ac Discendi, *pro talentulo a DEO concesso, ad oculum ostendunt, quæ partim in palam meis impensis, cum rei familiaris dispendio propalavi: partim condita servare propter Musarum famem adigor.*

Nihilominus Fato divinitus quasi monitus, & illo Joh. Chrysostomi (Homil. 24. Antiochen.) *Fulgeas vita, nec Calumniantium geras curam. Non est enim virtutem curantis, non habere multos inimicos. Proinde rei literariæ ut meis qualibus qualibus inservirem, ante quinquennium, puta Anno M DC XXXVI. ubi nos quietis, & pacis melior aura, post Martis, & Mortis truculentiam desævitam, adspirabat, de edundis iterum cogitans, nempe PRÆCOGNITIS: REGULIS, sive METHODO: & LEXICO.*

PRÆCOGNITA

in prægustum e septis, itidemque sumptibus meis dispendiosis exire passus sum.

In quibus ea quæ scitu præneceßaria ad Latinam Linguam, quoad cognitionem confusam, &c. ut liquet.

Quæ, REGULAS, METHODUM, (in qua Docentibus, & Discentibus consultum itur, ut spontis suæ Latina tractare, non adminiculante alio, possint) cum

GYMNASIO

excepissent.

Dum tandem LEXICON insequatur, quo

LATINÆ LINGUÆ

Digitized by Google

PRIMA & VERA THEMATA
LATINA
cum ſuis omnibus inde ortis,
ex
Ipſis Latina Linguæ Auctoribus, multorumque Criticorum, & Philologorum præſtantium obſervationibus ſecundum
ANALOGIAM
veram, & facilem, cujus fundamentum
eſt
HARMONIA
Linguæ primævæ,
exhibeantur.

Cui & Barbara, & minus Latina inſperſa; aliaque Critico labore, & ſtudiis non indigna, aut inferiora.

Quia vero nec dum voto reſpondebat meo eventus, atque ſubtimidus de plurimis adhuc ambiguus hærebam; quum meos unius humeros ad omnium lectionem (propter alia expediunda) & labefacta fulciendo non viderem, nec eſſet, qui intelligendo rem mecum aggreſſurus ſubadjuvas manus afferret, denuo labores iſtos manibus ſemovi. Præſertim remoras non unas interim moroſas ſuſtinens a Martis furiis, & turbis, aliquot annos turbulentis; ubi apud nos locus ἄμυσσ, & quies, ac malacia nulla ſtudiis dabatur condigna, nec occaſio;

Donec tandem Spiritus Sancti impetu,

—— non etenim ſine Numine Jovæ

Auguror hoc factum,
incitatus, atque cognoſcendi ſtudio illectus,
Litteratiſſimus Dn.
CHRISTIANUS DAUMIUS

amidhac in publica Informatione Diſcipulus ingenuus, & ſolers Præcognita, & Gymnaſium iterum, atque iterum ſubtiliter omnia limans tractando, & retractando, mecum de pluribus conferendo, plura non uno colloquio moveret: in plura conſulendo ſtudioſe inquireret, multa ex veris fundamentis recte ſentiendo aliter fieri vellet. Hic enim D. Auguſtini c. 1. l. 1. de Trinit. *dictum, optime locum habere puto, quando ait: Utile eſt iisdem de rebus plures a pluribus diverſo ſtilo fieri libros, ut lumen unius videatur alterius tenebris.*

Ejuſdem igitur cura, tanquam adminiculante manu, & admirando,

ac

Digitized by Google

ac incomparabili ſtudio mirifice delectatus ſum, quo ipſum bonarum artium, totiuſque Antiquitatis pernoſcendæ flagrare videbam. Nam quod Claſſicorum Auctorum, lectioniſque eorum impenſe ſtudioſus, mihi cognitum. Nec ſane etiam injucundum mihi fuit conſpicere, illius Animadverſiones aliquoties ex placida συζητήσει reconcinnatas: aut Explicationes tum Methodi, tum Gymnaſii, quas abhinc duobus ferme annis adfectavit, tentavit, confecit, proficue ſatis. Quaſque ob ſingularem doctrinam, doctrinæ fundamentum, atque ἔυλογον *ingenium tanti feci, quanti lectores deinceps lectione videbunt, & imprimis facile intelligere poterunt.*

Multum quocirca illi quia debeo pro tam ingenuo labore, pro vigilantia, proque enodatione; non potui non approbare illa, & applaudere mihi, Mea Inventa *non planitus ludibrio læſum iri: ſed eſſe qui varia doctrina, diligentia laborioſa, judicio ſolertiore, & ingenio excultiore, memoriaque fideli valentes, limam exactiorem illis inventis adhibeant.*

Quin perſuaſum habeo, multa etiamnum ad uberiorem ex aſſidua Auctorum lectione quorumcunque afferri poſſe. Quippe qui facile inventis addi ſciam. Ut & Auſonius ad Symmachum ſcribit: Alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia.

Quum ergo a nonnullis noſtra hæc nec ratione, & intelligentia capientibus; neque cogitatione comprehendentibus inſubide, atque inſipide pronunciatum, imo inique quaſi eſſent ab Evandri matre, & Aboriginibus iſtis ultimis (Utinam autem eſent! in, & ab his enim Latinitas vera; a ſequioribus, quas hodie volunt, Barbaries; ut ſuo loco videbitur) ſine Origine repetita.

Id quod inde contingit, dum corticem, nuclei intus latentis expertes, tantum limis adſpiciunt. Quum tamen antiqua verba quædam neceſſario adducenda, ut alibi demonſtrabitur. Proinde

cape-ſis,
Hanc DIATRIBEN
noſtri C. DAUMII, eruditionis non
protritæ Adoleſcentis, tanquam
Πρόγευμα
Commentationis,
ubi non reperies ullos τῶν νοημάτων ὄγκους, *& tumores vanos, aut argutiolas ineptas,*
de
Latina Lingua:

Digitized by Google

certas ob cauſas (domi notas, propediem tamen revelandas) quod damus;
in quo
non quidem indicatur, quur ſciendæ
ISTÆ RADICES
& cui bono poſitæ: ſed duntaxat quur
Abolitæ; Deſitæ; nec in Uſu:
&
Uſum aliquatenus tamen inde perſpice,
& proſpice
LECTOR
his
intente!

Spebus autem & interim noſtri CHRISTIANI DAUMII, literate docti, ſurgentibus faveas! & a Me ſi ſtudia noſtra de Republ. Literaria non diſplicent, etiam

GYMNASIUM

ordinatius, & cohibilius (in quo ἐν παρόδῳ καὶ κατόπιρῳ univerſa LATINA LINGUA, ad oculum: cui aſſonat LEXICON noſtrum, proponetur) exſpectes brevi!

Eoque ad DEI gloriam, & ſtudiorum tuorum incrementum utere, ac fruere quam ſuaviſſime, feliciſſimeque!

Exopto tandem, ut DEUS clementiſſimus ob ſui verbi propagationem, iſthac ſtudia humaniora non obfuſcari, obliterarive concedat! quin & ſubinſequenti tempore ingenioſos excitet! qui Ea in ſui Nominis gloriam, conſervent, defendant, propagent.

Quod duit ille qui omnibus mentem dat ſanam, ex corde voveo! Vale! & Nobis fave!

M. JOHANNES ZECHENDORFF.
Scholæ Cygneæ R.

Eraſmus, lib. 1. de Copia Verb. & Rerum cap. XI.

Primum ex omni Scriptorum genere Verba quam optima ſeligenda: Deinde qualiacunque erunt, tamen in congeriem addentur: neque vox ulla rejicienda qua modo apud Scriptorem non omnino peſſimum reperiatur. Nullum enim Verbum eſt, quod non alicubi ſit optimum. Proinde quantumvis erit humile, inuſitatum, Poeticum, priſcum, novum, obſoletum, durum, barbarum ac peregrinum, tamen in ſuo veluti grege nidoque reponatur, ut ſi quando venerit uſus, tum acceſſatur.

DE

Digitized by Google

DE CAUSIS AMISSARUM LATINÆ LINGUÆ RADICUM.

QUod VERBA potius RADICES in Latina Lingua ſint habenda, quam Nomina, multi ſunt, qui negant, duces ſecuti veteres Grammaticos, quorum vexillifer Priſcianus eam ſententiam tulit, *libro* IX. *col.* 858. *Edit. Putſchianæ.* Movit eos potiſſimum ad opinionem hanc amplectendam, quod, vero Originandi modo nondum a quoquam rite tradito, veritatem perſpicere minime potuerint, Radicumque verarum magna pars in vulgatis Lexicis deſideretur, aut nec omnino in ullis aliis libris, qui hodie exſtant, nedum Claſſicis Scriptoribus, inveniunda ſit. Nam quæ in Eccleſiaſticis quibuſdam & ſequioris ævi Scriptoribus reperiuntur, tantam apud tales fidem nullæ inveniunt, ut notæ cenſeantur probæ. Neque etiam attenduntur ab iis hominibus aliæ rationes, & tam firma, & pæne Achillæa argumenta, ut refelli nequaquam poſſint; quæ ipſis longe aliud, etſi nolentibus, clariſſime demonſtrant. Quorum copiam, cum alibi proferatur, hic minime recoquendam duco.

Sunt autem amiſſæ, vel inuſitatæ illæ Radices (*Primitiva* alias vocant) aut VERE tales, aut OPINIONE duntaxat. VERE tales, aut olim florente Latina Lingua, aut ea jam cadente, aut noſtro ævo inuſitatæ. OLIM FLORENTE ea, vel PLANE amiſſæ ſunt, ut præter inde deducta illis ni-

Digitized by Google

hil amplius ſuperfuerit, quales ſunt: *Apere*, *Crere*, *Fere*, *Frutere*, *Hire*, *Germare*, *Honere*, *Odere*, *Lere*, *Opere*, *Sere*, *Vere*, *&c.* quarum non ita magnus eſt numerus: vel *ex parte*, ſuperſtitibus, puta, tantum quibuſdam Perſonis aut Temporibus &c. ut *Ori*, ubi, *Oritur* ſupereſt in uſu; *Poti* ubi *Potitur*, apud Virgil. 3. *Æn.* Manil. *l.* 1. Nam τὸ *Potitur* a *Potire* eſt. Ab *Oriri* non adeſt *Oritur*. Sic *Alare*, unde *Alatus*: *Ferrare*, unde *Ferratus*: *Gnare*, unde *Gnatus* vel *Natus* & *Pragnare*; *Nancire*, unde *Nanctus* vel *Nactus*; *Laurare*, unde *Lauratus*, apud Optatum Afrum; *Fu.re*, unde Perfectum *Fui*; *Tulere*, unde Perf. *Tuli*; *Odire*, unde *Odi*: &c. Harum in ſermone ſtyloque uſu nobis ipſis & aliis interdicimus. Retinemus autem in vera Vocum Originatione explicatim neceſſario tradenda, quemadmodum & in Græca, Hebræa, & ceteris Linguis uſu venit, ut ſtatuantur Radices, vel Themata, nuſpiam tamen in lectione Auctorum obvia, aut ſcriptione uſurpanda.

CADENTE JAM LATINA LINGUA ſunt inuſitatæ, quæ in ejus ævi Scriptoribus vix ac ne vix quidem uſurpatæ reperiuntur, ut *Ægrere*, pro quo admiſerunt *Ægreſcere*; *Genere*, pro quo *Gignere* adamarunt. Sic *Purare* &c. Non autem aſpernati ſunt optimi Scriptores. Nam *Ægrere* uſurpavit Lucretius, & Virgilius; *Genere*, Cato, Varro, Lucretius, Cenſorinus &c; *Purare*, Varro & Julius Cæſar.

Noſtro ævo quæ inuſitatæ, ſunt PROBÆ partim, partim DUBIÆ RADICES. De Barbaris jam non loquar, quibus nihil cum Latio eſt. Videmus neminem uſurpare *Scarifare*, *Follere*, *Fabrire*, *Anere*, &c. quæ tamen olim in uſu fuiſſe, Auctoritas ſuperſtes probat.

DUBIÆ ſunt, *Aſinare*, quod Luitprandus in Legatione habet, & barbarie vigente Jacobus Magdalius Gaudenſis in Memoriali Biblico: *Ramare*, quo, ſeculo ſuo Doctor Univerſalis nominatus Alanus Inſulenſis in Parabolis uſus eſt, & tales aliæ, quæ apud non puros Scriptores habentur, ubi incertum eſt, utrum ipſi in antiquorum libris jam amiſſis legerint eas, an noviter finxerint. His accenſeantur illæ, quæ in Latinæ Linguæ Idiotiſmis hodie ſuperſunt, ut: *Montare*, *Fullare*, *Remare* *&c.*

Quæ OPINIONE tales, ſunt vel VETERUM, vel NOSTRA OPINIONE. VETERUM, quando ipſi olim Grammatici ignorarunt τὸ *Tunicare*, quod Varro habet; *Galeare*, quod Hirtius & Cinna habent, nec τὸ *Senere*, quo Catullus, doctiſſimi nomen meritus Scriptor, uſus, agnoſcere voluerunt.

No-

Digitized by Google

NOSTRA, cum vulgi, tum Doctiſſimorum & Maximorum Virorum. VULGI, quando *Viare*, *Senere*, *Gregare*, *Titubare*, *Serare*, *Longare*, *Verare*, *Comare*, *Baubari*, *&c.* uti reformidat, a quibus tamen Magna noſtri Seculi Lumina non abhorrent: vel & doctorum, qui etiam ab iis ſe abſtinent, quas laudant tamen, aut explicant, illuſtrantque, & quarum auctoritatem apud bonos Scriptores non ignorant, uti ſunt: *Membrare*, *Pennare*, *Pulverare*, *Ravire*, *Varare*, *Pilare*, *Lanare*, *Velire*, *Amarare*, *Purare*, *Anere*, *Fruſtare*, *Nihilare*, *Larvare*, *Uvere*, *Oculare*, *Calvare.* &c.

De his, ſi Commentationem meam inſtituerem, rationesque illas, ob quas putarim haſce obſolefactas, Lexicis non inditas, aut in nullis libris amplius inveniendas, hiſce chartis commendarem, non uſque adeo inepte me facturum putavi. Benevolus & talium Curioſus Lector perpendat eas velim, & ſicubi ſcopum non tetigerim, aut humanitatis lege peccaverim, lubens ignoſcat. Ætas & Lectio, ſi Deus volet, ſupplebit, quod audaciæ modo juvenili denegatum. Patet certe omnibus Veritas, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt, dixit olim præclarus Sapientiæ Magiſter *Epiſtola* 33.

CAPUT I.

Pleniorum Dictionum Studium.

QUi eo tempore, quo cum ſtante & maxime florente Republica, etiam Latinæ Linguæ flos cumprimis nitebat, doctrinam ſuam per libros ad poſteros propagare nitebantur; plurimum ſuavitati, comptui & elegantiæ Dictionis ſtudebant, omneque ſuum ſtudium & operam collocabant in Eloquentia ſibi comparanda, ad quam ii Produce & Anteſignano Cicerone impenſe incitati ferebantur. Ergo tum imitatione ſui Ducis, tum ipſius rei natura adducti, ut Orationi ſuæ majeſtatem & gratiam, undecunque poſſent, acquirerent, non quamvis Vocem admiſerunt: Sed quæ nimis curta, aureſque facile tranſiens habebatur, vitabatur ut plurimum, alia in illius locum ſurrogata.

Hinc eſt, quod multæ genuinæ Radices, quæ pauciſſimis conſtant Litteris Syllabiſque, ſprete obſoleverint. Sic *Fere* antiquatum eſt, pro quo Frequentativum (quod vulgo dicunt) *Fetare* in uſu manſit. Sic *Lere*, pro quo *Letare* dixerunt, inde autem *Delere*, *Elere*. Sic *Fire*; pro

Digitized by Google

pro quo *Suffire*; *Poti*, pro quo *Potiri*; *Ori* pro quo *Oriri* dixerunt. Hinc apud Lucretium *lib.* 2. *v.* 989.

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.

Legendum ajo: *orundi.* Nihil enim peregrino pedi hic negotii. Sed de hoc alibi. Sic *Lare*, pro quo *Ferre*, unde remansit Supinum *latum*, hujus autem *fertum*, obsolevit, a quo tamen in usu superstant, *Fertum*, Subst. *Fertilis*, *Ferculum*, *Offertorium*. Sic *Plare*, cujus vice *Plicare* placuit. Ita & *Plere*, unde *Pletare* in Compositis, ut: *Locupletare*, *Repletare*. Quod verbum restituendum Drepanio Poetæ, in cujus Hymno ad Michaelem Archangelum a Fabricio primum edito, & a Zehnero *pag.* 511. *Meditat. Patrum* repetito, legitur, *v.* 35.

Quam tantus numerus hominumque gregumque repletam,
Nullius ut muri cingier orbe queat.

Nullo cum sensu. Lege, *repletant*. Miror Zehnerum, qui eum Hymnum alio loco correxit, non vidisse Bibliothecam Patrum hic inspicere per paupertatem & fortunam invidam non licuit. Sed ad rem. *Sere*, aut *Sare* Germ. Harm. Seen (pro *Serere*, quod ejus Paragogum) libet etiam restituere. Ejus Ratio talis est. Ut, *Neo*, *nevi*, *netum*; Sic *Seo*, inus. *sevi*, usit. *setum*, inusit. Vide Priscian *l.* 10 *col.* 901. A quo *Semen*, *Seminare*, *Sementis*, *Sementare*, &c. & mutata conjugatione *So.* inus. *savi*, inus. *satum*, quod in usu mansit. A quo *Satus*, *Sator*, &c. 2 Paragogice *Sero*, *serui*, *sertum*. Inde *Sertor*. Sic olim dictus fuit, qui per sationem natus erat. Epitomatorem vide *libri* x. Valerii Maximi.

Futilis autem est Grammaticorum & Logicorum quorundam distinctio, qui omnino alium sensum alteri affingere laborant. Quæ enim seminantur, ea seriatim quasi dispergi solent, non in unum cumulum aut globum terræ mandari. Huc facit quod & a nostris Grammaticis quibusdam annotatur, etiam *serui* & *sertum*, pro *sevi* & *satum* inveniri. Vidit idem acutissimus Franc. Junius, qui ad Tertullianum *de Spectaculis*, *cap.* 8. inquit: *Sejo*, ex quo deinde per Epenthesin literæ (liquidæ enim plurimum omnibus linguis sunt ἐπένθετοι) factum est verbum *Sero*. Hæc ille. Nescio autem qua Analogia *Sejo* dixerit pro *Seo*. Nostram satis comprobat τὸ *Consivus*, quo usus Scaliger versione Orphei, *hym.* 33. *v.* 3. ubi *Ivus* est λῆξις: Ut & JCtorum *Sejus*, & *Seja*, apud Plin. 18. *c.* 2. Et apud Augustinum *l.* 4. de *Civ. Dei. c.* 8. Deæ nomen, ubi *ejus* est terminatio, ut in Plebe*jus*, Procule*jus*. Solum. *S* Radicale est.

Pergo

Digitized by Google

Pergo & reſtituo Radicibus τὸ *Uere*, quod propter unicam Radicalem *U* ex uſu hominum priſcis jam temporibus receſſit. Inde autem uſitatiora ſuperſtant *Induere* (*D* interpoſito, ut in Redire &c.) *Exuere*, quod male a *Suere* deducunt. Hinc *Induviæ*, *Exuviæ*, ubi *V* alterum interſeritur, ut a *Pluere* fit *Pluvia*, non *Pluia*, a *Fluere*, *Fluvius* &c. Item, *Reduvia*, weil ſich die Haut abzeucht. Eſt & ab hoc *Subucula*, ut a *Novare*, *Novacula*; a *Mirari*, *Miracula*, *la*, apud Plautum. Simili ex ratione repudiarunt *Strare*, quod Græco & Germanico reſpondet, cujus loco, *Sternere*, maluerunt. Hinc Epentheticum *Struere*, ut a *Dare*, *Duere*; *Credere*, *Creduere*; *Argere*, *Arguere*; *Batere Batuere*; & ab illo *Sternere*, *Sternuere*. Talia decurtata & jam minus uſitata Verba ſunt: *Apere*, *Opere*, *Diere*, *Dagare*, *Irari*, *Vire*, (pro *Viere*, unde *Vimen*, *Vitilis*) *Gluere*, *Evare*, *Crere*, (pro *Creſcere*) *Mare*, pro *Meare*, de quo vide Meurſium *Exerc. Crit. Part.* 1. *ad Plauti Truculent. cap.* 1. *pag.* 245. & hunc citantem Taubmanum ad *Trucul. act.* 1. *ſc.* 1. *p.* 1170. *Edit.* 2. Et Feſtus ex Ennio *Remeare* adducit. Unde Compoſitum *Remare* eſt apud Lucretium, *l.* 3. *v.* 69. Et *Trama*, ut & *Trames*: ut ab *Alare*, *Ales*; a *Tegere*, *Teges*, &c. Tale eſt *Hire* (pro quo dicimus *Hiare*; ut pro *Mare*, *Meare*, pleniorem vocem reddentes) hinc inchoat *Hiſco*, ab *Hiare* enim eſt *Hiaſco*. Compoſiti illius Præteritum Perfectum Infin. *Dehiſſe*, uſurpavit Varro: hinc illud Fortunatiani Præceptum *lib.* 3. *Rhet. Verba ſemper longiora eſſe debent*, &c. Et paulo poſt: *Longioribus verbis decora & latior fit oratio.* Quamvis idem ibidem non ſemper id affectandum eſſe doceat. Manſerunt igitur quædam oblivioni & inuſui exempta, qualia ſunt: *Cire*, *Dare*, *Ire* (forte verius *Eire*) *Flare*, *Flere*, *Nare*, *Nere*, *Ovare*, *Reri*, *Stare*, *Viare*, *Viere*, pro *Vire* &c. Iſtud *Viere* tamen antiquum eſſe Verbum, Janus Douſa dicit *Notis ad Echo ſuam pag.* 9. Sane apud Ciceronem & ejus poſteros invenire non eſt. Uſus eſt longe ante Ennius, & poſt Varro. Noſtro autem tempore Eruditi frequentarunt.

CAPUT II.

Compoſitorum Verborum vice Radicum Uſurpatio.

Eadem ratio fuit Orationis ſplendorem augendi per Compoſita vicem Simplicium adhibita, quibus ii ſtudebant ſummopere qui compti

Digitized by Google

Sermonis magnificentiæ curam gerebant. Virgilius enim 5. *Æneid. v.* 311. cum dicit:

Alter Amazoniam pharetram, plenamque sagittis
Threiciis: lato quam circum amplectitur auro
Balteus, &c.

prætulit Compositum Simplici, ut rei tractum vocis prolixitate referret. Namque ut plus soni reddit tractus prolixioris, ita plus exhauritur Spiritus in vocis resumptione, neque veritus est elisionem, sed potius affectavit ob sonum. Scalig. 4. *Poet. c.* 46. Sic & *attollere* potius, quam *tollere:*

Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.

Opera enim multa eget arcis ædificatio. Iccirco plus etiam operæ positum est in *Attollere*, quam in *Tollere* posuisset. Alia exempla apud Ciceronem & alios ubique in promptu. Postea etiam populi usus Composita adamavit. Hinc Seneca: *Quædam Simplicia in usu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant.* Idem Virgilius hoc probabit tibi: (12. *Æn. v.* 707.)

—— *Stupet ipse Latinus,*
Ingentes genitos diversis partibus orbis
Inter se coisse viros, & cernere ferro.

Quod nunc *Decernere* dicimus. Simplicis illi verbi usus amissus est. Hæc ille, *Epist.* 59. (*al.* 58.) Exempla plura nostræ Radices suppeditabunt, *Deaurare*, *Inaurare* vice *Aurare* usurpata videmus. *Aggregare*, *Congregare* loco *Gregare*, quod Paulinus de *Reditu Niceteæ*, *v.* 207. & Angelus Politianus in *Ambra*, *v.* 556. habent. *Gregare* ἀντὶ *Congregare* in usu erat Romanis (inquit Incomparabilis C. Barthius *l.* 60. *Adversar. col.* 2865.) unde *gregatas aves* memini legere apud Papinium prima Achilleide, *v.* 373. (*al.* 176. *lib.* 2.) Sic *Imminere*, *Prominere* pro *Minere*, quod Lucretius habet *lib. 6. v.* 562. ubi rideas ineptias Grammaticorum, qui hæc a *Manere* deducere satagunt. *Inclinare* pro *Clinare*, quod tamen Cicero in *Arat.* habet, tritum est. *Infligere*, pro *Fligere*, quo usi Lucretius *lib.* 2. *v.* 85. Livius *Ægysthos*; Attius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ & *Ægystho* frequentatur. Vid. Meursium *l. 6. Crit. Arnob. c. 7. Sipare* rarum est & vetus, cum *Dissipare* jam vulgatissimum sit. *Parere* minus in vulgum notum est significatione pro *Apparere*, cum tamen optimi ita eo usi sint Scriptores, ut Petronius *pag.* 193. *Edit. Goldasti*, (cujus notas vide, & quos Auctores citat *pag.* 763. præter Zinzerlingium. Non enim edita

Digitized by Google

edita puto ejus Miſcella Critica.) Tertullianus *lib.* 5. *contra Marc. v.* 14. & 97. & 207. Juvencus *lib.* 1. *v.* 36. Cato *l.* 3. *Diſtiche* 2. Vide Fabricium *pag.* 98. ad *Poet. Chriſt.* Scalig. ad locum dictum Catonis. Barth. *l.* 56. *Adv. cap.* 13. Sic ultimo ævo Alanus *l.* 6. *Anticlaudiani*, *v.* 121.

- - - Sed diſſona rerum
Paret in his facies, hic res, hic umbra videtur.

Stinguere pro *Exſtinguere* in raro eſt uſu, affirmante etiam Priſciano *lib.* 10. *col.* 882. Uſus tamen aliquoties Cicero in Arato & Prognoſticis. *Prolongare*, *Elongare* audies crebrius pro *Longare*, quod Fortunatus *l.* 7. *Carm.* 12. *v.* 70. habet, ſæpiuſque ante hoc ſeculum uſi ſunt viri docti Heinr. Glareanus ad Horatium, Quintianus Stoa paſſim in *Epographia*, & alii. Exſtat & in Gloſſis. *Illaqueare* (ſedet enim Derivatorum etiam Exempla inſpergere) ἀντὶ *Laqueare* nemo non uſurpat. Simplici tamen uſi Gratius *Cynegetico v.* 29. Juvencus *lib.* 1. *v.* 526. Fortunatus *l.* 4. *c.* 26. *v.* 90. Paulinus *Natali* 7. *Felicis v.* 78. P. Chryſologus *ſerm.* 105. Orientius *v.* 369. Manil. *l.* 5. *p.* 129. & *lib.* 1. *pag.* 17. *Edit. Scalig.* poſteriori, etſi alio ſignificatu, Conr. Celtes in *Odis*. Sic *Exprobrare Opprobrare* &c. vice *Probrare*, quod in *Gloſſ.* exſtat, & ante hoc ſeculum Hieronymus Paduanus in *carmine de Paſſione Domini v.* 99. uſurpavit. Sic *Reſerare*, loco *Serare*, quo uſus olim Pacuvius, & proavorum memoria Baptiſta Mantuanus *lib.* 1. *Alfonſi v.* 346.

Damnata Sacerdos Tartarea ſerat antra domus.

Idem 10. *Faſtorum c.* 3. *v.* 56.

Et ſtygis, & cœli portas aperitque ſeratque:

pro *obſerat*.

Decoriare Excoriare hodie in uſu ſunt. At ſimplex *Coriare* olim fuiſſe indicant Gloſſaria, in quibus eſt: *Coriet*, ῥάπτῃ, *conſuat*. Sic *Inſtaurare*, *Reſtaurare*, pro *Staurare*, quod retinuit renaſcentibus primum bonis litteris Petrarchæ Diſcipulus Joh. Boccatius *Ecloga* 11. *v.* 168.

Flet miſere ſtauratque domos &c.

Infeſtare tritum eſt: non ita *Feſtare*, quod exſtat apud Rogerium, aut quiſquis eſt, certe Veteriorum Exſcriptor, de *contemptu Mundi*, *cap.* 9. *pag.* 169. Cum vicerit aliquis auxilio Domini feſtantem Libidinem, quaſi primum gradum aſcendit. Pro *Purare* (quod tamen Varro habet, & Julius Cæſar in *Adraſto* uſurpavit, & reſtituere Manilio *lib.* 4. nititur Fr. Junius *pag.* ad eum 92. Plautus autem *Aulul.* 2. 3. Palmerius, & Acidalius) dicebant aut *Depurare*, aut *Purificare* vel *Purgare*. *Fortificare*

Digitized by Google

vel *Confortare* ætas posterior maluit, quam *Fortare*: sic *Pinguefacere* & *Impinguare* in locum τῦ *Pinguare* subierunt. Nec dicebant *Hendere*, sed *Prahendere*; ut nec *Fendere* sed *Offendere*. *Contemnere*, tritius fuit, quam *Temnere*.

Et fuerunt adeo vecordes Grammaticorum filii, ut maluerint Figuram fingere & excogitare, puta Aphæresin, quam hoc Verbum Radicem agnoscere, quo tamen Virgilius 6. *Æn.* usus. Quin & eo usque progressa fuit quorundam hoc seculo, quo bonæ litteræ caput erigere sustinuerunt, audacia, ut etiam præ Compositis quædam Simplicia plane rejecerint. Quod Verbo *Inanire* facit Insulanus, dum scribit: *Etsi temerarium videtur certas voces longa consuetudine usurpatas extra ordinem redigere velle, videor tamen mihi sine vitio aut nota aliqua temeritatis, hanc vocem* Inanire *merito excludere, pro quo censeo* Exinanire *dicendum.* Hæc ille. Egregium profecto Censorem, & Latinæ Linguæ Columnam! Compositum admittit, & Simplex excludit, quo Latinissimi tamen usi auctores, Lucretius *lib.* 6. *v.* 1003. & 1023. Plautus *Rud.* 2. 4. *v.* 5. ut Palmerius legit. Tertull. de *Pudicitia.* Sed mittamus hosce.

Græci eodem modo ἀναπίμπλω ubique ingerunt, cum τὸ πίμπλω simplex vix reperiatur. Germani pariter Kosen respuimus, Rusticis linquendo, Liebkosen / licet diverso ab hoc sensu, retinemus. Talia plura diligentibus observare liceat. *Prius tamen Simplicia fere pro Compositis malebant*, inquit Palmerius *Spicilegio ad Sallustium*, *pag.* 503. *Edit. Gruteri.* Et Pareus *Indice Lucretiano: Veteres verbis originis, & verbis non junctis usi sunt plurimis.* Hinc P. Victorius ad *Epist.* 12. *Cœlii*, quæ inserta est *lib.* 8. *Ep. ad Famil. Ciceronis* notat, Veterem Codicem *Scanduit* pro *Excanduit* habere, & addit: *Quod si Compositum verbum in usu est, non est mirandum quandoque Simplex, etsi rarius inveniatur, a Cœlio præsertim usurpatum fuisse.* Horum autem Compositorum plurima etiamnum supersunt, quorum Simplicia nullibi præsto; ut; *Peragare*; *Irritare*, *Proritare*; *Indagare*, *Perdagare*, apud Claudian. Mamertum *l.* 2. *de statu animæ c.* 3. &c. Quæ omnia diligentissime collecta industrius noster Zechendorffius in Gymnasii sui Indicibus exhibebit. Faveant modo Numina Cœli!

Ceterum mediæ Latinitatis Scriptores Veterum vestigiis incedere non raro amarunt, Simplicia usurpando Compositorum vice, notante Casaubono ad Spartianum; ut Zeno Veronensis; Avaritia plerumque plus tulit avaro, quam præstat, i. e. abstulit. Lucifer Calaritanus; Cum servis patrimonia tuleris. *Pilare* apud Ammianum, pro *Expilare*.

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Inchoativorum Usus.

Plurimum Verba prima sustulit Usus Inchoativorum, ut olim recte, etsi longe dissimili sensu, ac vel Priscianus, vel Servius existimarint, vocarunt, vide Saturnium, & ex eo Frischlinum *dialogo* 3. *p.* 127. Sic *Quiere*, nisi in Præterito vix legitur; At *Quiescere* tritissimum. *Diere* tantum in *Gloß.* Isidori, & *Excerptis* Pythœanis exstat; *Diescere* crebro usurpatur. *Nancire* usus est Gracchus, vide Prisc. *l.* 10. *col.* 888. *Nanciscì* ubique audies. *Irari*, non legimus, unde tamen *Iratus*, *Ira*: *Irascì* vulgatissimum. *Ulcire*, non adest; sed *Ulciscì*: ab ejus tamen Supino; *Ultum*, usurpantur *Ultor*, *Ultrix*, *Ultio* & Particip. *Ultus*. Pro *Apire*, (de quo vide quæ Grotius ad *Aratea Ciceronis* notat *pag.* 78. & Vossius *l.* 4. *de Idolol. c.* 66. *p.* 1531) unde *Apium*, *Apiculum*, & Freq. *Aptare* &c. legitur *Apiscì* apud Lucretium *libro* 1. *v.* 844. *libro* 6. *v.* 1234. Plautum *Epidico* 5. 2. *v.* 3. *Rudente*, *Prolog. v.* 17. Varronem, Ciceronem, 1 *de Oratore*, *lib.* 8. ad *Attic. Epist.* 22. Servium Sulpicium *Epistola de obitu Tullia.* Manil. *l.* 3. *pag.* 63. *Edit.* 2. *Scalig.* Corn. Tacitum *lib.* 3. *Annal. cap.* 31. Ulpian. *l. quod apiscenda*, 40. *ff. de donat inter vir. & ux.* & alios, vide Pareum *Lexico Lucretiano* in *apiscì*. Ejus tamen Composita *Adipiscì*, *Indipiscì* hodie longe frequentiora sunt. Pro *Hercire*, vel *Ercire*, *Herciscì*. Pro *Serere*, unde *serenus*, legitur apud Lucretium *lib.* 1. *v.* 306. *Serescere*. Pro *Virere*, prima longa i. e. *sumere* seu *recuperare vires*, usurpat *Virescere*, pr. longa, Furius Antias apud A. Gellium, *l.* 18. *c.* 11. Pro *Gnare*, unde *Gnatus*, vel *Natus* &c. & *Prægnare*, usurpatur *Nascì*, *G* ablato per Aphæresin. Pro *Mitire*, unde *Mitis*, *Mitescere*; pro *Suere Suescere* usurpamus. Pro *Lentere*, quod apud Lucilium, dicebant *Lentescere*. *Antiqui enim originis Verbis utebantur, ubi nos derivativis*, inquit Gifanius Conlect. ad Lucret. *Juvenere*, & *Senere*, tempore Charisii non amplius in usu erant, sed *Juvenescere* & *Senescere*, id enim is innuit *lib.* 4. *Instit. Gramm. col.* 223. *Edit. Putsch.* (Fabric. *p.* 272.) Et Diomedes ex eo *lib.* 1. *col.* 335. *Amarare* quod a Rufo Festo Avieno, eruditissimo Poeta *Carmine ad Flavianum*, *v.* 20. in vet. Editione libris ejus præpositio, & inter Epigrammata Veterum a Pythœo collecta & edita *lib.* 4. *pag.* 157. relato usurpatur, desuevit hodie:

Digitized by Google

At *Amareſcere* apud Palladium; *Inamareſcere* apud Horatium 2. *Sat.* 7. *v.* 107. lectu haud infrequentia nobis ſunt. *Crueſcere* habet vetus Auctor Elegiæ in Hieruſalem, *v.* 31.

Mox pia membra DEI multo tortore crueſcunt.

At hoc etiam pæne cum Auctore deperditum erat. Simplex ejus *Cruere* eſt, a quo participium memorat Giſanius *Ind. Lucret. p.* 434. *Cruens.* Hinc eſt *Cruor*, *Crudus*, contracte pro *Cruidus*, vide Becmannum, *Cruentus*, *Cruentare*, ut ab *Ungere* vel *Unguere*, *Unguens Unguentum*, *Unguentare*; ab *Opulere*, *Opulens Opulentus Opulentare*; ab *Argere*, inuſit. *Argens*, *Argentum*, *Argentare*; a *Fluere*, *Fluens*, *Fluentum*, *Fluentare*, apud Venant. Fortunatum; a *Lamere*, i. e. *ſcindere*, inuſ. quod vide apud Perottum ad 3. *Epigr. Martial. col. m.* 311. *Lamens*, *Lamentum*, *Lamentari*. Sed ſatis Exemplorum. Incpte autem τὸ *Albere*, pro *Albeſcere* primum Virgilium figuraſſe dicit Chariſius *lib.* 3. *Inſtit. Gramm. col.* 223. (Edit Fabr. 272.) Et ex eo Diomedes *lib.* 1. *col.* 335. Quaſi ſuboles ſuo genitore prior ſit. Etiam Friſchlinus *Creſcere*, *Poſcere*, *Noſcere*, *Naſci*, *Nanciſci*, & ſimilia pro Inchoativis habuit, Cruſioque Antagoniſtæ e Philippo reſpondit: quod quædam uſurpentur pro thematibus, id eſt, primitivis; *Dial.* 3. pro Grammatica ſua & Strigili, *p.* 129. & addit: Ubi enim Primitiva non exſtant, & uſu ſunt antiquata, ibi in locum eorum ſuccedunt Derivata. Ergo ſi uſu antiquata ſunt, neceſſe eſt ea olim antiquis ſeculis fuiſſe, & vere Radices haberi.

CAPUT IV.

Paragogorum Uſus.

PARAGOGORUM verborum deliciæ oppido Veteribus placuere, quæ vice Simplicium tantopere amplexi ſunt: Sic *Claudicare* magis obvium eſt, quam *Claudire*, de quo vide Scaligerum *Auſonian. Lect. l.* 2. *c.* 21. *Fabricare*, vel *ari*, uſitatiſſimum; at τὸ *fabrire* quis habet præter unum Venantium Fortunatum? Apud quem exſtat 2. *Carm.* 9. *v.* 23. Pro *Fere*, unde Freq. *Fetare* eſt, & Derivata, *Fetus*, 4. *Fetura*, *Femina* &c. dixerunt *Ferire*. Nec hoc tamen integrum permanſit, ſed contractius extulerunt *Ferre*. *Fruticare*, vel *ari*, ubivis offendes, at quis *Frutere* uſurpat? Cujus Inchoativum *Fruteſcere* apud Meibomium Tomo IV. *Delic. Poet. German. pag.* 317. legere memini. Unde vero hic habeat, non ſum gnarus.

Digitized by Google

gnatus. Invenio tamen dum hæc ſcribo apud Aldhelmum in *Ænigm. Pentaſtich.* 13. *v.* 4.

Cauliculis florens quoniam ſic nulla fruteſcit, &c.

Cujus quidem Ænigmata editione indigna male putavit, ideoque omiſit in collectione veterum Poematiorum, Clariſſimus Petrus Pythœus: ſecus tamen ſentit Vir limatiſſimi judicii C. Barthius *l.* 58. *Adverſ. c.* 1. *col.* 2722. qui in eo Carmine multa bona & elegantia ineſſe ibidem ſcribit *col.* 2720. Ejuſque librum de *laud. Virginitatis* eruditiſſimum dicit, & ſcriptum fere totum lingua priſca, Jac. Cujacius ad *cap. ult. Tit.* 2. *de Deſponſat. Impub.* 4. *Decretal. Greg.* IX. Utuntur hoc verbo etiam quidam Interpretes Hebr. Bibliorum, ut Bened. Arias Montanus in dicto *Gen.* 35. *v.* 11. *Fruteſce & multiplicare, gens & cœtus gentium erit ex te.* Quia autem *Fruteſcere* a nullo Nomine, quod adſit, derivari poteſt, patet hinc etiam Verba non Nomina eſſe debere Radices. Verum pergo.

Scarificare creberrime occurrit: at, præterquam in Gloſſario Philoxeni, *Scarifare* me legere non memini. Sic *Litigare*, deficiente τῷ *Litire*; *Mitigare*, deficiente τῷ *Mitire*; unde, *Miteſcere*, *Mitis*. Sic *Culminare*, non apparente τῷ *Culmare*, legitur. Ita & *Germinare* deficiente τῷ *Germare*, unde *Germanus*, *Germaſcere*, apud Petr. Cellenſem *l.* 2. *epiſt.* 7. *Terminare* in uſu eſt, abrogatum *Termare*, unde *Termo*, *termonis*. Sic *Nidulari*, cum tamen non adſit *Nidare*, unde *Nidamentum* eſt. Sic *Simulare* pro *Simere*, a quo *Simitus* apud antiquos. *Imitari*, pro *Imare*, unde *Imago*, quod male ab antiquo Accuſativo *Im* deducit Magnus Camerarius *lib.* 1. *in* 1. *Tuſc. quæſt. Cic. pag.* 124. Ita quoque *Glomerare*, unde *Glomus*, *eris*, apud omnes in uſu; nec tamen aut *Glomare*, aut tale quid apparet, unde *Glomus glomi*. *Felicitare*, pro *Felicare*, unde *Felix*, *felicis*, *Infelicare*, apud Plautum, *Caſ.* 2. 3. *v.* 30. *Merc.* 2. 3. *v.* 99. *Epid.* 1. 1. 11. *Pœn.* 2. 1. *v.* 1. *Rud.* 3. 6. *v.* 47. & 4. 6. *v.* 21. Etiam citante Breviloquo. Et ita ſemper in MS. Camerarii legi, teſtatur Taubm. ad *ſc.* 6. *act.* 4. *Rudent. p.* 1038. *Edit.* 2. Faceſſat igitur Acidalii præjudicium, qui verbum nihili putat. Sic *Velitari*, pro *Velire*, quod apud Ammian. Marcellinum *l.* 14. in antiq. Editionibus & MSto legitur, indicante Barthio *l.* 47. *Adv. c.* 1. *col.* 2184. Pro *Genere*, quo uſi ſunt Cato, Varro 1. *R. R. c.* 31. & 40. & *l.* 2. *c.* 2. & 6. Cic. 2. *de Orat. lib.* 2. *de Invent.* Lucret. *l.* 3. *v.* 799. & *l.* 1. *v.* 129. ut Lambinus, Lipſius, & Dempſterus *p.* 208. ad Roſinum legunt; Fortunatus *l.* 2. *de*

Vita

Digitized by Google

Vita Mar. 168. crebrius hodie *Generare* in uſu eſt. Vide Priſc. *l.* 10. *col.* 898. Pro Frequentativo Inuſitato *Uſtare* ab *Urere*, dixerunt Paragogως *Uſtulare*, uſitatius. Sed ſatis jam Exemplorum, cum alibi ingens eorum ſtrues apponatur. Quid autem mirum hoc, cum in noſtra vernacula idem accidat. Invenies enim qui endigen malint, quam enden. Die meinigen / quam die meinen. Kurtzig / pro Kurtz. Talia ſunt, peinigen / reinigen / ſteinigen / ſündigen / pro quibus Veteres, peinen / reinen / ſünden &c. dixerunt. Quas voces qui ignorat, is veterum libros olim cuſos nunquam inſpexit. Winsbekia, *Paraneſ. ad Fil. Stroph.* 35. *v.* 7.

Es muß gereinet innen ſin
E daß ſie vßen klopfe dran / iſt es alſo / ſie ſitzet drin.

gereinet / pro gereiniget.

Tyrolis *Paren. ad Fil. Str.* 12. *v.* 3. Des Stimme künt uns Gottes Wort &c. pro, kündiget oder verkündiget. Quod etiam legitur apud Lindemannum in *Chronico Spir.* Sic & Heinrici Mulleri: Hilff GOtt / daß mirs gelinge &c. Seinen Todt ſolt jhr verkünden / ut vetera Exemplaria ante centum hos annos excuſa exhibent. Parco plura adſcribere. Contra Paragoga etiam deſierunt, manentibus Radicibus, ut: *Vagulare* & *Obvagulare*, quod Verbum XII. Tabularum eſt, a *Vagire*.

CAPUT V.

Uſus Frequentativorum.

FREQUENTATIVA etiam crebrius in ſermone admiſſa Primitiva rarefecerunt: e. g. *Nictare* vulgatum eſt; At *Nicere*, unde *pernix*, quotuſquiſque habet? *Ruſtare* protritum eſt, at *Rugere* vix auditum: ſic *Aptare* pro *Apere*; *Optare*, pro *Opere*; *Letare*, pro *Lere*; *Fetare*, pro *Fere*; *Guſtare* pro *Gunere*, quod apud Feſtum; *Potare* pro *Poere*, cujus Supinum eſt *Potum*. *Potatum* enim a *Potare* eſt. Hinc formatur mutato *tum* in *culum*, *Poculum*; ut a *Sartum*, *Sarculum*; a *Fertum*, *Ferculum*; a *Sectum*, *Seculum*, &c. *Cepere* legitur in Infinit. apud Plaut. *Perſ.* 1. 3. *v.* 41. Habet hoc & Feſtus. *Ceptare* uſurpant præterea Terentius *Eunucho* 5. 8. *v.* 1. & *Phorm.* 4. 3. *v.* 21. Cicero in *Arato*, & *l.* 5. de *Fin.* Lucret. 1. *v.* 267; 4, 406; 6, 254. & 15. *v.* 693. Apul. XI. 272. Sueton. *Othon.* 11. Plin. 36. 25. Silius 10. *v.* 254. & 15. *v.* 693. Amm. Marcellin. *l.* 29. & Jul. Solin. *Pont. fragm. v.* 4.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Synonymorum Usus & Copia Verborum.

SYNONYMIA & COPIA Vocabulorum multa etiam Verba interire fecit, illis nimirum, quibus plebs semel in pueritia assuevit, perpetuo in ore hærentibus, aut populo elegantius aliquod Verbum consulto præ ceteris amplectente. Sic *Dormire*, *Tundere*, *Lavare*, ἀντὶ *Somnire*, quod in Breviloquo legitur, *Pindere*, *Balnere*, aut *Balneare* maluerunt: *Putare* aut *Arborare*, die Bäume beſchneiden ſchneideln/ arriſit, præ *Arbere*, a quo *Arbiter*, ab amiſſo Supino *Arbitum*, ut a *Cultum*, *Culter*; *Raſum Raſter* &c. hinc & *Arbitrix*, quod lego apud Incomparabilem Barthium *libro* 1. *Lyricorum*, *Ode* 3. *v.* 14. Sic *Albere* placuit, vice *Argere*, a cujus Participio eſt *Argentum*, *Argentare*, ut a *Fluens*, *Fluentum*, *Fluentare*. Hinc & *Argilla*, Ἄργιλλος ſeu Ἄργιλλος i. e. terra alba & pura. Hinc & *Arguere*, ut a *Dare*, *Duere*; proprie, album reddere, & per metaph. manifeſtum facere, illuſtrare, oſtendere, ut præclare explicat M. Jacob. Honoldus explicatione Canon. Logicorum *lib.* 1. *c.* 2. *Canon.* 1. *p.* 128.

Ita *Humare* & *Sepelire* apud Ciceronem invenies, non autem *Funerare*, quod apud Horatium, Petronium, Ulpianum, alioſque legitur. Sic propter τὸ *Verrere*, flocci penditur τὸ *Scopare*. Sic *Nuncupare*, & *Fari*, tanquam vetuſta non uſque adeo arridentQuintiliano, *lib.* 8. *c.* 3. ideoque inſpergi quidem in oratione præcipit, ſed ut ne appareat affectatio. Pari modo rariſſime aut vix ac ne vix quidem in vernacula noſtra apud noſtrates audias in loquendo führen/ erkieſen/ ernarnen/ &c. ſed erwehlen/ erwerben. Contra olim fuerunt illa in loquendo uſitatiſſima, nunc tantum in ſcriptis & ſermonibus a præmeditatis plerumque proferuntur.

CAPUT VII.

Periphraſium amor.

ELEGANTIAS Stili ſectantes Scriptores libentius in gratiam Attico lepore gaudentium uſi ſunt PERIPHRASIBUS, quam cum Plebe nudis & ſimplicibus Verbis: ut ſe ſcilicet tali modo a vulgo ſegregarent. Hinc

Digitized by Google

Fila ducere elegantius iis tinniit, quam *Filare*, quo verbo Fortunatus *l.* 3. *de Vita Mart. v.* 112. & poſt Hiſtoriæ Lombard. Auctor, Jacobus de Voragine *cap.* 61. *de Sancto Petro Novo Martyre*, uſi. Proavorum autem memoria Codrus Urceus *Serm.* 1. *fol.* 5. *a. col.* 1. Edit. Venet. 1506. in fol. & *p.* 9. Edit. Baſ. 1540. in 4. Auctor *Forcianarum Quæſtionum l.* 1. *ſub fin.* & noſtro tempore Auctor Menippi *pag.* 206. Zuberus in *Geniali Ruſculo Carm.* 15. *v.* 1. non reſpuerunt. Invenies & apud Priſcianum *l.* 4. *col.* 627. Perottum in *Cornucopia*, Calviſium *LL. Theſauro col.* 1807. & in *Onomaſtico* Golii *p.* 274. *Figurare Caſeum* dicere maluit Plinius *l.* 16. *c.* 38. & *Facere Caſeum* Columella *l.* 2. *c.* 22. quam *Caſeare*, quod Doctiſſimus Mercurialis & alii uſurpant. Pro *Funerare* aut *Sepelire* dixit Cicero: *Corpus ad ſepulturam dare*, in Philipp. *Facere funus*, pro Cluentio. *In ſepulcro condere*, de Leg. *Sepultura afficere*, de Divin. Loco *Pacare*, aut *Pacificare*, crebrius invenies *facere pacem.* Cic. 3. *Off. Confirmare pacem*, id. 1. Philipp. *Conficere pacem*, id. pro Lege Manil. *Conciliare pacem*, Fam. Ep. 205. &c. *Pacare* ſemel uſus eſt in Epiſtolis, *Pacificare* ſemel ad Atticum. Et hoc ipſum Verbum *Pacificare* quidam Marulliani, quod aut barbarum aut inſolens, & Catullo indignum putarent, apud eum ſuſtulerunt, & *Conciliaret* pro eo repoſuerunt, inquit Scaliger ad IV. *Elegiam Catulli*, *pag. m.* 113. & addit: *Profecto de illis nihil aliud dicam, quam indignos quibus reſpondeatur.*

Loco *Itinerari* placuit: *Iter facere*, Ciceroni; *Conficere iter*, Cæſari; *Inſtituere iter*, Livio; *Intendere iter*, eidem; *Capere iter*, Ciceroni &c. Pro *Acervare*, *Acervos conſtruere*, Cic. in Philippicis. Pro *Aleare* (quod in Gloſſis exſtat, vide etiam Groſlotium *Cent. Ep. Philol.* Goldaſti, *Epiſt.* 86. *p.* 351.) amavit dicere, Cicero, *Alea ludere*, in Philipp. Sic, populo *frequens urbs*, pro *Populoſa*, quæ vox apud Apulejum *lib.* 8. *Metam. pag.* 203. & 212. Edit. Elmenhorſt. & in *Floridis p.* 342. exſtat; ut & apud Vegetium 3. *de re milit. c.* 19. Prudentium Περ. *Hym.* 7. (*al.* 4.) *v.* 61. Sidonium, carmine addito Epiſtolæ 17. *libri* 7. *v.* 19. Et *Epithalamio* Polemii *v.* 27. Galterum *l.* 4. *Alex. v.* 560. Hantvillenſem Architrenio, Alcimum Ecdicium Avitum, *libro* 5. Noſtro tempore uſurpant Jul. Scalig. *Ata v.* 1100. Joſ. Scaliger 2. *Auſ. Lect. c.* 7. *p.* 107. Barthius 3. *Nemoral. p.* 190. & *Adverſ. col.* 2893. Meliſſus Melicorum a Griſio editorum *l.* 3. *od.* 11. H. Stephanus præfat. Comment. de *Atticæ Dialecti idiomatis*. Georg. Benedictus *pag.* 538. *part.* 1. *Delic. Belg.* & innumerus Doctiſſimorum & Elegantiſſimorum Virorum numerus.

Digitized by Google

rus. Qui ergo hanc vocem puræ Latinitatis negant, non-puræ Latinitatis Magnos Viros arguunt.

Eadem de causa pro *Scopare*, quod quidam interpretes Lucæ XI. usurpant, vel *Scopere*, quod vetus Bibliorum translator *Psal. 76. v. 7.* habet, nitidius dixerunt *Expurgare Scopis*, *verrendo mundare*, *Scopis mundare*. Esaias *serra consectus*, apud Lactantium *l. IV. c. XI.* elegantius dicitur, quam *Serratus*. Vice *Felicitare* (quod dixerunt, pro *Felicare*, ut modo dictum) mavult Goclenius in *Analectis LL.* admonitione 22. *felicitatem dare*. Censet enim barbarum. Sic ergo barbari sunt Babt. Mantuanus in *Georgio*, *v. 961.* dum ait:

Horaque præteritos felicitat una labores.

Frid. Taubmanus qui *Schediasm. innov. p. 504.*

Felicitet quod ille Felicitatis auctor.

Et *p. 409.*

Felix par DEUS hoc felicitet usque.

Melissus, qui *l. 6. Melet. c. XI. v. 15. & 2. Paranet. c. 40. v. 1.* Et Cremcovius qui *Psalmo 18. Str. 1. v. 2.* utitur & alii. Verum quid facies hisce Censoribus, qui, si per eos staret, jamdudum ad extremam paupertatem Latinæ Linguæ divitias redegissent? At longe alia olim res fuit. Non enim quod plebejum, statim est barbarum. Solet autem fieri in mundo hoc, ut, quod primitus eleganter & nove prolatum in omnium admirationem venit a vulgo novitatis studioso, & elegantiarum male captatore, tandem etiam arreptum in quotidianum usum vertatur. Hinc Ciceronis ævo inimitabilem & divinam plane ejus Eloquentiam admirati omnes, imitari plurimi frustra studuerunt, quod ex dissimili Orationis genere ejus temporis Oratorum, quorum fragmenta hodieque superstant, non difficile perspectu est. Interim qui de plebe elegantiores videri volebant, iisdem Circumlocutionibus assuevere, quarum usus vulgatior factus simplicia Verba plurimum sustulit.

CAPUT VIII.

Schematum aut Troporum Usus.

De Græcis inquit M. Tullius in Bruto: *Ornari orationem Græci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους & sententiarum orationisque formis, quæ vocant σχήματα.* Hæc ille.

Digitized by Google

Idem de Latinis intellige. Quæ etiam causa est, cur multæ Radices & Dictiones perierint. Hinc est, quod maxima Verborum pars propriam & primam significationem plerumque amisit. Vide modo *Lamentari*, cum a *Lamere* sit, uti supra *cap.* 3. notavimus, proprie significat præ luctu vestes capillosque &c. ut mos olim ferebat, dilaniare, & dissindere. *Lugere* (a quo *Luctari*) sich ringen / und winden wie eine Made / qui mos anxiorum & maximos dolores mœroresve perpetientium est. *Plangere*, quod tundere, aut pulsare est nativa significatione. Hinc ad in luctu tundentes pectora, & lacrumantes tralatum est. Sed hac de re plura in Diatriba de ratione Significatuum.

CAPUT IX.

Differentia & Ambiguitatis vitatæ.

MULTA Differentiæ causa, vel obscuritatis ambiguitatisque vitandæ, aliter efferre coacti sunt Veteres, quod & quotidie in patria lingua fieri audimus. Sic pro *Navigare*, noluerunt dicere *Navare* (unde tamen est *Navaculum* ναύσαθμον: i. e. navale, statio, quod in *Gloss.* legitur) ne cum altero, quod & *Gnavare* scribitur, coincideret. Sic τὸ *Lare* i. e. agitare, afferre, adducere, a Græco obsoleto λάω vel ἐλάω, unde nunc dicimus ἐλαύνω, propter τὸ *Lavo*, *Lavi*, *Lavere*, vel *Lavare*, ævo jam Ciceronis abrogatum est, solo superstite Supino *Latum*. Usus est quidem τῷ *Collare* pro *Conferre* Bapt. Mantuanus, multæ & insatiabilis lectionis homo, *lib.* IV. *Troph. Gonz. v.* 592.

Regibus hinc ex grande solent collare quotannis
Annua quæstores qui vectigalia curant.

Errorene positum, an lectum alicubi ipsi sit, ignoro. Sic *Fere*, cujus Frequentativum *Fetare*, sublatum est propter τὸ *Fere*, quod idem ac *Ferme*. Sic *Perire*, unde, *Peritus*, *Periculum*, *Comperire*, & *iri*, *Experiri*, omissum est propter τὸ *Perire*, quod Compositum a *Per* & *Ire*. *Creo*, *Crere*, pro *Crescere*, Neutr. unde Perf. *Crevi*, & Supinum *Cretum est*, nolebant proferre, ut esset discrimen inter *Creo*, *Creare*, quod Activum est ejusdem census, cujus sunt illa: *Albere*, *Albare*; *Nigrere*, *Nigrare*; *Fugere*, *Fugare* &c. In *Creare* autem *E* interpositum est. Analogia enim postulasset *Crare*. Obsolevit autem, quia pauciſyllabum & absonum fuit, & ejus vicem, uti capite primo dixi, pleniore quadantenus

Digitized by Google

tenus ſono *Creare* prælatum eſt) non ſecus ac pro *Mare*, *Meare*; pro *Hire*, *Hiare*. τὸ *Opere* (unde *opinus*, *optare*) noluerunt, ne confunderetur cum Ablativo *Opere*, ab *opus*; aut *Opis*, 2. Perſ. cum *Opis* Genitivo, ab *Ops*. Et Imperat. *Ope*, cum Ablativo *Ope*. *Præmere*, vel *Præmere*. wegnehmen / Beuten machen / nolebant dicere, ne coincideret cum *Premere* drucken. Potius ab eo deductum malebant *Præmiari*, quo uſus Suetonius. Hinc *Præmium*, quod proprie idem eſt ac *præda*. Ita Virgilius 2. *Æn.* & Plautus non ſemel *prædam* & *præmium* conjunxit, inquit Clar. Buchnerus additamento Theſ. Fabri. Hanc meam ſententiam confirmat *Priſcianus lib.* 8. *col.* 785. *Differentiæ*, inquiens, *cauſa multa ſolent vel taceri, vel contra regulam proferri, (ut, fas, faris, ne* 2. *perſona Verbi putetur. Maneo manſi, non manui; ne cum manus, manui coincidat.*) Hæc ille, quæ probe notanda; qui & Supinum *Setum*, a *Seo*, cujus ſupra memini *cap.* 1. differentiæ cauſa veteres reſpuiſſe dicit, *l.* 10. *c.* 901. Dixiſſe enim *Sethum* pro *Zethum*, ait.

Et neceſſario tales differentiæ ſunt obſervandæ, docetque D. Auguſtinus ut intelligenter dicatur, etiam minus integra eſſe uſurpanda. Sic enim ille *lib.* 4. *de Doctrina Chriſt. Tomo* 3. *col.* 74. inter alia: "Evidentiæ "diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene "ſonet, ſed quid bene indicet, atque intimet, quod oſtendere intendit. Un- "de ait quidam, cum de tali genere locutionis ageret, eſſe in ea quan- "dam diligentem negligentiam. Hæc tamen ſic detrahit ornatum, ut ſor- "des non contrahat. Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura ſit "vel eſſe debeat, ut verbum (quod, niſi obſcurum ſit vel ambiguum, La- "tinum eſſe non poteſt: vulgi autem more ſic dicitur ut ambiguitas obſcu- "ritasque vitetur,) non ſic dicatur, ut a doctis, ſed potius ut ab indo- "ctis dici ſolet. Si enim non piguit dicere interpretes noſtros: Non "congregabo conventicula eorum de ſanguinibus: quoniam ſenſerunt ad "rem pertinere, ut eo loco pluraliter enunciaretur hoc nomen, quod in "Latina Lingua tantummodo ſingulariter dicitur: cur pietatis doctorem "pigeat imperitis loquentem *oſſum* potius quam *os* dicere, ne iſta ſyllaba "non ab eo quod ſunt *oſſa*, ſed ab eo quod ſunt *ora* intelligatur, ubi "Aphræ aures de correptione vocalium vel productione non judicant. "Quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus "audientis, cum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non "intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur? Qui ergo docet vi- "tabit omnia verba quæ non docent. Et ſi pro eis alia integra quæ in-

Digitized by Google

"telligantur poteſt docere, id magis eliget. Si autem non poteſt, ſive "quia non ſunt, ſive quia in præſentia non occurrunt, utetur etiam ver- "bis minus integris, dum tamen res ipſa *doceatur atque diſtatur inte-* "*gre*„ &c. Hactenus Auguſtini verba, qui & *ibid. l. 3. c. 3. col. 47. ple-* *rumque loquendi conſuetudo vulgaris*, ait, *utilior eſt ſignificandis rebus, quam integritas litterata.* Multa autem ab initio dixi. Nec enim omnia vitari poſſunt, etiamſi quis ſummopere id ſtudeat, ſeſeque maceret.

CAPUT X.

Verborum Exempta Actionis rarus Uſus.

CUM nonnullæ Radices, ut & Derivata, ſint Verba exemptæ Actionis, ut vocant, aut his non abſimilia, maximam partem aut totæ, aut ex parte, id eſt, aut certis perſonis, aut modis temporibuſve omiſſæ ſunt, ut: *Ninguere, Pluere, Florare, Gnare, Aurire, Lumbare, Coſtare, Crinire, Herbare, Squamare, Imbrere, Foliare, Siderare*, quod Active (quantum nunc ſcio) ſolus uſus eſt Doctiſſimus Car. Langius, *Hymno in Natal. Chriſti v.* 15.

- - - Fulgure admirabili
Virginem perſtrinxit, arvum Virginis fetu induit,
Nec cutem læſit, nec arvi ſideravit purpuram.

CAPUT XI.

Deductitiorum Verborum Uſurpatio.

NON parum adjuvit Verarum & Caſcarum Radicum abolitionem Deductitiorum Verborum frequentatio, e. g. *Trepere* nuſquam apud bonos Auctores reperitur, præter ſolum Feſtum, unde *Trepidus*; a quo tamen deductum *Trepidare* uſitatiſſimum eſt. Sic a *Faſcire*, quod vetus Bibliorum interpres habet. *Ezech. 30. v. 21. & faſciretur linteolis*, ut *MS*, *& Vett. Edd.* exhibent, venit *Faſcis*, *Faſcia*, *Faſcinare* &c. Unde a *Faſcia*, *Faſciare*, quod præ illo nuperi Bibliorum Editores amplexi ſunt. Sic certe Editio Lugdunenſis, 1614. in 8. edita. Ita *Faſtigare*, cujus Participium *Faſtigatus*, apud Sidonium *Paneg. Anthemii, v.* 5. Solinum, & Cæſarem *2. de bello Gallico* legitur. Apud hunc quidem in Editione

Digitized by Google

tione Veneta & Beroaldi. Vid. Brantium *pag.* 496. in *notis*: & *lib.* 4. de *Bello Gallico*, in Editione Baſ. vide Brant. *Not. p.* 508. (ubi tamen alterum, *faſtigatus* ſcilicet, Manuſcriptus meus Codex ſervat cum Veneta & Brantii MSto) *Faſtigans* apud Plinium, *l.* 18. *c.* 7. & Silium *l.* 5. *v.* 50. legitur, ad quem Heinſius *pag.* 396. notat: *Faſtigans* μονήρης dictio, *Faſtigat* dixit Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 1. & *l.* 3. 1. Sidon. 3. *Epiſt.* 6. ubi tamen apud utrumque nuperi in *Faſtigiat* mutaverunt. Apud eundem Sidonium eſt *faſtigatiſſima felicitas* libro 3. *Epiſt.* 4. & *lib.* 1. *Epiſt.* 9. *p.* 20. *duo faſtigatiſſimi conſulares*; legitur & in Gloſſario. Idem Verbum exſtat apud Amm. Marcell. *l.* 31. & Fulgentium *l.* 1. *Mythol. c.* 1. *pag.* 128. b. Edit. 1608. Martian. Capellam *l.* 3. qui eſt de Grammatica, *pag.* 59. edit. Grot.

Nunc jam compactis curſanda eſt ſyllaba formis,
Ut faſtigetur longa, breviſque fuat,

i. e. accentuetur. *Faſtigium* enim is Scriptor *accentum* vocat. Nec reſpuit pœavorum memoria Eruditiſſimus Politianus, humanioris litteraturæ cumprimis expolitor, in *Ruſtic. ſua v.* 400.

- - - Cui vertice purpurat alto
Faſtigatus apex.

Hinc *Faſtigium* eſt, a quo *Faſtigiare*, præ illo hodie tritum. Derivata enim in *ius*, *ia*, *ium* formant de ſe Verba in *iare*; quemadmodum a *Veſtigare*, *Veſtigium* eſt, hinc *Veſtigiare*, legitur in Gem. Gemmarum; a *Genius* (quod a *Genere* eſt) deducitur *Geniare*, verbum reſtitutum Statio a Nobiliſſ. & Acutiſſimo Barthio. Quod autem idem Vir noſtri ſeculi Phœnix, *Adverſariorum lib.* 57. *c.* 11. *col.* 2699. *Faſtigare* latine dici negat, manifeſtariumque apud Sidonium ſolœciſmum dicit, quando *Faſtigatus* uſurpavit, condonamus hoc libentes meritoque Viro de Rep. Litteraria ad miraculum uſque meritiſſimo & merituro, εἰς ἄνηρ &c. Nec ego has auctoritates proferens ſic ipſe mihi faveo, ut videri velim eruditiſſimi omnium viri in iſto Doctor. Abſit hoc! Quid? quod plane perſuaſum habeo, eum inſequentibus Adverſariorum Tomis ſententiam iſtam mutaſſe.

Verum quidem eſt, quod ait, a *Faſtigium Faſtigiatus* eſſo; At quod addit, nullo modo *Faſtigatum* dici, nollem ſcripſiſſe. Hoc enim primum, & exemplis modo productis comprobatum. Nullo autem modo hinc objici patimur inexhauſtæ lectionis Virum præmemoratos Auctores non legiſſe, cum Silii eum verſum ipſe laudet *l.* 35. *Adv. c.* 19. *col.* 1622.

Digitized by Google

1622. Quod quidem clariſſimus D. Reineſius, multiſcius Vir, ipſi objicit *lib.* 3. *Var. Lect. c.* 14. *p.* 561. quaſi Gul. Britonem non totum legerit, qui tamen grandem in eum Verſificatorem Commentarium ſcripſit, quem ipſe aliquando admirabundus inſpexi. Nulli hominum tam conſtans & perpetua memoria eſt, ut omnium omni tempore meminiſſe poſſit. Et ſit ſane erratum, aut incogitantius aliquid ab eo dictum deprehenſum, multæ tamen ejus Viri dotes, plurimaque in litteris merita potius, quam una aut altera labecula in oculis haberi debent. Ignoſcimus Turnebo, Lipſio, Mureto, aliis magnis viris & caris nobis Nominibus, cur non pariter & huic? Sed quo labor? Pergam, ut quivis ſtomachus hæc forte non concoquat. A *Somnire*, (quod in Breviloquo legitur, pro *Dormire*, & cujus Compoſitum *Conſomnire*, Gloſſarium, quod Cyrilli dicunt, & alii, habent,) deducuntur *Somnus*, *Somnium*. Hinc *Somniare*, quod in uſu manſit, etſi diverſo ſignificatu, cum alterum *Somnire* exoleverit. Sic & alia quæ in Neutrali ſignificatione abrogata, quorum Derivata Activa vi noſtro uſui ſe approbant, v. g. *Vapere* nuſpiam me legere memini, a quo *Vapidus*, *Vapor*, *Vaporus*, unde *Vaporare*, quod Active extulit (ut cetera ſolent hujus cenſus) Horatius in *Epiſt.* & Lampridius in *Heliogab.* Odores Indicos ſine carbonibus ad *vaporandas* Zetas jubebat accendi; notatque Caſaubonus priſcæ Latinitatis verbum eſſe; Uſurpatur etiam Abſolute, & τῷ *Vapere* vicem obtinet. *Odere* nemo leget, a quo *Odor*, *Odorus*, *Odorare*, & *ari*; *Odefacere*, apud Feſtum, inuſitatum hodie, Analogiæ tamen cauſa probe notandum. Sic *Honere*, (cujus Paragogum eſt *Honerare*, aut *Honorare*, antepen. correpta, apud Virgilium, Terent. Symmach. Auſonium, Petrum de Riga, alios, ut in Miſcellaneis prolixius monſtro) deſiit. At *Honorare*, antep. producta, quod ab *Honor* derivatur, creberrime uſurpatur.

E diverſo mira res, eodem modo deducta quædam, ut *Geniare* apud Statium, *Tædiare* apud Lampridium reprobata fuiſſe. Illud enim a Correctoribus male acceptum, vide Barth. *Adv. col.* 197. 1425. 1553. 1991. & 2457: Hoc ab Egnatio ante hoc ſeculum repudiatum, quem vide in notis ad Lamprid. *pag.* 1993. Edit. Steph. in 8. Et tamen eo etiam eruditiſſimus Latinitatis Tertullianus utitur libro *adv. Judæos*. Sic τὸ *Decorare* antep. producta, quo uſi Dracontius, *v.* 133. Fortunatus *l.* 2. *de Vita Mart. v.* 454. Incertus Auctor, apud Bedam de *metris*, *col.* 2376. *Ed. Putſch.* & Fabricium *Opere Poet. Chriſt. pag.* 792. Mantuan. *Carm. de Fort. Gonzagæ v.* 312. & *agone Luciæ*, *v.* 129. Et exſtat apud Silium *l.* 12. *v.* 742.

In-

Digitized by Google

Inque vicem amplexi permixta voce triumphum
Tarpeji clamant Jovis, & delubra decorant.

Ita vetus Editio Veneta anni 1492. Antverp. 1566. & Lugd. 1603. (Dauſquium inſpicere non licuit) Heinſiana tamen reponit ex Modiana *coronant*; & ita Dempſterus legendum contendit ad *lib.* 2. *Roſ. pag.* 115. Videndus eſt & Valla de hac voce *l.* 4. *c.* 15. *Eleg.* Rejicit tamen Goclenius in *LL. Analectis p. m.* 397. Edit. 1601. *&* 1. *Prob. Gram. c.* 36. Ejus formatio talis eſt. A *Decere*, fit *Decor*, *decoris*, h. *Decorare*, ut a *Sapere*, *Sapor*, h. *Saporare*, ap. Ammian. *l.* 30. & Tertul. de *Spectac.* ut & Dracontium *l.* 1. *v.* 598. A *Tepere Tepor*, h. *Teporare*, apud Plin. 36. *c.* 26. & Dracont. *lib.* 1. *v.* 28. A *Torpere*, *Torpor*, h. *Torporare* apud Turpilium. A *Sonire*, vel *Sonare*, *Sonor*, h. *Sonorare*, apud Lactatium Scholiaſten Statii *pag.* 37. Edit. Lindebrog. A *Vigere*, *Vigor*, h. *Vigorare*, apud Apulejum *lib.* 9. A *Dulcere*, quod Paulinus habet, *carm. ad Nicetam* v. 31. *Dulcor* h. *Dulcorare*, apud Plin. Valerian. & Gallum Confeſſorem, *c.* 6. A *Sopire*, *Sopor*, h. *Soporare*, apud Statium, XI. *Theb.* Plin. 28. 8. Virgilium, Val. Flaccum, Curtium *lib.* 7. &c. quamvis hic variante quantitate, qua de re plura in *Diatriba de dubiis Quantitatibus.* Sed me reprehendo, qui ſatis jam Aſiaticum me excurſorem præſtiti iis, qui reſtrictum audire negaturiunt.

CAPUT XII.

Numerorum Oratoriorum Obſervatio, & Electio Vocum, Phraſiumque.

MULTARUM Dictionum Uſum Latinitati ademit ipſius excolendæ ſtudium, & exquiſita Numerorum Oratoriorum Obſervatio, Vocumque Electio, quæ Ciceronis ævo, (qui primus, teſte Auctore Dialogi de Oratoribus, ſive Tacitus is eſt, ſive Quintilianus, aut neuter, excoluit Orationem, & verbis dilectum adhibuit, & compoſitioni artem) elegantiores animos in admirationem imitationemque rapuit, traxit, attinuit. Multæ enim voces propter tardos Spondeos ſe crebro ingerentes, repudiatæ; nec placuit nimia Proceleus maticorum frequentia. Sic & exquiſita Numerorum in Poeſi obſervatione plurimæ voces fuere ſepoſitæ. Ad capiendos enim hominum animos, quum verba vocibus modularentur, non quævis verba & de trivio ac vulgi fæce hauſta uſurpa-

Digitized by Google

bant: lectam omnino admodumque puram & elegantem dictionem adhibebant, ut quantum concentu ſuaviſſimo aures caperentur, tantum exquiſitiſſimarum Vocum, e quibus verſus conſtarent, venuſtate & pulcritudine concentus ipſe commendaretur, ut ad Th. Siberi verba ex Oratione 1 *vol.* 1. *pag.* 5. huc accommodem. Vide & A. Gellii *caput* 20. *libri* 13.

Pauciſſimi nunc Lyrici Poetæ exſtant. Heroicum autem & Elegiacum genus ne tertiam vocum partem recipit. Et quas recipit, non tamen omnes propter minus exquiſitum & politis auribus inſuavem concentum uſurpabant. Ideoque eligebant. Sic Scaliger in *Hypercrit. c.* 5. *pag.* 321. *in Auſonio* non probat, *ſimulamine*, *decoramine*, ob numeros minus exquiſitos, non quod illa non bonæ fuerint & vere Latinæ; ſed quod numeros deformarint. Quam in rem perlege totum Opus Poeticæs Scaligerianum & obſervabis talia quam plurima. *Rejecerunt & Oratores electione iſthac Verba vulgaria, obſoleta aliena, gentilia, & obſcura*, ut nos Fortunatianus 2. *Rhetor.* docet. *Vulgaria ſunt quibus utitur vulgus ſine ratione atque electione*, (ut Barthius eum corripit) *Aliena dicit quæ non ſunt Oratori accommodata, ſed Hiſtorico aut Poetæ, ut ſi* genitorem *&* genitricem *&* gnatum *dicamus, &* ſatorem, *&* altricem *Gentilia, quæ propria ſunt quarumdam gentium, ſic Hiſpani non* cubitum *vocant, ſed Græco nomine*, ancona, *& Galli* facundos *pro* facetis, *& Romani vernacula plurima, & neutra multa maſculino genere potius enunciant, ut hunc* theatrum, *& hunc* prodigium. *Obſcura quæ nimis priſca ſunt & a paucis eruditiſſimis intelliguntur.* Hæc ex illo. *Hinc de* Piſone *Cicero, vir eloquentiſſimus, & verborum vigilantiſſimus appenſor & menſor*, ut Auguſtinus nominat *lib.* 1. *cont. Adverſ. Leg. & Proph. c.* 24. *T.* 6. *col.* 614. *fuiſſe ſcil. ei verborum delectum elegantem, l. de Clar. Orat. p.* 190. *Edit. Ald. In M. Callidio autem* (pergit) *verbum nullum aut durum, aut inſolens aut humile, aut in longius ductum. Marcellus lectis verbis utebatur.* Nec eſt quod quis objiciat omnes Ciceronis ſuppares, etſi ſpecie inter ſe differant, tamen genere conſentire, omneſque eandem ſanctitatem eloquentiæ ferre; quandamque, licet in diverſis ingeniis, eſſe judicii ac voluntatis ſimilitudinem & cognationem, parique propemodum ingenii felicitate & verborum elegantia ſcripſiſſe, ut ſi titulos dempſeris, illos non facile a Ciceronis ſtilo internoſcas, utut *aſtrictior* Calvus, *numeroſior* Aſinius, *ſplendidior* Cæſar, *amarior* Cælius, *gravior* Brutus, *vehementior, plenior* & *valentior* Cicero ſit. Credo enim ſtudio & imitatione, quod hodieque aſſolet, parili & conformi

Digitized by Google

mi sermone usos, easdemque voces & phrases usurpasse, qui eadem scripserunt. Quibus vero alia laudendi materia, alio etiam sermonis genere eo quoque ævo scripserunt. Fidem dictorum faciunt, qui castra secuti, castrense quoddam dicendi genus adamarunt, ut Valerius Maximus, & Vellejus Paterculus; qui Architectonicen professus, Vitruvius, longe aliud dicendi genus, aliasque voces, ac Cicero, usurpat.

Ex ista autem Poetarum & Oratorum electione factum est, ut, licet bonæ voces, tamen rarius admodum usurpatæ fuerint multæ, & vix in uno alterove Auctore jam supersint. Imo ne Casus omnes & Personas tulerunt. Sic *Iter* recto casu placuit: *Iteris Iteri* &c. obliquis non item. Contra *Itiner* apud paucos exstat, *Itineris* ubique in usu viget. Cicero in *Topicis*, ne *Specierum* quidem & *Speciebus* fuit ausus dicere: licet non neget, posse ita Latine dici. Prætulit *Formarum* & *Formis*. Sic enim ait: *Nolim, ne si Latine quidem dici possit.* Specierum & Speciebus *dicere*: *at* Formas & Formarum *velim.*

Reliquæ Voces, quæ vulgo linquebantur, maximam partem in usu apud posteros jam Italos, Hispanos, Gallos manserunt. Vocabantur talia olim *plebeja* & *sordida*. Quorum vocabulorum sordidorum librum quondam scripsit Lavinius, teste A. Gellio *l.* 20. *c.* 11. Sequior ætas *Rustica* vocabula & *Sermonem Rusticum* appellitare consuevit.

Cæterum nimis videtur superstitiosa aliquando hæc Electio. Qui enim quod uni placet & suave est, continuo alteri etiam suave sit, ejusque gratum auribus, cum tot inter se discrepantia ingenia in mundo videas, ut rarissime illi placeat quod placuit alteri? Sic cum Ovidius dixit 3. *Metam. v.* 671. - - - *Medon nigrescere pinnis,*

Corporeque & presso spina curvamine flecti
Incipit. &c.

Et seq. *libro v.* 444.

Pars aliquas artes antiqua imitamina vitæ
Exercent.

Et Silius *lib.* 2. *v.* 396.

- - - *nivea tremulo nutamine penna.*

Cur non his etiam & Ausonio hæc terminatio insuavis erat, ut fuit Scaligero? Fortunatianus cum *libro* 3. *Rhet*: ubi de verbis humilibus disseruit, M. Tullium, qui *Scalas* dixerat, producit tanquam humilem dictionem usurpantem, & paulo ante quasi obsoletam ponit, non immerito displicet judicioslssimo Barthio *l.* 13. *Adv. c.* 2. *col.* 714; qui vocem

Digitized by Google

non tantopere humilem putat, quippe cui pretium dederit vel ſolus Maronis uſus.

Videmus autem hic Judiciorum varietatem, ut guſtuum. Ovidius *l.* 2. *de Arte am:* verſum hunc,

Semibovemque virum, ſemivirumque bovem:

proprium ſecutus judicium contra Cenſuram Amicorum, qui illum verſum tolli volebant, retinuit.

Plura Exempla ut afferam, ubivis ſeſe oggerentia operæ non eſſe reor. Nec ad Linguæ Analogiam monſtrantes & docentes præcepta Rhetorum pertinent. Diverſus enim ab Analogia & Originatione eſt Uſus.

CAPUT XIII.

Verborum quorundam Poetis relictorum inuſus.

QUÆDAM Verba Poetis fere ſolis relicta ſunt, ut: *Clarare*, quod uſurpant Lucretius *lib.* 3. *v.* 36. *lib.* 4. *v.* 779. Horat. 4. *Carm.* 3. *v.* 4. Plaut. *Moſtell.* 3. *ſc.* 1. *v.* 111. Stat. 5. *Theb. v.* 286. Auſon. *Moſ. v.* 388:

Pollet Ariſtides veteres qui claret Athenas.

Ita enim eum verſum quidam legunt, ut Bernartius ad 5. *Theb. Statii:* Grotius *p.* 77. ad *Aratea Cicer.* Uſus eſt & Cicero in verſione Arateorum:

Non potuit nobis nota clarare figura.

Uti quidem Gifanius & Grotius eum corrigunt, & ibid:

æſtatis primordia clarat.

Et in libro de ſuo Conſulatu:

Jupiter excelſa clarabat ſceptra columna.

Sic *Acerbare.* apud Virgil. Statium. Val. Flaccum, Claudianum. *Stinguere*, quo Cicero in verſu uſus. *Letare*, apud Virgil. *Culice*, *v.* 322. Ovid 3. *Metam.* &c.

CAPUT XIV.

Græcarum Vocum Introductio.

MULTA Græca Verba, præſertim ſequiori ævo introducta, vetera Verba oblitterare potuerunt, qualia ſunt: *Aporiari* pro *Dubare*

Digitized by Google

bare vel *Dubitare*; *Lachanizare*, pro *Pigrere*; *Eunuchare* pro *Evirare*. Sic *Apolactizare*, *Plasmare*, *Chalare*, *Exballistare*, *Toxicare*, *Prophetare*, *Exorcissare*, *Malaxare*, pro *Mollire*, &c. Imo tandem eo Barbariei venerunt, ut Latinis bonisque vocibus repudiatis, iis Græcam quasi terminationem affingerent. Verum enim est, quod Varro ait *l.* 8. de *LL. pag.* 104. Edit. 1619: *Consuetudinem loquendi esse in motu: itaque solere fieri ex meliore deteriorem.* Igitur pro *Pulverare*, quo usi sunt Plautus, citante A. Gellio *l.* 18. *c.* 12. Columella, 11, 2. Palladius *Martio c.* 7. Calpurnius *Ecl.* 5. *v.* 88. dixit Gariopontus *Pulverizare* libr. de *Dyn. c.* 29. hodie autem in desuetudinem venit, illo usitatiore. Pro *Vaporare*, idem dixit *Vaporizare l.* 2. *c.* 13. & *l.* 3. *c.* 35. Alia vide apud Clar. Reinesium, magnæ doctrinæ Virum *l.* 3. *Var. Lect. c.* 12. *p.* 531. Idem fatum passa est nostra Vernacula, quæ adscitis Exterorum vocibus proprias lubens omisit, & pæne amisit.

Notetur autem hic obiter, pleram Radicum Lat. Linguæ partem, quæ jam amissa est, Græcæ Originis esse, ut & ea quæ manserunt. e. g. *Pecere*, de quo infra *c.* 28. est πέκειν. *Trepere*, est τρέπειν. *Clepere* est κλέπτειν, vel κλέπλειν. *Apere* est ἄφειν vel ἅπλειν. Quanquam de hoc ulterius cogitandum. *Dapere*, est δάπειν vel δάπλειν. *Luere* est λύειν. *Argere*, de quo supra *cap.* 5. est ab ἀεγὸς, cujus etiam Radix non apparet. *Celere*, pro *Celerare*, est κέλω, vel κελέω. *Clangere*, est κλάγχω, pro quo κλάζω dicunt. *Poere*, pro *Potare* a πόω inusit. *Dicere*, a δείκω inus. *monstro*, *ostendo*, *indico*. *Miscere* est μίσγειν. *Edere* ἔδειν. *Videre*, & priscis *Videre* est εἴδω quod aliquando idem significavit, ac *dividere*, unde & hoc tractum. Hinc & *Viduus*, i. e. *divisus*, *separatus*, ab aliquo *sejunctus*, a quo *Viduare*. A Græco vero, *Idus*, vel *Eidus*. Hinc *Iduare* vel *Eiduare*, lingua Etrusca, Macrob. 1. *Saturn. cap.* 15. *pag.* 216. qui omnino hic legendus. *Docere*, est δοκέω, unde δοκάζω; *Agere*, ἄγω; *Angere*, ἄγχω; *Tingere*, τέγγω. *Rugere*, ῥεύγω, pro quo dicitur ἐρεύγω. *Fugere*, φεύγω, unde φυγὴ. *Cellere*, κέλλω; *Pilare*, πιλεῖν; *Fallere*, σφάλλειν; *Mullare*, μυλλεῖν. *Plere* a Græco amisso πλέω unde πλέος; *Tremere*, τρέμω; *Clinare*, κλίνω; *Comare*, vel *Comere*, κομέω; *Minari*, & *Minere*, apud Lucret. μίνομαι; *Tornare*, τορνῶ; *Serpere*, ἕρπω; *Larere*, a quo *Lar*, *Larentaria*, apud Festum. *Larunda*, Anson. Monosyll. *Laridus*, vel *Lardus*, apud Cæl. Aurel. 3 *Tard. c.* 48 *Larinæ fœtes* &c. a λαρὸς, i. e. *jucundus*, *gratus*, *voluntati nostræ acceptus*, cujus verbum amissum. *Perire*, unde *Peritus*, *Periculum*, a πειράω πειράομαι.

Digitized by Google

μαι. *Terere*, unde *terebra*, a τερέω *terebro*. *Errare* eſt ἔρρω. *Gnoere*, unde *Gnoſco* vel *Noſco*, eſt γνέω, pro quo γινώσκω dicimus. *Furari* a φώρ, cujus verbum non adeſt. *Batere* a βατέω, i.e. *vado*, *calco*. &c. Quæ omnia liquidius in collatione Harmonica Radicum perſpicienda. Sed & ipſæ Græcæ Radices (genuinas dico) plurimum obſoleverunt, nec a quoquam omnes vere traditæ ſunt & erutæ. Hinc illa ejus Linguæ confuſio, flexionum difficultas, etymologicæque ineptiæ. Videbis autem in collatione, Græcorum Radices obſolefactas in Latinæ linguæ uſu manſiſſe: ut *Necare*, deficiente Græco νέκειν. Contra Latinas in Græcorum uſu, ut στερέω, non comparente τῷ *Sterere*, unde *Sterilis*, ut a *Facere*, *Facilis*, *Agere*, *Agilis*.

CAPUT XV.

Barbararum Vocum introductio.

IDEM damnum intulit Barbararum Vocum introductio: (De ſtylo hic non eſt ſermo.) Repudiatis enim bonis & Latinis vocibus, novas finxerunt, tandem & Gothicas peregrinaſque admiſerunt: ut bellicæ tempeſtates, populis peregrinis regionem aliquam invadentibus, ſemper linguam illius corrumpere aſſolent. Hinc eſt illorum *Pagare*, i.e. *ſolvere debitum*, quod forte a *Pacare* eſt, pro ſatisfacere creditori, Germ. befriedigen. Hinc *Brigari*, *Braxare*, *Trufare* &c. *Fugillare* Fewerſchlagen / ab Hiſpanico *Fuego*, quod *ignem* ſignificat, Italis *Fuoco*, Gallis *Feu*, ex uſu Latinitatis ſequioris vel plebejæ. Sic enim *Focum* pro *Igne*, uſurpat Alcimus *lib.* 3. *v.* 50,

- - - quo fervida quondam
Dicitur attracto nubes Sodomitica nimbo
Guttatim ſparſum fudiſſe in crimina fulmen,
Cum plueret nox tetra focos *cæloque caduco*
Aera per liquidum ſtillarent undique mortes.

Et Abbo Cernuus, *l.* 2. *v.* 296. laudante Barthio *l.* 36. *Adv. c.* 19. c. 1666. Hinc erat τὸ *Focillare*, unde *Fugillare* detortum. Contra Latinæ voces ad alios tranſiere populos. Ut in Germanica uſitatius nihil eſt pæne, quam Regiment. Quæ Vox debetur Latio, in quo eſt, *Regimentum*, & uſus ea Amm. Marcellinus *l.* 25. & Arcadius *l.* 1. § 1. *de offic. præf. præt.* Sic *Regentes* die Regenten. Claudian. *Paneg.* 1. *laud. Stil. v.* 168.

Scili-

Digitized by Google

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

& alibi *Patiens*, pro ægroto, ein Patient. Latinos enim ita uſurpaſſe, teſtis eſſe poteſt Serenus *carm.* 32. *v.* 6. Sic *Cura*, pro ſanatione, apud eundem Serenum non ſemel, Germanis die Cur: & *Curare*, Curieren / apud Orientium *Commonitorio*, *v.* 579:

Viſitor in clauſis, curor confotus in agris.

Cicero in *Tuſc. Quæſt*: *Corpora curari poſſunt: animorum nulla eſt medicina*: id. de Senectute: *Adoleſcentes gravius ægrotant, & triſtius curantur*, & pro S. Roſcio Amerino: *Intelligo me errare, qui cum capiti Sex. Roſcii mederi debeam, reduviam curem.* Camerar. fab. de Anu laborante ex oculis: *Medicus orſus curationem.*

CAPUT XVI.

Faſtidium veterum, & mutandi linguam prurigo.

IPSI etiam Veteres amiſſionibus Vocum amplam dederunt occaſionem. Dum enim nova quotidie vocabula ſuborta, vetera ex uſu hominum ineptiſſimo faſtidio ſublata ſunt, quibuſdam vetera ad uſum revocare, imo & cum 12. Tabulis atque Evandri matre loqui placuit. *Ita enim eſt genius Latii ſermonis, poſt Auguſti ſeculum multa vocabula oblivionum tenebris condita eruebat, multa noviter fingebat*, inquit Matth. Schikeradus in *Epiſt. Critica.* Nihil dicam jam de Salluſtio, cujus Scripta peculiari libro Aſinius Pollio reprehendit, ut nimia priſcorum Verborum affectatione oblita, ſcribente Suetonio, *cap.* 10. *de Illuſtr. Gramm.* quemque Lenæus Grammaticus priſcorum Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem in gratiam Patroni ſui Pompeji Magni dixit, tradente eodem, *ibid. c.* 15. Unde illud pervulgatum apud Quintilian. *l.* 8. *c.* 3.

Et verba antiqui multum furate Catonis
Criſpe Jugurthina conditor hiſtoriæ.

Quem & D. Octavius Auguſtus taxavit, ut ex ipſius verbis apud Suet. in *vita Octavii c.* 86. videre eſt. Neque memorabo Imperatorem Hadrianum, qui genus dicendi vetuſtum amavit: Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtio Cæcilium prætulit, ut Spartianus refert in *ejus vita. pag.* 808. *Edit. Steph.* Quorum hominum odio, alii contra nihil niſi tritum & uſitatum voluerunt, & ita, ut Senecæ *l.* 10. *epiſt.* 115. verbis utar, *in ſordes inciderunt.* Laberium, quod obſoleta & maculantia ex ſordi-

Digitized by Google

ſordidiore vulgi uſu ponit, (quale eſt in Staminariis: *Tollet bona fida vos orcus in Catomum*) vituperat A. Gellius, *l.* 16. *Noct. Att. c.* 7. & talium ſordidorum vocabulorum librum Lavinius olim ſcripſit, quem citat idem *Noctium Atticarum* Scriptor, *lib.* 20. *c.* 11. De odio, quod dixi, adeo verum eſt, ut Suetonius in *Auguſto c.* 86. ſcribat, *Ipſum Auguſtum magno ſtudio reconditorum verborum fœtores, ut loquebatur, vitaſſe, eumque Tiberio non peperciſſe, exoletas & reconditas voces aucupanti.* Apud A. Gellium *lib.* 16. *c.* 10. refertur Verbum cujuſdam Juriſconſulti, a quo cum A. Gellius peteret, quid ſibi vellet *proletarius?* (quæ vox deducta erat e duodecim Tabulis) reſpondit: *Seſe jus Faunorum & Aborigenum non didiciſſe, ſeque tantum præſtare debere legum ac vocum earum ſcientiam, quibus ſua uteretur ætas.* Huc facit Senecæ ambitio, qui *Neronem a Veterum Oratorum cognitione avertit, quo diutius in admiratione ſui detineret*, ſcribente Suetonio, in *vita Neronis, cap.* 52.

Alii contra vulgata elegantia non contenti, novitia quærebant & pleraque inveniebant ornamenta, ipſumque Ciceronem nauſeantes; Latinitati alios comptus affingere laborarunt; faſtidioſiſſimi delicatuli! Unde Fabianum ſuo ævo tali elogio ornat Seneca, *epiſt.* 59: *Si recentiorem quæris, Fabianum, diſertum & elegantem, orationis, etiam ad noſtrum faſtidium, nitidæ.* Ad quæ verba Muretus annotat: *Jam enim plerique nonnulla Ciceronis, ut parum nitida & parum expolita faſtidiebant, idque & ex multis Senecæ locis, & ex dialogo de Oratoribus, qui Tacito tribuitur, facile perſpici poteſt.*

CAPUT XVII.

Idioma cujuſvis Regionis peculiare, & cujuſque peculiaris Idea Ingenii.

HUC referas idioma cujuſvis Regionis proprium, & ingeniorum præterea in qualibet diverſitatem. Peculiaris enim cuilibet ſui ſua eſt idea ingenii. Nec omnes uno orationis genere uti in tanta varietate poſſunt. Neque convenit etiam inter auctores maximos de ratione dicendi probatiſſima, quod illuſtribus exemplis probat Budæus, *Comment. Græc. Lingu. col.* 1300. *Edit. Baſil.* 1530. Hinc Pollio in Livio accuſat Patavinitatem, neque ei Cicero etiam ſatisfecit. Auguſtus non tulit Tiberium. Tiberius Græcas voces ægre admiſit, licet neceſſitate flagitante, ſed

Digitized by Google

ſed potius periphraſibus delectatus eſt. Caligula improbavit Senecam, & quis omnia exempla enumeret? Nec ipſe Cicero Bruto probare ſuo Oratorem ſuum potuit illi ipſi nuncupatum, ut ipſemet auctor eſt ad Atticum. Vide Budæum *d. l. col.* 1290. Huc non inepte etiam Auſonii verſus 151. in *Technopægnio* referri poteſt, ita interrogantis:

Bucolico Sepes dixit Maro, cur Cicero Seps?

Iduare eſſe Vocabulum Hetruſcum, dicit Macrob. 1. *Sat.* 16. pro quo alii *Dividere* maluerunt. Sunt inter auctores ſua cuique propria. *Nam frequenter hærebit in Quintiliani ſermone, qui præter Ciceronem nihil legerit*, inquit Eraſmus *de Ratione veræ Theologiæ pag. m.* 177. Et hunc ipſum Eraſmum ſecutum eſſe venam & ideam ingenii ſui, dicit, & defendit contra eos, qui Eraſmi ſtylum & dictionem carpunt, Magnus Baudius, *Cent.* 2. *Epiſt.* 3. cujus verba, quia in manibus eſt, transſcribere ſuperſedeo. Plinius Junior & Quintilianus Ciceronis diſſimiles fuerunt, cum ejus ſcriptorum ſtudioſiſſimos fuiſſe nos, notum ſit, inquit Budæus *d. l. col.* 1291. quem vide. *Funerare*, in Cicerone non leges, at in Horatio, Petronio, Ulpiano tibi occurret. Refer huc quæ antecedente Capite dixi. Varietatem igitur, quæſo, conſidera omnium ingeniorum, in quavis lingua, & tantam quanta vix eſt formarum, modum loquendi per omnia uniformem nunquam quis introducere poterit. Tamen qui bonæ mentis erunt, optimum potius dicendi genus naturæ ductu & arte magiſtra ſectabuntur, quam deterius. Et pravis prava, contorta, obſcura relinquimus.

CAPUT XVIII.

Vocum rarior apud Scriptores uſus, hinc earum deſuetudo, dum imitatores præſcripta ſecuti ſunt.

ETIAM bonarum Vocum rarior uſurpatio eas abolevit. Cum enim Scriptores Veteres multas Voces, eaſque genuinas & Latiniſſimas, quod uſus non ferret, non inſererent libris ſuis, illæ poſtea in deſuetudinem abiere. Hinc eſt quod Verba quotidiano uſu trita, & muliebribus potiſſimum operibus debita rarefacta deſierint, ut: *Licere*, prima producta, *Filare*, *Linare*, *Stupare*, *Fuſare*, *Nimbare*, *Limbare*, *Fimbriare*, *Baltheare*, *Stolare*, *Soccare*, *Braccare*, *Tunicare*, *Pellire*, *Paludare*, *Vittare*, *Scopare* &c. Multas autem dictiones per libros, præſer-

Digitized by Google

tim eos, qui Ciceronis tempore scripti, minime propagatas, credibile est; cum & nostra Vernacula quamplurimas habeat, quas rarissime, si unquam, libris qui in publicum eduntur, aut certe Lexicis, insertas invenies; nemo tamen Teutonicas negaturus est, nisi forte qui hujus ignarus linguæ.

Plurima autem sunt Verba quæ semel tantum, aut bis terve in Veterum libris inveniuntur, qualia habentur *Mulierare* & *Tunicare*, quæ apud Varronem relicta sunt, citante Nonio Marcello *cap. 2. n. 552.* & *873. Ravire*, apud Plautum *Pœnulo, act. 3. sc. 5. 33.* & *Capt. Prol. v. 13.* Exstatque in *Gloss.* Isidori, *Excerptis Pythœanis* & *Breviloquo*. Quod si ista Plauti loca interiissent, quivis forte pro barbaro haberet. *Senere* est apud Catull. *carm. 4. v. 26.* & Pacuv. in *Peribœa*, & *Actio in Telepho*, citante Prisciano *lib. x. col. 887. Varare* habent Agrimensores, & *Obvarare*, Ennius *Pilare*, i. e. *densare*, Hostius & Ammianus *l. 31. Serare* Pacuvius & Priscian. *l. 10. col. 900. Verare* Ennius 13. *Annal.* apud A. Gell. 18. *c. 2.* & ex veteri Codice restituit Horatio Barthius *l. 37. Adv. c. 22. col. 1706.* quem vide. *Crinire* solus habet Statius, 4. Sil. 5. *v. 10. Solare* prima longata, idem 5. *Thebaid. v. 149.* quod & apud eundem *lib. 4. Theb. v. 36.* in Norico libro exstitit, ut Zinnerling indicat *Crit. promuls. c. 36. p. 110.* Verba sunt:

- - - Quæ moverit arma
Gradivus, quantas populis solaverit urbes.

Ubi vulgatæ Editiones: *spoliaverit urbes. Membrare* est apud Censorinum, quem Priscianus *lib. 1. col. 544.* doctissimum artis Grammaticæ appellat; & Dracontium, *Hexaem. v. 221. Scurrari*, Horatium *lib. 1. Epist. 17. v. 19.* & *Epist. 18. v. 2. Simare*, i. e. *deprimere*, apud Lucilium, 7. *Satir.* citante Nonio *cap. 2. n. 771.* ubi male *Sumas* legitur. Et apud Sulp. Lupercum Servastum, *Eleg. de Cupiditate, v. 37. Simatæ nares. Vesperare*, apud A. Gellium *l. 17. c. 8.* & agnoscit Eutyches. *Adsolare*, i. e. *solo æquare*, ab inusitato *Solare*, prima brevi, apud solum, quod scio, Tertullianum libris a Jacobo Gothofredo publicatis, *ad Nationes p. 103.* & *114. Crassare* habent Apulej. 3. *Met. p. 139. Ed. Elm.* Optatus Afer *l. 2. pag. 61.* Agroetius de *Orthographia*, *col. 2273.* Sidon. Apollin. *carm. 5. Paneg.* Majoriani *v. 406. Protervire*, Galterus *l. 1. Alex. v. 192.*

Jam fruitur voto jam mente protervit in hostem.

Sic MS. vetustissimum, & Argent. Editio. In Ingolstadiensi est *procurrit.* Idem *l. 2. v. 236.*

aut

- - - aut in tua damna protervit.

Sic MS. Arg. & Ingolst.

Bapt. Mantuanus *Carm.* 3. *in Falconem. v.* 30.

Nec vulgi duce te, protervientis
Nugas, judiciumque pertimescam.

Rosare, prima brevi, exstat solum apud doctissimum Auctorem Carminis de defectu Lunæ, quod Varroni Atacino quidam tribuere *v.* 28. *Follere*, quod in Breviloquo invenies, usurpat D. Hieronymus: *si pes laxa pelle non folleat*, citante Casaubono ad *Theophr. Charact. p.* 136. *Follicare* idem habet ad *Eustach. de custod. Virginitate*, Apulejus, 9. & *Onomast. col.* 55. Tertullianus etiam *l. de Pallio. Rugare* usurpat Plautus, *Cas.* 2. 3. *v.* 30. Et in *Fragm.* apud A. Gellium *l.* 18. *c.* 12. Et Eutyches habet *Rugari. l.* 2. *de disc. Conjug. col.* 2177. *Horoscopare* Manil. *lib.* 3. *p.* 73. & Firmicus. *Vilere*, Avienus *Arateis*, *v.* 318. *pag.* 90.

At postquam argento deformis viluit ætas.

Scriptores autem infimi ævi frequentius eo usi sunt, Gulielm. Brito *lib.* 1. Alanus 3. *Anticlaud. v.* 123. Accius, sive Romulus est, sive alio nomine indigitandus, *fabula* 28. *v.* 13. &c. *Conturmare*, Amm. Marcellinus dixit *lib.* 16. *p.* 1486. *Edit. Steph. Pullare.* Calpurnius habet *Eclog.* 5. *v.* 20. ad quem vide Barthium *pag.* 363. Exstat & in *Onomastico Græcolat. p.* 121. *Nivare* est in *Gloss. Arabico-Latino. Nivatus*, legitur apud Sueton. *Ner. c.* 27. A qua *nivata* apud Petron. *p.* 76. *Nivere*, Fortunatus utitur, *l.* 8. *c.* 9. *v.* 12. Mantuan. 5. *Eclog. v.* 8.

Cymbia lacte nivent.

Depontare, habet Varro in *frag. p.* 141. *Edit.* 161. in 8. laudatus Nonio *c.* 3. *n.* 143. Vide notas in Editione Gothofredi. *col.* 1868. *Pontare* est in *Gemma Gem. Cornicari*, Persium usurpatorem habet. *Sat.* 5. *v.* 12. nec non Eutych. *l.* 1. *de disc. Conj. col.* 2157. *Albare*, Priscianus habet *periegesi*, sive quis ejus auctor est *v.* 431. & Fortunatus *l.* 11. *Carm.* 10. *v.* 5. *Rubrare* solus Alcimus Avitus *libro* 5. ut in MSto. & Vett. Editionibus est. Vide Edit. Zehneri *pag.* 166. *Pennare*, Dracontius *lib.* 1. *v.* 146. *Pumicari*, Tibullus *l.* 3. *El.* 1. *v.* 10. Apulejus *Apolog.* Participium habet Plinius *Epistolis. Equire.* Plinius *l.* 10. *c.* 63. *Juvenari*, Horatius in *Arte Poet. v.* 246. *Strenuare*, apud Plautum legitur *Pseudolo.* 2. *v.* 34. ad quem vide Taubm. & quas turbas lectionum dederit ignoratio hujus vocis cognosces. Hæret & Barthius aliamque lectionem instituit, *l.* 28. *Adv. c.* 17. *col.* 1340. Agnoscit autem, & ex Glossario suo confirmat

Digitized by Google

l. xi. *Adv. c.* 6. *col.* 521. *Uvere* apud Festum Avienum, in *Ora Maritima*, *v.* 521. solum exstat; Apud Silium Ital. *l.* 7. *v.* 650. est Participium:

Uventi ferrum admovit tepefacta palato.

Ut & apud Avien. *Arat. v.* 1782. Apud Lucretium est *Uvescere*, *lib.* 1. *v.* 306. ut & apud Avienum *Arateis*, *v.* 1579. *Nigrare*, apud Lucret. *lib.* 2. *v.* 732. & 792. *Lanare* invenies in *Onomastico pag.* 77. ἐριοφορέω. Et Partic. *Lanatus*, apud Avienum in *Arat. v.* 535. *pag.* 95. *Æquorare* in *Gloss. Arabico-Latino*. *Asinare*, apud Luitprandum in Legatione, ad cujus oram memini Dn. Barthium annotare: *Bene. Ramare* solus Alanus habet in *Parabolis cap.* 4. §. 1. *v.* 1:

Arbor qua late ramat, nisi firma sit, imo
Cum ramis facili corruit icta Noto.

Brumare, Joh. Hantvillensis in *Architrenio*:

Filia Castalii veris marcentia fata
Sub Borea brumante gemit.

Granare exstat in *Brevil.* & *G. Gem.* unde *Granatus*, 4. *decl.* apud Caton. de *RR. Granatim*, apud Apulej. *l.* 6. & Particip. *Granatus* in usu: ut *Malum Granatum.* Hinc *Ingranare*, i. e. *grana in horreum ponere*, in scheda *Glossarii Anglicani*, edita a Barthio *l.* 28. *c.* 19. quæ ejus beneficio jam me penes est. *Vivare* Lucretii est *l.* 3. *v.* 410. 559. 681. *Pronare* exhibet Sidonius legenti, *l.* 8. *Epist.* xi. *pag.* 219. *Edit. Elmenh. Ovare*, quod Grammaticorum stupor inter Anomala recenset, probum est. Habes *ovat*, apud Val. Flaccum *l.* 2. *v.* 507. apud Paulinum Nolanum *Natali* 7. *Fel. v.* 92. *ovet*; apud Sueton. *ovandi jus* legitur in *Claudio*, *cap.* 17. *Annare* in veteri formula apud Macrobium est *lib.* 1. *Sat. c.* 12. *Anere* Caper habet, de *Orthogr. col.* 2240. & vetus Lex. Græco-Lat. *c.* 16. *Serrare* apud Veterem Bibliorum interpretem, *Esaiæ* 41. invenitur, & est in *Onomastico*, *p.* 139. *Stirpare*, ῥιζόειν in *Onom. Græco-L. p.* 145. *Stirpatus* usurpat doctiss. Rosweidus *præfat.* in *Editionem Paulini suam*: *Sedula cura stirpata* (vinea) *a sentibus gemma non ladatur.* *Abstirpare* apud Hericum Monachum *lib.* 1. Cujus aliud exemplum non meminit Barthius, vide eum *l.* 16. *Adv. c.* 34. *col.* 857. *Amarare* apud Fest. Avienum & Chrysolog. serm. 125. *Singere*, unde *Singulare* & *Singultire*, apud Eutych. *l.* 2. *col.* 2177. *Fringere*, unde *Fringulare*, & *Fringultire* sunt, apud Martialem *l.* 2. *Epigr.* 82. ubi mire varias lectiones alii commenti sunt; vide Gruteri notas, *p.* 18. & 112. Placet tamen retinens Scaliger, apud

Scriver.

Digitized by Google

Scriver. *p.* 80. *Indigitare* Macrob. 1. *Sat.* 17. & Tertullian. *Indigitare precem myſticam.* De verbo *Baubari* (quo Lucretius uſus *l.* 5. *v.* 1070. Bapt. Pius *Annot. ad l.* 3. *Epiſt.* 3. Sidonii, & Scalig. *lib.* 2. Epidorp. *c.* 175. *v.* 2. *pag. m.* 145. & *Baubare* efferunt Mantuanus 8. *Silv. c.* IV. *l.* 3. *Dionyſii v.* 358. 1. *Faſtor. v.* 34. *præf.* & *l.* 5. *Faſt. c. ult. v.* 96. Franc. Bonadus, *Epiſtola ad Coloſſ. cap.* 2. ad finem. Scaliger de *CC. LL. c.* 13.) dicit Barthius ὁ θαυμάσιος *l.* 13. *Adv. c.* 4. *col.* 717. quotidiano in uſu fuiſſe, ut innumera alia idiotiſmi oſtendunt, licet in libris raro inveniatur. *Viare* habent Lucilius, Plautus *Trucul.* 1. *ſc.* 1. *& Pſeud.* 5. 1. *v.* 3. ſi conjecturæ Rhumelii credimus, quod Pareus facit; Ammianus *l.* 20. Juvenc. *lib.* 1. *v.* 126. Prudent. 2. *cont. Symm. v.* 772. Fortunatus *l.* 9. *c.* 7. *v.* 31. Caſſian. *Collat.* 15. *c.* 3. Ambroſ. *l.* 5. *Hexaem. cap.* 16. Caſſiodor. in *Pſalmum.* 1. Chryſologus *ſerm.* 63. & 155. Papias. Ejus tamen Participium multo frequentius invenitur, ut apud Prudentium *Cath.* 5. *v.* 65. *Hamart. v.* 209. *hymno in infideles. v.* 27. Apulej. *l.* 6. *Met. p.* 184. & *lib.* 10. *p.* 240. Ammian. *l.* 19. Damaſum, *carm.* 6. *v.* 4. Juvenc. *l.* 2. *v.* 361. & *l.* 3. *v.* 209. Sidon. 1. *Epiſt.* 2. & 5. Sarisb. 1. *Policr. c. ult.* Alanum 4. *Anticlaud. v.* 458. Et hoc Verbum in vulgatis Lexicis, quæ pueris noſtris proponuntur, raro habetur, quaſi minus Latinum ſit. Sic *Breviare* quod uſurpant Manilius *l.* 3. *p.* 70. Quintil. *l.* 1. *c.* 9. & 11. & *l.* 5. *c.* 13. Tertull. *contra Judæos, c.* 8. Diomed. *l.* 3. *Gram. col.* 474. Juvencus *lib.* 4. *v.* 136. *Gloſſarium Græco-Latinum.* Cenſorin. *c.* 4. ut in MSto eſt: vide Barth. *l.* 27. *c.* 19. *col.* 1307. Lactantius *Inſtit. Epitome. c.* XI. Hilarius *lib.* 3. (*ut diſtinguunt*) adverſus Conſtantium: *intelligantur breviandi dies propter electos Dei.* Paulinus Nolanus *Epiſt.* 19. *pag.* 188. & *Epiſt.* 29. & *Natali* 8. *Felicis, v.* 13. Fortunatus *l.* 4. *de vita S. Martini, v.* 619. Arnulfus Lexov. *carm.* 3. *in Veris reditum.* Sidon. *lib.* 2. *Epiſt.* 2. *pag.* 35. *l.* 4. *Ep.* 15. Hinc Bapt. Mantuan. 1. *Dionyſii v.* 429. *lib.* XI. *Faſt. c.* 2. 41. Boninus Mombritius *lib.* 5. *de paſſione Domini v.* 194. Benedict. Arias Montanus *Carm. de divinorum nominum uſu & interpretatione, v.* 91. & alii. Sic & *Corporare* non quidem apud Ciceronem, & qui paris ævi & æſtimii apud noſtros habentur, exſtat: invenitur tamen apud Tertull. *l. de carne Chriſti, c.* 3. & *c.* 6. & *de Trinitate*; Lactantium *lib.* 2. *c.* 9. *pag.* 104. *Edit. Thomaſii*, & *l.* 4. *c.* 26. Caſſianum *lib.* 7. de *incarnat. Domini.* Fulbertum *ſerm.* 4. Plinium. *l.* 7. *c.* 15. Solin. *c.* 20. Apulejum *l. de Mundo p.* 66. Bern. Morlan. *l.* 2. *de contemptu Mundi v.* 300. Apud veteres etiam, ut Ennium, Accium, &c. apud quos tamen *inter-*

Digitized by Google

ficere significat. *Fabrire*, pro *Fabricare*, apud unicum Fortunatum exstat *l.* 2. *Carm.* 9. *v.* 23.

Quod nullus veniens Romana gente fabrivit,
Hoc vir barbarica prole peregit opus.

Is autem Fortunatus, quamvis Francica aliaque Barbaric Poesin suam Latinam corruperit, eruditus tamen & plurimæ lectionis homo fuit, de quo censentem non modo vide Barthium *l.* 5. *Adv. c.* 12. *l.* 3. *c.* 13. *col.* 135. *l.* 34. *c.* 3. *col.* 1549. & *c.* 6. *col.* 1555. *l.* 46. *c.* 2. & *c.* 3. *l.* 51. *c.* 12. *col.* 2401. & alibi. Sed & ipsum illum Poetam, sodes, inspice, & cum veteribus diligenter contende. Judico ergo hanc Radicem jam diu usurpari desitam a Venantio hoc ex veteribus; nunc autem amissis auctoribus in usum protractam. Nostro autem ævo a nostris litterionibus minime ideo observatam, quod is Poeta non tantum incognitissimus, sed & ante triginta & paucos hos annos primum tantum integer evulgatus fuerit. Proinde indolem suam facile hæc probat, & a cæteris ejus Auctoris scoriis Latinæ linguæ Analogia eam rite secernit. Sed satis exemplorum. *Manu non toto sacco ferendum*, apud Pindarum monet Corinna. Recensent alii voces quæ apud Ciceronem semel leguntur, quorum labores non compilo. Quod si hæc Auctorum istorum loca injuria temporis interiissent, Ciceroniani statim ea rejecturi essent, tanquam minus Latina. Laudat Charisius *lib.* 2. *col.* 175. (*Edit. Fabr. pag.* 214.) *Statilii Maximi de Singularibus Ciceronis* libros, qui si exstarent, maxime nobis in hoc negotio profuturi essent. Legat interim omnino benevolus Lector, quæ Vir eximius meritorum Andr. Schottus *lib.* 3. *Nodorum Ciceron. c.* 17. hanc in rem scripsit; mihi enim omnia comportare non allubescit. Et alii alia habent.

Hoc non possum quin addam; ægerrime me ferre desiderium *Pontici*, *Julii Solini*, cujus fragmentum inter Catalecta Veterum exstat, etiam a Phythœo repetitum. Ut & Carminis, quod *de defectu Lunæ*, alii *Astronomicum* inscribunt, & Pythœus Fulgentio attribuit, Petrus Daniel, & Lipsius, nisi fallor, aliique Varroni Atacino, cujus fragmentum duntaxat habetur, editum a Turnebo *l.* 10. *Adv. c.* 3. Pythœo inter Poematia vetera, & Scaligero in Catalectis. Plura enim in hisce rara inveniuntur vocabula, bona tamen.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Amissio bonorum Auctorum, & unde ea.

Singulare autem certe & dolendum istius cladis, quam Latinæ linguæ integritas pertulit, damnum, est amissio Bonorum Auctorum. Nihil enim dicam de tot Scriptoribus, revera innumeris, qui toti perierunt. Quot sunt, quorum ne centesima quidem pars superest, præsertim ex vetustioribus, cum quibus perierunt *Agriculturæ*, *Architecturæ*, *Picturæ*, *Nauticæ*, & cujusvis artis, sicut aliarum rerum propria vocabula innumerabilia? Et profecto, non Latinam linguam, sed Latinæ linguæ reliquias inter mortuas tantum tenemus, ut *Ramus* vere scribit *lib. 4. Schol. Gram. p. 92.* Idemque affirmat Nobilissimus Dn. Barthius, præter cæteram eruditionem, hercle admirandam, Latinæ linguæ callentissimus qui tum alibi, tum animadversionibus in *Celestinam pag. 344.* hæc dicit: *Quoniam stantis Reipublicæ Romanæ & vigentis linguæ nemo Nomenclator ad nos venit, multa vulgo, præcipue opificibus & in eorum tabernis, usitata, quomodo appellarint, ignoramus.* Et juvat hic integrare ejusdem Viri querelam de amissis *Alphii Aviti* versibus. Sic enim *pag. 227.* ad *Claudian. Faciunt hi, ex tam suavi Poeta soli superstites, versus, miris modis desiderare Latinorum Lyricorum Opera, quæ si exstarent, sane non dubito multo locupletiorem nos Latinam linguam usuros, quam facere possumus tot æternitate dignissimis monumentis funditus amissis.* Idem conqueritur eloquentissimus Sturmius, cujus verba, eximia sane, sed pluscula, alibi producam; ut reliquos Doctos Viros, quorum non contemnendus est numerus, taceam. Qui ergo exacte scire possumus, quid eo ævo usitatum nec ne?

Hanc autem amissionem bona ex parte causati sunt Bonorum Auctorum inepte Censores, qui, dum pauculos quosdam Scriptores legendos commendarunt, suo judicio fecerunt, ut reliqui, licet suo genere boni, penitus posthaberentur & interciderent. Sic cum Quintilianus Horatium inter Lyricos vel solum lectu dignum censet, Catulli vero ne semel quidem meminens, fecit sua censura, ut tot Lyrici interierint, uno Horatio in unicam admirationem rapto. Atqui Catullus, & alii, quorum paucula supersunt fragmenta, non fuerunt lectu digni? Certe si istorum reliquiæ abolitæ fuissent, non parum damni Latinitati (de aliis ut fileam) accrevisset. De hoc judicio vide Barthium *l. 56. c. XI. col. 2654.* Cicero in

Digitized by Google

in *Bruto* Livium Andr. inepte ſcripſiſſe teſtatur, dicens, eum docuiſſe fabulam non ſatis dignam, quæ iterum legeretur. Et Martialis perſtringit Chreſtillum, *lib.* XI. *Epigr.* 91. quod attonitus legat,

- - - Terrai, frugiferai,
Accius, & quicquid Pacuviusque vomunt.

Iis tamen Poetis gravitatem ſententiarum & pondus verborum tribuit Quintilianus *lib.* 10. *c.* 1. Atque utinam exſtarent, multum genuinæ Latinitatis in illis offendere eſſet. Impolitiam verſuum flexionumque in vocibus, & ſtructuram Dramatum non dico; quarum potiſſimum cauſa ii rejecti fuerunt. Trebellium Pollionem Hiſtoricum inutilem judicat Dempſterus. Quod ſi maxime eſſet propter hiſtoriam: non tamen eſt abjiciendus, propter alia exinde cognoſcenda. Innumeræ tales cenſuræ quotidie nobis obveniunt.

De *Chriſtianis Poetis* ſcribit G. Fabricius Chemnicenſis præfat. in eos, *pag.* 8. his verbis: *In eadem culpa, quod pudet, plurimis annis ipſe fui: idque fateor, ut alios reddam cautiores, minuſque credulos. Legeram in libris de corruptis diſciplinis apud Lud. Vivem, hac verba*: Juvencus, Sedulius, Proſper, Paulinus lutulentæ & perturbatæ ſunt aquæ. *Ei autem viro tantum auctoritatis tribuebam, ut quidquid ipſe diceret, id eße ſequendum: quidquid ſtatueret, ei aßentiendum arbitrarer. Talis igitur Viri ſententia ab illorum lectione abſtinui, nec quales eſſent inquirendum putavi: videlicet ne lingua inquinaretur, aut ſermo eſſet lutulentior: quem purum & liquidum eſſe debere, me docebant præceptores*, &c. Hæc ille. Videmus igitur hic inclementibus hujuſmodi judiciis multos bonos libros amiſſos eſſe, quorum plurima ipſi Veteres olim tulere.

Sequentia deinde ſecula Claſſicos etiam expulerunt, ſuaque aut ſuorum, quos admirati ſunt, ſcripta ſubſtituerunt, quæ tamen tantum abeſt, ut prioribus paria, ut potius multo deteriora fuerint, decreſcentibus nimirum cum ætate ingeniis, quæ tam miro mundanarum rerum turbine conſtare, ſibique ſimilia eſſe non potuerunt. Martianum Capellam, utpote compendio quopiam Cyclopædiam univerſam complexum, in Scholis veterum Chriſtianorum meliorum loco, prælectum fuiſſe, docent nos Gregorius Turonenſis, fine operis ſui hiſtorici, Salisberienſis, alii. Virgilio & Lucano expulſis. Galterum olim ſubſtitutum conqueritur Heinricus a Gandavo.

Veterum autem proborum Poetarum plurimos (quos immane quantum deſideramus. Latinæ ſcilicet linguæ inſtaurandæ utiliſſimos & pæne unicos)

Digitized by Google

unicos) perire fecit *novum Poetarum genus*, quod ante annos hos quingentos aut præter propter exoriebatur, *Rhythmicorum* videlicet, quibus a vulgo tantus applauſus datus, ut nihil legere & æſtimare amplius voluerit, niſi quod rhythmis conceptum gratum ſtolidiſſimis ejus auribus epulum præberet. Quo morbo & Docti tum temporis correpti fuere, pauciſſimis exceptis, qui ſe Vulgo eximentes ad Veterum imitationem, qua pote, componebant: quales fuerunt *Gunterus*, *Saxo*, *Salesberienſis*, *Devonius*, *Galterus*, *Alanus*, alii. Quibus tamen Seculi barbariem penitus effugere non fuit, ut illis de cœno illo fæculentia non adhæſerit. Donec tandem *Sophiſtarum* & *Monachorum* factio grandi Poetas odio proſecuta, ſuperſtitioſique homines nihil Ethnicum ex craſſa ignorantia admittentes anſam dederunt, ut totum illud Veterum Auctorum genus e manibus, mente & memoria hominum excuteretur & evaneſceret.

Et certe evanuiſſent & periiſſent ii Scriptores omnes, ſi per Monachos ſtetiſſet, niſi ſingulari DEI Clementis Providentia ad noſtrum hoc ſeculum mirabiliter conſervati fuiſſent; nimirum in eum uſum, ut Linguarum & Bonæ Mentis ſtudia ex iis reparata viam præpararent Verbo DEI tot ſecula tenebris Papiſticis obſcurato in apertam claramque lucem reproducendo & illuſtrando.

Optime igitur illi animati fuerunt, qui noſtro ævo adhuc ſuperſtites & in clauſtralium latibulis maximam partem deliteſcentes & abditos, de ſitu & pulvere, quantum eorum reliquum fuit, undecunque potuere, eruerunt, repurgarunt & illuſtrarunt, planeque deperditorum fragmenta ſtudioſe & laborioſe collegerunt. Debetur illis Viris a *Petrarchæ*, *Boccatii*, *Philelfi* & cæterorum memoria uſque ad noſtrum hoc ævum, quo vivimus, luculentiſſima & nunquam intermoritura gratia. Quin vivant illi, vivant, & in æternum vivant, multis Victoribus & Triumphatoribus potiores, qui per hoc ſuum ſtudium (etiam aliquando inſcii) DEI laudem, non hominum: horum tamen commoda utilitatemque valde promoverunt. Verum quo abripior?

Amiſſa ergo ſunt tot præclara varii generis Veterum Monumenta, quorum loco, ſi veterum *Philologorum*, *Grammaticorumque* ſaltim ſupereſſent Scripta, mitius ferremus illorum jacturam. At, præter pauciſſima, Fati ea nobis invidit ſcævitas, quæ tamen ſatis lacera & mutilata ad nos pervenerunt. Ex quorum ruderibus noſtri ævi Litteratores Latinitatem ſuam exædificavere. *Verum*, (ut Optati Afri illud *lib.* 3. huc adaptem) *quale, quæſo, poteſt eſſe ædificium, quod de ruina conſtruitur?*

Digitized by Google

CAPUT XX.

Corruptio Superſtitum Auctorum.

AUXIT damnum hoc Corruptio Superſtitum Auctorum. Mirum enim in modum olim ab indoctis Deſcriptoribus depravati fuerunt Codices. *Solebant enim homines imperiti* (inquit Muretus) *qui avorum aut proavorum noſtrorum temporibus, victum ſibi deſcribendis libris quærebant, quæ perperam ſcripſerant, non delere: ne libros ſuos, multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, iterumve totas paginas deſcribere cogerentur, ſed iis, ut erant, omiſſis, cetera perſequi* &c. Hæc ille, *lib.* XV. *Var. Lect. c.* IX. Veriſſime, quod non raro ipſe in MStis expertus ſum. Et vide, amabo, quæ Doctiſſimus ille ipſe Vir ſuper hac re notat ad 48. *Epiſtolam Senecæ*, & ad *lib. de Vita Beata pag.* 497. *Edit.* 1594. *Solebant etiam litteras & dictiones ſupervacuas, aut perperam exaratas, punctulis ſuppoſitis notare, quibus propter minutiem facile obliteratis errores hinc inde nati, Auctoreſque turpiter corrupti ſunt.*

Præterea multa corrupit audax Deſcriptorum & Correctorum ruditas. Qui, ſi qua vox non ad ipſorum palatum, ſtatim mutabant, alia ſuppoſita. Qua de re Stewechius conqueritur in *Electis ad lib.* 5. *Arnobii, pag.* 385. *Mirari deſine*, inquit, *ſeu temeritatem ſive ineptiam eorum, qui ſuperioribus ſeculis aliorum libros vel calamo ſcripſere, vel typis expreſſere: etenim nimis quam ſolens iis fuit, reperto vocabulo minus pervulgato, aliud ſtatim ſubdere, extrito priore, genuino licet, nec minus ſignificante.* Et Fruterius *lib.* 2. *Verſim. c.* 12. *Librariorum audax & inſita induſtria multos nobis auctores mutilavit, atque corrupit, quum plerique verſuum ignari, omnisque adeo Antiquitatis rudes, audebant tamen quidvis invertere & immutare, hac ratione, ni fallor, inducti, quod nil putarent a poſteris intellectum iri, quod non idem & ipſis in promptu & notitia exſtitiſſet.* Hactenus Fruterius.

Manuſcriptis ita non ſemper fidendum, docuerant Maximi Viri, quorum ſententias brevitatis ſtudio huc non tranſcribo. Pauca tamen dabo exempla: In Salluſtio erat, citantibus ita unanimiter Grammaticis: *Loquentiæ multum, ſapientiæ parum.* Quorum conſenſum ſecutus, Gruterus optime in textum ita recepit. At MSS. contra omnes habent *Eloquentia*, quos male ſecutus eſt Carrio, utut Sidonius etiam ſic citet, *lib.* 9. *Epiſt.*

Digitized by Google

9. *Epiſt.* 9. Olim, apud Lucretium vulgo habebatur, *l.* 5. *v.* 28.

Quidve tripectora tergemini vis Gerione.

Hinc, Barbarie olim vigente Grammaticus, Neſtor, putavit ſecundam & tertiam ſyllabas produci in ultima voce. At Jacobus Gaudenſis, qui nuper, nata typographia, vixit, dicit, in veris Exemplaribus eſſe:

Quidve tripectora tergemini quoque Gerione vis.

Hodie autem legitur, & bene:

Q. t. tergemini vis Gerionai.

Quam vera ergo illa Exemplaria fuerint, jam liquet. Talia alia vide apud Gaudenſem in *Stichologia.* Vere igitur Petrus Victorius *Annot. ad Epiſt. 6. libri 6. Epiſt. Fam. Cic. Nonnullæ hujusmodi voces*, inquit, *niſi e veteribus & non contaminatis exemplaribus reſtituantur, obliteratæ ſunt, & e finibus Latinæ linguæ ejectæ, & expulſæ.* Ceterum hoc malum tollere cum plurimi eruditi viri olim potuiſſent, noluerunt tamen hac ratione poſteritati prodeſſe. Qua de re maxime conqueritur M. Ant. Sabellicus, *Annot. ad l.* 14. *Plin. c.* 4. *Tom.* 1. *Theſ. Crit. p.* 140. (ita corrige numerum pro 152.) *Pudet me majorum negligentiæ, qui tantum librariorum vel incuriæ vel inſcitiæ indulſerint, ut quæcunque illi ſcripſerunt, velut myſteria quædam, aut corrigere, aut mutare nefas duxerunt: Sed plus omnino noſtrorum hominum recentiorum dico, qui ejuſmodi vitia turpiter recepta aliquanto turpius ad hunc diem foverint; neque enim ingenium his, aut eruditio, ſed voluntas defuit. Adde quod pleraque adeo nuda occurrunt, ut nemo tam hebeti ſit ingenio, cui ſub primum occurſum non ipſa innoteſcant vitia*, &c.

Adjuvit & corruptionem Sciolorum quorundam cum olim viventium, tum poſt inventam typographiam ſtatim luxuriantium prurigo & audacia. Exemplo ſit SERVIUS, contra cujus unam ſexcentæ Monachalium Gloſſatorum notæ Commentario ejus ineſſe omnes veteris litteraturæ non plane rudes ſciunt, ut Barthii verbis loquar, *l.* 5. *Adv. c.* 22. *col.* 253. Vide & Rittersh. in *monitione de varietate Lectionum, ad Oppianum.* Et qui miras has corruptiones ignorat, is adeat, ſuadeo, variis exemplaribus inter ſe collatis, Cirin Virgilii, præcipue initio, Serenum Sammonicum, Alcimum Avitum, Victorem Maſſilienſem, Catullum, Tibullum, Propertium, & quem non? nam ſi hoc agerem, oporteret me pæne omnium Scriptorum nomina huc tranſcribere.

De OVIDIO notum, quid Gruterus Zinzerlingio inquirenti in quædam Ovidii loca per Epiſtolam reſponderit: *Omnes varietates* (inquit) *tibi*

Digitized by Google

promere infinitum fuerit: satis sit dixiße: putare me vix decimum versum esse integrum, ut Ovidius finxit, referente Zinzerlingio, *cap.* 51. *Promulſ. Crit. p.* 161.

De CICERONE Janus Gulielmius, *Veriſim. l.* 3. *c.* 16. *Aſſentior doctiſſimis Viris multa ſcripſiſſe M. Tullium more majorum; hoc eſt; vetuſte & minime ad captum noſtræ ætatis litteratorum: quorum in libris nec vola nec veſtigium, quod dicitur; cum avorum negligentia, tum bonam partem audacia correctorum.*

De CATULLO a Scaligero emendato ita Barthius, *lib.* 50. *c.* 9. *col.* 2356. *Antea in Catullo non erat Catullus.* Quatuor Scriptores contulit Rittershuſius, in quibus ſummam Lectionum varietatem diſcrepantiamque deprehendit; videlicet Plautus, Serenus Sammonicus, Salluſtius & Oppianus. Vide eum in *Monitione* ſupradicta.

Paria de SERENI Carmine Barthius, qui *lib.* 26. *Adv. c.* 27, *purum & Latinum* vocat, *quod in membranis plurimis omnino locis variat: nec poßum meminiße* (inquit porro) *magis varias lectiones in aliquo auctore viſas aut obſervatas, prater Ovidium quidem, qui in eo genere princeps.*

De MANILIO nihil dicam; conferat quis, hæc ignorans, vulgatam Editionem, cum duabus Scaligerianis, ſat ſcio, obſtupefiet.

PALLADII de *Re Ruſtica* Commentarii mirum dictu eſt, quam varie legantur in libris calamo exaratis, inquit Barthius *l.* 38. *c.* 4. *col.* 1720.

PLINIUS, quantum exercuerit viros doctiſſimos, notum eſt.

Editur corruptiſſime JUVENCUS, quem Barthius cum optimis Membranis ad Fabricianam editionem collatum in Adverſariorum tribus ſuis Tomis emaculavit.

TERTULLIANI Scripta, præſertim Liber de Pallio, quam varient, ſcies ex recentiorum Editionum cum veteribus collatione. Immanis eſt varietas lectionum in Carmine.

VICTORINI Afri, vel potius HILARII Arelatenſis de Maccabæis. Confer Fabricii Editionem cum ea, quæ eſt in Bibliotheca Floriacenſi, mira videbis.

LUTATII Argumenta in Metamorphoſin Ovidianam a Joh. Rænerio Lugduni anno 1555. edita, confer vulgatis, paria videbis.

Eadem res erit, ſi CHARISIUM Putſchii cum Fabriciana Editione comparaveris.

Auctorem narrationis de APOLLONIO TYRIO a Velſero editum contuli

Digitized by Google

tuli cum MSto vetere. Discrepantia & Differitas quæ fuerit, alibi indicabo.

In perexiguo libello MARTINI Turonensis Episcopi de Trinitate insignis lectionum Varietas visenda est. Adi, bone Lector, Barthium, qui animadversionibus suis ad Gallum Confessorem adjecit pag. 120.

GALTERUM, qui Ingolstadii edidit anno 1541, mirum in modum licentiose correxit: quæ non intellexit aut ipsi displicuere, mutavit, ut expertus sum, conferens illam Editionem cum MSto vetustissimo, schedisque Pulmanni membranaceis, quæ beneficio Nobiliss. Barthii habeo, & Editione Lugdunensi atque Argentinensi Mulingii, quæ prodiit anno 1513. & cum Ms. valde convenit.

Nostro tempore, quid de veteribus Scriptoribus fiat, neminem latet. Solent enim Ethnici Auctores castrari & mutilari, Patres & Ecclesiastici Scriptores expurgari, scilicet ut ex Indicibus Expurgatoriis satis notum. Et quid calida aliquot Criticorum licentia damni bonis inferat Scriptoribus, testimonii satis dicet Plautus mirifice per manus tot Correctorum traductus. Nec necesse est, ut omnia huc aggeram exempla. *Manilium* interpolavit Laur. Bonincontrius; *Lucretium* audacter tractavit Marullus; *Catullum* Jovian. Pontanus; *Plautum* Sarracenus & Pius; *Sallustium* Pomponius Lætus; *Propertium* & *Apulejum* Beroaldus; Gagnejus *Alcimum* & *Victorem Massilienſem*; *Victorem Uticenſem* Franciscus Balduinus; *Orosium* Franc. Fabricius, *Apicium* Gabriel Humelbergius. Plurima præter necessitatem in *Prudentio* & aliis correxisse Aldum, & ejus Asseclas, dixit Barthius *l. 26. Adv. c. 29.* Idem de *Ambrosii* Commentariis de Officiis, a se cum membranis collatis, lib. 35. c. 1. *Miraris subiret*, inquit, *tantam ſcripta & olim excuſa lectionis a vulgata varietatem, niſi cognita clauſtralium exſcriptorum ingenia haberem: Quorum tamen ſtupores nihil ſunt præ hodiernorum typographorum incivilitate atque audacia.* Insigni exemplo demonstrat hoc Franciscus Junius, in *præfat. ad Lectorem*, ante *Indicem Expurgatorium*, ad quam vise mi Lector.

Interim hoc non volo, omnia ita corrupta esse, ut nescias, quid Auctoris sit, quid minus. Quin plurima præstitit in restituendo & exornando bonos Scriptores Maximorum nostri temporis Virorum curiose felix industria, & stupenda plane doctrina, absque qua fuisset, palarent ii adhuc in tenebris a paucissimis sat cogniti; quin imo neglecti & abjecti intercidissent. Exempla hic pauca restitutarum Dictionum (de his enim jam sermo) promam.

Digitized by Google

FRUSTARE, apud L. Florum *l.* 2. *c.* 2. restituit Lindenbrogius, cujus Participium *Fruſtatus* ſuppeditarunt Gloſſæ Veteres. Compoſitum *Defruſtare* eſt apud Ammian. Marcell. *l.* 20. & 31. & Sidon. Apollin. *l.* 9. *Epiſt.* 9. *p.* 241. *Larvare* reſtituit Sulpicio Servaſto Lupereo Euſtathius Swartius *l.* 3. *Analect. c.* XI. cujus capitis initium omnino velim Lector legat. Videndus eſt & Barthius *l.* 23. *c.* 17. *Adverſ. c.* 1146. a quo ſuggerente is forte hæc habuit. *Nihilare* idem reſtituit Paulino, *l.* 2. *Analect. c.* 14.

Vitire, apud Cic. *Offic. l.* 2. legunt Viri docti, & teſtatur ſe inveniſſe in vetuſtiſſimo Codice P. Nannius *l.* 9. *Miſc. c.* XI. *p.* 1365. *Tom.* 1. Lampad. Grut. Invenit & in MS. Carol. Langius: vide ejus notas ad 2. *Offic. Cic. P.* 417. ut & Lambini annotata ad hunc locum, cui hoc verbum cum Nannio placet. Alii ſubſtituunt *Veſtire*, & aliis auctoritatibus confirmant, inter quos eſt Langius. Utut ſit, tamen niſi *Vitire* olim etiam fuiſſet, non potuiſſet illis Correctoribus, & qui deſcripſerunt olim Codices, in mentem venire. Licet enim correxerint multa, non tamen inaudita, aut illecta vel intellecta vocabula repoſuerunt, ſed potius conſueta & magis trita. Audi Car. Langium *annot. ad Somn. Scip. p.* 450. qui inquit: *Equidem intellectu comprehendere nequeo, cur loquelariter vocabulum tam inſolens, potius quam populariter, librarii ſcripſiſſent; niſi ita offendiſſent in Prototypis, quod contra ſolent pro inſuetis ac non intellectis, aliena ſupponere.*

Dilaminare reſtituit Ovidio in *Elegia de Nuce* (ejus eſſe, non alterius, pertendit Barthius *l.* X. *Adv. c.* 22. *col.* 500.) v. 73. Eraſmus Roterod. Commentario in eam, & approbat rectiſſime Andr. Senftlebius *cap.* 9. *Nucum Saturnaliticarum*, *pag.* 63. *Bromare* pro *fœtere*, e perquam Veteri membrana eruit Barthius, *l.* 37. *c.* 12. hinc *Bromus*, *fœtidus*, ex Græco tractum. *Nitere* Plauto qui habet in *Trucul.* 2. 7. *v.* 63. 64. aſſeruit magnus Turnebus *l.* 24. *Adv. c.* 17. quod cum non ceperint Critici, quilibet eorum pro captu ſuo mutatum ivit. Nec Parcus intellexit. Optime autem Taubmannus qui retinuit. *Favire*, i. e. *Fodere*, unde *Faviſſæ*, ſunt ſubterranea cava, ubi reponebantur imagines vetuſtate collapſæ, reproducit T. Villiomarus qui eſt illuſtris Joſephi Scaligeri perſona *l.* 2. *Animadv. in loc. controv. Titii ad caput* 6. *pag.* 37. Hinc & τὸ *Favus* ego deduco. De τῷ *Ægrere* pæne etiam actum fuiſſet, niſi Criticorum cura conſervaſſet. Lambinus reſtituit Lucretio *lib.* 3. *v.* 107. & *v.* 837. Scaliger Virgilio. Vide ejus *Comment. ad Culicem*, *pag.* 58. Utut enim hoc Eutyches habeat *l.* 1. *col.* 2163. tamen in hiſce non ſemper fidem

Digitized by Google

fidem Grammaticis habere ſolemus. *Duror, oris*, ex Sereno citat Julius Cæſar Scaliger in *cenſione Sereni*. At certe in Editione Tornæſii, Pithœi & quibusdam veteribus, quos contuli, non apparet. Neceſſe ergo, ut Scaliger aut correctiore exemplari forte uſus fuerit, aut ex alio Scripto, quod crediderit Sereni eſſe, id hauſerit. Igitur aut Scaligeri fide eam vocem nos admittere oportet, aut cum noſtris exemplaribus explodere.

Cæterum hanc Radicum reſtitutionem nos non primi tentamus. Auſi enim ipſi Eruditiſſimi noſtro ſeculo Viri ſunt aliquoties hæc verba ponere, etſi alias minus lecta. Sic Rittershuſius *Comment. in* 4. *Cyneget. Oppiani p.* 142. expreſſe ponit Verbum *Evare* εὐάζειν, cum tamen apud Virgilium, 6. *Æn.* & Catull. *c.* 60. de *nuptiis Pelei. v.* 387. ſolum Participium *Evantes* inveniatur. Quod vulgus Grammaticorum neutiquam auderet.

CAPUT XXI.

Raritas & Neglectus Superſtitum.

NON minori detrimento fuit Latinæ Linguæ Auctorum Bonorum Raritas & Neglectus Superſtitum. Quotus enim quisque eſt, qui vel milleſimam eorum partem vidit, aut indipiſci potuit, nedum legit? Hinc multa oblivioni tradi vocabula neceſſe eſt, cum a nemine legantur, aut uſu frequententur. Multæ bonæ voces & locutiones (Realia jam non attingo) ſunt in Feſto Avieno, in quo multa ex deperditis Auctoribus, alibi non legenda, teſte Opitio, *c.* 7. *Var. Lect. p.* 27. Sed audi quæ Magnus Barthius *l.* 49. æterni Operis, *c.* 13. *col.* 2342. ſcribit: *Talia infinita ſunt*, ait, *apud luculentum Scriptorem & minime vulgaris ingenii, Avienum noſtrum notanda. Eo perſequenda a nobis & hic & alibi diligentius, quo* intactior is auctor vulgo. *Pauci enim ſunt etiam has litteras docti, qui eum vel legerunt, vel etiam ubi ſit editus, norunt; quod ſane mihi talibus converſanti, experiri contigit; qui Antiquitatis quoſdam ſua ipſorum tamen opinione ſolummodo, conſultiſſimos incidi, quibus etiam de nomine non erat ſatis cognitus, & ideo inter quisquilias neſcio cujus ipſorum Latinitatis habitus*, &c. Eadem de Gratio ſcripſit olim Marpurgi idem Barthius, Vir (ut Opitius *Var. Lect. c.* 7. laudat) omnibus meritis illuſtris, ad eum Poetam, *pag.* 143. *Non ſane*, ait, *ullus hic eſt vel inter doctiſſimos, qui nomen ejus in hac civitate, quæ tamen viris clariſ-*

ſimis

ſimis & Poetis non vacua eſt egregiis, vel fando perceperit. Oppianum multis etiam doctiſſimis viris nunquam viſum animadvertit & retulit Rittershuſius *proœmio de vita Oppiani.*

Quam plura ſunt in Veteribus Poetis Chriſtianis, nullibi alias reperienda: & tamen ante annos plus minus centum & quadraginta conqueſtus eſt Aldus Manutius, ſe non inveniſſe e doctis in Italia, qui vel unum verſum in his Poetis legerit: teſtaturque ſemel atque iterum ad Clarium Parmenſem, tum Raguſiæ docentem, cui Prudentii Editionem ſuam inſcripſerat, ſi in ſcholis Poetæ iſti fuiſſent notiores, non tot pravos & improbos, & religionis Chriſtianæ ignaros homines, quales plurimi ſuo tempore fuerint, evaſuros fuiſſe. Et de ſe Fabricius ſcribit in Epiſtola dedicatoria Operis ſui Poetarum Chriſtianorum *p.* 8. *Noveram e Poetis Chriſtianis, excepto Prudentio, neminem: neque eum magnifeciſſem, niſi Lipſiæ audiviſſem Caſp. Bornerum, hymnos ejus interpretantem eruditiſſime*, &c. ubi videas reliqua. Et pagina antecedente: *Iſtorum virorum quantumvis ſcripta bona ſint, & erudita: tamen, quod prodigio ſimile eſt, quaſi plane levia & futilia, nemo fere hactenus eadem attigit. Imperitis perſuaſum fuit, ideo non in manus ſumenda, quia ſint Poetica, & ideo hæreſi contaminata: quæ opinio ex abuſu invaluit, & laſcivorum Poetarum culpa confirmata fuit, & ad mores indoctorum Sacerdotum apte quadravit. Doctioribus impoſuit neglectio, & calumnia: quod in iſtis Scriptoribus rigida, inculta, & barbara eſſent omnia: quam ob cauſam eos abjecerunt, antequam plane cognoſcerent.* Hæc G. Fabricius. De *Eupolemio*, libro incerti auctoris Chriſtiani, forte Sarisberienſis, ut putabat Nobiliſſ. Barthius, per ἀκρισίαν & ſuperſtitionem intolerabilem G. Fabricii, qui eum habuerat (vide ejus *Comment. ad Chriſt. Poet. p.* 50.) amiſſo, conqueſtus eſt per literas ad me datas Incomparabilis ille Vir, Germaniæ noſtræ eximium ἄγαλμα. De *Ceponio*, qui verſu hexametro in Geneſin ſcripſit, nihil unquam legi, neque audivi: vidi tamen ſuperioribus annis libro CIX. Adverſariorum ejuſdem Barthii inſertum. De *Proſpero* digniſſima ſunt *Aldi Manutii* verba, quæ aſſcribam, epiſtola ad Dan. Clarium prædicta. *Illud fortaſſe miraberis Dittochæum inter Prudentii opera connumeratum, nec non Proſperi Epigrammata, digna lectu, quod una cum Prudentio imprimenda curarim me cenſuiſſe, ſed magis mirabere, cum & Dittochæum perlegeris, & Epigrammata cur ab omnibus fere doctis ætatis noſtræ barbara, indignaque lectu habita fuerint, condemnataque indicta cauſa. Nemo enim ex doctis ea opera (ut opinor,) legit,*

Digitized by Google

legit, nec quivi adhuc invenire, qui niſi primum verſum legerit. In quibus & ipſe annumerabar. Hæc Aldus, quæ propter raritatem ejus Editionis aſſcribenda duxi. Ex horum Doctorum grege eſt Petrus Summontius Joviani Pontani olim familiaris, qui cum Actu Sannazarii Poeſin magnifice vult extollere, Sedulium & Prudentium præſtantiſſimos Poetas & Chriſtianiſſimos plane deprimit. Ita enim inter alia ſcribit *præfat. in Actium Dialogum Pontani fol.* 102. *b. Edit. Aldinæ: Adde exquiſitiſſima* Actii *ipſius, quibus junior luſit, partim Lyrica, partim Elegiaca, noſtro etiam charactere propediem excudenda, cumque his novas illas piſcatorio genere Eclogas, denique divinum de Chriſto Opus, cui ſummam nunc imponere decrevit manum. Ut poſt neſcioquos* Sedulios & Prudentios, *in quibus pæne nihil, præter nudam religionem invenias, Marones tandem Chriſtianos habeamus.* Hæc ille. Quod judicium male habuit Eraſmum, qui propterea in *Ciceroniano* Prudentium Sannazario longe præferendum vero ſuo merito cenſuit. Huic etſi ſe opponit Franc. Flor. Sabinus *l.* 3. *Subſ. lect. c.* 6. qui & unicum Actii Epigramma ad ſummum Pontificem innumeræ *Prudentiorum*, *Aratorum* ac *Juvencorum*, ne dicam boum (ſunt ejus verba *pag.* 1204) myriadi præfert: ejus tamen judicium profecto nihil moramur, quod vel ex hoc nobis ſuſpectum eſt, quod *pag.* 1202. ut Eraſmo abſentiat, ineptiſſimum olim Verſificulum & Grammaticellum Alexandrum de Villa Dei comparatum Baptiſtæ Mantuano, Virgilium aut Horatium videri poſſe inſulſiſſime affirmet.

Ut ut enim perfecti Poetæ nomen Mantuanus non tueatur, & Julius Scaliger acerbe ſatis in eum invehatur, *c.* 4. *Hypercritici, pag.* 727; & in *Apiculis, carm.* 40. *v.* 14. irritatus nimirum ab iis, qui Virgilio parem, aut (ſi Diis placet) præferendum autumarunt: non tamen omnino ſpernendus eſt, & divinus Poeta audit, Murmelio, *Commentariolo in librum Hieronymi de Clericorum & Sacerdotum officiis D.* 1. *b.* Poeta ſi non optimus, at ſat bonus, Johanni Majori Joachimico, in quodam Programmate, Doctiſſimus Poeta Eobano Heſſo, *præfatione ad Heroidas ſuas, fol.* 6. *Ed.* 1514. *Lipſ.* admirabili vir ingenio, & inprimis eloquens, Con. Mutiano Rufo *l.* 3. *Ep.* Eobani a Camerario edito, omnium ſuæ ætatis Poeta clariſſimus Bodino *l.* 5. *de Republ. p.* 812. admirandæ doctrinæ & eloquentiæ Poeta, Caſp. Barthio; Clariæ pater catervæ, Herc. Strozæ *Epigr.* 31. *v.* 12. Poeta inſignis, D. Lucæ Oſiandro, *Epit. hiſt. Eccleſ. Cent.* XVI. *l.* 1. *c.* 7. *part.* 1. *pag.* 13. Cujus carmen ſatis admirari nequit ob incredibiles virtutes, M. Ant. Sabellicus, *Dialo-*

Digitized by Google

go de LL. reparatione, cujus ingenii excellens vis momentis pæne ſingulis effecit, ut doctrinæ ejus vel ſumma etiam cum admiratione meminerit Jovianus Pontanus, *Epiſtola ad Mantuan.* in quo ingenium copioſum, & mira doctrinæ multijugæ felicitas exuberat, cujus Poemata terſa, erudita, conſummata, præ ſe ferunt quandam felicitatem feliciſſimam, cenſente Beroaldo *Epiſt. ad Hieron. Carmelitam*; in cujus Poematis ea rerum majeſtas, is ſplendor eſt eloquentiæ, ut certatim in illis palmam ſibi vendicare verba atque ſententiæ videantur, laudante Joan. Pico *Ep. ad B. Mant.*

Heros cui jam nulla ultra tellus contenderit unquam
Sive ſoluta ambit, numeris ſeu forte ſuperbit;

Babt. Fieræ *in Aris ejus v.* 33. Poeta ſui ſeculi nobilis G. Fabricio *p.* 100. *ad Poet. Chriſt.*

Hic tamen Mantuanus etiam rariſſimus cum ſuis coævis hodie inventu eſt, qua de re memini conquerentem Gruterum, minime ſcilicet reperiri qui Petrarchæ, Politiani Campani, Pontani, Spagnoli, (is Mantuanus eſt,) Flaminii, aliorumque non infimæ notæ monumenta, fruſtra ab optimo quoque jam multos annorum decades deſiderata, prelis ſuis admoveat, *præfat in* 1. *partem Delic. Poet. Belg.*

Pares queſtus integrat Doctiſſimus C. Dornavius *præfat. in Ulyſſ. Scholaſticum: Indigniſſimum*, inquit, *premi oblivione ferrea pretioſa κειμήλια Beroaldi, Budæi, Philelphi, Mirandulæ, Barbari, Politiani, Agricolæ, Roterodami, aliorum, quos cum renatis literis, hominum genus ingratum beneficiis præclaris in ſtudiis literaturæ varia adfecerunt.* Et ut paratragœdiationibus hiſce finem imponam, nec de ſolis Latinis & ad Linguas tantum pertinentibus Auctoribus loquar, idem aliorum bonorum Scriptorum fatum eſt. Manuel Palæologus Imperat. Conſtantinopolitanus religioſus & Chriſtianus ſeu φιλόχριστος, ſcripſit educationem regiam ad Joannem Filium, quæ ut legatur, clariſſ. Gruterus præcipit, *Florilegio Ethico-polit. p.* 111. *p.* 545. *Dolendum enim eſt*, ait ibidem, *utiliſſimum alioquin libellum apud neminem fere videri, niſi quibus parum eſt utilis. Ne autem quis iſtum neglectum & contemptum hodierno tantum ſeculo imputet, ſciat eandem olim ſua ætate M. Tullium in Bruto querimoniam inſtituiſſe ſuper Orationum Catonis neglectu, dum inquit:* Catonem *quis noſtrorum Oratorum, qui quidem nunc ſunt, legit? aut quis novit omnino? at quem virum, Dii boni! mitto civem, aut Senatorem, aut Imperatorem: Oratorem enim hoc loco quærimus, quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententiis argutior? in docendo, ediſ-*

Digitized by Google

ediſſerendoque ſubtilior? referta ſunt Orationes amplius centum quinquaginta, *quas quidem adhuc invenerim & legerim*, & verbis & rebus illuſtribus &c. *Non mirum igitur, ſi judicia de Lingua Latina tantopere varient, & illi qui varia & polita eruditione gaudent, non una calumnia petantur a Sciolis, qui* (ſunt verba Lipſii *l.* 4. *Epiſt. Quæſt. c.* 25.) *ſi caſu incidant in Scriptorem veterem, beatos ſe putant, ſi milleſimam ejus partem intelligant. Si autem tractare litteras non eſt ſine Scriptis antiquis*, ut ibidem ille diſputat. *Scripta enim antiqua nec legi utiliter poſſunt niſi intelligas, nec intelligi ſine emendata ſcriptura: Qui iſti homines, qui emendata Exemplaria nil curant, & eorum Emendatores tanquam Orci portas odio proſequuntur, litteras digne tractare, aut de iis recte judicare poſſunt?* Sed mitto hæc, & doleo ſimul multos eximios *Scriptores* ſupereſſe, præſertim Afros, qui maxime proprietatis ſtudioſi habentur, teſte Barthio *l.* 41. *Adv. c.* 16. *col.* 1847. Ut Tertullianum, Apulejum, Arnobium, Cœlium Aurelianum &c. ut & Poetas Chriſtianos, Prudentium, Mar. Victorem, Dracontium, Paulinum, Alcimum &c. ex quibus multa bona haurire liceret; rarum tamen eſſe, qui eos curet, eorumve elegantias perſpectas habeat. Exſtant etiam Veterum *Inſcriptionum, Formularum & Antiquitatum aliarum* libri præclari, quorum tamen theſauri ad rariſſimum quemque perveniunt. Utinam & ex iis, quæ ad linguam Lat. pertinent excerpta a Viro Doctiſſimo quodam, cui talium copia, cum Studioſis communicaretur.

CAPUT XXII.

Difficultas propter amiſſa cum tot Scriptoribus Lexica Linguam reſtituendi.

BENE nobiſcum ageretur, ſi amiſſis & corruptis Veteribus Auctoribus *Lexica* ſaltim antiqua exſtarent, ex quibus Veterem illam linguam Auguſtæo ævo uſitatam, plenius nobis cognoſcere eſſet. Verumenimvero Monachi & Barbari decumanis ſuis Caudicibus & horridis Vocabulariis ſubſtitutis ea expulere. Viri deinde litterati ægre ab initio æra lupinis dignoſcere valentes non ſemper felice cum ſucceſſu rem aggreſſi ſunt. Et cum omnia ſuſpecta fuerint, neceſſe habuerunt, nullam, præterquam quæ in optimis & puriſſimi ſeculi Scriptoribus indubie exſtaret, vocem admittere. Superſtant tamen adhuc non pauca *Gloſſaria*, ex quibus multa eruere poſſumus; verum ea miſerum in modum corrupta ad nos

Digitized by Google

pervenerunt. Et exstant non pauciora apud Eruditos inedita, quæ, etsi corrupta, utinam ederentur: non posset horum Editio non adjumento esse linguæ Latinæ instauratoribus, qualiacunque etiam ea forent. Utinam FESTUS integer & incorruptus supereſſet! Profecto plurimum hæc res Eruditis pareret commodi! Ex superioris seculi Lexicis præter cetera commendabile puto Johannis Reuchlini BREVILOQUI nomine inscriptum, quod miror a nullo Eruditorum laudatum, cum tamen multo præstantius sit inficetis Balbi, Nestoris, Britonis, Huguitionis & aliorum, ut ut Veteriorum, voluminibus, quæ tamen Eruditi laudare dignati sunt. Nec omnino abjicienda est *Gemma Gemmarum* ante sesquiseculum hoc promulgata. Quæ enim in hisce libris habentur (aperte barbara excipio) ea ex variis Auctoribus tum veteribus tum recentioribus, quorum plurimi etiamnum supersunt, comportata videmus. Quæ sola inibi exstant, ex auctoribus vel adhuc ineditis vel plane amissis conservata remanserunt.

CAPUT XXIII.

Veterum Grammaticorum indiligentia in excerpendo & annotando.

LOCUPLETIOREM longe Latinæ Linguæ supellectilem haberemus hodie, nisi Veterum Grammaticorum indiligentia pluribus bonis Dictionibus nos mulctasset. Potuissent ii longe plura annotare, Auctoribus integris tum superstitibus: sed contenti libros tantum consarcinare pro lubitu aut annotarunt, aut omiserunt, quæ ipsis visa. Unde in illis Auctoribus, qui conservati ad nostra usque tempora pervenerunt, longe plura invenimus, quam hautire potuissemus ex Grammaticis, si illi Auctores periissent. Quod si idem in amissis Scriptoribus egerunt, næ deploranda est illorum jactura, per quam tanta rerum & vocum cognitione carere nobis necesse est. Sunt etiam quandoque non adeo bonæ fidei, prodeuntque sine exemplo, ubi iis tamen maxime opus.

Vere igitur Nobiliss. Dn. Barthius, *l.* 59. *c.* 16. *col.* 2811. de iis: ***Est hoc genus ita conciliatum, ut altero alter Grammaticorum plus legisse, amplius observasse videri qua jure qua injuria velit. Unde magna vis contentionum & nugationum illis fatuis obnata est, qua magnam totis aliquando linguis & omnibus litteris nebulam obfudit, uti tandem ad Grammaticos intelligendos Grammaticis opus fuerit.*** Et de eorum indiligentia

Digitized by Google

tia idem immortalitate dignus Vir *l.* 41. *Adv. c.* 23. *col.* 1856. *Grammaticorum subit in talibus negligentiam & inscitiam mirari, qui minuta quaque consectantes ut libros compleant, rara maxime omiserunt. Quanta enim censes egregia & erudita apud Lucilium, Varronem, Accium, Pacuvium, Titinnium, Laberium, Publium, Attam, Turpilium, Ennium, Livium, Nævium, Lavium, Pomponium, Ticidam, Catonem, Calvum & alios tales exstitisse digniora notatione, quam est maxima pars eorum quæ a Nonio collecta sunt? Qui ad extremum ita etiam ineptit, ut Censorem agere gestiat, & nobilissimos Scriptores auctoritate testimonii damnare.* Hæc Barthius.

In Catone multa vocabula, rustica, aut fabrilia sibi difficilia, nec a veteribus Grammaticis enucleata esse, conqueritur eruditissimus Turnebus, *lib.* 8. *Adverss. c.* 6. *Viscus* proba vox est, ejus tamen Ablativum casum in Singulari solum reperiri scribit Phocas Grammaticus in *Arte*, *col.* 1709. cum tamen ejus Nominativum usurpent Lucretius *lib.* 1. *v.* 836; Serenus *cap.* 43. *v.* 16; Arnobius *lib.* 7. Prudentius *Romano*, *v.* 499. & *Cassiano*, *v.* 56; Paulinus, *Carm.* 2. *ad Gestidium*, *v.* 10. Papias in *Glossario*, & Servius ad 1. *Æn. v.* 215. Genitivum Lucretius *l.* 5. *v.* 901. Accusativum Suetonius *in Vitellio*, *c.* 13. *f.* Lucilius *l.* 14. *Sat.* citante Nonio in *Viscus*. Perottus ad 6. *Epigr. Martialis*, *fol. m.* 499. miratur Servium scripsisse τὸ *Pinguedo* non esse Latinum; cum eo Doctissimi Viri usi fuerint, ut Plinius *l.* 23. *c.* 8. Eutyches libro 1. *de disc. Conjug. pag.* 2155. & Sidonius *lib.* 2. *Epist.* 2. *pag.* 35. & 37. quem veteris linguæ reparatorem, Panegyrico ad Pet. Venerabilem, dixit Poeta temporum suorum doctissimus (uti Barthius laudat *l.* 53. *Adverss. c.* 13. *col.* 2513.) & Scriptor ingenio bono (*lib.* 34. *Adverss. c.* 21. *col.* 1582.) Petrus Pictavienſis, qui quidem bonos auctores trivit, nam & Ciceronis de Republica libros habuit; vide Barthium *l.* 32. *c.* 5. & *cap.* 18.

Parum præterea sibi constat hoc genus. Quod enim hic ponit, alter destruit & refutat, nec unquam quid tam certum est in Latina Lingua, quod illi non subruant, si libet, & evertant. *Grammaticorum* (inquit Augustinus Dathus) *incerta sunt omnia, neque enim ullam prorsus rerum suarum stabilem legem servant, opiniosissimi homines sunt, & nihil unquam certi præcipiunt*, &c. Sic non raro miratus sum Macrobii ineptias, cujus verba sunt in *Excerptis de diff. Græci Latinique Verbi*, *col.* 2770. *Ed. Putsch. Genus* ex quo themate venit, nullus scit, licet Varro dixerit *genunt*. At cur nullus sciat, cum tot exempla obvia, Varronis sc. Catonis, Lucretii, Arnobii, Ciceronis &c?

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

Mutatio Locutionum ſolennis, unde indiligentia in annotando excuſatur, quod & ipſi Latini de uſu incerti.

AT qui potuerunt ii tam exacti eſſe, omnemque indiligentiæ notam effugere, cum nihil inventum ſimul gignatur, ac perfectum: ſed longo & difficili labore, quod pulchrum & exactum eſſe debet, apparetur. Ab initio enim Grammaticos nullos fuiſſe, Romanoſque eos neglexiſſe, & primum Grammaticen in Urbem intuliſſe Craten Malloten, Ariſtarchi συγχρονον, ſub ſecundum tertiumque bellum Punicum, docet Suetonius, *cap* 1. *de claris Grammaticis.* Quamvis quidam ex Livii, Pliniique hiſtoriis contra ſentiant, ipſam videlicet ſtatim linguam Grammaticæ ſtudium non leve ſubſecutum eſſe.

Ipſi autem Romani prius horridioribus, ut poſteris videbatur, verbis uſi ſunt, & ſine cultu, verborumque delectu. Poſt cum Grammaticæ opera daretur & Eruditio creſceret, factum eſt, ut longe alia lingua in loquendo, quam ſcribendo veteres Romani uſi fuerint, quod præclare demonſtrat Incomparabilis Barthius, cujus verba ex capite 2. libri 13. *Adverſ. col.* 712. huc tranſſcriberem, niſi pluſcula eſſent. Adeat ipſum Lector. Longe enim cultius, quidquid ſcribebatur, aut præmeditate dicebatur, ſonabat, quam quod quivis de trivio effutiebat.

Quæ tamen Elegantia, cui a teneris aſſuefacti, quod plerumque ſolet, tandem in conſuetudinem abiit: exemplum ſuggerit D. Octav. Auguſtus, quem conſuetudine quædam frequentius uſurpaſſe in ſermone quotidiano, Suetonius Auctor eſt, *cap.* 87. *in ejus vita.* Interea acceſſit mutatio ſolennis Locutionum. Hominum enim natura novitatis avida tædio, conſuetæ & vulgaris linguæ, ſemper alias affectat phraſes, quod & nos quotidie experimur. Nec enim eadem noſtræ Vernaculæ apud pleroſque facies eſt, quæ ante triginta hos annos fere fuit, nedum ut talis ſit, qualis ante ſeculum hoc exſtitit. *Sermonem vulgarem* (inquit Eraſmus) *nunquam diutius eundem eſſe, vel in quavis hujus ætatis lingua perſpicuum eſſe poteſt. Tanta eſt rerum humanarum volubilitas. Annot. ad c.* 5. *Marci fol.* 119.

Vere igitur Horatius in *Arte v.* 60:

Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos

Primâ

Digitized by Google

Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

& verſu 68.

- - - mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ jam cecidere: cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Hinc illa Varronis indignatio *l.* 8. de *LL. p.* 105. *Edit.* 1619. *Quotuſquiſque*, inquit ille, *jam ſervos habet priſcis nominibus? qua mulier ſuum inſtrumentum, atque vaſa auri veteribus vocabulis appellat? inductis non tam iraſcendum, quam hujuſce prævitatis patronis.* Notum eſt etiam hoc Senecæ: *Olim cum Latine loqueremur:* qui & alibi miram eſſe proprietatem & conſuetudinem ſermonis antiqui dicit. Quintilianus jam ſuo tempore conqueſtus eſt: *Dicendi mutavimus genus, & ultra nobis, quam oportebat, indulſimus.* Et libro 8. *c.* 3. *Quid multa? totus prope mutatus eſt ſermo.* Et Statius *præfatione lib.* 1. *Silvarum* ſuarum: *Manlius certe Vopiſcus, Vir eruditiſſimus, qui vindicat a ſitu litteras jam pene fugientes.* Ita Diomedes Grammaticus *lib.* 1. *col.* 394. *Injecit poſtera ætas manum: & veluti diſciplinam priſtini ſeculi, ita & ſermonem faſtidire cœpit, & nova parturire verba.* Et optime A. Gellius: *Animadvertere eſt pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in proximam: eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine, & inſcitia temere dicentium: qua cujuſmodi ſint, non didicerunt.* Et Auctor *Dialogi de cauſis corrupta Eloquentiæ* inter alia hæc dicit: *Quis ignorat eloquentiam, ac ceteras artes deſciviſſe ab iſta vetere gloria? non inopia hominum, ſed deſidia juventutis, & negligentia parentum, & inſcitia præcipientium, & oblivione moris antiqui. Qua mala primum in urbe nata, mox per Italiam fuſa, jam in provincias manant. Quod adeo negligitur horum temporum diſertis, ut in actionibus eorum, in quoque verbo quotidiani ſermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur.* Sic Ille.

Uſus ergo, (ut Leonhardi Aretini verba uſurpem *l.* 1. *Epiſt.* 2.) *qui tunc Dominus fuit, & hodie Dominus eſt, poteſt improbare, quod tunc probavit. Alioquin variatio nulla foret in verbis, nec eſſent mutata tot antiquorum placita.* Aſſcribam ſuperioribus exemplis & Senecæ diſſertationem ex *Epiſtola* 58. *Quanta*, inquit, *verborum nobis paupertas, imo*

Digitized by Google

mo egeſtas ſit, nunquam magis quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt cum forte de Platone loqueremur, quæ nomina deſiderarent, nec haberent: quædam vero, cum habuiſſent, faſtidio noſtro perdidiſſent. Quis autem ferat in egeſtate faſtidium? Hunc quem Græci œſtrum vocant, pecora peragentem, & totis ſaltibus diſſipantem, aſilum noſtri vocabant, hoc Virgilio licet credas:

Et lucum Silati juxta ilicibuſque virentem.
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen aſilo
Romanum eſt, œſtrum Græci vertere vocantes.
Aſper acerba ſonans, quo tota exterrita ſilvis
Diffugiunt armenta.

Puto intelligi iſtud verbum interiſſe. Nec te longe differam, quædam Simplicia in uſu erant: ſicut cernere ferro inter ſe *dicebant. Idem Virgilius hoc probabit tibi:*

- - - Stupet ipſe Latinus,
Ingentes genitos diverſis partibus orbis
Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.

Quod nunc decernere *dicimus. Simplicis illius verbi uſus amiſſus eſt. Dicebant antiqui*, ſi juſſo, *id eſt*, ſi juſſero. *Hoc nolo mihi credas, ſit fides Virgilio:*

Cetera, qua juſſo, mecum manus inferat arma.

Non id ago nunc hac diligentia, ut oſtendam quantum tempus apud Grammaticum perdiderim? ſed ut ex hoc intelligas, quantum apud Ennium & Attium verborum ſitus occupaverit: cum apud hunc quoque qui quotidie excutitur, aliqua nobis ſubducta ſint. Quid, inquis, ſibi iſta vult præparatio? quo ſpectat? Non celabo, te cupio, ſi fieri poteſt propitiis auribus tuis, eſſentiam *dicere: ſin minus, dicam & iratis. Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem. Si recentiorem quæris, Fabianum, diſertum & elegantem, orationis, etiam ad noſtrum faſtidium, nitidæ. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία, res neceſſaria, naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque permittas mihi hoc verbo uti, nihilominus dabo operam ut jus a te datum parciſſime exerceam: fortaſſe contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cum ecce id nullo modo Latine exprimere paſſim, propter quod linguæ noſtræ convitium feci? Magis damnabis anguſtias Romanas, ſi ſcieris unam ſyllabam eſſe, quam mutare non poſſim. Qua hac ſit, quæris? τὸ ὄν. Duri tibi videbor ingenii: in medio poſitum eſſe: poſſe ſic transferri, ut dicam,*

Quod

Digitized by Google

Quod eſt. Sed multum intereſſe video. Cogor verbum pro vocabulo ponere. Sed id ſi neceſſe eſt, ponam; Quod eſt, &c. Hæc Seneca præclariſſime.

Mutatus igitur, ut dixi, ſubinde ſermo Latinus & variatus uſus, ipſique de eo Veteres incerti diverſa tulerunt de Latinis vocibus judicia. Nam Varro improbat vocem *Æditaus*, quæ legitime compoſita a coævis ipſius uſurpabatur, mavultque cum vetuſtioribus dicere *Æditimus*. Vide A. Gell. *l.* 12. *c.* 10. Seneca *libro* 5. *Epiſt. Breviarum* parum Latinam dictionem eſſe contendit, & Latine loquendo dicendum *Summarium*. *Qua in re cum habeamus luculentiſſimos auctores Suetonium & Plinium ac alios, Senecam hallucinatum in re hac, facile aſſeverare poſſumus*, inquit Marcellus Donatus. *Dilucidat*, in Suetonii *Auguſtum cap.* 101. *pag.* 546. Et Quintilianus ſcribit *lib.* 1. *c.* 20. *Neque* Tuburcinabundum & Lurcabundum *jam in nobis quiſquam feret, licet Cato ſit auctor*: *nec* Hos Lodices, *quanquam id Pollioni placeat*: *nec* Gladiola, *atqui Meſſala dixit*: *nec* Parricidatum, *quod in Cœlio vix tolerabile videtur*: *nec* Collos *mihi Calvus perſuaſerit*: *quæ nec ipſi jam dicerent*.

Sic cum Plautus in *Aſin.* 2. *ſc.* 4. *v.* 82. & Terentius *Eunuch.* 5. 2. *v.* 27. *Phor.* 5. 8. (*al.* 7.) *v.* 80. *Contumeliam Facere* dicunt, Cicero eam phraſin reprehendit, vide Quintil. *l.* 9. *c.* 3. Camerar. *Comment. in* 1. *Tuſc. Quæſt. pag.* 53. Turneb. 17. *Adverſ. c.* 19. Barrient. *ſilv. Theſ. Crit. Tom.* 3. *pag.* 423. Quem tamen tueri vult Scaliger Oratione contra Eraſmum, *p.* 87. dum ait: *Ciceronem non id rejeciſſe, tanquam nemo unquam ſic loquutus fuerit, ſed quod tunc ita nemo loqueretur. Non enim dicit Cicero*: *quis ſic unquam loquutus eſt? ſed, quis ſic loquitur?* Contagionem *eſſe dicendum, non* Contagium *Feſtus ait*: Contra Chariſius *lib.* 1. *col.* 54. *Edit. Putſch.* dicit: *Contagium veteres magis uſurpaverunt*.

Eſſentiam novum nomen putat Auguſtinus *l.* XII. *de Civ. DEI c.* 2. ita ſcribens: *Sicut ab eo, quod eſt ſapere vocatur ſapientia, ſic ab eo quod eſt eſſe vocatur eſſentia: novo quidem nomine, quo uſi veteres non ſunt Latini ſermonis auctores, ſed jam noſtris temporibus uſitato, ne deeſſet etiam linguæ noſtræ, quod Græci appellant οὐσίαν*, &c. Verum non ita novo, quin ante Quintilianum Flavius Sergius dixerit: ſed receptum non eſt uſque ad poſteros, cum Latinis litteris plura ſunt de Philoſophia ſcribi cœpta, ut notat ad eum locum Ludov. Vives. Sic Virgilii æmuli illius Bucolica inepte ita παρωδήσαντες:

Tityre, ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?

Negant Latinum eſſe, *tegmen fagi*, pro, umbra & opacitate fagi. Item ille:

Digitized by Google

Dic mihi Damœta, cujum pecus anne Latinum?
Non: verum Ægonis: noſtri ſic rure loquuntur.

Non putant *cujum pecus* poſſe dici niſi a ruſticis, & caprariis, non autem ab urbanis. V. Donatum, ſi is eſt, in vita Virgilii. In quo eos decipi convincit veterum auctorum obſervatio. Item, riſerunt eum, quod *hordea* pluraliter dixerit:

Hordea qui dicit, ſupereſt, ut tritica dicat.

Vide Scalig. *Caſtig. in Propert. l. 2. El. ult. pag. m.* 269. Sic cum Seneca libro de *Vita Beata c.* 1. his verbis loquitur: *Proponendum eſt primum, quid ſit quod petamus: tunc circumſpiciendum eſt, qua contendere illo celerrime poſſimus; intellecturi in ipſo itinere, ſi modo rectum erit, quantum quotidie profligetur: quantoque propius ab eo ſimus ad quod nos cupiditas naturalis impellit.* Addit Muretus in notis: *Ita veteres libri: & ita plane legendum. Nam ſcriptor quidem Noctium Atticarum non nauci habendus, qui profligandi verbum Latine ita accipi negat. Livius libro* XXI. *ſed ita fortaſſis decuit, cum fœderum ruptore duce ac populo Deos ipſos ſine ulla humana ope committere ac profligare bellum: nos autem, qui ſecundum eos vialati ſumus, commißum ac profligatum conficere. Sed & Tacitus, & Cicero ipſe ita ſæpe accipiunt. Tale eſt, quod idem Grammaticus tradit de verbo ſupereſſe, libri primi capite* XXII. *Nam & eo verbo & Tacitus & Plinius in Epiſtolis, non paullo uterque melior Latinæ linguæ auctor quam hic μειωνοφρονίσης, ita ſæpe utuntur, ut ipſe utendum negat.* Hæc ille, *pag.* 496.

Eadem eorum diſſenſio eſt in dijudicanda Latinitate. Cum enim *Multa* i. e. pœna pecuniaria, a Supino *Multum* ſit, Feſtus Pompejus dixit eſſe nomen Oſcum; quod tamen Varroni Sabinum eſt, apud A. Gellium *libro* XI. *c.* 1. Nolo eſſe ὠλεσίχρονον, hoc eſt, omnem judiciorum diverſorum, a veteribus prolatorum copiam, quæ cuivis inquirenti in promptu eſſe poteſt, hic effundere, quam qui contulerit, & perpenderit quidnam hic probarit, iſte improbarit, tandem cum illo exclamare cogetur: *Incertiorem me fecerunt, quam dudum fui. Adeo etiam vanitas aliquando eſt judiciorum & apparet inde verborum* (quod Budæus ait, *Comment. Græc. L. col.* 1298.) *reprehenſores aliquando eſſe ipſos ob id reprehendendos: nec ſemper etiam doctiſſimi hac in parte valent, niſi omnia collata, exacteque & ad amuſſim penſiculata probaverint, ut paulo poſt uberius dicetur. Quæ collatio tamen eo tempore non erat.* Huc facientia vide plura *d. l.* apud Budæum.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Restrictio Grammaticorum ad usum sui Seculi.

MULTORUM Verborum jam amissorum causam etiam puto restrictionem Grammaticorum ad usum tantum suorum Seculorum. Illis enim non ita necesse fuit veras radices, aliasque voces indagare, qui vernaculam materno cum lacte suxerunt; quam nobis, qui eam multis præceptionibus & longissimo usu addiscere cogimur. Propositorum itaque omnium usitatissima verba, quæque frequentissime in libris obvia essent. Illorum autem Veterum vestigiis insistentes, posterioribus secuti seculis Grammatici parum adjecerunt, ut ita nullus eorum perfectam scripserit Grammaticam, præsertim analogicam. Usus autem cum passim linguæ varius fuerit, oportuit, ut multa sibi ipsis contraria sæpenumero scripserint, & alteri alter contradicentes varios sibique perpetuo minime constantes canones sanciverint. Quapropter cogitantiores debuissent esse Grammatici nostri, quam olim veteres, qui usum solum respexerunt.

CAPUT XXVI.

Fastidium nostri ævi hominum, & Ciceronis superstitiosus amor.

NOSTRUM ævum, etsi omni elegantia perpolitum, tamen multa usurpare fastidit, quæ vel purissimum illud Augusti ævum non aspernatum fuisset, ut ex modo dictis rationibus liquere partim puto, partim iis, quæ Muretus, *cap. 1. libri 15. Var. Lectionum* præclare scripsit, cui addas *cap. 3. libri 1. Var. Lect.* Jani Rutgersii.

Fecit hoc unicus ille Ciceronis amor, qui Vir ut Eloquentiæ laudem sibi unice vindicat, Varroni tamen aliisque Latinæ linguæ scientiam relinquere cogitur. Nec cogitarunt ii homines, Ciceronis simiæ, illud Quintiliani, non solum eum imitandum esse, qui maxime imitandus sit, pronunciantis, *l. x. c. 2. Nec statim solum est, quod summum est*, inquit alicubi Vir Doctus. Et quid Vitruvio, Manilio, Gratio, Vellejo, Valerio Maximo, & ceteris facies, qui eodem tempore diversissimo a Ciceronis stylo, floruerunt. Vide Barth. 1. *Adv. c. 10. col. 20.* Certum est, quovis tempore tot sententias (dixerim accommodatius, sermonum &

Digitized by Google

ſtyli Genios) quot capita fuiſſe. Quid? Plinius & Scriptores rei Ruſticæ amiſſi ſi fuiſſent? Si Scriptores rei Militaris, Hiſtorici, Scenici, Agrimenſores? Si Juriſconſulti, (de quibus doctiſſimus P. Friderus Mindanus, *præfat. Grammatices.* Qui Latinum ſermonem abſque Jureconſultorum libris ſibi conſtare poſſe exiſtimat, toto ille cœlo fallitur;) Si Medici, alii? quorum tamen maxima pars periit: quantula eſſet ex ſolo Cicerone linguæ Latinæ ſupellex? quanta paupertas? Sane innumeras voces & locutiones noſtra ſaltim Germanica habet, quas ſi ex unico Cicerone Latine reddere vellemus, inſaniremus. Quot millia ſunt rerum nobis in ore frequentium, quæ M. Tullius ne ſomniavit quidem. At inquies, Tropis aut Periphraſibus eſſe ſubveniendum iſti inopiæ. Miſeros homines! qui aut ſemper ambigue loqui cogentur: (Tantilla enim vocum in Cicerone ſupellex tot tamque variis rebus adaptanda eſſet, ut tandem neſciremus, quid quodque ſignificaret. Cumque alioquin plures res, quam dictiones ſint, ſecundum tritum & verum illud, neceſſe eſſet, in tanta verborum penuria, ut eadem oratio, unumque nomen plura ſignificaret, ſecundum Ariſt. *in Elench. cap.* 1. unde tanquam ſuboles ambiguitas, quæ ſemper errori affinis eſt, ut Scaliger inquit, *Exerc.* 148. *ſect.* 4. ideoque effugienda omnibus, nec ſolum Philoſophis, quibus æquivocæ voces ſecundum eundem *in* 1. *Hiſt. animal. f.* 12. *in fine*, minitantur naufragia.) Aut tædioſo verborum ambitu, crebroque repetitis nugis aures pulſare non deſiſtent, quarum judicium tamen delicatiſſimum & ſenſus faſtidioſiſſimus eſt, nedum ut ingratos & eadem chorda ſemper iteratos ſonos toties audire ſuſtineant. Quid ſi feſtinare, & vel unica dictione animi ſui ſenſa proponere & explicare, aut aliquid poſcere, ut in ſubitis fit, cogerentur: quinam impetus iſtis periphraſes ſat aptas perpetuo ſuggereret? Ineptias hominum! Georgius Agricola de *venis Metallicis* primus patrum noſtrorum memoria, commentari auſus eſt: quia tamen vocabulis Latinis fuit deſtitutus: propterea, quod nulli veterum de re metallica libri ad noſtram ætatem pervenere: iccirco multis ſæpe verborum ambagibus vix conſequitur, quod noſtri homines (Germani) unico vocabulo feliciſſime ſolent exprimere, inquit Friſchlinus *præfat. Nomencl. ſui.*

Porro conſtat, Veteres potius decurtaſſe voces, & contraxiſſe, præſertim in quotidiano ſermone, quarum poſtea in uſu quædam manſerunt etiam apud elegantiſſimos. De quibus alibi. Bene autem Jov. Pontanus: *Sermo cœpit primum noſter*, inquit, *ab incultis, & ruſticanis, immo agre-*

Digitized by Google

agreſtibus ab hominibus, utque eorum erant res inopes, anguſtæ, egenæ, ſic quoque ſermo ipſe inops, minimeque affluens, verborumque perpaucorum, ac ſine ullo prorſus eorum excolendorum ſtudio, & cura. Creſcentibus poſt artibus atque hominum rebus, actionibuſque quod ſermo eſſet ipſe & componendus, & maturandus, fracta ſunt præciſiones tum ſyllabarum, tum literarum, non ab ipſis modo vocum principiis, verum etiam deſinentibus a ſyllabis, &c. in Actio, pag. 138. b.

Ceterum Latinæ linguæ alioquin tanta, cenſente A. Gellio, paupertas eſt, ut ne pluribus quidem verbis poſſimus non obſcuriſſime dicere, quod a Græcis perfectiſſime uno verbo & pleniſſime dicitur. Quam egeſtatem & Lucretius Philoſophiæ decreta Latinis verſibus incluſurus, & Manilius Aſtronomiæ intactam prius Latinis materiam explicaturus (vide Scal. ad eum *p. 26. Edit. 2.*) deplorant. Et nos ne ipſa Lucretii quidem & Manilii verba, quibus ii uſi, tolerare volumus, cum ſua ipſis non ſuffecerint? Scite Seneca *Epiſt.* 58. (Mureto 59.) *Magis damnabis anguſtias Romanas, ſi ſcieris unam ſyllabam eſſe, quam mutare non poſſim.* Quæ *hæc ſit quæris? τὸ ὄν. Duri tibi videbor ingenii: in medio poſitum eſſe: poſſe ſic transferri, ut dicam, Quod eſt* &c. Ad quem annotat Muretus *pag. m.* 383. *Ut Eſſentiæ, ſic Entis nomine uti neceſſe habent, qui Latine philoſophari volunt. Neque vero ita defungi queunt, ut pro Ente dicant id quod eſt: alioqui in magnas ſæpenumero ſe induent difficultates. Idem accidit iis, qui Poſſibile & Impoſſibile dicere, ſaltem in diſputationibus Philoſophicis, reformidant: cum Plato, Ariſtoteles, Epicurus, Zeno in lingua infinitis partibus copioſiore innumerabilia tamen vocabula fingere neceſſe habuerint. Equidem, ut de meo ſenſu libere atque ingenue fatear, multa puto ab iſtis delicatis, in S. Thoma, in Johanne Scoto, aliiſque ejuſmodi eruditiſſimis hominibus irrideri, quæ & neceſſaria ſunt, & talia, ut ſi quis ea vetuſtis illis temporibus protuliſſet, magnam ei gratiam omnes Philoſophiæ ſtudioſi habituri fuiſſe videantur. Nos dum teneris auribus videri volumus, tenera nobis ac puerilia eſſe ingenia, neque veræ ac ſolidæ eruditionis capacia, oſtendimus.* Huc uſque Muretus. Et optime Budæus, *Comm. Gr. L. col.* 1305. contra Ciceronianos hoſce: *Illa quæ torrens dicitur eloquentia* (inquit) *quonam modo tenorem ſuum ſervare atque impetum poteſt, ſi ſociam ſibi & comitem tantam loquendi religionem aſſumat?* &c.

Mira autem mihi ſæpe accidit Ciceronis ſententia, qui (*de finib. bon. & malorum.*) Latinam linguam non modo non inopem, ſed locupletiorem

Digitized by Google

etiam esse, quam Græcam affirmat. Hinc ejus & illud in Tusculanis: O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas Græcia! Paria *lib. 1. de Nat. Deorum* habet. Profecto collatio harum linguarum negare videtur id, si, quæ hodie supersunt in Cicerone, putaveris. Ergo aut plures voces fuerunt tum, quam in Cicerone hodie habentur, aut ipsius Ciceronis sententia fuit falsa. Quod credat Judæus Apella. Frustra autem Ciceroniani opponunt nobis Plinii verba, qui in *præfat. natur. historiæ*, libros suos respersos esse affirmat plurimarum *rerum aut rusticis vocabulis aut externis, imo barbaris*, non sine honoris præfatione ponendis. Excusat enim se hoc modo, quod elegantissima eloquentia suum Opus comere non potuerit, dum illius historia ornari negat, tradi contenta: quod ejus sequentia verba innuunt. Et si barbara, aut externa is admisceat vocabula, quod non nego (necessitate ad id fuit adactus) loquitur de Nomenclaturis Rerum, non de Verbis aut rerum attributis. Neque enim video quæ barbara verba intermisceat, aut cur non Latina potius usurpare potuisset. Apulejum ideo quidam reformidant, quod de se principio Milesiarum suarum scribat, *Latinas se litteras ignorare*, seque in Urbe Latia advenam studiorum Quiritium indigenam sermonem ærumnabili labore, nullo magistro præeunte aggressum excoluisse. Nam quæ vox, quæso, est, quam usurpavit, quæ non Latina sit? Etsi enim compositio styli ejus forensibus sermonibus tum temporis, & actionibus non satis accommodata sit: sed potius amœnitates secuta amatorium quid spiret: negari tamen Latina non potest. Ita enim seipsum *exotici* ac *forensis* sermonis rudem locutorem appellat. Nec melius ipsius Ciceronis testimonia nobis opponuntur, qui pessimo jure multas dictiones usurpare fastidit, quæ tamen in omnium usu tum erant, ex odio credo partium, ut esset, quod in aliis carperet; aut potius ex superbia, ut erat homo longe arrogantissimus, qua sibi soli jus Latinæ linguæ vindicare atque adstruere nitebatur. Exemplo sit *Jupiter σωτὴρ*, quem *Act. 4. in Verrem* negavit unico Latino verbo exprimi posse. Sed ille servivit causæ. Nam cum Verrem vellet premere criminis magnitudine, excusit eam vocem a Latina potestate. Verum in ea Oratione, quæ inscripta est in L. Pisonem, seipsum, qui Patriæ salutem dedisset, *Conservatorem* appellavit. In 3. autem de *Finib. Salutarem*, cujus in tutela sit Salus.

Præclare vero defendit vocem *Salvator* elegantissimus Paulus Manutius contra Ciceronianos in *Commentario*, *pag. m.* 449. & longe fusius Julius Nigronius *Commentario in Regulas Ordinis Jesuitici*, cujus verba

Digitized by Google

ba refert Jac. Pontanus *parte* 2. *Attic. bell. pag.* 494. Ergo cum Cicero Latinæ linguæ Auctor minime ſit, & tam multi, etiam ejus ævo, longe alio ſtyli genere, natura magiſtra, vel etiam, ne arroganti homini, qui alioquin multorum odio invidiaque flagrabat, aliquid concedere viderentur, contra uſi: non injuria nos contra Ciceroniaſtros potius Analogiam, quippe quæ in omnibus linguis mirifica eſt, modo attentiſſime conſideretur & obſervetur, quæque a Spiritu Sancto, etiam in pœnis ſapientiſſimo DEO olim in *συμμίξει* Babylonica profecta, & ab reliquis, melioris ævi Scriptoribus, uſu confirmata eſt, ſequimur; quam ut ſolis illius hominis, qui modo hæc probat, modo improbat, legibus addicti ſimus, & in ejus ipſius duntaxat verba juremus, ſpretis ceteris Scriptoribus omnibus.

Nam, (ut Budæi verba ex *comment. Græcæ Linguæ, col.* 1290. ſententiæ meæ firmandæ apponam) *Quid tum moroſius, tum magis obnoxium, tum nomini Latino calamitoſius eſſe poteſt, quam Ciceronis ſcripta, quæ nec integra, nec omnia, nec emendata adhuc aſſervata ſunt, non modo loquendi ſcribendique normam, quod æquis ipſe animis admittendum cenſerem, ſed etiam orbitam eſſe clauſulamque dicere & defendere? Quinimo,* (ut iterum cum Budæo loquar, *col.* 1309.) *erit lingua Latina indies longè copioſior, ſi ex Tullii inſtituto Latine loquendi facultatem nos metiamur ipſi, quam ſi e libris ejus, qui nunc exſtant, eandem circumſcribamus.* Sed hæc non ſunt hujus loci.

CAPUT XXVII.

Noſtri Seculi Grammaticorum, & Doctorum quorundam ignorantia, indiligentia & ἀκριβία.

NOSTRI etiam & ſuperioris ævi Litteriones quidam non extra culpam ſunt poſiti. Quæ enim aut ignorarunt, aut contempſerunt, ea diſcipulos minime docuere. Et cum *αὐτὸς ἔφα* illud tantopere illis commendabile fuerit, mordicus tenuere quod a Magiſtro ſuo ſemel hauſerunt. Quibus non raro etiam Doctiſſimi adhæſerunt. Unde tam inſignis ingeniorum poſtmodum nata diverſitas, dum quædam voces laudantur ab his, ab illis culpantur. Si quid apud ſolos Poetas ii non ſemper multæ lectionis homines invenere, in uno Numero, aliquo Caſu, Perſonave &c. poſitum, quod cetera verſus non reciperet, ſtatim putarunt Defectivum id vocis eſſe. Sic

Digitized by Google

Sic quia *Paſcua*, propter metrum, creberrime apud Poetas invenitur, ſtatuerunt eſſe Neutrum plurale tantum. Non autem obſervarunt Singulari *Paſcuum* Varronem uſum fuiſſe, apud quem eſt, *paſcuum viride*; aut, ſi hic propter antiquitatem iſtis exoſus, Columellam, cujus verba ſunt: *In eo rure quod paſcuo caret.*

Ita plures voces in ſuperſtitibus Auctoribus exſtantes non annotarunt. *Minere* eſt apud Lucretium. At Grammatici hoc ignorantes, ejus Compoſita, *Imminere*, *Eminere*, *Præminere*, ad *Manere* retulerunt. Omnino male: hujus enim Præteritum *Manſi*, illius *Minui*, unde *Eminui*, *Imminui* &c. Verbum *Oculare* legitur apud Tertull. in *Apologet. c.* 21. & *de Pœnit. c.* 12. & alibi, Cyprianum de *vanit. Idol. c.* 8. Dracont. *l.* 1. *v.* 527. in *Gloß. Arabico-Latino*, & apud Pacianum *Parænetico ad Pœnitentiam. Sed hoc vix crediderim apud Veteres inveniri*, inquit Collector Fori Romani. *Neque enim Oculatus Participium eſt a verbo Oculo, ſed potius Nomen, ſicut Manicatus & Tunicatus.* Hæc ille. Cujus ſententiæ non ſuffragor.

Sequor te potius, Excellentiſſime Barthi, qui in Eruditiſſ. Scriptore Tertull. multa talia eſſe ais, quorum ignorantia contractior ſit Latinitas, libro 32. *Adverſ. c.* 13. diciſque, hoc pulchrum Verbum eſſe, *lib.* 33. *c.* 12. *col.* 1526. & *libro* 43. *c.* 24. Hinc *Exoculare*, quod Beatus Rhenanus tritius verbum dicit. *Oculandus* eſt apud Tertull. de *Pudicitia*. *Exoculare*, apud Apulej. *l.* 8. *p.* 207. Plautum *Rudente*, A. 3. 4. *v.* 26. *Inoculare*, quamvis alio ſignificatu apud Columell. *l.* 5. *c.* 10. Apul. 6. *Met. pag.* 185. & in *Floridis*, *p.* 341. *Palladium Novembri* 17. Tertull. de *Anima.*

Sic *Tunicare*, quod etiam Cledonius Grammatic. *pag.* 1928. ignorat, dum inquit: *Tunicatus*, *Galeatus* non facit *Tunico*, *Galeo*, &c. Exſtat apud Varronem, citante Nonio, *cap.* 2. *num.* 873. Legitur & in Onomaſtico: *Tunico*, χιτωνίζω. Uſus eſt & aliquoties Alanus libro de *planctu Naturæ*, *proſa* 8. & alibi.

Galeare habet Hirtius *libro* 5. *belli Africani.* Item, Cinna in *Epigramm.* Curius Lancilotus *libro* 8. *Literaturæ non vulgaris c.* 39. refert, ſtatuere aliquos *Titubatus* Participium eſſe ſine origine, i. e. verbo. Hos refutant Horatius *libro* 1. *epiſt.* 13. *v.* 19.

Vive, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

Plautus *Pſeud.* 2, 4. *v.* 74. & *ibid.* 1. 1. *v.* 42. & 4. 1. *v.* 32. *Mil.* 2. 2. *v.* 93. *Men.* 1. 2. 33. *Mil.* 3. 3. *v.* 71. Terent. *Heaut.* 2. 3. Cic. *ad Att.* 2.

24.

Digitized by Google

24. & *pro Flacco* & *Philipp.* 8. *Manil. l.* 2. *p.* 30. Ovid. 3. *Met.* & 15. *Auctor. ad Herenn. l.* 2. Sidonius *l.* 9. *epiſt.* 13. *pag.* 251. Quintilianus, Seneca, Auſonius &c. V. Nonium *c.* 2. *n.* 871. *tũ Vacuare* vice mavult Altenſtaigius *Vacuefacere*, quo utitur Lactantius, quod dicit eſſe elegantius & Latinius. At nonne ſatis ſit Latinum & elegans verbum, quo utuntur Lucretius *l.* 6. *v.* 1023. Statius 12. *Theb. v.* 632. & 1. *Achill.* Columella. 3. 13. & 9. 14. Martialis x1. *Epigr.* 5. (al. 6.) *v.* 6. Prudentius 1. *cont. Symmach. v.* 254. Paulinus *Pſalmo* 136. *v.* 44. Proſper *Epigr.* 80. *v.* 9. Arator *lib.* 1. *v.* 177. Eutych. *l.* 2. *de diſc. Conjug. col.* 2162. Sidon. 5. *Epiſt.* 12. Apulejus, Martianus Capell.

De horum hominum judicio plura dici poſſent, ſi locus hic pateretur, & Lectoris patientia, quem longiore ſcriptione moleſtare religio eſt. Sane iniquæ illorum cenſuræ multa aboleverunt, quæ alioquin conſervari potuiſſent. Reſpuerunt enim omnia quæ in Afris Scriptoribus, aliiſque qui ex optimis veteribuſque ſuas voces deſumebant, legebantur. Rati ſunt eos Scriptores, ut Tertullianum, Apulejum, Arnobium, Ammianum, Prudentium, Zenonem, &c. talia vocabula primum finxiſſe; quibus ego ſane aſſenſum commodare nullo modo poſſum. Non enim finxere nova, ſed uſurparunt ea omnia, quæ in amiſſis olim legebantur; quod etiamnum ex diligenti Veterum, quorum fragmenta reſtant, cum dictis Scriptoribus collatione clarum erit, ſi attentius id obſervaveris; ut, quæ iſti ſoli habent, ex deperditis Auctorum locis deſumpta ſint. Ignorarunt ſcilicet illi pretia Scriptorum, nec ſciverunt ætates eorum & ingenia probe diſtinguere.

Sic, qui Silvulam contra Grammaticam Enormium (ut vocat) & barbarorum in Fortunato obviorum conſarcinavit Doctiſſ. Browerus, peſſimo judicio rem aggreſſus eſt, teſte etiam C. Barthio *l.* 8. *Adv. cap.* 14. *col.* 394. Pauca quædam ex illa delibabo.

Rejicit *Acerbare*, quod habent Virgilius x1. *Æn. v.* 407. Statius 3. *Theb. v.* 214. Et *lib.* 12. *v.* 74. Val. Flacc. 6. *v.* 655. Claudian. 1. *Rufin. v.* 182. & 2. *de R. Proſ. v.* 208. *Aera* plur. Neut. quod apud Virgilium *Culice v.* 165. exſtat, & ita uſi ſunt Orientius *Commonitorio*, *v.* 114. Abbo Cernuus, *de Obſid. Lutet. l.* 2. Aldhelmus libro de *laud. Virgin. cap.* 45. & alibi, uti annotat Barthius *l.* 41. *Adv. c.* 23. *l.* 21. *c. ult.* & *l.* 27. *cap.* 6.

Alvus gen. maſc. Quod & Friſchlinus rejecit, qui negat in ullo bono auctore reperiri. At ſic uſurpavit nobiliſſimus Auctor C. Cinna apud

Digitized by Google

Priſcian. *l.* 6. Accius *in Annal.* Cato *ad filium*, Columella *lib.* x. *v.* 146. Plaut. *Pſeud.* 3. 2. *v.* 34. Vid. Pareum. Et Rhenius in *Examine Wanckeliano p.* 413. ne unum quidem e probatis auctoribus Latinæ linguæ ſe invenire ait, qui nomen iſtud maſculino genere uſurparit. At mi Rheni, quid tibi videtur de Plauto & Columella? Imo Columella & Cato indifferenter uſi ſunt.

Clienta, pro, *Cliens*. At ſic Horatius 2. *Od.* 18. *v.* 8. Plaut. *Milit. Argum.* 2. *v.* 13. & Auſonius *Parental.* 24. *v.* 12. Hinc & Sidonius *l.* 2. *Epiſt.* 2. *pag.* 35. *Cupienter*, pro cupide; at ſic uſus Ennius *in Phœnice*, Plaut. *Pſeud.* 2. 3. *v.* 17. & Apulejus. *Curatura*, pro cura; at hoc habet & ita uſurpat Terentius *Eun.* 2. *ſc.* 3.

Repens pro *Repente*, at hoc legitur apud Lucret. *lib.* 5. *v.* 401. Uſus eſt & Cicero 3. *Tuſc. Repens adventus hoſtium*, ibid. *Cura repens* Virgil. 12. *Æn. v.* 313. Livius 1. 6. 8. & 10. *ab U. C. lib.* 21. vel 1. *bel. Pun.* & 9. *bel. Pun.* Seneca *Troad. v.* 425. id. *Medea. Sonus repens* Silius *l.* 3. *v.* 219. & *lib.* 10. *v.* 577. Val. Flacc. 2. *Argon. v.* 91. & *v.* 478. Stat. 7. *Theb. v.* 370. & 10. *Theb. v.* 154. Tacitus *Annal.* 1. ut Lipſius reſtituit *ibid. lib.* 5. & 15. Id. *Hiſt. lib.* 1. 2. 4. Claudian. *lib.* 2. *R. Proſ. v.* 152. Curtius 10. *Conſternatio repens.* Prudentius *Hymno Laurentii v.* 493. *Eulalia, v.* 161. Paulinus Nolanus ad *Cytherium*, *v.* 917.

A meridiano incendio mundi repens
Ruina mortis opprimet.

Sic poſt uſi Fr. Petrarcha *Eclog.* 8. *v.* 39.

Unanimes quæ cauſa repens disjungit amicos?

Bapt. Mantuanus 3. *Calamit. v.* 511.

Annoſas ſcandunt quercus, fugiuntque repentes
Quo nulli fugiſſe datur.

Ita veteres & primæ Edit. earumque traduces Argentinenſis, anni 1502. & Daventrienſis 1507 Bononienſis, anni 1502. ſubſtituit, *gementes.* Male autem Aſcenſius corrigit *tepentes*, nec ex mente Auctoris edit, *repente.* Sed hæc obiter.

Noſtro tempore præter alios utuntur hoc Douſa *lib.* 1. *Epodon. e.* 7. *v.* 3. Baudius *pag.* 322. *part.* 1. *Delic. Belg.* in nova Poematum Editione *lib.* 2. *Gnom. Jamb. c.* 35. *v.* 3.

Ut herba ſolſtitialis occidit repens,
Sic fluxa nobis gaudii ſeges perit.

Rejicit præterea Browerus τὸ *Cunctare*, quod tamen Plautus *Caſina* 4. 2.

Digitized by Google

4. 2. *v.* 13. Ennius, & Accius, apud Nonium *cap.* 7. *n.* 9. & Sidonius *paneg. Anthemii v.* 106. (vide Barth. *p.* 446. *ad Claud.*) habent. Vide etiam Priscian. *l.* 8. *col.* 797. *Orditum*, ab *Ordior*, quod habent Diomedes *præfat.* librorum de *Arte Gramm.* qui tamen *lib.* 1. *col.* 373. tantum Præteritum *Orsus sum* ponit: Luctatius Placidus Argumento 2. in 6. *Metam. lib. Ovidii pag.* 138. *Edit. Ranerii*, quod vulgatæ Editiones inepte mutant. Hieronymus in *Esaiam*, citante Despauterio *lib.* 5. *Gramm. fol.* cxx. *b.* Sidonius *l.* 2. *epist.* 9. *p.* 46. & imitatus est Mantuanus 1. *Parthen. l.* 3. *v.* 425. & *l.* 1. *Alfonsi. v.* 1. Reliqua alibi examinabimus.

Sic *Funerare*, apud Prudentium rejicit & refert inter ea, quæ a Latinæ linguæ puritate longissime absunt, Cornelius Valerius Lipsii & Giselini præceptor, apud Giselinum *notis in Prudentium, pag.* 505. *Edit. Weitz.* Verum extat hoc apud Horat. 3. *Od.* 8. *v.* 7. Suetonium *Tiberio. c.* 51. *Caligula. c.* 15. *Claudio. c.* 45. *Othone. c.* 11. *Nerone. c.* 50. & *Domit. c.* 17. Plinium *l.* 33. *c.* 10. Senecam *consol. ad Albin. c.* 12. Petron. *p.* 176. *Edit. Gold.* & *pag.* 56. *Edit. Lotichii.* Festum *in Vespa*, *pag.* ccc1. *Edit. Scalig.* Sidonium *l.* 3. *Ep.* 3. *p.* 62. Ulpianum *l. si quis sepulcrum* 12. §. 3. *Hoc edictum.* Et sæpius eodem titulo de *Religion. & sumptibus fun. & ut funus ducere liceat. l.* xi. *Dig. Tit.* xii.

Sic *Fulgidus* rejicit idem, quod apud Lucret. *l.* 3. *v.* 364. Claudian. *Od.* 4. *Fescennin. v.* 26. Solinum *cap.* 40. Terentian. Maurum. *Forare*, quod apud Plautum *Most.* 1. 1. *v.* 53. Columellam, 5. 10. 8. 3. & 9. 7. Tertullian. *de Resur. Carnis*, eundemque *de Pallio. Incerare*, apud Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 55.

Eat nunc præceps aliquis Censor, & quas ipse Cicero, aliique boni Auctores usurparunt, voces, dum apud alios sequioris ævi Scriptores invenit, ulterius Latina esse negitet. Innumeræ certe voces tum primæ, tum ortæ hodieque in optimis Scriptoribus exstant, quæ a nullo omnino Lexicographo annotata sunt. Quin eo venere dementiæ, ut & quæ apud excellentes Scriptores raro posita invenere, rejecerint. Sic enim Franc. Flor. Sabinus, *l.* 2. *Subs. Lect. c.* 20. *p.* 1150. *Nemo nisi caritus Latinam linguam iis, quæ semel aut iterum apud quantumvis excellentes auctores legantur, sed illis potius quibus sapissime iidem usi fuerint, constare dixerit.* Denique, ut Barthii verbis concludam, *l.* 41. *Adv. c.* 23. *c.* 1856. *Talia plura sunt apud Christianos Vates, quæ nos ignorantia antiquitatis, ob amissos tot egregios, imo fere, uno & altero demtis, summos*

Digitized by Google

Romanæ Eruditionis & Eloquentiæ conditores, non intellecta damnamus.

Judicia autem de Scriptoribus Veteribus quod attinet, mirifice discrepantia, etiam Doctissimorum Virorum hodie feruntur. Afferam quædam. De APULEJO Phil. Melanchton *in Eloquentiæ Encomio:* "Quoties ab"surdis ac ineptis metaphoris sermonem obscurant? Quis enim Apulejum "& hujus simias ferat? Sed recte Apulejus, qui, cum asinum repræsenta"ret, rudere potius quam loqui maluit.„ Michael Neander *præfat. in Apocrypha S. Jacobi*: "Apuleji Afri Asinus ille aureus, *libris* 12. (*l.* 11.) "celebratus, orationis genere & argumento & voci asininæ congruo, ubi "rugitum potius seu boatum infernalem te audire putes, quam hominis "vocem: adeo discrepat oratio a puritate Latina, &c.„ Dempsterus ineptam ejus dictionem dicit, rebus eruditis, in *Elencho Scriptorum Paralipom. ad Rosinum præfixo.* Caussinus *parallel. l.* 3. *c.* 14. "Ele"ganti procul dubio & faceto fuit ingenio, sed eo, & Musis non mo"do stili insolentis, verum etiam argumenti novitate abusus est, auctor uti"que cautæ lectionis & periculosæ imitationis, maxime quod abundat "dulcibus vitiis.„ Biscola *Hor. Subseciv. T.* 1. *lib.* 20. *c.* 16. "Apulejus *lib.* "2. Asini aurei, vereque ferrei. Quid enim aliud in illo Opere nisi "orationis, & sententiarum quasi rude ferrum & impolitum?„ Lipsius *lib.* 2. *Elect. c.* 22. "Stilum ejus ineptum esse volunt: fatebor in parte, (nec "enim asperitatem illam & horrorem quæsitæ dictionis usque quaque ex"cuso) sed tamen docte ineptum, & e quo multa bona selectaque hau"riat bonæ selectæque mentis Lector.„ Id. 2. *Epist. Quæst.* 22. "Ego vero "Apuleji lectionem abhorrendam non censeo, quicquid isti de Arpina"ti schola investes pueri dicant. Ciceronem admirantur? laudo. Et sci"licet nos eo modo non scripsimus, aut scribere nunc, si res ferat, non "possimus. Sed non hoc agitur, & ut dem illis ad eloquentiam Cice"ronem unicum esse: intelligere & sapere tamen est a multis. Quanquam "illum ipsum Apuleji stilum, quod contemnunt, vellem parcius. Et "eamus ab istis discipulis ad judices ex lege Pompeja triginta annorum, "tumidus fortasse, vegrandis, & adfectatæ elegantiæ scriptor est: at cer"te doctus literas & mores veteres, & in sermone ipso Plauti imprimis "imitator. Itaque ille nescio quis Rhetorista, qui rudere illum dixit non "loqui, probet prius de Plauto, & credam de Apulejo.„ Hieron. Regius de *ling. Lat. Comment.* 1. *Præceptione* 16. "Auctor diserti ssimus, "& eximia eruditione conspicuus, qui multa vocabula a Græcis Latine "pronunciata ita traduxit, ut tanquam Latina moneta percussa, a nemi-

"ne

"ne cultioris litteraturæ reſpuantur.„ Joh. Brantius *pag.* 37. ad eum: "Stilus ejus eo argumento valde decorus & bonus, & mirum in modum "æqualis: quæ magna virtus in ſcriptione. *Et pag.* 53. In Apulejo nul- "la verba niſi antiqua, & a bonis auctoribus, qui ei nunc non exſtant "deſumpta: ſed quibus tamen pro moribus hujus ſeculi non omnibus li- "cet uti.„ C. Barthius *l.* 24. *Adv. c.* 1. *col.* 1170. "Scriptor verborum & "ſtili eruditiſſimus.„ Id. 55. *Adv. c.* 2. "Proprietatis Latinæ ſcriptor "optimus.„ Id. *l.* 7. *c.* 12. *col.* 334. "Scriptor proprietatis amantiſſimus "veteres vereque Latinos ſecutus, etſi phraſi durior, verbis tamen bene "Latinis utitur.„ Vid. & L. Vivem, *Comm. ad Auguſt. de C. Dei, l.* 18. *c.* 18. Fruterius 1. *Veriſim.* 17. "Apulejus in iis, quas pro ſe ſcripſit, Apo- "logiis ſane oſtendit, quantus Vir fuerit, nec ego vereor dicere, quicquid "alii ſentiant & occentent, doctiſſimum fuiſſe hominem, & (quod præ- "cipue urgent illius adverſarii) Latinæ linguæ vel exactiſſimum Cenſorem, "quod equidem, ſi unus veniat, demonſtraturum me facillime confido.„ Caſaub. *in Apolog. Apuleji.* Digna vox Apulejo *Invidere*, pro, *non videre:* ut *inviſus* pro *nonviſus* apud M. Tullium. Si quis propter hujuſmodi voces faſtidiendam putet hujus eruditiſſimi Scriptoris Orationem, eum ego cenſeo, quid ſit Latine ſcire, prorſus ignorare. Nam certum eſt, optimos quoſque Latinitatis auctores pleriſque compoſitis cum *re* & *in* & *ex* multifariam uti ſolitos.

PHÆDRI *Fabulas* ſuppoſititias judicavit P. Scriverius *pag.* 88. *ad Martialem.* Contra cenſuit Barthius multis argumentis, *l.* 36. *Adv. c.* 21. & *l.* 47. *c.* 10. Julius Scaliger *in Hypercrit.* valde commendat ACCIUM Fabularum Scriptorem, contra tu vide Barthium, qui *l.* 3. *c.* 22. eum, (ſive *Accius* audit ſive *Romalius*, aut, ut alii volunt, *Romulus*,) valde ineptum & barbarum judicat. Hinc de Scaligero Jacobus Pontanus *parte* 2. *Attic. Bell. pag.* 283. *Julius Scaliger, cujus judicium quidam nimis ſuſpiciunt, in cenſura Poetarum, mortuorum nullum, modo ejus ferantur ſcripta, præterire voluit. Catullo Mutium Aurelium confert, & præfert.* Quis tam pinguis cui perſuadeat? Taceo de Diſtichis Verini Michaelis adoleſcentis, ac pæne pueri, cui nullam a ſe caſtigationem, ſed ſummam ab omnibus Eruditis laudem deberi autumat, cum tamen meliores verſus facere doceat Ovidium, Horatium, Jovianum, & alios, Poetas maximi cenſus. Idem Scaliger, qui in *Oratione adverſus Ciceronianum Eraſmi*, & alibi, acerbius quam par erat in Magnum illum Eraſmum invehitur, ita ut laudis pæne nihil ei relinquat, quem tamen in Heroibus laudat,

Digitized by Google

merito ideo notatur a Gerardo Joan. Voſſio *l.* 4. *de orig. & progreſſu Idololatriæ c.* 13. *pag.* 1321. & *ſeq.*

Quid? quod nec Veterum judicia ubique ſana ſunt. Diſplicuit enim Seneca Philoſophus Quintiliano. *l.* x. *c.* 1. & A. Gellio *l.* xii. *c.* 2. ſed ſine cauſa, ut ſatis monſtrat Lipſius in *Judicio Senecæ Operibus præmiſſo*, & Cauſſinus 3. *Eloq. c.* 14. *Certe* (ut cum Camerario concludam ex *lib.* ὑπὲρ πλαισματος *fol.* 16. *b.*) *nullus finis futurus ſit, ſi & judiciorum diverſitates colligere velim? Quotus enim quiſque reperitur, cui de eadem re idem quod alteri placeat ac probetur? Inter quos duos una in ſententia congruiſſe omnia, cognitum eſt? Quod ſi eſt veritas ſimplex, uniuſque modi, conſequens fuerit, diſſentientium unum falli & errare.*

CAPUT XXVIII.

Etymologiſtarum deliria, & ſtupor.

NIHIL magis offecit Analogiæ Latinæ linguæ indagandæ, quam anilia ſtupidorum Etymologiſtarum deliria, qui pravis ingeniis ad fœdiſſima uſque ludibria lapſi ſunt, ut ait Quintil. *l.* 1. *c.* 9 quorum traditæ totus mundus tantum non adoravit. Nullo enim modo etiam per Doctiſſimos & præclariſſime de Latina lingua meritos Viros iſtorum tricæ affaniæque eradicari potuere, quin iidem ipſi implicati iis fuerint. Collegere eorum nugas non nulli. Addam paucas: nec enim iſto inquinamento diu immorari lubet.

Albus derivant ab ἀιχρὸς, cum ſit ab *Albere*. *Æger* a græco, ἀί, cum ſit ab *Ægrere*. *Clarus*, a *Calando*, cum ſit a *Clarere*. *Focus*, a *fovendo*, cum ſit a *Focare* prima brevi. *Meditari* a μελετᾶν, cum ſit a *Mederi*. *Pons* a *Pendendo*, cum ſit a *Pontare*. *Pudor*, a *Putido*, cum ſit a *Pudere*. *Pignus*, a *Pago*, ſeu *Pango*, cum ſit a *Pignorare*. *Tergum*, a *Terendo*, cum ſit a *Tergare*, inuſitato. *Solium*, a *Sedes*, cum ſit a *Solare*, inuſitato: unde eſt *Adſolare* apud Tertull. *Locus* a *ſiſtendo*, unde *ſiſtlocus*, poſt *ſtlocus*, poſtremo *Locus* repudiato confragoſo ſonitu, ut vult Jov. Pontanus in *Actio*, *p.* 138. *a. parte* 2. *Operum*; cum ſit a *Locare*. Sic *Lis*, a *ſiſtendo*, unde fuerit *ſiſtlitis*, quod *ſiſtendum eſſet* in judicio ad prætorem: inde fuerit *ſtlitis*, poſt *litis*; ultimo *Lis*: ineptiſſime; cum ſit ab exoleto *Litire*.

Vilis, a *Villis*. *Parcus*, compoſito vocabulo dicitur C. Baſſo *libro de*

Digitized by Google

de origine verb. & vocabulorum, quasi *par arca*, referente A. Gellio, *l.* 3. *c.* 19. quem merito Phavorinus elusit, cujus nec etiam etymologia deducentis a *parum* & *parvum* sana est, cum sit a *Parcere*. *Venter*, quasi *vehenter* Pontano in *Actio fol.* 139. *a.* quod se implendo evehat, vel quod vehat in cibum absumpta. Sed quodnam præterea hujuscemodi a Participio deductionis exemplum? *Furem* a *Furvo* deducit Varro *l.* 14. *rer. divinar.* cum sit a *Furari*. *Jumentum*, a *jungendo* Veteres, referente Nonio *c.* 1. *n.* 269. duxerunt, cum verius Lactantius a *Juvare*, vel Supino *Jutum* deducat, *lib.* 2. *Instit. c.* 10. ut & Augustinus *T.* 4. *Quæstion. super Deuteron. c.* 38. *col.* 273. *Probus*, sententia Robbigii *l.* 9. *Robigalium c.* 17. dicitur a *Proebendo*, pro *Prohibendo*; ineptissime. Cur enim ejus Primitivum *Probare* dicitur, non *Probere*, si a *Prohibendo* esset? Et ab *Habere* Composita solent contrahi, omissa Syllaba *HI*, ut *Prabere*, pro *Prahibere*, quod ejusdem est significationis apud Plautum: nunquam *a* mutatur in *eis*, *a* in *e*, sed in *i*, etiamsi τὸ *h* omittatur, ut in *Diribere*, quod est a *Dis* & *habere*, ubi τὸ *S* in *R* mutatur, ut & in *Dirimo*, a *Dis* & *Emo*, propter correptionem forte: mutuas enim *R* & *S* aliquando vices præbent, ut in *Valesius*, *Valerius*: *Colos* & *Color*: *Honos* & *Honor*. *Concio*, quasi *Comitio* dicta sit, opinione Erycii Puteani, *Orat.* 17. *p.* 399. qui *Contio* scribit, eo quod lapides antiqui ita repræsentent, & tabula ærea Legis Serviliæ, quam Patavii in Museo Bembi viderat: & Legis Judiciariæ apud Fulv. Ursinum: in qua etiam *Conctio*: quasi tales tabulæ & lapides veram semper Orthographiam præstent, aut nunquam ipsi etiam Veteres in talibus aberrarint. Nos veritate jubente, a *Con* & *Cire* derivamus; a quo & *Præconis* vox est, ubi Solum *c* Radicalis est, & *o* terminalis littera.

Res a ῥῆσις dictum fuisse ait Scaliger *p.* 59. *in Cirin*, & Veteres dixisse *Reses*, quod decurtatum in *Res*. Sed cum hoc non probet auctoritate aliqua, & *Res* in Genitivo *Rei*, non *Resis* faciat; melius nos a *Reri* deducimus. *Eri* est terminatio Infinitivi. Solum autem *R* Radicale. Hinc in deducto *R* sola Radicalis littera, *es* terminatio, ut in Veh*es*, a Veh*ere*; Trud*es*, a Trud*ere*.

Sic *Pecus* a *pede* vult Varro 4. *LL.* quod in pecore olim pecunia consistebat pastoribus, & standi fundamentum pes: Cum sit a *Pecere*, Græcis πέκειν, i.e. *tondere*. Proprie enim *Pecus*, *ovis* Taubm. *ad Mercat. act.* 3. 1. & *ad Virgil. p.* 502. Et Varronis hæc λεπτολογία Jos. Scaligero & aliis non placet, qui *pecudes* a Græco ποκάδας dici volunt, quæ sic dice-

Digitized by Google

dicebantur, quod tonderentur. Latini vero *pecudes* potius, quam *peeudes* dixerunt: item *temperis* & *pigneris*, & *elera* pro *olera*: *hemonem* pro *hominem*, ut vult Scaliger, qui ſcopum tantum non attigit. Placet tamen ita derivari: *Pecere*, cujus Præt. *Pexi*, Supin. *Pexum* & *Pectum*. Unde Freq. *Pexare* & *Pectere*, cujus Præt. *Pexui*, Supin. *Pectitum*. Et Paragogum *Pectinare*, unde *Pecten*. A priore ſunt *Forpex* & *Pecu*, h. *Pecuare*, apud Salluſtium. Poſtea Paragogum eſt *Pecudare*, ut Lapidare, a Lapire. Unde *pecus*, *pecudis*. Deinde aliud, *Pecorare*, quo aliquando uſus Jul. Scaliger, unde *Pecus*, *Pecoris*, ut a Corporare, Corpus, corporis &c.

Talia plura ubivis exſtant, & grandiſſimum conficerem Volumen, ſi omnia comportare vellem, quæ quiſque hoc in negotio ſomniaverit. Nam revera, ut ſomniorum interpretatio, ita verborum origo pro cujuſque ingenio prædicatur, ut verba D. Auguſtini uſurpem, *c.* 5. *Dialectices T.* 1. *col.* 265. Verum quia ſtultus labor eſt ineptiarum, ut ille ait, verbum non amplius addam, ſi prius unicum hoc Senecæ, *lib.* 6. *de Beneficiis* appoſuero, qui ait: *Reddere eſt rem pro re dare.* Ad quem Muretus doctiſſimus ſequentia notat: *Subfrigida vocabuli notio: quales frequentiſſimæ ſunt apud Stoicos, & Stoicorum hac in re imitatores veteres Romanos Juriſconſultos. Talis eſt & illa Ciceronis, fidem ex eo dictam, quia fiat quod dictum eſt: illa Juriſconſultorum, teſtamentum, quod ſit teſtatio mentis, & mutuum, quod fiat ex meo tuum, & ſimiles.* p. m. 360. ad eum.

CAPUT XXIX.

Timiditas Doctorum, & Metus Calumniantium.

PAUPERIEM Latinitati fecit & Doctorum Virorum timiditas, qua affecti nihil, niſi de quo certiſſime conſtaret eſſe Latiniſſimum uſitatiſſimumque, proferre audebant. Cum enim uſu linguam addiſcerent, non vera arte, fluctuare & hærere eos ſæpiſſime oportuit, quod multis hodie in vernacula noſtra uſu venit. Ei rei aſſueti homines, voces non niſi uſitatiſſimas frequentabant, ceteris in deſuetudinem lapſis; quorum veſtigia prementes poſteri, eadem chorda oberrarunt: nec auſſi ultra ſunt ſapere. Confirmat me in ſententia hac H. Stephanus *præfat. Gloſſar. ad Lectorem, de Latina Lingua*, ajens: *Sed enim jam tum, quum in ipſo ætatis ſuæ*

Digitized by Google

sua sorte esset, (ut ita loquar) suas sibi divitias quodammodo invidisse videtur. Nam ut de priscis oratoribus & historicis taceam, priscos Poetas multa usurpasse videmus, quorum usu posteri eorum sibi interdixerint. Nominatim vero in compositis vocabulis, qua epithetorum officio fungi volebant, illos tam audaces, quam hos timidos fuisse comperiemus. Velivolas naves, & Pontem Reciprocicornem, Lanicutem, Vestitrahum: Testudinem Terrigenam, Tardigradam, Domiportam vocarunt. Hæc ille. Ipse etiam Cicero, qui vocem *Veriloquium* finxerat, usurpare tamen reformidat. V. Quintil. *1. c. 9. pag.* 40. *Edit. Gryph.* 1534.

Non poterant scilicet omnes tum ferre ineptias ac stultitias, quæ devorandæ non solum Oratoribus sunt, quod Cicero de se ait in Bruto, sed & talibus hominibus, qui aliquid in linguis contra consuetudinem vulgi audent. Multi enim inveniuntur, qui in reprehendendis verbis versuti sunt & solertes, quod Cicero de *M. Pisone*, dicto loco, ait: quorum aculeos omni ope effugere & declinare ii studeant. Nostro vero tempore Camerarius, Vir eruditissimus parem timiditatem suam prodit; *Si quis est*, inquit, *in usu Latinitatis timidus, is ego profecto sum: in Erratо, vel ὑπὲρ πλάσματος, pag.* 4. *a.* quem adeas.

Si ergo tantus Vir hoc in negotio timidus, quid mirum, si & ii, qui ejus Viri dogmata secuti sunt, simili timiditate affecti, & proinde de divitiis Latinæ linguæ asserendis parum solliciti fuerint, nec ultra paupertatem ejus quid ipsi adjicere allaboraverint. Sane si rem rectis inspicimus oculis, quilibet Magistros suos sequi maluit, & eandem phrasin duntaxat quasi in numerato habere, si modo habuit, quam ut de excolenda ulterius lingua & augenda cogitaret. Deterruit & quosdam, cæteroquin haud ita timidos, metus calumniæ. Viderunt enim aliquatenus veritatem, nec eam proferre tamen & laudare ausi fuerunt, ideoque vitam suam silentio transire maluerunt, quam mentem suam aperiendo odia calumniasque Vituperonum incurrere. Non solum autem hodiernis moribus solenne est, malevola ingenia undique reprehendendi captare materiam; sed & per omne ævum rabies livoris acerbi innocentibus hominibus dentes suos infixit. Nec sancti homines ab ea labe immunes. Vide Hieronymum, qui *Apolog.* 3. *in Rufinum*, eo quod scripserat, (quid tibi videtur? habesne ultra aliquid, quo *nervos tuæ loquacitatis* intendas) reprehendendum eum sibi sumpsit: *Et indignaris*, ajens, *si putide te loqui arguam; cum comœdiarum turpitudines, amatorumque ludicra, Ecclesiasticus Scriptor assumas?* &c. Quasi hæc phrasis semper aliquid turpitu-

Digitized by Google

dinis alat! Absque qua sane usi sunt ea ipse Cicero *Verrina* 2. & ad *Q. Fratrem*, & Lactantius *lib.* 1. *de falsa Relig. cap.* 3. &c.

CAPUT XXX.

Imperfectio rerum humanarum.

ULTIMAM causam, sive dicas harum omnium primam, quilibet novit esse rerum humanarum Imperfectionem, qua ex parte tantum scimus. Cum enim tanta sit rerum varietas & multitudo, ut nec disci omnia possint, nec discita & audita omnia memoria contineri; vix ac nec vix quidem unus homo omnes dictiones ac ἴδιος etiam in sua vernacula nosse poterit, nedum in alia lingua. Sunt enim quamplurimæ opificibus & artificibus propriæ, quas reliqua turba ignorat. Nos Latinam linguam callere dicimur, etiamsi non omnia instrumentorum, quibus in officinis artifices utuntur, nomina sciamus, affirmante Eruditiss. & Eloquentissimo Caselio, *præfatione in Phrases Manutianas.* Ut nos Germanicam linguam omnes callere dicimur, cum tamen ne millesima nostrum pars ea omnia vocabula norit, quæ sunt artificum, opificumque, neque etiam per vitam audiverit.

Non ergo sequitur, quod quis ignorat, id continuo minime esse Germanicum. Sic nec quod quis Vir doctus in Latina lingua ignorat, id statim esse barbarum, aut minus Latinum, si modo in Auctore aliquo vetere, aut melioris notæ Scriptore reperiatur, licet mille id homines præterierint, aut linquant inobservatum. Nam quod omnes nesciunt, nulla analogia probat, nec ullibi legendum occurrit (*Radices* excipimus, quæ certis rationibus, etsi non exstant omnes, statuendæ) id merito suo maximo respuitur.

Quod autem Viri etiam litteratissimi in his aliquando cum Homero (quæ rerum humanarum fragilitas est,) dormitent, pauca quædam exempla subjiciam, & supra quædam passim insperſi.

Nubere, de Viris etiam dici, negavit Scaliger. At sic Plautus, *Cas.* 5. 1. *v.* 6. Exempla hujus significationis alia contra Jos. Scaligerum pro Roberto Titio adducit Albericus Gentilis *de Nuptiis l.* 2. *c.* 3. *pag.* 126. Et vide Barth. *p.* 276. *ad Claud.* & *libro* 26. *Adv. c.* 26. *col.* 1279. Taubm. ad eum locum. Eruditiss. Rittershusius dicit vocem *Lusciosus* pro *Luscinia*, singularem in Phædro, *fab.* 51. observatam esse, *pag.* 127. notarum ad eum

Digitized by Google

eum. At, ecce, ita Seneca *epist.* 76. ut in quinque MSS. Palat. constantissime legi, notat Gruterus ad *Act.* 1. *sc.* 1. *Bacchid.* apud Taubm. *pag.* 453.

Pestis pro *Pestilentia* Latine dicitur. Hoc negavit Eruditissimus Gifanius *Indice in Lucretium*, & ab eo Aus. Popma, & Casp. Schioppius *Indice priap. pag.* 148. Et tamen ita usurpant Ennius, Plautus, Plinius, Ovidius, Statius, Lucanus, Silius, Justinus, Corippus, &c. In Glossis est: *Pestis* λοιμὸς φθορὰ. V. Becm. *Origines.* & Barth. 25. *Advers. c.* 6. *col.* 1224.

Ducationem damnavit Fr. Junius in Tertulliano. Sed vide quid Barthius respondeat *pag.* 73. ad Gallum Confessorem. *Jureconsultus* ἀντὶ *Jurisconsultus* a quibusdam hoc tempore Latine dici negatur. At superioribus annis qui eleganter loqui studebant, ita scripserunt. Exstat apud Ciceronem *pro Murana* & *libro* 7. *ad Famil.* 10. Senecam *de morte Claudii p.* 804. *Edit. Schotti.* Valeat ergo judicium Charisii, qui *lib.* 1. *col.* 62. (*p.* 78. Fabr.) etiamsi Cicero habeat, non tamen probat.

Bractamentum est apud Fulgentium *l. de Continentia Virgiliana*; ab inusitato Verbo *Bractare*, a quo *Bractea*, formatum, ut a Traho, trahea, h. *Bracteare*, a quo *Bracteamentum*. Sed illud Fulgentii Doctissimus Meursius mutavit in *Bracteamentum*, *lib.* 1. *Critici Arnob. c.* 7. *pag.* 15.

Acror apud eundem Fulgent. *d. l.* dicentem: *Ego vero Chrysippi ellebori rancidulo acrore postposito, cum Musis aliquid blandius fabulabor:* est ab inusitato Verbo *Acrere*, unde *Acris*, *Acredo*, &c. quod tamen idem Meursius *ibid. cap.* 8. *pag.* 17. in *Acor* mutavit. Sed quid opus? Non enim *acor* sed *acror* vel *acredo* helleboro convenit.

Apud Martialem *l.* 8. *Epigr.* 59. legitur hic versus:

Non erat Autolyco tam piceata manus.

Ubi Verbum *Piceare* Eruditi Viri concoquere non possunt. Cum enim *Picare* adsit Verbum, non putant *Piceare*, originationis ignari, Latine dici posse. Ideoque Scriverius ex mente Scaligeri se, *piperata*, substituisse affirmat, quod Gruterus dixerat fuisse in Palatino, *pag.* 123. Notar. Isac. Pontanus maluit *properata*, ut Eust. Swartius refert *lib.* 3. *Analect. cap.* 18. cum has lectiones non capiat, ibidem legere imbibit, *repicata*. Doctissimus Barthius ob vocis Latinitatem ab aliis in dubium tractam hæsitans *pag.* 191. ad Rutil. Num. defendit quodammodo τὸ *piperata*, *l.* 14. *Adv. c.* 14. sed aliter explicat. Quia tamen usus videtur exigere, ne *picis* mentio exturbetur, ut Swartius ait, idem Barthius τὸ *Piceare l.* 22. *c.* 17. rursus amplectitur; hanc formationem Verbi, *e* inserto, indulsisse

ſiſſe ſibi Martialem, inquiens velut *i* in *Carthaginienſis* apud Ennium, & in *Larvialis* apud Priapæorum Poetam inſeritur.

Ego neſcio curnam de lectionis hujus ingenuitate ambigere quis debeat. Ut enim a *Calcare*, *Calx* eſt, hinc *Calceus*, a quo Verbum *Calceare* declinante ſignificatu a *Calcare*; ut a *Farrare* (*Confarraturus* habes apud Apulejum *l.* 10. Vide *notas* Elmenhorſti *p.* 300.) *Far* eſt, h. *Farreus*, a quo *Farreare*; ut a *Laurare*, *Laurus*, h. *Laureus*, a quo *Laureare*, quod barbarum cenſetur, ſed *Laureatus* Participium Latiniſſimum omnibus eſt; Ut a *Mammare*, *Mamma* eſt, hinc *Mammeatus*; a *Vitrare*, *Vitrum*, *Vitreus*, h. *Vitreare*, a quo *Vitreamen l.* 18. *ff. de inſtruct. vel inſtrum.* a *Bractare*, *Bractea*, h. *Bracteare*, &c. Sic a *Picare*, *Pix* eſt, h. *Piceus*, a quo *Piceare* ſolum apud Martialem ſuperſtans. Ejuſmodi verba ſunt *Soleare*, *p. b.* a *Solum*, quod a *Solare*, unde *Adſolare*; *pileare*, *p. l.* a *Pilare*; *Taleare*, unde *Intaleare*, & *Intertaleare*, a *Talere* amiſſo, unde *Talus*, *Talax* in *Gloß. Iſid. Talitrum*, &c. *Lineare* a *Lino*, quod a *Linare*, unde *Linamentum*. Sic *Croceare*, a *Croceus*, quod eſt a *Crocus*, & hoc a *Crocare*, quæ verba videnda in Lexico noſtri Zechendorffii.

Crepulus, a *Crepando*, legitur apud Avienum *Ora Maritima*, *v.* 571.

Præterque vaſti gurgitis crepulas aquas.

Et formatur, ut a *Lego*, *Legulus*; a *Gero*, *Gerulus*; a *Strido*, *Striduſus*. Non tamen probatur Clariſſimo Germaniæ Vati Opitio, *Var. Lect.* c. xi. *pag.* 39. ideoque mavult legere *creperas*. Verum quid opus? Ita uſus eſt idem Avienus in *Arateis*, *v.* 991:

- - - *Crepuli ſuccedens ſtagna profundi.*

(Grotius hic edidit, *creperi*, *pag.* 106.) Ibid. *v.* 325.

Sed crepula ut late vomeret convitia voce.

Et ita utrobique legit Editio Georgii Vallæ per Victorem Piſanum Anno 1488. Venetiis procurata, quam Pythœus maxima ex parte expreſſit. Quanquam Grotius, vel potius Scaliger, hic dubitet, an *crepera* ſit legendum, & inclinet per tranſpoſitionem legere, *Pulchra*, *pag.* 90. in *notis*. Utitur eadem voce Sidonius *lib.* 4. *Epiſt.* 15. & *Carmine Anacreontico*, *v.* 80. inſerto *Epiſtolæ* 13. *libri* 9.

Farcinare, quod eſt Paragogum a *Farcire*, uſurpavit Mart. Capella. Habet etiam Eutyches *lib.* 1. *col.* 2161. & *pag.* 106. a. *Edit. Camerarii*. *Suffarcinare* exſtat apud Plautum, *Curc.* 2. 3. *v.* 10. Habetque Terentius *Andria*, 4, 4. Et Eugraphius *Commentario ad eum*, *Farcinor*

a *Far-*

Digitized by Google

a *Farcio* deducit: Lambinus tamen ad Plautum, vocem Latinam esse negat, neque ejus originem aut rationem explicari posse pronunciat. Malo profecto judicio!

Maritare proprio suo significatu quidam Latio amovebat, de quo vide Barthium *p.* 427. *ad Claud.* Utitur & Sueton. *Vespas. c.* 14. *In quantum* phrasin Latinam quidam omnino Latio abjudicabat, & ante hoc Seculum barbara judicata fuit: defendunt auctoritatibus Ptol. Flavius *Tom.* 1. *Thes. Crit. Conjectan. cap.* 70. *pag.* 984. & Barthius *p.* 136. ad *Claud.* & *l.* 24. *Adv. c.* 3.

Rumor, pro obscuro sono, apud Ausonium non fertur a Julio Scaligero, Incomparabili Viro. At sic apud multos Latinos Scriptores haberi, testatur Barthius *l.* 41. *Adv. c.* 22. *Armos* pro brachiis lacertisque Latine dici negavit olim Vir insigniter doctus; at huic respondet Barthius *l.* 41. *c.* 22. *col.* 1855. Adjectivum *Dis*, pro *Divite* nullibi gentium singulari numero in Romana lingua ex communi usu recipi, aut exstare, frustra opinatus est Eruditissimus Jureconsultus Andreas Alciatus, *lib.* 4. *disjunct. c.* 15. cum id exstet apud Plaut. *Curc.* 4. 1. *v.* 11. 14. & 24. Terentium in *Adelphis* 5. 1. *v.* 8. *Phorm.* 4. 3. *v.* 48. & vide Barth. *p.* 400. *ad Claudian.*

Genitabilis apud Lucret. *libro* 1. *vers.* 11. negat vocem Latinam Pareus, & pro Dactylo insolenter & inepte admittit Choreum reponens:

Genitalis aura Favoni.

Usurpant tamen hoc præterea Cicero in *Arato*, Varro 4. *de LL.* Vide Lambin. *ad Lucret.* Avienus *Periegesi v.* 373.

Altera pulsatur genitabilis ore Favoni.

Usurpat & Macer. Et nostro seculo Taubmanus *Schediasm. innov. l.* 1. *Sacr. p.* 21. a Lucretio hoc Hemistichium mutuando comprobavit hanc vocem. Nec displicuit Barthio *p.* 364. *ad Calpurn.* & elegantissimo Buchanano, qui *Psalmo* 104. usus, ad quem vide Scholia Chytræi.

Melissus & Pareus negant *Scius* Adjectivum Latinum esse, vide illum citatum a Pareo in *Lexico Plautino pag.* 419. voce *Sciens:* hunc, dicto loco, & Lexico Symmachi, ubi perstringit Eustath. Swartium, & alibi C. Barthium. Non possum tamen hac in parte illorum probare judicium, cum probam & analogiæ conformem hanc vocem usurparint ex iis, qui restant, & quorum fragmenta tantum supersunt, Pacuvius in *Teucro*, apud Prisc. Apulejus in 1. *Hermagora*, apud eundem *l.* 4. *col.* 634. Lactantius *l.* 2. *c.* 15. & *l.* 3. 24. Nonius *libro* 6. *c. ult.* Philoxenus *Gloss.* Hygin.

Digitized by Google

fab. 92. Macrob. *l.* 6. *c. ult. p.* 471. Eutyches *libro* 1. *col.* 2152. Chariſius *libro* 5. *col.* 358. Feſtus in *Gnatus*. Zeno Veronenſis in *Sermonibus*. Rhoſvita *præfatione in comœdias ſuas*. Approbarunt uſurpatione Stroza Filius *Epigr. ultimo*, *v.* 2. Gruterus in *Suſpicionibus*, & *Elegia ad Poſthium v.* 31. *pag.* 288. *Adoptivorum* Poſthii. Barthius ſæpius. Goth. Jungermanus verſione Longi Sophiſtæ, *l.* 3. Goldaſtus *Epiſtola ad Weitzium de Dracontio*. Caſpar Hofman. apud Caſp. Cunradum *in Theatro Symbolico pag.* 74. Et ante hoc ſeculum Ægidius Delfus, *Epiſtola ad Romanos verſa*, *c.* 15. *v.* 27.

Fiſus ego fratres vos arte & amore potentes,
Recta monere ſcios, conſcripſi audentius iſta.

Hinc *Conſcius*, *Inſcius*, *Neſcius*, *Præſcius*, & *Sciolus*. Suetonius cum in *Cæſ. c.* 56. & in *Aug. c.* 88. illam occulte ſcribendi rationem, quæ commutatione literarum fit, ut ſcilicet, verbi gratia *D* pro *A*, *E* pro *B*, *F* pro *C*, &c. ſumatur, expreſſe *per notas ſcribere* vocat: ei tamen ea cauſa, non obſervatæ Latinitatis dicam impingit, hoc eſt, Romanum Romane loqui docet non-Romanus, Herm. Hugo de *prima ſcrib. Orig. c.* 17. idque comprobante Illuſtriſſ. Guſtavo Seleno, in exactiſſimo *Cryptomenytices* opere, *lib.* 1. *cap.* 2. At Suetonium, præter rationes ſufficientes adducens, ita ipſum Imp. Auguſtum loquentem ad filiam, cujus verba Iſidorus *Orig. l.* 1. *c.* 24. habet, defendit CL. Matth. Berneggerus ad *Titum* Suetonii *cap.* 3. *n.* 3. a. quem vide.

Longe plura alia omitto, *nec enim eſt inuſitatum magnis interdum viris ejusmodi nonnulla excidere*; quod de Quintiliani quodam errato ait Muretus ad *Oden* XIV. *lib.* 1. Horatii.

Videt igitur Benevolus Lector, non omnibus ubique fidendum eſſe Scriptoribus, ſed Lectionem & Obſervationem potiorem eſſe, multaque latere adhuc inobſervata. *Et certe in hiſce aliis alio plura invenire poteſt, nemo omnia*: ut vere ad Symmachum ſcribit Auſonius, *præfat Edyll.* XI. Sic & Veteribus ſui ſunt nævi, quod teſtantur noſtri ævi Viri Literatiſſimi, qui Homeri, Nonni, Senecæ, Horatii, Silii & aliorum Poeſin examinarunt. Virgilii quædam inconvenientia examinat Barthius *l.* 27. *Adv. c.* 3. *col.* 1287. & *c.* 4. *col.* 1288; Ovidii, idem *l.* 58. *c.* 9. & 10. Aliorum alibi. De Hiſtoricis & aliis Scriptoribus ut ſileam, in quos Viri Docti curioſe quandoque inquirunt.

Hæc autem nequaquam cavillandi, & tot alba magnæ doctrinæ nomina decolorandi, (quæ protervia a meis moribus longe abeſt, & abeſſe debet)

debet) sed veritatis studio dicta volo; ajoque summas pro maximis sudoribus & laboribus, indefessaque vigilantia unicuique Virorum tantorum, quod multo & maximo levarint nos labore, nobisque glaciem fregerint, esse gratias reponendas. Nam ut auctor est Junius Columella, *qui sapientes existimati sunt, multa scisse dicuntur, non omnia.* Summi sunt, sed tamen homines, proinde possunt erratitiis diverticulis cæcutire, veritatemque prorsus relinquere. Non enim semper feriet, quocunque minabitur arcus, nec pudor est, ut auctor M. Varro, perfecto spicilegio festuculam, reliquisse, ut B. Pius ait *Annot. prior. p.* 362.

Interim vel unica Elegantiss. & Eloquentiss. Mureti adhortatione excitati, ne lingua satis per se inops nostra negligentia atque incuria magis etiam pauperetur, optimos Scriptores evolventes, bonas ex fuga voces retrahamus, quod etiam ille *cap.* 17. *Var. Lect. lib.* XI. & alibi, facere annisus est. Quod & Politianus, quod Cujacius, quod Scaligeri, Barthius, Gruterus, Lipsius, alii fecerunt. Cæteras cognitione indignas non judicemus, cum & iis suus usus. Si enim Hebræis, si Chaldæis, Syris, Arabibus, Græcis &c, licitum est inusitata Themata, & nuspiam reperiunda, tamen proponere, ut Analogia eo fidelius monstretur, & linguæ facilius doceantur & addiscantur: cur non id etiam in Latina lingua attentemus? cum hoc modo tot inutiles ineptiæ & deliria ἐτυμολογάνλων per quas nunquam veritatem attingere valemus, quin potius semper fluctuare & hærere cogamur, tolli possint. Quod si nobis hoc illicitum, grandem sane errarunt errorem Viri Magni & Semones litterarii, qui ante nos id facere adorsi sunt.

LECTORI BENEVOLO S.

Hæc erant, quæ de Radicibus Latinæ Linguæ amissis ante triennium fere hoc in Sodalium meorum unius gratiam commentabar, non ut publicam unquam aspicerent lucem, sed ut mihi ipsi simul essent instar cujusdam Commonitorii, quo uterer si quando usus poscceret. Latere autem ea diutius nolebat Clariss. Dn. Zechendorffius Præceptor olim meus charissimus, cujus voluntati obsecundans, hujus Diatribæ, etsi nondum, ut volueram, perpolitæ Editionem non abnui. Fuit sane hactenus in temporum & studiorum hac rutuba plane a me neglecta, nec ea etiam diligentia scripta, qua debebat. Itaque si forte non ubique tibi, LECTOR Can-

Digitized by Google

Candide placeo, ignoſces τῷ πρωτοπείρῳ. Doctorum Virorum, quorum auctoritatibus nitor, verbis ipſiſſimis ſpiſſius uti malui, quam meis, ut non mihi, ſed ipſis fides habeatur. Exempla potuiſſem apponere longe plura, niſi Calcographo aliter viſum fuiſſet. Cui non refragabar, quod inſani eſſet mero meridie accendere lucernam. Et facile me alioquin deterrere poterant typorum inficetiæ. Poſui autem nullo delectu habito, ut quodque ſub acumen ſtyli primum venit. Audaciam producendi & reſtituendi cafcas aliquot Radices nemini auditas lectaſve non miraberis, ſi aliquando uſum earum neceſſarium peculiari Diatriba σὺν τῷ θεῷ cognoveris. Sæpe his adjutus ex maximis Latinæ Linguæ tricis te expedies,

Nec tibi conſtabunt aliter veſtigia veri.

Confirmaberis præterea cæterarum linguarum, præſertim primævæ, quibus par fatum, collatione. Quis enim neſcit in Græcis obſoleta verba formandorum Temporum cauſa ubique abs quovis poni? De Hebræa ſic ait Conſt. L'Empereur *Com. in Middoth*, *cap.* 1. *ſect.* 6. *p.* 26. *Certum eſt multas Hebraæ linguæ Radices in deſuetudinem veniſſe, quorum nihilominus veſtigia in cognatis ac derivatis ab iſta Linguis videre licet.* Proinde quod magnus Druſius veriſſime de Hebræa ait, *Nos* ſc. Chriſtianos, *plura habere adjumenta ad intelligendum elucidandumque eam linguam, quam ipſimet Ebræi*, *Comment. ad difficil. loca Deuter. c.* 50. Id ego de Latina ita dici poſſe aſſevero, nos plura hoc ævo habere adjumenta ad intelligendum elucidandumque eam linguam, quam olim Romani. Ignorarunt enim ii plane Hebræam, omnium linguarum matrem, & earundem Auctorem Spiritum Sanctum.

Cæterum multa citra negotium potuiſſem enucleare longe accuratius, ſi otium quietius paruiſſet, & huic rei neceſſarios quoſdam libros mihi fuiſſet indipiſci. Jam vero ſpes horum ablata, etiam diligentiam ſimul meam abſtulit, & recenſendi prolubium. Requiruntur etiam ad totam Commentationem hanc abſolvendam immenſa Lectio & Obſervatio, Bibliotheca inſtructiſſima, multarum Linguarum & Antiquitatis non ſuperficiaria cognitio, judiciumque accuratiſſimum, quæ cum mihi omnia deſint, ſi præſto, quod poſſum, lubentius, ſpero, contentus eris, & omnia non pervidenti facilius ignoſces. Exſpectavimus hactenus Nobiliſſimi & Excellentiſſ. Dn. CASPARIS BARTHI Adverſariorum Tomum 2. & 3. in lucem edendos, qui mire nos juvare potuiſſent; ut & alia ejus Opera, maximam partem non abſque ſingulari animi voluptate aliquando a me viſa, nimirum Commentarios, & Animadverſiones, in Claudianum

Digitized by Google

num recensitum, Statium, Augustinum de Civ. Dei, Claud. Mamertum, Gul. Britonem, Petronium, Paulinum de Vita Martini, Hericum Monachum, Gul. Tyrium, &c. Catalogum Verborum rejectorum, de dubiis Scriptoribus libros IX. de Superstitionibus Veterum libros LX. Innumera Poemata. In diversos Auctores Glossaria, & Indices. Plura alia scripta ut taceam vere admiranda & innumera: quorum Editio maxime desiderata cum differatur, frui interim nos decet præsentibus.

De Causis Amissarum Latinæ Linguæ Radicum

INDEX.

A.

Abstirpare 484
Acerbare 467, 513
Acervare 466
Acrere 523
Acror 523
Adsolare 482, 518, 524
Ædituus 505
Æditimus 505
Æger 518
Ægrere 454, 518
Aëra 513
Æquorare 484
Agere 477, 478
Alare 454, 457
Albare 468, 483
Albere 462, 465, 468
Albus 518
Ales 457
Aleare 466
Alvus g. masc. 513
Amarare 455, 461, 484
Amarescere 461
Anere 454, 455, 484
Annare 484
Apere 454, 457, 461, 464, 477
Apiculum 461
Apisci 461
Apium 461
Apolactizare 477
Aporiari 476
Aptare 461, 464
Arbere 465
Arbitrix 465
Argentare 462, 465
Argere 457, 462, 465, 477
Argilla 465
Arguere 457, 465
Armi, *pro brachiis* 525
Asilum 504
Asinare 454, 484
Aurare 458
Aurire 470

B.

Baubari 455, 485
Balnere 465
Baltheare 481
Batere 457, 478
Batuere 455, 457
Braccare 481
Bractamentum 523
Bractare 523, 524
Braxare 478
Breviare 485
Breviarium 505
Brigari 478

Digitized by Google

Bromare 494
Brumare 484

C.

Calcare 524
Calceare 455,456
Calvare 455
Caſeare 466
Celere & Celerare 477
Cellere 477
Cepere 464
Ceptare 464
Cernere 504
Cire 457, 519
Chalare 477
Clarare 476
Clangere 477
Clarus 476, 518
Claudire 462
Credere 457
Clepere 477
Clienta 514
Clinare 458, 477
Collare *pro Conferre* 468
Colli 505
Comare 455, 477
Comere 477
Concio 519
Confarrare 524
Conſivus 456
Conſomnire 472
Contagio 505
Contumelium facere 505
Conturmare 483
Cornicari 483
Coriare 459
Corporare 485
Coſtare 470
Crare 468
Craſſare 482
Creare 468
Creduere 457
Crepulus 524
Crere 454, 457, 468
Creſcere 457, 462, 468
Crinire 470, 482
Crocare 524
Crudus 462
Cruor 462
Cruentare 462
Cruere 462
Crueſcere 462
Culmare 463
Culter 465
Culminare 463
Cunctare 514
Cupienter 514
Cura, Curare 479
Curatura 514

D.

Dagare 457
Dapere 477
Dare 457, 465
Decorare 472, 473
Dehire 457
Depontare 483
Dicere 477
Diere 457, 460
Dilaminare 494
Diribere 519
Dirimere 519
Dis *pro Divite* 525
Divid re 477
Docere 477
Dubare 476
Dubitare 477
Ducatio 523
Du re 457, 465
Dulcere 473
Dulcorare 473
Duror, oris, 495

E.

Edere 477
Elere 455
Eire 457
Ens 509
Equire 483
Ercire 461
Errare 478
Eſſentia 504, 509
Evare 457, 495
Evirare 477
Eunuchare 477
Exballiſtare 477
Exoculare 512
Exorciſſare 477
Exuere 457

F.

Fabrire 454, 462, 486
Fallere 477

Fari

Digitized by Google

Farcinare 524
Fari 465
Farrare 524
Faſcinare 470
Faſcire 470
Faſtigare 470, 471
Favire 494
Felicare 463, 467
Felicitare 463, 467
Fendere 460
Ferculum 464
Flare 457
Flere 457
Fere 454, 455, 462, 464, 468
Ferrare 454
Follere 454
Fruſtare 455
Fetare 355, 462, 464, 468
Fire 455
Ferre 456, 462
Ferculum 456
Fertilis 456
Ferere 462
Feſtare 459
Fides 520
Filare 466, 481
Fimbriare 481
Fligere 458
Florare 470
Fluire 457, 562
Fluenta 462, 465
Fluentare 462, 465
Focillare 478
Focus 478
Focus *pro igne* 518
Foliare 470
Follere 483
Follicare 478
Forare 515
Forpex 520
Fortare 460
Fringere Fringulare 484
Fringultire 484
Fruſtare 454, 494
Frutere 454, 462
Fruteſcere 462, 463
Fuere 454
Fugare 468
Fugere 468, 477
Fugillare 478
Fulgidus 515
Fullare 454
Funerare 465, 466, 481, 515
Fur 478, 519
Furari 478
Fuſare 481

G.

Galeare 454, 512
Galeatus 512
Genere 454, 463
Generare 463
Geniare 472
Genitabilis 525
Germare 454, 463
Germaſcere 463
Germinare 463
Gladiola 505
Glomare 463
Glomus, omi, 463
Glomerare 463
Gluere 457
Gnare 454, 461, 470
Gnavare 468
Gnoere 478
Granare 484
Gregare 455, 458
Gunere 464
Guſtare 464

H.

Hendere 460
Herbare 470
Hercire 461
Herciſci 461
Hiare 457, 469
Hire 454, 457, 469
Hiſcere 457
Hiaſcere 457
Honere 454, 472
Honerare & Honorare, 472
Hordea 506
Horoſcopare 483
Humare 465

I.

Iduare 477, 481
Idus 477
Imago 463
Imare 463
Imbrere 470
Imitari 463
Inanire 460

Digitized by Google

Incerare 515
Indagare 460
Indigitare 485
Induere 457
Infelicare 463
Ingranare 484
Inoculare 512
In quantum 525
Intaleare 524
Invidere 517
Inviſus 517
Irari 457, 460
Ire 457
Irritare 460
Iter, Itiner, 466, 475
Itinerari 466
Jumentum 519
Jureconſultus 523
Juvenari 483
Juvenere 461
Juveneſcere 461

L.

Lachanizare 477
Lamentari 462, 468
Lamere 462, 468
Lanare 455, 484
Lapidare 520
Laqueare 459
Lar 477
Lare 456, 468
Larentaria 477
Larere 477
Laridus, 477
Larinæ ſues 477
Larunda 477
Larvare 455, 494
Laurare 454
Laureare 524
Lentere 461
Lenteſcere 461
Lere 454, 455, 464
Letare 455, 464, 476
Licere *pr. prod.* 481
Limbare 481
Linare 481, 524
Lineare 524
Litigare 463
Lis 518
Litire 463
Locus 518
Lodices 505
Loquelariter 494
Longare 455, 459
Loquentia 490
Luctari 468
Luere 477
Lugere 468
Lumbare 470
Lurcabundus 505
Luſcinius 522

M.

Malaxare 477
Mammeatus 524
Manere 458, 469
Manicatus 512
Mare 457, 469
Maritare 525
Meare 457, 469
Meditari 518
Membrare 455, 482
Minari 477
Minere 458, 477, 512
Miracula, culæ, 457
Miſcere 477
Miteſcere 461, 463
Mitigare 463
Mitire 461, 463
Mollire 477
Montare 454
Mulierare 482
Mullare 477
Mulcta 506

N.

Nancire 454, 460
Nanciſci 460, 462
Nare 457
Naſci 461, 462
Navare 468
Navaculum 468
Navigare 468
Necare 478
Nervi loquacitatis 521
Nere 456, 457
Nicere 464, 494
Nictare 464
Nidare 463
Nidulari 463, 484
Nigrare 468, 484
Nigrere 468
Nihilare 455, 494
Nimbare 481
Ninguere 470
Navare 483

Digitized by Google

Nivere 483
Nubere 522
Noſcere 462, 478
Nuncupare 465

O.

Obvagulare 464
Obvarare 482
Oculare 455, 512
Odefacere 472
Odere 454, 472
Odire 454
Odor 472
Opere 454, 457, 464, 469
Opinus 469
Optare 464, 469
Opulere 462
Opulentare 462
Orditus 515
Ori 454, 455
Orundus 456
Oſſum 469
Ovare 457

P.

Pacare 466, 478
Pacificare 466
Pagare 478
Paludare 481
Parcus 518
Parere 458
Paſcuum 512
Patiens 479
Pecere 477, 519
Pectere 520
Pecorare 520
Pectinare 520
Pecudare 520
Pecurare 520
Pecus 506, 519
Pellire 481
Pennare 455, 483
Peragrare 460
Perdagare 460
Periculum 477
Perire 468, 477
Peritus 468, 477
Per notas ſcribere 526
Peſtis 523
Pexare 520
Piceare 523, 524
Pignus 518
Pigrere 477
Pilare 455, 460, 477, 482, 524
Pileare 524
Pindere 465
Pinguare 460
Pinguedo 460
Plangere 468
Plare 455
Plaſmare 477
Plere 456, 477
Pletare 456
Plicare 456
Pluere 456, 457, 470
Ponere 464, 477
Pons 518
Pontare 483
Populoſus 491
Poſcere 462
Potare 477
Poti 454, 456
Potire 454
Præbere 519
Præco 519
Præda 469
Præemere 469
Prægnare 454, 461
Præmiari 469
Præmium 469
Probrare 459
Probus 519
Profligare 506
Prodigius 474
Proletarius 480
Pronare 484
Prophetare 477
Proritare 457
Protervire 482
Pudor 518
Pullare 483
Pulverare 455, 477
Pulverizare 477
Purare 454, 459
Pumicari 483
Putare 465

Q.

Quiere 461

R.

Ramare 454, 484
Ravire 455, 482
Reduvia 457
Regentes 478

Digitized by Google

Regimentum 478
Remare *p. l.* 454
Remare *p. b.* 457
Repens 514
Repletare 456
Reri 457, 519
Res 519
Rosare 483
Rubrare 483
Ructare 464
Rugare 483
Rugere 464, 477
Rumor 525

S.

Salvator 510, 511
Saporare 473
Sare 456
Scalæ 475
Scanduit 460
Scarifare 454, 463
Scius 525
Scopare 465, 467, 481
Scopere 467
Scurrari 482
Seculum 464
Sejus Seja 456
Senere 454, 455, 461, 482
Sepelire 465, 466
Serare 455, 459, 482
Serenus 461
Sere 454
Serere 456
Serere 456, 461
Sereſcere 461
Serpere 477
Serrare 467, 484
Serratus 484
Siderare 470
Sertor 456
Simare 482
Simere 463
Simulare 463
Singere 484
Singulare 484
Singultire 484
Sipare 458
Soccare 481
Solare *p. br.* 482, 524
Solare *p. long.* 482
Soleare 524
Solium 518
Somnire 472
Somniare 472
Sonere 473
Sonorare 473
Soporare 473
Squamare 470
Stare 457
Staurare 459
Sterere 478
Sternere 457
Stinguere 459, 476
Sternuere 457
Stirpare 484
Stolare 481
Strare 457
Strenuare 483
Struere 475
Stupare 481
Subucula 457
Suere 457, 461
Sueſcere 461
Supereſſe 506
Summarium 505

T.

Tædiare 472
Talax 524
Taleare 524
Talere 524
Talitrum 524
Teges 457
Tegere 457
Tegmen fagi 505
Temnere 460
Teporare 473
Terere 478
Terebra 478
Tergare 518
Tergum 518
Termare 463
Termo, onis, 463
Theatrus 474
Tingere 477
Titubatus 512
Titubare 455, 512
Tollere 458
Tornare 477
Torporare 473
Toxicare 477
Trama 457
Trames 457
Tremere 477
Trepere 470, 477
Trepidare 470
Trufare 478
Tuburcinabundus 505

Tu-

Digitized by Google

Tulere 454
Tunicare 454, 481, 482, 512
Tunicatus 512

V.

Vacuare 512
Vagire 464
Vagulare 464
Vapere 472
Vaporare 472, 477
Vaporizare 477
Varare 455, 482
Uere 454, 457
Velire 455, 463
Venter 519
Velitari 463
Verare 455, 482
Veriloquium 521
Veſperare 482
Veſtigare 471
Viare 455, 457
Videre 477
Videre 477
Viduare 477
Viduus 477
Viere 457
Vigorare 473
Vilere 483
Vilis 518
Vire 457
Virere 461
Vireſcere 461
Viſcus 501
Vitire 494
Vitrare 524
Vittare 481
Vivare 484
Ulcire 461
Ungere 462
Unguere 462
Unguentare 462
Uſtulare 464
Uvere 455, 484
Uveſcere 484
Urere 464
Uſtare 464

Digitized by Google

ANDREÆ RIVINI

DIATRIBE

DE

MAJUMIS,

MAICAMPIS

ET

RONCALIIS.

Digitized by Google

PRÆLOQUIUM.

PRISCUS SOPHISTA, qui tempore Theodosii Junioris, ut ejus Epistolarum Magister & Orator res gestas fidelissime conscripsit, quod iis ipsis ceu pars magna præsens adfuisset, inter varios priscos auctores a Constantino Porphyrogeneta & ipse aliquam partem conservatus, inde a V. CLmis Fulvio Ursino, A. Schotto, D. Hœschelio & Car. Cantoclaro luci publicæ promulgatus, præter multa notabilia, quæ sine adulationis deterrimo & officiis palatinis usitatissimo vitio ingenue retulit, & istud quoque meminit: *Sub prædicto Imperatore post Chersonensem pugnam Romanos cum Hunnis & eorum Rege Attila pacem per Anatolium fecisse, non tam sponte, quemadmodum videri voluissent, sed necessitate coactos, quantumvis duras & iniquas conditiones sibi impositas (quo pacis consequendæ studio tenebantur) lubentibus animis suscepisse, imo & tributi collationi cessisse, quod illis fuisset gravissimum & maxime molestum.* Τῶν χρημάτων αὐτοῖς καὶ τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν οὐκ εἰς δέον ἐκδεδαπανημένων, ἀλλὰ περὶ θέας ἀτόπους καὶ φιλοτιμίας οὐκ ἐυλόγους, καὶ ἡδονὰς καὶ δαπάνας ἀνειμένας, ἃς οὐδεὶς τῶν ἐυφρονούντων οὐδὲ ἐν ἐυπραγίαις ὑποσαίη. *Gravissimum*, inquam, *iis tributum fuisse vel ideo*, dicit, *quod tam privati & singuli suas facultates, quam ipsi Reges suos thesauros, non in id, quod decuisset, sed in absurda spectacula, in vanos honorum ambitus & titulos, in delitias & voluptates consumpsissent, tam profusis sumptibus, ut eos nemo sanæ mentis vel in maxime affluentibus divitiarum copiis sustineret aut toleraret. Armorum interim & rei militaris studium tam supine eos neglexisse*, scribit, *ut non solum Scythis, sed & reliquis Barbaris, qui proximas Imperii Romani regiones incolebant, quoad tributorum pensationes parerent.*

Digitized by Google

Ad easque pecunias conferre omnes coactos, nulla etiam eorum immunitatis habita ratione, qui terræ onere, tanquam nimis gravi, ad tempus, sive Imperatorum benignitate, seu judicum sententia levati & exempti prius fuissent. Contulisse etiam aurum indictum Senatores & ultra quam facultates ferre poterant. Multisque adeo splendidam & illustrem fortunam vitæ commutationem attulisse, quando illæ pecuniæ cum acerbitate & contumelia pro arbitrio, & ut scripto unumquemque annotavissent quibus hujus rei cura ab Imperatore fuisset demandata, cogerentur. Ex quo, addit, *illos, qui antiquas & a majoribus acceptas divitias possedissent, mundum uxorum & pretiosam supellectilem in foro palam & publice venum exposuisse, & ab hoc bello tam atrocem & acerbam calamitatem Romanos excepisse, ut multi sibi manus violentas attulerint, aut aptato collo laqueo vitam finierint.*

PRISCI hæc fuere verba de priscis temporibus, sed vereor profecto, ne vel adhuc de nobis, nec nomine quidem mutato, hæc eadem fabula incrustata narrari valeat, quando ob similem causam tot furibundos, totque moribundos passim conspiciamus. Ne tamen læto hoc factæ pacis tempore lævus & illætabilis oscen videar, a tam dira rerum facie lubens quidem oculos & mentem atque manum reflectam. Id tamen haud dissimulabo, *calamitatum* semper maximarum & summæ inopiæ atque ipsius servitutis *causam* prudentibus habita fuisse & revera quoque *exstitisse absurda & profusissima spectacula cum luxuriosissimis voluptatibus sumptuosissimisque delitiis & comessationibus.* Quorum Epitome quasi quædam MAJUMA, degenerantibus paulatim seculis, fuisse non injuria existimabitur. Quæ ipsa multis quondam, utrique Antichristo, Gogo & Magogo postea vel eam quoque ob rem subjugatis populis fuit notissima, nunc vix nomine nota MAJUMA, satis superque manifesto argumento firmat, res quasdam cum notis, quibus signatæ fuerant, sive nominibus suis non variasse saltem, sed & plane periisse atque intercidisse, ita ut vix vola interdum, quid fuerint, superet, cujus rei elegantes versiculi Horatiani *in Arte* indices sunt & judices:

- - - Mortalia facta peribunt,
Ne dum sermonum stet honos & gratia vivax:
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus. &c.

Sicuti multa in rem præsentem nos deducere possunt exempla, quorum magnam farraginem jam dum Guido Pancirollus in peculiari libro

ad

Digitized by Google

ad istud negotium destinato exsecutus est: quæ inter nihilominus omisit Majumam, qua quid faceret, ne interpres quidem illius Salmuthius, leviter eam alicubi, sed manu aliena palpans, pervidere potuit. De qua tamen, cum non apud JCtos modo Cod. Justinianei *lib.* XI. *T.* 45. & Theodos. *lib.* XV. *T.* 6. sed & apud Theologos aliosque passim disquiri, pro desperata haberi, & diversos diversa sentire intelligamus, ita quidem, ut festivitatem quandam Panegyricam singuli dicant & universi, a quibus autem & quomodo peracta, non inter omnes conveniat, multo minus unde ducatur atque dicatur, a quoquam explicari posse credatur, *Nec si Carneaden ipsum ad nos Orcu' remittat.* Quare circa Maji tempus operæ visum est pretium, disputatione eruere veritatem & e puteo Democriteo tametsi altissimo eam extrahere, quod futurum confidimus, si variorum varias recitaverimus & constipaverimus sententias, dum nostram tandem, quam veritati consentaneam, certe quam proximam arbitramur, subjiciamus: simulque cognata quasi quædam comitia in Maicampis & Roncaliis superaddamus; sicque prius quid non fuerit Majuma dicamus, tum demum quid fuerit, demonstremus.

Oramus autem Numen & Lumen cœleste Patris luminum, ut ipse invalidiores δεξάμενος διαβιβάζειν τὸν ποταμὸν, perque hoc profundius Majuma flumen (ut cum Platone x. *de Legg.* loquamur) transmittere non dedignetur, quo & aliis deinceps vadum hoc nostrum conspicari liceat, & tuto consectari.

CAPUT I.

MAJUMÆ falsa etymologia a Majo, multis præsertim JCtis imposuit, ut mira ejus spectacula ex cerebro suo fingerent atque potius quid non esset, quam quid esset, pingerent. Nescio enim quod festum Reginæ, aut Virgidemiæ aut Floralium exposuerunt.

I. Quamvis plerumque nominum προδιδασκαλία ex primo veluti vestibulo in ipsa rerum discentes deducere soleat penetralia, sæpe tamen fieri videmus, ut pseudogrammaticorum circa origines suaviter delirantium culpa plane τῆς θύρας ἁμαρτάνωμεν, quod sicubi alias, certe in Majuma ὀφθαλμοφανερῶς elucescit.

Digitized by Google

II. Nam cum plurimi semper fuissent apud Græcos pariter & Latinos, antiquos simul & novellos Scriptores, qui ipsam Majumam a Majo mense, vel sane ab eadem Dea, a qua mensis ille dictus esset, derivatam & credidissent & tradidissent, convenientes quoque ei tempori ludos excogitare allaborarunt.

III. Non primus enim Æmylius Portus Cretensis apud Suidam fuit, cui Μαιυμᾶς componebatur, quasi Μαΐᾳ Μεῖς *Maji mensis*, quo celebrabatur ista festivitas; quando nec ipse recessisset Suidas: Μαιυμᾶς παννήχυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάϊον μῆνα. Et statim: Ὅθεν καὶ Μαιυμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο. *Majuma festivitas solennis est, qua fit Romæ mense Majo*, &c. *Unde & Majuma hujus festi tempestas nominabatur.* Nec aliter Glossæ Basilicæ: Μαιΰμαι. τοῦτον τὸν λεγόμενον μαιυμᾶν ἐπετέλεσαν οἱ Ῥωμαῖοι Μαΐᾳ μηνὸς εἰς τὴν τιμὴν Μαίας. *Quasi Majumam Majo mense in honorem Majæ absolvissent Romani.* Cui subscribit J. G. Vossius *lib.* 3. *de Glossematis variis pag.* 486. *Majumæ festum Calendis Majis solitum celebrari in honorem Majæ, Mercurii matris, etiam sub Christianis Imperatoribus aliquamdiu fuit.*

IV. Unde Glossæ vulgares ad *tit.* XLV. *Cod.* dictum plura superstruxere, sed frustra. *Majuma, ludus*, ajunt, *qui fiebat in Majo, ingressu scilicet æstatis, quando herbæ frondesque virentes latificant Provinciales, ut in Bononia fiunt Reginæ.* Quod licet per se falsum; Bartolus tamen insuper pejus istud corrupit: *Solebant* (infit) *Provinciales de mense Majo in ingressu civitatis* (pro æstatis) *facere quendam ludum, quem fuerant prohibiti facere a præcedentibus Imperatoribus: modo hic Imperator eum concedit, dummodo cum honestate fiat.* Quam vero *civitatem* ingressi fuissent Provinciales cum ludis? an Romam veterem? an novam? certe neutram.

V. Corporis Glossati vestigiis institerunt & alii JCti posteriores minus politi, prout aricetem ductarium oviculæ sectari solent. Jacobus enim Rebuffus ad hanc *L.* & Alphonsus de Mendoza *quæst.* 9. *n.* 13. ajunt: *Majumam fuisse festum Kalendis Maji celebratum, quo puella quædam pretiosis vestibus exornata, currui frondibus ac floribus referto imposita, Regina Maja fuisset vocitata: eamque comitantes veluti ministræ puellæ reliquæ, cum prætereuntibus juvenibus collocutæ, nummos ab iisdem pro sua Regina efflagitassent. Quia vero tale colloquium castitati ac pudicitiæ virginum minus convenire visum esset, ideo hujus festivitatis usum ab Imperatore tandem inhibitum. Adhuc tamen illam festivitatem puellarum multis*

Digitized by Google

multis in locis, nominatim apud Hiſpanos, in hunc uſque diem frequentari:

Quando las muchachas piden para la Maya.

VI. Sed recte Rev. & Cl. Dn. Joh. Mich. Dilherrus, Amicus & fautor noſter ſingularis, *in Exercit.* quadam ad hunc textum, & poſt Franc. Amayam *l.* 3. *c.* 5. pronunciavit, hoc colloquium puellarum frondiumque geſtationem cum fœdo Majumæ ſpectaculo minus convenire, nec ullius Auctoris ſtabilimento niti, & qui tradidiſſent, ſolummodo ſeculi ſui vitio ab antiquitatis ignorantia excuſari.

VII. Nihilo tamen minus & alii JCti communem errantes errorem, ulteriuſque progreſſi, ludos temporis ſui Kalendis Maji uſitatos veteribus compararunt. Sic enim Martialis Arvernus JC. in proceſſu inter amantes, *Areſto Amor.* 5. *p.* 434. *Et diſoit, que un premier jour du moys de May, ainſi qu'il eſtoit ſur les rues, pour aller la nuict reſueiller les potz de marioleine & planter le May devant l'huis d'une moult gracieuſe dame, afin de la reſiouyr ainſi qu'on ha accouſtume. Icelle Dame ce voyant, le print en grace, & le retint, pour ſon amy, en luy promettant des biens a grand plante & plus qu'il ne vouloit.* Ad quæ verba ita commentatus eſt alius JC. Benedictus Curtius Symphorianus *p.* 435. *Prima die Maji menſis juvenes pluribus ludis ac jocis ſeſe exercere conſueverunt, arborem ſæpenumero deportantes ac in loco publico, aut etiam ante alicujus egregii viri januam, vel frequentius amicæ fores plantantes, veſtitam non unquam promiſcuis adamantium inſigniis atque emblematibus. Qua quidem ſolennitas Majuma vocitatur. Quam itaque Imperator Arcadius improbat minime, cum honeſtate tamen & verecundia caſtiſque moribus modo fiat.* Eodem quoque pacto Pyrrh. Anglebert. in ſua *addit. in hunc Tit. Cod.* laudante quoque Paulo Chriſtinæo Mechlinienſi J. U. D. *in Deciſionibus Curia Belgica. p.* 179. ſcripſit: *Talis* (Majumæ) *ludus in hunc uſque diem celebrari ſolet tam in hiſce Belgii provinciis, quam in Gallia Kalendis Maji, ubi & tibicines & citharadi ſub diluculum excitant amatores, & ad quercuum ramos aut frondes maxima pompa ex ſylva in urbem transferendas iri ſolet, qua ex re plerumque rixæ & tumultus maximi non ſine jactura verecundiæ concitantur.*

VIII. Et ſane non apud Italos modo etiamnum *Majo* ſpecies dicitur arboris infrugiferæ, e qua ligna fiunt, qualem ſolebant amatores nocte Calendarum Maji ante oſtia amicarum plantare, unde originem traxiſſe putant, quod & ante alias fores infigantur. Qua de re ipſorum eſt pro-

Digitized by Google

verbium: *Appicare il Majo ad ogni uſcio*, id eſt, *innamorarſi per tutto*. Sed & ita quoque Hiſpani appellant *Majo*, *arbole de enamorado*, item *Mayas* certos flores & quaſi reges menſis Maji. Galli vero & Germani noſtri May pro ramo viridante capiunt, cujuſmodi aræ & templa ſolebant exornari, betularum & quercuum ſcilicet, a quibus ita paſſim uſitatis maluit Goropius Becanus menſem Majum deducere, quam vice verſa.

IX. Quicquid tamen ſit, qui ſimpliciter & nude Majumam in hiſce viridibus vel virgidemia conſiſtere putarunt, falluntur, & fallunt JCti, quod iiſdem quoque exprobrat Alciatus, omnium maxime humaniſſimus, ad *Tit. Cod. de Majuma*, ubi addit: *Quod error noſtrorum Juris peritorum ſit palam, qui exiſtimant illud eſſe feſtum, cum in præſentem diem quercum Kal. Maji, ludentes in urbem juvenes portant.* Et ſic quoque Greg. Gyraldus non ſolum *Synt. 17. p. 476.* eandem opinionem recentioribus JCtis impingit, ſed & *Syntagm. 1. Hiſt. Deorum pag. 40. Hæc eadem Kal. Maji feſta Floralia dici*, auctor eſt, *hocque inſtitutum ubique fere gentium adhuc vigere, ut eo Cal. die floribus omnes Majuma celebrent, ut vocant Græci & JCti.* Atque eadem totidem verbis, ſed ſine auctore, Salmuth, ad Pancirollæ Deperdita, repetiit.

X. Viderant nimirum iſti Majumam, ſi Maji Kalendis apud Romanos celebrata fuiſſet, ad Floralia referendam, quæ IV. Kal. Maji cœpiſſent, & ipſis Kalendis apicem conſecuta fuiſſent. Inde veteres novoſque Romanorum ludos iſto die contendentes, Majumam ſibi talem commenti ſunt ex Faſtis veteris & novi Ovidii; quorum ille P. Ovidius Naſo in calce *libri 4. Faſt.* cecinit:

Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas Feſtum Florale Kalendas.

Et libri ſequentis poſt principia dicit, eandem florum matrem Aprili fugiente celebrari incipere, ſed in Majum venientem deſinere, cujus Calendis ludi Theatrales eſſent, quando

Tempora ſutilibus cinguntur tota coronis
Et latet injecta ſplendida menſa roſa.
Ebrius incinctis phillyra conviva capillis
Saltat: & imprudens utitur arte meri.
Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat: habent unctæ mollia ſerta comæ.

Haud abſimiliter Neovidius Fraccus Ferentinus *lib. 4. Sacr. Faſt.* ita finit,

Digitized by Google

finit, de Maja ultima Plejadum exorientium ista narrans, quod in Roma Papana fere eadem etiamnum fiant, quæ antea in Pagana.

Clara sit illa licet, modo flet, modo ridet Aprilis,
Vulgus ait, Majus temporaque ipsa petit.
A saxis pueri quercus, lauroque requirunt,
Qua nemus est, arbor qua viret alta comis,
Rusticus a summis inquirit montibus ornos
Atque novos flores sertaque festa legit.
Perque fora ingrediens venales erigit ulmos, &c.

Et *lib.* 5.

Quærit, cur viridi redimita fronde Kalenda
Maji, cur quercus frondeat ante fores?
Numne sit hoc nobis morum ratione novorum,
Sylva quod hoc primum mense virere solet?
An quia prisca fores ornabat curia ramis,
Et viridis lauro janua Regis erat?
Flammis & casta revirebat laurea Veste:
Mos vetus ad nostros num venit inde dies?
An magis, his quoniam festum Florale Calendis
Ante fuit, pretium est frondibus inde novis?
Innuba Cæsaribus velabat limina laurus
Et Jovis augustas quercus opaca fores.
Cumque prius sacras velarent frondibus aras,
Culta his Divorum festa fuere magis.
Hinc lauri & Patrum venere ad limina quercus,
Quos colimus, fratrum suspicimusque loco.
Indeque per cives, Patres imitentur ut ipsos,
Usus iit, ritus conspiciturque vetus.
Arxque coronatur sua circum mœnia ramis,
Perque vias fundit, limina, perque nemus.
Ergo licet multa videantur facta mereri:
Sola sit hæc vero tradita causa suo.
Ventum erit in sylvas, qua cœlo attollitur arbor,
Caditur, & Maji nomina cæsa capit.
Floribus ornatur, sed quum sit munus amantis,
Illa est ad cultus ingeniosa magis.
Nunc & aves tollit, nunc in lanugine poma,

Qualia

Digitized by Google

Qualia ſunt menſis grata puella, tuis.
Serica cum gemmis interdum ad carmina jungit,
Scriptaque cum placeant, dona puella legit.

XI. Quamvis autem Floralia non longe abeſſe videantur a Majuma, non temporis modo ratione, ſed quod utrobique feminæ, quæ vulgato corpore quæſtum faciebant, denudari & pudendis obſcœniſque invelatis per luxuriam impudiciſſime multa agere ſolerent, graviter illud deteſtante Lactantio *lib.* 1. *divin. Inſtitut. cap.* 20. *Celebrantur illi ludi cum omni laſcivia, convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum laſciviam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum hominum cum pudendis motibus detinentur.* Attamen vel eo quoque nomine, quod Majuma cum honeſtate & verecundia celebrari juſſa fuerit, quod Floralibus minime videtur competere, quæ & in geſtibus & verbis obſcœnis nudarum meretricum ad populum jactandis conſiſtebant, itaque utrumque ſpectaculum pro eodem haberi non arridebat Salmanticenſi J. C. F. de Amaya *lib* 3. *Obſerv. Juris cap.* 5. *n.* 15. & 16. qui mirum tamen in modum paratragædiatur, quod deſperatum hoc reſcriptum elegiſſet, ubi viam nemini viſam primus fuerit ingreſſus, ſuoque remigio rem geſſiſſet, tanta quoque æmulorum ſuorum admiratione, ac ſi Solis currum moderari, vel Æthiopem aliquem album reddere, aut ipſam noctem illuſtrare voluiſſet. *N.* 5. & 17. cum meras adhuc tenebras vel ad ſummum ille valde creperum etiamnum foveret diluculum.

XII. Ex falſa Majumæ etymologia idem Franciſcus de Amaya utique *l. cit. n.* 21. etiam hanc conjecturam attulit. Quod cum antiquitus hoc menſe honeſtæ perſonæ nuptias celebrare non ſueviſſent propter illa ipſa Floralia, & quod in theatris inter mimos ac meretrices matrimonia contraherentur, & tantum non omnia ſancti connubii arcana nimis quam proſtituerentur. Unde amorum Doctor *Faſt. l.* 5. dixiſſet:

Menſe malas Majo nubere vulgus ait.

Et alibi:

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia Mimos.

Ex eaque cauſa Lucas de Penna exiſtimavit, non Majumam, ſed Mimiam (ſine tamen juſta analogia & auctoritate) dictum fuiſſe hoc ludi genus a Mimis, qui variis, iiſque impudicis motibus hominum vitam & vitia in ſcena repræſentabant. Neque fortaſſe melius ad hæc Floralia flores ſuos ſparſit Hugo Grotius, dum in Jure Juſtinianeo titulum contra omnium

Digitized by Google

omnium Codd. Manuſcriptorum fidem, qui de Majuma inſcriptus erat de Majano ſcil. ludo *p.* 329. fecit.

CAPUT II.

Cur provincialium latitia dicatur, quaque vera Majuma nomenclatio & ejus aquivocatio, maritima civitati & portui Gazæorum, nequaquam vero Veneri cognomini communis?

I. Alii vero, ut Hoſpinianus, Baronius, Hotomannus, Amaya, Dilherrus &c. prorſus eunt inficias, tale ſpectaculum apud Romanos fuiſſe Majumæ, quod Poetæ, Hiſtorici, & Calendariographi Latini ſummo ſilentii ſiparo iſtud involvant, & quod Imperator Juſtinianus ad *tit. de ſpectaculis* iſtud fuiſſet relaturus, ſed quia nihil ejuſmodi Romæ fuiſſet uſitatum, itaque lex ſpecialis unica Provincialibus ſaltem illud attribuiſſet & conceſſiſſet, ceu peculiarem Syrorum & Palæſtinorum lætitiam.

II. Quod & Paulus Diaconus e Theophane innuit Miſcellæ *Hiſt. lib.* XXIII. *c.* 4. dum ita ſcribit de Leone Imperatore: *Præterea μαϊσμα* (L. Majuma) *facta, Imperator in Sophianis* (quæ Syriæ pars *Sophanina* Arriano dicitur, Plinio & aliis atque ipſi Paulo Diac. *lib.* VI. *Sophene*) *ſedit in ſolio cum filio ſuo, & ita divulgaverunt Prætores triumphos, quos ſumpſerant*, i. e. Ludos quaſi triumphales exhibuerunt Majumæ. Niſi forte cæcum aliquod mendum hic in fine ſubſit.

III. In Syria igitur conjecerunt requirenda eſſe Majumæ incunabula, cum apud S. Hieronymum in Vita Hilarionis (cujus corpus eo delatum eſſet) reperiſſent *Majumam*, ubi *Gazæ* illam *emporium* vocavit: ſicut & Epiſt. ejuſdem XXVII. ad Euſtoch. virginem, quod *Paula mater propter ferventiſſimos æſtus de Peluſio navigatione perveniſſet Majumam.* Præterea quoque apud Nicephorum Caliſtum *quendam impium Severum in ſedem Antiochenam conſtitutum legiſſent, qui ante Monachus fuerat in monaſterio Schiſmaticorum juxta Majuma Gazæ.* Atque ejus inſuper loci tanquam celebris & frequentiſſimæ alicujus Academiæ memoria exſtaret apud Sozomenum *lib.* VII. *c.* 27. *Hiſt. Eccl.* quod eo *tempore* (Theodoſii Imperat.) *clari etiam fuerint Zenon & Ajax fratres, qui philoſophati quondam erant, non in ſolitudinibus, ſed in Gaza maritima, quam etiam Majumam vocarant.*

Digitized by Google

IV. Nobilem ergo hunc portum & navale Gazæorum in littore Palæstino derivant ab ejus gentis voce, qua מים *majim* Hebræis ferantur *aqua*, sicuti Syris quoque מיא *Maja*. Ab his ergo Syrorum aquis proxime deducunt Majumam, cum sit vel *locus* vel *jocus ac ludus in aquis*. Atque sic ad Leg. unicam Cod. XI. tit. toties dicto 45. Hotomannus, Enimundus Bonæfidius, Godofredus JCti Maymam Syriace scribunt *aquam* significare. Sicuti quoque Cl. Zechendorfius, Orientalis literaturæ, si quis, gnarissimus, etiamnum testatur, Majumoth Rabbinis *aquas* esse, eosque & olim Palæstinæ insedisse. Cujus rei nobis indicium dedit Collega illius nec minus doctus, nec minus nobis amicus Chr. Daumius, qui & ipse cum Bonæfidio facit.

V. Ab hac maritima civitate Majuma, synonymam quoque in aquis celebritatem deducit, & priorem antea prolatam quasi revocavit opinionem Lilius Greg. Gyraldus. Nam cum *Syntagm.* XVII. *Hist. Deor. p.* 476. scriptum reliquisset: *Fuit & Majuma celebritas apud antiquos, quæ (ut vox ipsa declarat) mense Majo peragebatur. Quidam recentiorum Jurecoss. eam celebritatem esse tradit, qua etiam nonnulli hodie utuntur, dum in principio mensis Maji, qui sine fronde aliqua virente incedunt, madefiunt, vel postibus affigunt frondes & ramos. Suidas vero Majumas non Majuma vocat, atque celebritatem Romæ fuisse, qua apud Hostiam sese aqua marina invicem permadefacichant*, &c. At in Dialogo v. de Poet. hist. dicit, *Cosmam Hierosolymitanum, ἐμμελίτην inde cognominatum Poetam, Episcopum fuisse Majumæ, quod & Μαιουμᾶς celebritas & urbs fuisset.*

VI. Cui ἐμφάτικῶς est Cæsar Baronius *Annal. Ecclesiastic. tom.* V. ad annum Christi CCCI. num. 30. ubi pariter *Majumæ spectaculum dictum opinatur a cognomine civitate in littore Palæstino maritima, quod erat navale Gazæ.* Nec abscedit Ludovicus de la Cerda in *Adversariis sacris cap.* XX. nisi quod non portum solummodo Gazæorum Majumam, sed in hoc ipso Venerem æquivocam cultam credidit, quasi & ipsam ex undis spumaque maris ortam, cui hæc ipsa fuerit consecrata festivitas.

VII. Et sane uterque C. Baronius & Cerda ista omnia subsecuti sunt e Rudolfo Hospiniano de *Origine Festor. Ethnicorum c.* 30. Postquam luculentum locum nobis aperuerunt de fœdissimo Veneris idolo in urbe Majuma, desumptum e Marco Diacono in *vita S. Porphyrii* Episcopi Gazensis: *Interim accesserunt fluctus, & vespere mutatus fuit ventus, & feliciter navigavimus. Et cum fuissemus in pelago alios quatuor dies, quinto*

Digitized by Google

quinto mane adnavigavimus in maritimam partem Gazæorum, quam vocant Majumam. Postquam autem ingressi fuimus civitatem, in loco, qui vocatur Tetramphodos, seu quadrivium, stabat statua marmorea, & dicebant eam esse Veneris. Erat autem supra aram marmoream. Statua vel effigies erat nudæ mulieris, quæ habebat aperta sua pudenda: statuam autem in honore habebant omnes cives, maxime vero mulieres, lucernas accendentes, & thura suffientes. Dicebant enim in somnis eam respondere iis, qui volunt inire matrimonium. Atque eo jam tum ante Baronium & Cerdam laudatus Hospinianus *p.* 160. collimaverat: *In hac civitate Majuma impudentissime colebatur Venus, cujus turpissimum simulachrum in loco, qui Tetramphodos dicebatur, ad Arcadii usque tempora libidinum illecebris palam expositum permansit.*

VIII. Sed ex hoc tamen loco non constat, ipsam Venerem a portu hoc dictam fuisse MAJUMAM, quod Cerda ibidem somniat. Quid? quod non Majumæ, sed Gazæ potius illa statua Veneris fuerit, si paulo rectius illum Marcum expendamus. Nam ex ista maritima parte in ipsam continentem partem, adeoque civitatem Gazam navigantes venerunt, *ex qua ipsa occurrerunt illic, habentes signum veneranda crucis, & ipsi psallentes. Commixti autem sunt, qui erant ex duobus locis & facti sunt non parvus populus. Erant enim plures, qui erant ex maritima, propterea quod haberent multos Ægyptios vini mercatores.* Inspiciatur textus apud Baronium *Tom.* v. *f.* 137. Non tam enim in urbe Majuma Dea quædam cognominis colebatur gentilibus, sed in ipsa Gaza erat Fanum Veneris atque Marnæ, quo nomine Jovem intelligebant. Qua de re Stephanus Byzantius *de Urbibus.* In Gaza Minoa quoque dicta a Minoe, (vel quod Arabibus quoque Minaon portum significat) ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ κρηταίου Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι, ὃ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μαρνὰν, ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ, τὰς παρθένους γὰρ οὕτω κρῆτες προσαγορεύοσι μαρνάν. Ex quo tamen elicitur, mollem, μειλίχιον & virginalem quendam Jovem ibidem fuisse cultum, donec Hieronymi tempore *Marna templum Gazæ in Ecclesiam Dei surgeret*, ut docet idem sanctissimus Pater *Tom.* 4. *p.* 75. & *Tom.* 1. *pag.* 15. *Epist.* 7. *ad Lætam: Jam & Ægyptius Serapis Christianus factus est, & Gazæ Marnas luget inclusus, & eversionem templi jugiter pertremiscit.* Et *pag.* 94. in *vita Hilarionis* narrat, Italicum Gazæ municipem Christianum, adversum Gazensem alium Duum-virum, Marnæ idolo deditum, Circenses equos nutriisse, dato signo his advolantibus, istis præpeditis, ut terga prævolantium vix cernerent, vulgum clamasse, ipsis quoque

Ethnicis concrepantibus: MARNAS VICTUS A CHRISTO EST.

IX. Mahumedani quidem GIUMA, ita dictum illis festum, colentes in feria sexta (quam sic isti, ut septimam Judæi, & primam Christiani celebrant) Veneri Uraniæ Corniculatæ sacrum, fidem alicui facere possent, olim Majuma vocitatum istud, quia non a Mahumede fuerit institutum, sed relictum saltem, quare nullum de eo præceptum in Alcorano. Vid. Seldenum *de Diis Syris Synt.* 2. *c.* 4. Putabat nihilominus summus noster Amicus, nec Hospitalio JCto Gallico, cui æquivocus est, minor, conferre huc posse, quæ Lucianus de solenni festo (quod Deæ Syriæ Hierapoli vere ineunte celebratur) tradit *De Dea Syria*, (*p.* 758. 791.) ubi e tota Syria solenni instituto ad mare conveniant, & aqua inde hausta ad templum redeant, ibique in templo eam effundant. Unde forte errorem Suidæ opinabatur obortum, ut hoc festum Majumæ confunderet cum decursione Tiberina. Sed quid de eo, & Suida potissimum, atque adeo, an solorum Provincialium istud, non autem Romanorum quoque spectaculum fuerit, sit sentiendum, proximo capite aperietur.

CAPUT III.

Quoad rem ipsam, Suidas locuples auctor est, Majumam conventum generalem esse populi, cui Prætores Urbis ludos in navibus dabant, colluctantibus inter se piscatoribus aliisque natandi peritis, se invicem in aquas protrudentibus. Ejus scriptoris fides an jure quibusdam suspecta, discutitur, & ab iis modeste dissentitur.

I. Onomatologia utcunque excussa quoad etymon & homonymiam, (nam synonyma inferius paulo visuri sumus:) pragmatologiam nunc paulo propius aggredientes, cum plerisque melioris commatis Interpretibus, Gyraldo, Alciato, Brissonio, Balduino, Pancirollo, Cujacio, Pacio, Schardio, Meursio, structuræ nostræ primum lapidem ex Suida jaciendum putamus: scilicet ut nomini ex aquis producto, res ipsa in submersione & natatu consistens, respondeat. Nam & hunc ipsum Byzantinum Grammaticum ad *aquas* Hebr. *Majim* respexisse, ex postremis ejus verbis nonnulli colligunt.

II. Sic autem Suidas: Μαιουμᾶς πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν μάϊον μῆνα. τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην Ὀσίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθῶν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν

ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες. Ὅθεν καὶ μαιυμᾶς ὁ τῆς τοιαυτῆς ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο. Quæ ipſa cum partim mutilate, partim valde obſcure, imo contra ejus loci ſenſum tranſtuliſſet Æm. Portus: Latina quoque & ipſi, ſed integre verſa proferamus: *Majuma feſtivitas ſolennis eſt, quæ fit Romæ menſe Majo. Quo illi qui primas tenent Urbis, maritimam civitatem Hoſtiam dictam adeuntes, delitiis & voluptatibus indulgent, aurigatores in aquis marinis exhibentes, qui ſeſe mutuo invadebant, atque alii alios in marinas aquas e navibus deturbabant. Unde & Majuma hujus feſti tempeſtas nominabatur.*

III. Alciatus *lib.* v. & *cap.* v. *parerg. Juris* iſtam paraphraſin Suidæ attulit, *quod veteres menſe Majo ad maritimam civitatem Hoſtiam ſecundo Tiberi conſueverint deſcendere, & ibi mutuo ſe invadere, & aquas jaculari, ſeque inſpergere profuſa quadam lætitia: quod feſtum cum delinquendi anſam pleriſque præſtaret, deinde Anaſtaſii lege ſublatum fuerit.* Corvinus noſter ex eodem Suida: Majuma Wann die Fiſcher auff den Kahnen mit einander ſtechen. Fiſchart Metaphraſtes Pantagrueris *cap.* 26. In der Faßnacht brechen die Fiſcher auch Kolbenſtangen im Schiff-Thurnier. Pancirollus utique pariter *lib.* 2. *cap.* 253. *Variarum lect. Majuma ludum ad noſtra uſque tempora permanſiſſe*, auctor eſt: *cum plebeji menſe Majo per jocum ſe invicem aqua adſpergere ſoleant.*

IV. Mirum vero, cur non nulli, ceu Hoſpinianus primum, poſtea Baronius, Hotomannus, Amaya, Dilherrus & alii quoque hic fidem Suidæ in dubium vocare gaviſi ſint, *qui* tamen Thomæ Dempſteri judicio *admirabilis plane ſit & incomparabilis, atque unus inſtar omnium Grammaticorum; cujus Collectanea* An. Schottus V. C. ante proverbia ejuſdem Suidæ, verius *Theſaurum cenſuit appellandum:* ſicuti etiam ante ipſum Hier. Wolfius *eundem Amalthea veluti cornu & inſignem theſaurum & copioſam atque perfectam quandam Grammaticam* dixerat: *Quæ Monachus ille Byzantinus*, ut quidam putarunt, *non ignobilis, verborum ac rerum locos communes una cum hiſtoriis non facile obviis perſecutus eſſet, & ex XI. potiſſimum ſapientiſſimis viris diligenter conſtipaſſet.* Niſi potius hoc ipſi Suidæ contigerit ab aliis, quod noſtro ſeculo cernimus obtigiſſe *Calepino*, ut multis aucta & locupletata ejus ſcripta fuerint ex *Timotheo Gazæo*, & aliorum Dictionariis eo comportatis & tranſſcriptis, retento nihilominus priori Suidæ nomine, cujus ut antiquiſſimi Scriptoris mentio fiat a *Strabone* & aliis, qui in Apollonium commentaria ſcri-

Digitized by Google

pſerant, & Stephano in Urbibus, atque ab aliis, ſicuti *Joann. Jacob. Friſium in Biblioth. Philoſoph.* judicaſſe legimus. Quod nec ipſum tamen ſine judicio, nec a vulgaribus hominibus factum, credibile eſt.

V. Ut igitur imbecillitatem noſtram fateamur, profecto non ſatis capere potuimus CLmi Dni M. Dilherri ſententiam, quam anno 1639. in ſenatu literario modeſte & cum Cenſoris (ut ait) venia hac de re tulit. Nam cum aptiſſime pro materia præmiſiſſet; *Delio natatore opus eſſe, ne quis in Majuma præfocetur, cum nullius fere Scriptorum veterum auctoritate aut teſtimonio ſublevemur, ſed conjecturis maxime progredi cogamur.* Paulo vero poſt, *Suidam, rejectis interpretamentis aliis, communiter viris Doctis in explicanda hujus ſpectaculi natura placuiſſe, eundemque in originatione Majumæ ad Hebr.* מים maim *oculum intendiſſe, non improbabiliter nonnullos augurari, atque ejuſdem Suidæ aſſeclis legem Arcadii, qua honeſtas ac verecundia in Majumæ lætitia ſervari juſſa fuerit, ita explicari aſſeruiſſet: ut ne qui nudi aquam ingrediebantur, ita ſe turpiter gererent, ut eas corporis partes, quibus reverentia debetur, impudenter oſtentarent, aut aliud quid in geſtibus impudicum & obſcœnum committerent.* His tamen omnibus, non ab imæ caveæ turba, ſed antiquitatum peritiſſimo choro approbatis, non obſtantibus, cum pace tantorum virorum Suidam oppugnandum ſibi ſumpſit, ita exiſtimans: *Ejuſmodi feſtum Romæ nunquam eſſe celebratum, nec de eo Legem iſtam ullo modo intelligi aut explicari poſſe. Quod Naſo ac reliqui antiqui Romanorum Calendarii Scriptores, qui omnia ſingulorum menſium feſta ac ſpectacula diligenter & exacte annotaſſent, hos ludos, ita ſicco pede tranſiiſſent, ut ne unico quidem verbulo eorum mentionem fecerint. Maxime vero hoc commentum eo deſtrui, quod ex L. 2. Cod. Theod. colligi liceat, Majumam fuiſſe ludum ſcenicum: Cum Suidas nobis ludos in aquis, nec ſciat quales, exhibeat.* Denique ſubjicit: *Imperatoribus in utroque Codice ſermonem eſſe de ludis provincialibus: Suidam vero de feſto Romæ celebrari conſueto verba facere.*

VI. Verumenimvero liceat & nobis viciſſim veritatis ſaltem eruendæ gratia paululum ab amiciſſimo alias & literatiſſimo capite diſſentire, cui ut magnas merito & immortales gratias debemus & habemus, quod ulterius cogitandi de re tam abſtruſa anſam inter alios & nobis ſuppeditaverit: ita & ipſum quam optime laturum confidimus, ſi & nos ingenue ac citra ullam acerbitatem libertate eadem in dicunda noſtra quoque ſententia utamur, fruamur: Ut quæ ille bene rectèque cenſuit, utroque pollice

Digitized by Google

pollice approbemus, ubi non uſque quaque nobis ſatisfecit, ſuffragium noſtrum aliquantiſper ſuſpendamus.

VII. In eo igitur nobis cum ipſo & aliis convenit, Tiberinam decurſionem apud Ciceronem, & ludos piſcatorum apud Feſtum, cum Majuma non eſſe unum idemque ſpectaculum, quod Godofredus quidem putabat: in eo vero ſeorſum ſentimus, quod Suidas hos geminos ludos confuderit, cum hic expreſſe Majum menſem Majumæ tribuerit; Junius vero ludos illos Fortis Fortunæ, ut & piſcatorios, qui a Prætore Urbano pro piſcatoribus ſuburbicariis quotannis trans Tiberim fieri conſueviſſent, exhiberet, atteſtantibus Feſto & Faſtorum Scriptore *lib. 6.* Qui & alii Calendariographi Romani quod nullam Majumæ fecerint mentionem; quinetiam quod Plutarchus in *Problem. quæſt.* 86. dum de his agit, quæ Romani menſe Majo agere ſoleant, nihil eorum meminerit, quæ a Suida ſcribantur. Id quod etiam pridem Hoſpinianus deſideraverat: in eo nos quoque confitentes habet adſtipulatores, non vero in hoc, quod nullus plane Coſmographus vel Hiſtoricus Romanus hujus verni feſti apud poſteriores meminerit. Nam Theodoſiani ævi Coſmographum Æthicum paulo poſt allegabimus. Neque ſtatim quodcunque ſpectaculum eſſe ludum Scenicum conſequitur; aliud ſane Martialis *lib. de ſpectaculis* loquitur, quæ inter fuerant quoque ludi in aquis Nereidum natantium, quin adeo ex ejuſdem teſtimonio, *Epigr.* 26.

Quicquid & in Circo ſpectatur & Amphitheatro
Dives Cæſareo, præſtitit unda Tito.

Veluti poſtea dicetur. Nec impoſſibile videri poterat, ut qui primum Provincialium Syrorum & Græcorum fuerit ludus, in ipſam quoque Urbem tandem ſit receptus, quod variis ſacris & profanis rebus contigiſſe novimus.

VIII. Quanto magis eſt ridiculus Amaya *l. d. num.* 19. ***qui vel ideo ludi hujus imaginem a Suida ſtrictim propoſitam, ſuſpectam cenſuit, quod menſis Majus non ita aptus eſſet, ut nudi in undis luderent: quippe quod tum frigora miteſcant, nondum vero receſſerint.*** Id quod in Septemtrionali aliquo tolerabile & credibile videri poſſet, in Occidentali vero & Hiſpano minimum viſum, & quantus vel in Majo jamdum Romæ, nec non in Oriente (ubi Majuma potiſſimum celebrata) æſtus ſit, nulli non notum: adde quod nautarum & piſcatorum aquis adſuetorum ludus primum fuerit, qui media quoque hyeme in aquis vagantur, nec ventos, nec gelu curantes. Quorum æmulatione quoque in Salinis Salanis, paucis

cis abhinc annis ipsa bruma, spectante Augusto Sereniss. Germaniæ Primate cum Conjuge Illustriss. Majumæ spectaculum exhibuerunt Halopegi.

CAPUT IV.

Ex Poetis præcipue navalium certaminum descriptio cum convenientia tum differentia Majumæ Piscatoriorumque ludorum & decursionis Tiberinæ in honorem Fortis Fortunæ institutæ, uberius explicatur: Illinc quidem, quod in omnibus hisce ludis communis fuerit vulgi procax licentia & pergracatio; hinc vero quod primus eorum Majo, posteriores duo Junio fuerint celebrati.

I. Poetarum Princeps Maro, cum *lib.* v. *Æneid.* Romanorum ludos cuperet oculis omnium cum singulari titillatione subjicere, ab navali certamine ceu reliquis speciosiori incepit, in eoque describendo majores moras, notante quoque Cerda, quam in aliis, traxit. E quo Centonem quasi quendam, quatenus ad nostrum scopum faciet, consarcinabimus, pro describendis hujusmodi ludis:

Exspectata dies aderat, nonamque serena
Horam cum Phaetontis equi jam luce vehebant,
Famaque finitimos & clari nomen Acesta
Excierat, læto complerant littora cœtu
Visuri Æneadas, pars & certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio sacri tripodes virideque corona.
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis,
Quattuor ex omni delecta classe carina.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent & longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt: ipsisque in puppibus auro
Ductores longe effulgent, ostroque decori.
Cætera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros, oleo perfusa nitescit
Considunt transtris intentaque brachia remis
Intenti exspectant signum, exultantiaque haurit

Corda

Digitized by Google

Cordæ pavor pulsans laudumque arrecta cupido.
Inde ubi clara dedit sonitum tuba: finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis, ferit æthera clamor
Nauticus: adductis spumant freta versa lacertis,
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convulsum remis, rostrisque tridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Nec sic immissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Littora, pulsati colles clamore resultant.
Turbam inter fremitumque, aquo discrimine Pristis
Centauruſque locum tendunt superare priorem,
Et nunc una ambæ, nunc juncta fronte feruntur.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens
Nec lacrymis caruere genæ segnemque Menætem
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta,
Hortaturque viros clavumque ad littora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo est
Jam senior madidaque fluens in veste Menates,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum & labentem Teucri & risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus, &c.
Tum satus Anchisa cunctis ex more vocatis
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in naves ternos aptare juvencos
Vinaque & argenti magnum dat ferre talentum.
Hoc pius Æneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant sylvæ mediaque in valle theatri
Circus erat: qui forte velint contendere cursu,
Invitat pretiis animos & pramia ponit.

II. Talia quoque visa sunt in Majuma illa, qua non modo varia convenisse puto spectacula, sed & maximam adeoque impuram fuisse vulgi

Digitized by Google

licentiam. Nam hic non minus, atque in Fortis Fortunæ celebritate, (de qua Ovidius 6. *Faſt.* ut jamjam ſequetur, idem aſſeveraverat,) terra pariter & amni deſcendebant, currebant & certabant, ſed & noctu dieque commiſtus uterque ſexus multa laſcive & libidinoſe patrabat. Quo nomine Alciatus v. *Parerg. c.* 5. *nonnullos* ait *fuiſſe, qui de hoc Majumæ feſto intellexerint carmina, quæ in Juvenilibus Virgilii exſtent:*

Quid palluiſti? feminane, an loci dolent?
An facta cognoſcis tua?
Non me vocabis pulcra per Cotyttia
Ad feriatos faſcinos?
Movere lumbos nec dein crocotula
Prenſis videbo alaribus,
Flavum prope Tiberim, atque olenteis nauticum
Vocare, ubi appulſæ rates
Stant in vadis cœno retentæ ſordido
Macraque luctantes aqua?
Neque in culinam & uncta compitalia
Dapeſque duces ſordidas?

Id eſt, ut e Joſ. Scaligero *ad Catal. p.* 228. & Jano Douza explicamus: Tu Luci καταπύγων, morbum tuum pallore prodis, an pariter, ut feminæ, femineum vel locorum tuorum muliebrium dolore? an vero times necem factis tuis cognitis impendentem? Non me vocabis ultra ad Cinædica Cotyttus ſacra, Corintho Romam invecta, quibus ſolæ feminæ intererant, Mutuno Titinio hactenus otioſo inequitaturæ? Neque poſthac Te videbo veſte muliebri alaria ſaltitantem & criſſantem vel ceventem potius vocare nautas ipſos Tiberinos picem, ſentinam & nauteam olentes, ubi in portum appulerunt, & Diis Laribus epulo in compitalibus poſito, & a pauperibus diripiendo exhilarati ſunt, aut ſane cum iſti ad feſtum Fortis Fortunæ aut Annæ Perennæ, ſeu adeo (quod iſti addunt) Majumæ, ubi pleraque licentia ἀνέδην vagabatur, convenerunt & in aquis interdiu concertarunt, jam vero de nocte & rates ipſorum & clavus in cœnoſo vado ſimiliter luctarentur, vulgareſque homines & feminæ in publico & culinis popiniſque ſuburbicariis inque ganeis comeſſarentur.

III. Neque vero caret omnino ratione, quod hæc ad Majumam referantur & Kalendas Maji, quibus Laribus Præſtitibus ara conſecrata fuit a Curibus Sabinis, & in compitis ſacrificatum, inibique ludi per urbem agitati, Geniique placati per ſervorum miniſteria, qui temporaria liber-

tate

tate per hoſce dies fruebantur, juxta Dionyſium Halicarnaſſeum *lib.* IV. Iidemque *compitales Lares* ex Auguſti inſtituto apud Suetonium *cap.* 31. *vernis floribus tum fuerunt exornati.* Præterea & Bonæ Deæ ſacra fiebant Calendis Maji, ad quæ cum omnibus germinantibus & florentibus uterentur, virgam tamen Myrtheam in templo ejus haberi nefas erat, quod Macrobius I. *Saturn. c.* 12. & Plutarchus *Quæſt. Romanarum* 20. docuerunt.

IV. Diſtincta vero omnino fuit Majuma a piſcatoriis ludis, qui VII. Idus Junii peragebantur, de quibus Ovidius in *Faſt.* 6.

Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aſpicere & dici lubrice Tibri tuos.
Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt
Quique tegunt parvis æra recurva cibis.

De iiſdem Feſtus: *Piſcatorii ludi vocantur, qui quotannis menſe Junio trans Tiberim fieri ſolent a Prætore urbano pro Piſcatoribus Tiberinis, quorum quæſtus non in macellum pervenit, ſed fere in æream Vulcani, quod id genus piſciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis.*

V. Nec minus quoque a feſto differt Fortis Fortunæ, cui extra urbem ſecundum Tiberim Rex Servius Tullius hoc menſe fanum dedicaverat VIII. Cal. Julias, quo ipſo naves coronatæ per Tiberim convivia agitabant, magnaque colluvies hominum, aliqua arte viventium, eo properabat, *cum ad iſtam adem trans Tiberim & pedibus ire per pontes & per fluvium lintribus vehi poſſet*, ut ex Varronis *lib.* 5. *de LL.* & Donato *in Phormionem* colligunt antiquitatum Romanarum Scriptores, cum primis vero ex Ovidio: *l. c.*

Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores,
Poſt ſeptem luces Junius actus erit.
Ite, Deam læti fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera Regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronata juvenum convivia lintres,
Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc, quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
Fertur & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Convenit & ſervis, ſerva quia Tullius ortus,
Conſtituit dubia templa propinqua Dea.

Digitized by Google

VI. Inde & cum primis e *v.* 5. ad oculum patet, quod hi FORTIS FORTUNÆ honores maxime proprie *decurſio Tiberina* dicti fuerint, quando terra fluvioque pariter pedibus & cymbis coronatis tantum non tota civitas ad fanum iſtud decurreret, & promiſcue convivia agitaret, & nihil non licentiſſime & laſciviſſime præſumeret. Exinde jam M. Tullium *l.* v. *de Finibus pag.* 158. rectius licebit capere, cum ſcribit: *Quem (deditum voluptatibus, cupiditatumque incendiis inflammatum) Tiberina decurſio feſto illo* (Fortis ſcilicet Fortunæ) *die tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, cum Regem Perſen captum adduceret eodem flumine invectum.* Hiſtoriam illam ſic ob oculos nobis poſuit Tit. Livius *lib.* XLV. *Perſeus ipſe poſt paucos dies Regia nave ingentis magnitudinis, quam* XVI. *verſus remorum agebant, ornata Macedonicis ſpoliis non inſignium tantum armorum, ſed etiam regionum textilium adverſo Tiberi ad Urbem eſt ſubvectus, completis ripis obviam effuſa multitudine.* Ex qua ipſa collatione fit manifeſtum, quanta populi undiquaque concurrentes frequentia, quantoque ſtrepitu hujuſmodi ludus fuerit ſpectatus & celebratus, tam decurſionis hujus, quam etiam Majumæ. Quod tamen fruſtra fuerint & Alciatus *l. cit. l.* v. *Parerg.* cum ita ſcripſit: *Indicaſſe hic Ciceronem dubio procul Majumam, quæ decurſione Tiberina celebrabatur*: & Dion. quoque Gothofredus ad Cic. in margin. *Fortaſſe huc conveniunt piſcatorii ludi, quorum meminit Feſtus, aut Majuma, cujus meminit Suidas & Tit. Cod. de Majuma.* Affinis quidem uterque & piſcatorius & Majumæ ludus, ſed neuter tamen idem cum decurſione hac ad Fortis Fortunæ fuit.

VII. Rudimenta tamen hæc omnia qualiacunque Majumæ tum nondum apud Latinos exiſtentis, Romæ fuerunt, ſed multo magis maxima iſta Cæſarum ſpectacula, quæ indies majus majuſque traxerant augmentum, donec ad ſummum eſſet perventum & præcipitium. Leve adhuc initium eſſe judicatur in illo Amphitheatro, quod mari vicinum erat, de quo P. Pithæus illud Epigramma vetus in Farragine ſua *lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 6. protulit.

Amphitheatrales mirantur rura triumphos,
Et nemus inſignes cernit adeſſe feras;
Spectat arando novos agreſtis turba labores,
Nautaque de pelago gaudia miſta videt.
Fœcundus nil perdit ager, plus germina creſcunt,
Dum metuunt omnes hic ſua fata feræ.

Non

Digitized by Google

Non enim ſpectacula hic conficiendarum ſaltem ferarum fuiſſe credas, ſed & nauta ſua gaudia natantium ſcilicet mixta illis conſpicatur ad Actam, atque adeo ipſam ἀναδυομένην Venerem; quam in mari nudam fingebant, quod omnis libido rerum patiatur naufragia. Unde & Porphyrius in *Epigr.* dixit:

Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.

Fulgentius *lib.* 2. *Mythol. c.* 4.

Nam quos nuda rapit, nudos amittat oportet.

Sicuti Epictetus hanc rationem reddidit:

Nuda Venus quare & nudi pingantur Amores?

VIII. Quum vero *nullæ pene* forent *cærimoniæ aut ſpectacula paulo antiquiora, quibus non adhiberetur ſaltatio, utpote cujus ratio minime vulgaris eſſet veteribus*, notante quoque ex pluribus J. Roſino *l.* v. *c.* 10. præcipue vero Ciceroni pro L. Murena *ſaltatio umbra luxuriæ* dicitur; quod ſicuti umbra ibi non ſit, ubi non ſit corpus: ita nec ſaltatio reperiatur, niſi ubi ſit luxuria. Id quod vel maxime in talibus quoque ludis obtinuit, ubi non modo in campo maritimo vel in Inſula atque Acta Choreæ quoque ducerentur, ſed & in ipſis aquis varii ludi ab iſtis piſcinarum Tritonibus (ut cum Cicer. *lib.* 2. *Epiſt. ad Attic. p.* 28. loquamur) edebantur, cum Thetys inter Nereidas reſtim ductaret, ſicuti quoque Catullus haſce facit choros ducentes.

IX. Qua de re Martialis *Epigr.* XXIV. de natatoribus in Spectaculorum libro loquitur:

Luſit Nereidum docilis chorus æquore tuto,
Et vario facilis ordine pinxit aquas;
Fuſcina dente minax, nexu facit anchora curvo;
Credidimus remum, credidimuſque ratem.
Et gratum nautis ſidus fulgere Laconum
Lataque perſpicuo vela tumere ſinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis
Aut docuit luſus hos Thetis, aut didicit.

Ad quæ ita commentatus eſt Matth. Raderus *pag.* 61. *Non fuit difficile Romanis, ludere quavis ratione ſub undis & ſuper undas: cum in theatro nullam non fabulam Pantomimi repræſentare potuerint ſaltatione & geſtu.* Legatur elegantiſſimus Luciani liber περὶ ὀρχήσεως, ubi ἔξω πίστεως propemodum quædam ſaltationis ſpectacula narrantur.

X. Et Dio quoque in Tito auctor eſt: *Immiſſa ab hoc in amphithea-*

Digitized by Google

trum aqua equos, tauros aliaque animalia ſimul introducta, quæ idem in aquis, quod noverant in terra, facerent. Et in veteri naumachia belluarum eadem factam eſſe lacu, qua ſtatuas ſpectat, tabulis inædificato, ac fixis undique trabibus. Quamvis autem hic nihil de natatoribus ſpeciatim memoretur, eos tamen adfuiſſe, non dubitat Raderus, quando hic Martialis eos inducat, qui Nereidum habitu in aquis ſaltationes artificioſas inſtituiſſent, earumque perſonas omni decenti ordine & modo egiſſent. Unde chorum Nereidum dixit cum Virgilio *Æneid.* v. quod juxta Heſiodum & Orpheum earum fuerint in undis tanquam lætiſſimi piſces circa Tritonis currum bacchantes, curſitantes & tripudiantes.

Πεντήκοντα κόραι περὶ κύμασι βακχεύσαι
Τριτώνων ἐπ' ὄχοισιν ἀγαλλόμεναι περὶ νῶτα.

XI. Nec aliter quoque Ramireſius iſta explicavit: *Hæ Nereides* (inquit,) *Juvenes erant natatores habitu Nympharum. Dicitur id agmen chorus, quod multi eſſent, & varias ordine pinxiſſe aquas, quod variis nexibus complicati hi natatores varias figuras in aquæ ſuperficie exprimebant, & veluti pictas oculis repræſentabant. Ille ipſe chorus ſic diſpoſitus fuit vel tota vel aliqua ejus pars, ut ipſa natantium diſpoſitio & junctura fuſcinam vel tridentem in aqua repræſentaret, & turbato hoc ordine rurſus ita diffuſus fuit ille ipſe chorus, ut anchoræ ſpeciem effingeret in aqua.*

XII. Non ſtetit hoc fini intraque hos terminos luxuria, ſed proſtitutio feminini ſexus acceſſit, ut omnibus pene ſpectaculis immiſceretur, non in venatione modo ferarum & monomachiis; ſicuti ejuſmodi Amazonia virgo, cum Palfurio Conſulari Neronis tempore congreſſa & luctata legitur apud Juvenalis Scholiaſten *Sat.* IV. Sed & idem Poeta *Sat.* I. ſtomachatur quod

- - - Mavia Thuſcum
Figat aprum & nuda teneat venabula mamma.

Item *Sat.* VI. a *v.* 246.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis neſcit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat aſſiduis ſudibus ſcutoque laceſſit
Atque omnes implet numeros digniſſima prorſus
Florali matrona tuba, niſi ſi quid in illis
Pectore plus agitat veraque paratur arena.
Aſpice quo fremitu monſtratos perferat ictus

Et

Digitized by Google

Et quanto galea curvetur pondere, quanta
Poplitibus ſedeat, quam denſo faſcia libro.
Et ride ſcaphium poſitis cum ſumitur armis.

Quas ob θηριομαχίας & μονομαχίας feminarum gladiatorias blanditus eſt Cæſari Tito Bilbilitanus Olor *Epigr.* v. *Spect.* quod & Venus ultra Martem in armis ſæviat, nec minora acta manu feminea videantur, quam olim Herculea: niſi quod *ignobiles adhuc mulieres* ſaltem, teſte Xiphilino in Tito, εἰς ἐναχιλίαι καὶ βοτὰ καὶ θηρία, *ad pecorum & ferarum novem millia conficienda fuerint adhibita.* Sicuti harum quoque ſimiles *cum* (ſub Severo) *crudeliſſime in monomachiis pugnaſſent*, atque ideo *illuſtres feminas convitiatæ fuiſſent*, hic ipſe Imperator earum pugnas prohibuit atque ſuſtulit, ut ex eodem Dionis Epitomatore diſcimus.

XIII. Cum hic idem tamen Hiſtoricus ſub Neronis imperio antea factum deteſtetur, ceu *viſu turpiſſimum graviſſimumque, quod viri feminæque non ſolum Equeſtris, ſed etiam Senatorii ordinis Orcheſtram & Circum & Amphitheatrum ingreſſi eſſent, ut homines turpiſſimi atque inhoneſtiſſimi, nonnulli eorum tibiis cecinissent, tragœdias & comœdias egiſſent, citharœdi fuiſſent, equos agitaſſent, belluas occidiſſent, munus gladiatorium obiviſſent. Idque feciſſent multi volentes, multi inviti.* Inde Raderus ad Mart. *p.* 37. ſubjecit: *Quamvis feminarum eſſet Theatrum Veneri conſecratum, virorum Amphitheatrum, hoc tamen & femina eo tempore occuparunt, ut quod olim Hercules in Nemeæa venatione, id tum femina fecerint* in munere, *cum in Romanam arenam deſcendiſſent novæ Amazones, novæ Atalantæ συοκτόνοι & feras homineſque confeciſſent.* Sicuti quoque Suetonius & Tacitus *annal.* XV. conqueruntur, *feminarum Senatorumque illuſtrium plures per arenam fœdatos eſſe.* Ut non amplius verum ſit illud Ovidii:

Hos ignara jocos tribuit Natura puellis,
Materia ludunt uberiore viri.

XIV. Nimirum ita fuerat comparatum, ut veteres ludi & ſpectacula Romanorum virtutem ſaperent bellicam animoſitatemque crudelem irritarent, poſterioribus ſeculis vel ad imbelliam & laſciviam vel præpoſteram ſaltem & inutilem fortitudinem, imo & exſecrandam plane ſævitiam, atque admirandam quidem, ſed ineptam ſingula in aquis etiam exhibendi rationem tranſirent. Id jam dum Caſſiodorus IV. *Var. epiſt.* 51. *p.* 304. deteſtatus fuerat: *Subſequens*, inquit, *ætas, miſcens lubrica priſcorum inventa, traxit ad vitia, & quod honeſta cauſa delectationis repertum eſt,*

ad

Digitized by Google

ad voluptates corporeas præcipitatis mentibus impulerunt. Hinc *cum gladiatores, venatores, ac naumachiæ ad Amphitheatrum essent translati, agitationes, equestria certamina & equorum cursus Circo relicti. Hæc spectacula omnia* Martialis supra citato Epigr. 26. *juncta*, ait, *fuisse cum Naumachia*, ut recte iterum Raderus *pag.* 68. qui & *pag.* 62. scribit: *Augustus prælium duntaxat navale ludicrum dedit, Titus præter prælium etiam Nereidum ludos & ignotas feras, nempe Nereidibus, ut tauros & equos.* Certe Augustus in Breviario Imperii sui, (cujus fragmentum Ancyræ in suburbio repertum, Busbequius e legatione Byzantina retulit, & Andreas Schottus princeps publicavit scholiis in Epit. Aurelii Victoris) ita de se ipsemet testatur: *Meo nomine aut filiorum meorum & nepotum in Circo --- aut in foro, aut in Amphitheatris popul. quibus confecta sunt bestiarum circiter trium millium & quingenta: Navalis prælii spectaculum populo exhibui ad Tiberim, in quo loco nunc nemus est Cæsarum, cavato solo in longitudine mille & octingentos pedes, in latitudine pedes ducentos, in quo triginta rostratæ naves triremesque plurimæ præter minores inter se conflixerunt, --- ceciderunt, præter Remiges Millia --- circiter.* Emendante ita quædam Grutero in *Inscript. p.* 232. *lin. ultimis.*

XV. Sic vero integrum habet Martialis Epigramma istud de contentione utriusque Naumachiæ, quod dicta a nobis fere omnia velut in compendium redigit.

Augusti laudes fuerant committere classes
Et freta navali sollicitare tuba.
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
Et Thetis ignotas & Galatea feras.
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus
Et Domini Triton ipse putavit equos.
Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid & in circo &c. (ut paulo ante)
Fucinus & pigri taceantur stagna Neronis,
Hanc norint unam sæcula Naumachiam.

In qua quidem non negat, pugnam quoque visam fuisse navalem, sed ut minimam saltem illius partem, cum equestris pariter, & pedestris fuisset in undis conjuncta, exstructis inibi pontibus, aqua leniter infusa obtectis, in quibus etiam aurigationes & cursus equestres agitabantur, quin & venationes ferarum a Nymphis confectarum repræsentabantur. Cum-

primis

Digitized by Google

primis vero in pompa veluti marina cum Neptuno & Tritone Thetis Galatea cæteræque Nereides ludos facturæ, & cantillando atque saltando, ut & sese submergendo & innatando populum oblectaturæ introducebantur, & quidem revera mulieres, ut Mævia, mammosæ & formosæ, atque virginum in morem comosæ, atque adeo quoque penitus quandoque vel saltem, ut loquitur Petronius, *nebula linea*, sive cum veste pellucida *nuda* prostituebantur, quin etiam deorsum in aquas se præcipitantes, inferiora revelabant, & sese quoque Veneres καλλιπύγους videri affectabant. Nequaquam ergo, quod Raderus & Ramiresius frustra opinabantur, *juvenes* saltem *Nympharum habitu*, utpote cum sexus sequior majori cum vulgi admiratione omnia & ipse exprimeret, atque æmularetur, quæ virilis dudum solummodo exhibuisset.

XVI. Cumprimis vero quartus & ultimus dies Floralium colophonem etiam supremum lasciviissimis ludis imponebat. De quo capiendus Juvenalis fine XI. *Sat.*

- - - Facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque tædia vita.

De eodem Cicero in Philippica II. Divina dixit: *Nescis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse: ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur.* Quasi illo præcedenti quarto die summa festivitas jamdum fuisset, quando ipsis Cal. Maji in Floralibus ludi Circenses & Theatrales nudarum mulierum varie exercitatarum spectabantur, a quibus non multum recedebat Majuma, ceu pariter populare sacrum; de illis Alexander ab Alexandro *lib. 6. Genial. Dier. c. 8. His ludis feminas, quæ vulgato corpore quæstum faciebant, denudari, & pudendis obscœnisque invelatis per luxum & lasciviam discurrere, & impudicos jocos agere moris erat: quibus etiam Ædiles, cicer, fabas, & alia missilia plebi spargere, leporesque & capreas, aliaque mitia animalia ludis admittere sueverant, noctuque accensis facibus, cum multa obscœnitate verborum per urbem discurrebant.* Quæ omnia ex Nasonis v. *Fast.* suxit, ubi ita scripsit:

Mater ades Florum, ludis celebranda jocosis,
Convenit in laudes mensis & illa tuas.
Circus in hunc (primum diem Maji) *exit clamataque palma theatris*, &c.
Quærere conabar, quare lascivia major
His foret in ludis liberiorque jocus?

Digitized by Google

Sed mihi ſuccurrit, Numen non eſſe ſeverum
Aptaque deliciis munera ferre Deam.
Scena levis decet hanc, non eſt mihi, credite, non eſt
Illa cothurnatas inter habenda Deas.
Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili cognita cauſa fuit.
Non eſt de tetricis, non eſt de magna profeſſis,
Vult ſua plebejo ſacra patere choro.
Et monet ætatis ſpecie, dum floreat, uti,
Sic eſt hæc cultu verſicolore nitens.
His quia deliciis nocturna licentia confert,
Lumina ſunt Floræ viſa decere dies.
Curque ibi pro Libycis claudantur rete leænis,
Imbelles capreæ ſollicituſque lepus?
Non ſibi, reſpondit, ſilvas ceſſiſſe, ſed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.

Gratiſſimi vero hi ludi impudici populo & promiſcuæ plebi fuerunt, ut *T. ANCHARIO, T. F. Pal. Priſco, cui primo II-Viro biga poſita ob eximias liberalitates & abundantiſſimas ſine exemplo largitiones, & quod ex indulgentia Aug. octies Spectaculum Gladiator. ediderit, amplius Ludos Florales, ob hæc merita plebs urbana ſtatuam ei dedicavit.* Vide Romanum marmor in Gruteri *Inſcript. p.* 352.

XVII. Optime vero, ut ſolet, Floralia deſcripſit vetus Juvenal. Scholiaſtes *Sat.* VI. *v.* 249. *Florali tuba,*] *qua committuntur ludi Florales, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendo diſcurrunt, & armis certant gladiatoriis atque pugnant. Hi ludi a Flora meretrice inſtituti ſunt in honorem Floræ Deæ, quæ floribus præeſt, ludi ſunt impudici.* Qua de re Statius *lib.* I. *Silv. ult.*

Hos inter fremitus novoſque luxus
Spectandi levis effugit voluptas,
Stat ſexus rudis inſciuſque ferri,
Et pugnos capit improbus virileis.

Huc refert Dempſterus *Addit. pag.* 136. quas Suetonius *in Domitian. cap.* 4. adſtruxit *venationes gladiatoreſque & noctibus ad lychnuchos non virorum modo pugnas, ſed & feminarum.* Quodque in Floralibus meretrices apertis pudendis producerentur curſuræ & ſaltaturæ, Lactantius I. *Inſtit. c.* 20. & Martialis *lib.* I. *Epigr.* 36. monſtravit:

Quis

Digitized by Google

Quis Floralia veſtit & ſtolatum
Permittit meretricibus puderem?

Fuerunt autem ut in Theatro, ſic & in Circo plurima proſtibula, Lampridius *in Vero*: *Omnes de theatro, de circo, de ſtadio, & omnibus vicis & balneis meretrices collegit.* Et vetus Poeta:

Delicia populi, magno notiſſima circo Quintia.

Quare, quomodo de his ludis omnibus participarit inde conflata Majuma, nunc dicetur.

CAPUT V.

Sententiam noſtram tandem aperimus, quod Majuma ab initio fuerit rudior ludus, ſed paulatim ita complicatus libidinum morbus, ut nihil non fœdaret, indeque veluti ſpectaculorum omnium ſentina, & vere Porna, nulli non bono exſecrabilis fœteret.

I. Sed e diverticulo in viam reverſi, ut quam fieri poſſit breviſſime mentem noſtram explicemus, diverſas & pugnare invicem diu viſas ſententias, cornibus ablatis, ita conciliabimus. Nimirum ſtatuimus: *Romanos olim, antequam Imperium in Orientem transferretur, hoc Majuma ſpectaculo quoad nomen, nullibi in Latio occurrens, plane fuiſſe deſtitutos; quoad rem vero, in piſcatoriis ludis habuiſſe levia certaminis nautici crepundia, ut in ſacris Fortis Fortunæ comeſſationum publicarum promulſidem, in Nereidum & Natatorum ſpectaculis incrementum, & Floralium feſtorum vel πόρνων ſupremam fuiſſe manum, atque ſic tandem omnium impuritatum Mephitin atque Avernum in unam Majumam confluxiſſe.* Cui iſtud Lucilii ex *Satyr. lib.* xxx. applices:

Sublatus pudor omni licentia fœmu' refertur.

Id quod ſigillatim nunc deducemus.

II. Initium Majumæ dubio procul in partibus Orientalibus, inque urbe Majuma maritima nautis & piſcatoribus, in undis Naumachiæ cujuſpiam ſpecie concertare ſolitis, frequentata primum cœpiſſe, & ab eadem quoque civitate nomen reperiſſe non credibile modo, ſed infallibile ſummis viris habitum, ſupra oſtendimus. Quo pacto parum aut nihil a Piſcatoriis Rom. ludis differre viſa eſt, cum nimirum contis piſcatoriis minime tamen cuſpide ferratis duellatores nautici congrederentur, & e puppi alter alterum in aquas proturbare anniteretur. Quod non modo e Suida

Digitized by Google

(qui primus nobis auctor est, Majumam Palæstinorum & aliorum Provincialium ludum, Romam quoque traductum, ita celebrari solitum) satis superque apparet, sed & Impp. Arcadii & Honorii concessio evincit, spectaculum hoc per se non adeo fuisse indecorum, sed lætitiam quandam popularem.

III. Ex illo namque Suidæ hoc colligimus: Quod quemadmodum Gazæi Majumam, in navale istud suum ab urbe Gaza xx. stadiis distans, secundo flumine deferri solebant, cum ludos istos spectare vellent. Ita & Romani Ostiam, ceu portum suum Tiberi petierint, atque Majumam similem celebrarint. Ex hoc vero idem elicitur Imperatorio Rescripto toties laudato, quod anno Christi Jesu cccxc. (juxta Cassiodori Chron. P. Diaconi & Baronii computationem) in ingressu sc. imperii sui Arcadius & Honorius Augusti fratres, ambo Theodosii majoris filii ex Hispania oriundi, ad mores componendos in hæc verba condiderunt: *Clementiæ nostræ placuit, ut Majuma Provincialibus lætitia reddatur, ita tamen ut servetur honestas & verecundia castis moribus perseveret.* Necessario utique inde ista infertur conclusio: Majumam antea propter abusum fuisse prohibitam, nunc vero ejus usum antiquum & verecundum sub honestatis conservandæ & pristinæ castorum morum perseverantiæ cautione atque conditione esse restitutum. Verum cum proclive sit humanum genus ad deteriora, ut facilius sit a voluptate penitus abstinere, quam ea concessa intra honesti limites contineri, uti censet Baronius; ideo non simplex fuit Majuma, sed Cereri, Baccho & Veneri magis magisque associata, dum tandem in nervum erumperet, a sacris pariter & profanis prohiberetur penitus.

IV. Nam licet ipsi Gazæ & Majumæ incolæ semper nimis quam Veneri nudæ Veneriseque prostibulis fuissent devoti, non modo ut littorum accolæ generatim, in qualibus lupanaria olim fuere constituta, ut Cerda ad I. *Æneid. p.* 114. demonstravit; sed & speciatim ut vere Gazæi & locupletissimi, atque inde quoque a tempore Simsonis omnium luxuriosissimi. Nam & hic *Judicum* XVI. eo ad lustra descenderat. Atque inde non modo Dagonis semipiscis seu Dercetus vel Atergatidis, sed & ipsius Veneris sacra panegyrica inibi fuisse patet, eademque ultra ludos festis quoque conviviis insuper mactata. Quo pacto jam cum Fortis Fortunæ decursione Tiberina & vulgarium comessationibus luxuriosis conveniebant. Nihilominus tamen jamdudum Constantinus Christianus Cæsar superstitionem illam Majumæ, abolito quoque tam urbis quam solennitatis

tis illo nomine, exſtirpaverat, cum civitatem eam a nomine filii ſui Conſtantiam cognominaſſet, ut licet eadem feſtivitas cum conviviorum apparatu maximo adhuc duraret, ſacrificia tamen omnia penitus eſſent abrogata.

V. Quod vel maxime ex Juliani parabatæ iſtius Chriſtianæque fidei abjuratoris Miſopogone confirmatur, ubi Antiochenis exprobravit, quod in Majumæ ferias & prandia lautiſſima pecunias effunderent, & a ſacrificiorum impenſis abſtinerent. Sic enim ait: *Grave profecto, inquam ego, videtur tantam civitatem ſic Deos contemnere, ut quod nec in extremis Ponti finibus vicus ullus faceret: cum agrum infinitum poſſideat, inſtantibus patrii Dei ſolennibus feriis, diſſipata a Diis impietatis nebula, ne anſerem quidem pro ſe attulerit, cum deceret eam imprimis bovem tributim immolare. Quod ſi uni difficile erat, at certe univerſa civitas debuit & potuit Deo taurum offerre.* Τμῶν δ' ἕκαστος ἰδία μὴν εἰς τὰ δεῖπνα καὶ τὰς ἑορτὰς ἃ Μαϊουμᾶ χρήματα ἀπολέσαντες, ὑπὲρ δ' ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδεὶς θύει ὅτε ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν, ὅτε ἡ πόλις κοινῇ. *Incomeſſationes ac feſtivitatem Majuma unusquisque veſtrum privatim ſumptus facit; pro vobis ipſis vero & pro ſalute civitatis nemo, nec cives privatim, nec univerſa civitas de fiſco, vel in commune ſacrificat.* Inde iterum ſole clarius conſpicimus, in veteris illius feſtivæ conſuetudinis genialem celebrationem non ab ipſis modo Rebuſp. e communi ærario, ſed & e ſingulorum civium loculis magnos ſumptus fuiſſe factos, dum in campo viridi ac florulento, & ſub opacarum arborum ſcena & umbra juxta mare vel flumen voluptatibus & luſibus indulgerent. Eamque populo lætitiam amputatis inhoneſtis ac ſuperſtitioſis fuiſſe permiſſam, ne aliis turpitudinibus inquinaretur. *Quodnam enim ſpectaculum ſine idolo? quis ludus ſine ſacrificio?* Cyprianus *l. de ſpectaculis.*

VI. Idemque ſcopus religioſiſſimis illis duobus noſtris Theodoſianis germanis Arcadio & Honorio fuit præfixus, ſic enim ipſimet in *L. 4. C. de Paganis* loquuntur: *Ut profanos ritus jam ſalubri lege ſubmovimus: ita feſtos conventus civium & communem omnium lætitiam non patimur ſubmoveri. Unde abſque ullo ſacrificio atque ulla ſuperſtitione damnabili exhiberi populorum voluptates ſecundum veterem conſuetudinem, miniſtrari etiam feſta convivia, quando exigunt publica vota, decernimus.* Quam legem Juris Gloſſatores Titulum de Majuma præcipue attinere voluerunt. Nam quæ hic *Majuma Provincialis lætitia*, ibi *feſtus conventus civium & communis omnium lætitia* nuncupatur, & ſicuti illic *honeſtas & ve-*

Digitized by Google

recundia castis moribus conservanda injungitur: ita hic *profana omnia submoventur, antiqua autem & simplex populorum voluptas ministranda* conceditur cum conviviis. Nam & in signorum atque statuarum dedicatione una cum ludorum scenicorum exhibitione epulum populo, Decurionibus sportulas, Colonis cœnam vel etiam plebi sing. HS. aliquot aut numos dividebant. Quemadmodum e multis Inscript. collegit Barn. Brissonius *l.* 8. *de formulis p.* 726.

VII. Atque propter eandem rationem Paganorum sc. sacrificiorum & superstitionem damnabilem, Veneris fortassis, longe antea universale Concilium Constantinopolitanum VI. in sacri Palatii secretario, quod Trullus cognominabatur, habitum, Majumam cum variis similibus festivitatibus condemnaverat Can. LXII. Καλάνδαι καὶ βοτὰ καὶ Βρομάλια καὶ ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου πανήγυρις τῆς τῶν πίστεων πολιτείας περιαιρείσθωσαν. *Calendas* (in Jani) *& vota* (in Panos pascuorum datoris) *& Bromalia* (in Bromii seu Bacchi honorem instituta) *& qui primo Maji die fit, conventum ex fidelium civitate omnino tolli volumus.* Sic enim J. Meursius *Gloss. Græcobarb.* Hugo Grotius in *floribus ad jus Justinian. sparsis pag.* 329. qui ideo quoque non Majumam, sed Majanum festum illud Calendarum Maji vocare maluit. Noster quoque Dilherrus in *Exerc.* cum J. Ott. Wittio, & ni fallor ipsemet Baronius & Gothofredus hunc Canonem allegarunt & emendarunt.

VIII. Quamvis enim tum in ipso Canonis textu vulgato ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαρτίου πανήγυρις, tum etiam in ejusdem commentatore Balsamone ita legeretur; non solum tamen auctoritas, sed & ipsa ratio præsertim apud hunc dictitat, *Maji mensis* scriptam fuisse illam *panegyrin.* Sic enim ex Gentiani Herveti interpretatione Balsamonis verba Latine sonant: *Mense autem Martio fiebat Græca magna concio, seu universalis conventus, qui πανήγυρις dicitur, propter temporum & aeris intemperiem. Quo tempore etiam indecoræ saltationes a mulierculis virisque fiebant, quas, & indecora alia similia sancti Patres aversati, nullo modo permittebant.* Sicuti quoque iisdem plane verbis Barthol. Carranza in summa Concilii istius VI. generalis Constantinopolitani *pag.* 246. exhibuit, nisi quod recte observarit, suadente hoc ipsa quoque connexione, non *propter temporum & aeris intemperiem*, sed potius *summam temperiem* scribendum esse, qua scil. omnia viventia & sic quoque ipsi homines exhilarati lascivirent & exultarent, id quod Calend. Maji (vere jam adulto & calore paulatim jam aucto) usu venit, non Martii.

IX. *Et*

Digitized by Google

IX. *Et licet ſaltationes ex ſua natura illicitæ non eſſent, niſi ex aliquo accidenti, quia vehementer muſico choro choreæ ſunt conjunctæ, quæ, quoniam magis vivæ ſunt, magis nos in utramvis partem impellunt, eæque poſſint eſſe graves & venerabiles divinisque myſteriis accommodatæ, quales Hebræorum & Regum quoque ſanctiſſimorum fuiſſe legimus, cum honeſto corporis motus ad virtutem nos incitare poſſint. Contra tamen inhoneſtæ & impudicæ criſſationes a corpore per ſenſus in animum tranſire & hunc corrumpere, inque vitia detorquere ſolent. Cumprimis autem tenaciter hærent animis, quæ in theatris ſpectantur, & vehementer ad ſui imitationem provocant, inde ſi vitioſa ſint, facillime ſumit magnam occaſionem animorum corruptela.* Quemadmodum recte Nic. Bieſius Gandav. *l. 3. de Reg. c. 7.* docuit. Itaque & ſaltationes in aliis ludis, veluti Apollinaribus, ceu honeſtæ ab illis Majumæ inhoneſtioribus fuerunt diſcriminatæ, atque propterea hæ cum tota ſui ſpectaculi pompa ſæpius prohibitæ. Deplorat ſane Eraſmus in Adagiis *inter Chriſtianorum delicias, tot egenis eſurientibus, obambulare quosdam, qui exemplo ab Italis orto, puellam aut puerum circumferant geſticulationes ineptas edoctum, atque ſic unius puellæ calamitatem alere ocium quatuor aut quinque robuſtorum nebulonum, & hujuſmodi ludos æquis oculis ſpectare homines Chriſtianos.*

X. Invitis tamen omnibus bonis hujuſmodi choreas & ſaltationes virorum atque mulierum Paganas Majumæ interdictas, ipſe auctor illarum Diabolus apud ſibi fœderatos nominetenus Chriſtianos hucuſque conſervavit, ut in ipſa S. Walpurgis nocte, Calendarum ſc. Majarum auſpicatrice, frequenti panegyri concelebrent, quod non eſſe merum dormientium & ſomniantium figmentum, ſed revera exiſtere, & clientes atque clientas ad eam viſitandam a Satana cogi, certum eſt, unde poſtea una aliqua ſtrige capta, multæ aliæ, quæ illi in hujuſmodi choreis adfuerant, in tortura ſolent exquiri & indagari.

XI. Tales inhoneſtæ choreæ Majumæ quondam, & quidem Maji (cui nomen accedere videbatur) Calendis, alias impudico Floralium meretricum denudatarum ſpectaculo dudum damnatis & deputatis celebrabantur, neque vero ſolum impudicæ præceſſerunt modulationes Gaditanæque ſaltationes & criſſationes theatricæ, ſed & lecto in Orcheſtra collocato Mimi cum proſtibulis coram omnium oculis capita limabant, ita tamen ut nondum penitus corpora nuda oculis omnium objicerent. Dehinc vero ubi caſtiſſimo cuique ſaliva moviſſent, *Diaboluſque per totam noctem exſpe-*

Digitized by Google

exſpectatione nimis anxia ſpectatorum corda ſollicitaſſent, poſtero die *id quod tam cupide fuerat exſpectatum*, *in immani perditionis pelago* (*quod iſti voluptatis & delectationis Euripum ſueverant nuncupare*) ſcilicet *in theatri* Κολυμβήθρᾳ *ſeu piſcina oſtendebatur*, cum meretrix non una, neque deformis, ſed Nereidibus ſimilis tota natura ſua oculis omnium proſtituta, in mediis aquis ludens natatu, & ſurſum deorſumque volutata exhiberetur; dubio procul etiam Sirenas cantu æmularetur, atque ſic virilis ſexus ſummo ſcandalo inflammaretur, ut cum Juvenale *Sat.* XI. *v.* 165. exclamare & ſtomachari potuerit quiſpiam:

Auribus atque oculis concepta urina movetur.

Vel e *Sat.* VI. *v.* 321.

Nil ibi per ludum ſimulabitur, omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo
Laomedontiades & Neſtoris hernia poſſit.

XII. Et ſane nimis quam diſerte invectus eſt in fœdiſſimum iſtud ſpectaculum χρυσορρήμων ille Pater, & Conſtantinopoleos Archiepiſcopus *Homil. 6. & 7. in Matthæum* utrobique in calce. Unde etiam pleraque iſta hauſimus, prout primum quidem Rudolphus Hoſpinianus de *origine feſtorum Ethnicorum c.* 30. *fol.* 160. ab eo vero Baronius quoque *Tom. V. annalium Eccleſiaſtic. l. cit.* & alii, ut maxime aktiſſimeque diſſimulent, obſervarunt, divinæque illud eloquentiæ theatrum S. Chryſoſtomum fundamenti loco ſubſternendum putarunt, quod quidquid ille tempore Arcadii & Honorii contra obſcœna & impura ſpectacula acerrime declamaſſet, contra Majumam iſtam reliquorum facile principem, potiſſimum illud direxiſſet, *nec unquam prorſus quieviſſet*, *donec ferri acutioris altiore inciſione*, ſuiſque ſuaſionibus tandem *effeciſſet*, ut ea penitus a dictis Imperatoribus tolleretur, *Diabolicumque iſtud Theatrum diſſpergeretur*, *& cœtus Eccleſiæ purus mundusque redderetur*, quod ipſe ſe facturum promiſerat.

XIII. Atque ideo niſi plane fallor, idem Os-Aureum Μαϊσμᾶν videtur vel ſcripſiſſe, vel ſaltem certo intellexiſſe, cum ſic ait: ἀλλ' ἄφεις αὐτὸν μὴ τὸ ἰδεῖν τρέχεις ἵνα τὸν NOMON ἴδῃς. (Anglicana Editio Græca, & Rittershuſius *lection. ſacr. lib.* 5. *c.* 4. ex Vet. Lat. Interprete legit τὸν Μίμον, qui tamen & ipſe præmiſerat Antiochenorum ἔυριπον ἡδονῆς, ubi feminæ inſpectantibus maribus nudæ innatabant, quem πέλαγος τῆς ἀπωλείας rectius vocaſſent) *Ita eum* (Chriſtum) *relinquis*, *cum videris*, *ut poſt illum curras ad Theatra*, *ut Mimum vel* Majumam *videas*, *& jacentes*

Digitized by Google

centes in ſcena meretrices; deſertoque fonte ſanguinis & calice reverendo ad Diabolicum iſtum fontem feſtines, ut ſpectes meretricem natantem, & naufragium animæ patiaris. Nam illa quidem in mediis aquis nuda ludit natatu: tu vero de ſublimi ſpectans gradu in libidinis profunda demergeris. Hujuſmodi enim Diaboli ſagena atque retia non tam in illam deſcendentes aquam ibique ſe volutantes capiunt, quam ſurſum ſedentes. Fuge igitur ceu immenſum gehennæ pelagus flumenque igneum peſtiferam illam piſcinam theatri! ubi concupiſcendo mœchatur, qui non ſolum videt feminam, ſed etiam totam omnino nudam ac laſcivientem videt. Haud ita illud Noæ diluvium exſtinxit hominum genus, ut natatrices iſtæ omnes ſpectatores ſuos multo cum dedecore ſuffocant. Siquidem illud mortem inferens corporum, vitia tamen delevit animarum; hæc vero aqua diverſum, manentibus in vita corporibus, animarum operatur interitum. Quin & ibidem præmiſerat Chryſoſtomus *pag.* 70. ſtomachabundus, *quod Græci Chriſtiani* (iique primi, veluti Antiocheni) *Chriſtum in præſepio ſpirituali ſitum derelinquerent, ut feminas in ſcena ſpectarent, & menſam ſpiritualium bonorum deſerentes currant ad theatrum,* ἰδεῖν νηχομένας γυναῖκας καὶ Φύσιν παραδειγματιζομένην, *ut natantes feminas & ſexum illum publicis oculis intueantur expoſitum.*

XIV. Quibus acerrimis graviſſimiſque declamationibus recte Hoſpinianus & Baronius ajunt impulſum fuiſſe Arcadium, primo ut eam legem ferret, quæ a Majuma, quæ eſſent fœda & obſcœna, reſecaret; deinde vero, cum, *ut proclive eſt ad licentiam hominum genus, nec intra terminos voluptatis licitæ atque honeſti poteſt contineri*, adverſus ejuſmodi ergo obſcœnitates erumpentes idem iterum atque iterum declamaret, effectum tandem, ut idem Imperator poſt triennium, Conſule Theodoro iterum lege lata prorſus Majumæ ſpectacula abſcinderet ac prohiberet, dato ad Aurelianum Prætorio Præfectum iſto Reſcripto, quod exſtat *Codice Theodoſiano lib. XV. Tit. VI.* his verbis: *Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum reſtrictione triſtitia generetur. Illud vero, quod ſibi nomen* (lege: hominum) *procax licentia vindicavit, Majumæ fœdum atque indecorum ſpectaculum denegamus.* Haud abſimili plane modo Ludos Florales Martialis *præf. lib.* 1. & adjungendo illi carmine deſcripſit:

Noſtes jocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtoſque luſus & licentiam vulgi;
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

Digitized by Google

Propter nimiam itaque vulgi licentiam & *elationem Provincialium* (ut ait Gloſſa in *d. L. un. Cod.* XI. *de Majuma*) *ſublata fuit iſta ſolennitas*, cum quam hic cumprimis deſideraſſent & Cæſario ſuo in Oriente Præfecto Prætorio inculcaſſent Impp. verecundiam & honeſtatem nequaquam inibi perſeverare animadvertiſſent, ſed quod ludus Veneris obſcœniſſimus ex nautico & piſcatorio factus ita degeneraſſet, ut denudatorum plane laſcivientiumque, & quibus reverentia debebatur, membra ſine pudore omni detegentium hominum, præſertim meretricum, in undis laſciviſſima procacitate ludentium & natantium coram omni populo, e theatro in ripis exſtructo, deſuper aſpiciente fœdiſſimum ſpectaculum fieret.

XV. Non immerito igitur, *cum omnium libidinum imagines tam verbis, quam reipſa repræſentarentur illis obſcœnis ludis*, idem ſanctiſſimus Pater Chryſoſtomus *vetuit, ne qui illis ſpectaculis interfuiſſent, in Eccleſiam ingredi præſumerent, niſi prius peccatum per pœnitentiam expiaſſent.* Ut iterum Hoſpinianus *l. c. pag.* 160. ubi & pagina præcedenti adverſus Majumam D. Chryſoſtomum declamaſſe in *Homil. de Davide & Saule* cum Baronio ſtatuit, cum ſic dixiſſet: *Non metuis, non expaveſcis, dum oculis, quibus illic lectum, qui eſt in Orcheſtra, ſpectas, ubi deteſtandæ adulterii fabulæ peraguntur, iiſdem hic ſacram menſam intueris, ubi tremenda peraguntur myſteria? dum iiſdem auribus audis, & ſcortum obſcœne loquens, & Prophetam Apoſtolumque ad arcana Scripturæ introducentem. Annon ſunt hæc vitæ ſubverſio, conjugiorum corruptelæ, bella pugnæque & rixæ in domibus?*

XVI. Cum vero toties πόρνων vocem in ſuis illis invectivis ſanctis inculcet B. Chryſoſtomus, dum nefaria & impudiciſſima iſta ſpectacula ſtomachabundus exſecratur; ex eo conjecturam ſumimus certiſſimam, ab honeſtioribus Majumæ illa corruptiſſima, non tam ſpectacula, quam ſpectra Diabolica hoc nominis retuliſſe, ut *Pornæ* dicerentur. Et ſane diſerte ita vocantur & deſcribuntur a Juſtiniano, cujus temporibus maxime vigebant, cum ex VII. muneribus, quæ a Coſſ. populo quotannis exhibebantur, quintum hoc eſſet *Pornæ* vocatum, ut Nic. Alemannus *Notis ad Procop. p.* 32. ex *Novella* CV. Juſtiniani prius obſervavit.

XVII. Ubi tamen ab Imperatore ſpectacula omnia, ad voluptatem populi agi conſueta, determinantur in tres claſſes: εἰς τε ἱππόδρομον *Circenſium ludorum*, εἰς τε τὰς τῶν θηρίων θέας τε καὶ ἀναιρέσεις ſeu *beſtiarum venationes*, καὶ τὰς ὅπῃ τῆς σκηνῆς τε καὶ θυμέλης ſeu *thymeles theatricas delectationes.* Atque hæc iterum ibidem ſubdividuntur in VII.

προόδους

Digitized by Google

πρόοδος seu proceſſus & tranſitus Conſulares: Hippodromus quidem in Mappam, qua ſignum dabatur emittendi agitatores, qui eſt ſecundus proceſſus curſu certantes equos exhibens, & in Hippomachiam ſeu equeſtre certamen, quod in ordine ſextum eſt ſpectaculum, θυριομαχίαν vero diſpeſcuit in venationem ferarum theatricam ſimplicem, ſeu κυνηγίαν, tertio loco & ſemel ſaltem exhibendam; & in complicatam, quando non cum beſtiis modo pugnarent homines, & eas vincentes audacia interimerent, ſed & inter ſeſe variis modis decertarent, quod παγκράτιον dixit, vel παγκάρπιον, (Tertullianus *Pancarpiam.*) Et quia per integrum diem multa delectatione populum impleret, μονημέριον dicebatur, quartum conſtituens proceſſum. Atque hæc hactenus fere in Circo & Amphitheatro edebantur. Sed quintus proceſſus ad Theatrum ducebat, τὴν δὴ πόρναις καλέσιν, productio ſcil. meretricum, ubi in ſcena ridiculorum eſt locus tragœdis & thymelicis choris, & ſpectaculis univerſis & audibilibus ſeu ἀκούσμασιν apertum eſt theatrum. Prima vero & ultima proceſſio cum nullo proprio nomine citentur, niſi quod hæc in depoſitione annalis honoris ſolennis dicatur editio, illa vero Kalendis Januariis a ſuſcepto ſtatim Conſulatu data populo voluptas ſine ullo muneris, quale fuerit, additamento memoretur; nos tamen & inibi venationem & ferarum exhibitionem capiendam credimus. Nam & Lactantius *lib.* VI. *de vero cultu c.* 20. *muneris* nomine proprie venationes vult intelligi, & Seneca 1. *de benefic. Nemo tam ſtultus eſt, ut monendus ſit, ne cui gladiatorem aut venationem jam munere edito mittat.* Et Martialis *de Spectac.* & *venatione a feminis* peracta:

Priſca fides taceat, nam poſt tua munera Cæſar,
Hæc jam feminea vidimus acta manu.

XVIII. Itaque unicus & quidem quintus actus ſcenicis iſtis ſpectaculis atque ἀκούσμασιν impudiciſſimis datus eſt, qui non aliter atque Majuma Provincialium, ſentinam quaſi extremam impuritatum & criminum omnium in ſe concluderet. Nam ut Haloander interpretatur, hæ ipſæ PORNÆ non ſunt alia, quam Floralia, ſpectacula, quæ per meretrices & perditiſſimorum hominum genera celebrabantur. Quibus tamen in utraque Roma plebs uſque adeo tenebatur, ut tametſi Chriſti jugo ſeſe ſubmiſiſſent, hos tamen ludos ſcenicos abrogari nollent. *Certe* (inſit Spigelius, & ex eo M. Martinius) *vel hic locus indicat, turpiſſima illa Spectacula nimis diu tolerata, & tarde ſublata.* Cum prius Horatii ævo Poetis, cum

Digitized by Google

nobilibus potius quam vulgo ſcriberent, talia, Mimis potius convenientia, maximopere eſſent cavenda,

- - - ne Fauni nimium juverentur,
Aut immunda crepent ignominioſaque dicta.

Addita ratione a *v.* 246. *in Arte:*

Offenduntur enim quibus eſt equus & pater & res;
Nec ſi quid fricti ciceris probat & nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.

XIX. *Multa* vero, non minus atque in pancarpia altera, *hic commiſta fuiſſe*, ipſemet Juſtinianus plus ſatis indicat, *ut* (quod Tertullianus *adv. Valentin.* argutabatur) *ex omnium defloratione conſtructus graculus Æſopi, Pandora Heſiodi, Accii patina, Neſtoris Cocetum, Miſcellanea Ptolemæi vocari a tam otioſis auctoribus nominum potuerit.* Nam quamvis etiam ſeriis & præſtantiſſimis actionibus, quales ſunt Tragædorum, atque ſic flori & ſummæ Poematum locus inibi eſſet relictus in ſpeciem, maxime tamen prævalebat ridiculorum ſcena, ubi Atellani geſticulatores & γελωῖοποιοὶ Pantomimi quocunque poterant modo cachinnos captabant, nihil non, quod vulgo vel ſpectare vel audire gratum eſſet, etiam inhoneſtiſſimum & ignominioſiſſimum quodque geſtibus, rythmis, cantibus & vocibus ad vivum exprimentes, ut commodiore nomine, quam *Porna*, proceſſus hic venire haut potuerit παρὰ τὸ πόρρω νεύειν.

XX. Quemadmodum namque ex lege Attica ſcorta, omnibus ſummis & imis proſtituta, jubebantur ἀναβιναφορεῖν veſtes floreas ferre & diverſicolores, ut Suidas in voce ἑταιρῶν aſſerit. Ita & hæc ſcena florida & variegata eſt ex heroibus, mimis, ludis, ſymphoniacis, ſcurriſque, ſaltatricibus, meretricibus, adeoque omnibus, quæ vel per oculos vel per aures aſſidentium animis corrumpendis ficta & facta vix ſomniaveris. Quod diſertiſſime congeries illa verborum Juſtiniani ſignificat: *Quintum quoque faciet proceſſum, qui ad theatrum ducit, quem* PORNAM *vocant: ubi in ſcena ridiculorum eſt locus tragœdis & thymelicis choris, & ſpectaculis univerſis & audibilibus apertum eſt theatrum.*

XXI. Nimirum hoc demum erat univerſorum ſpectaculorum & omnium vix audibilium impuritatum compendium & ἀκροπολις, cum jam non per ambages & veluti ſub thyrſo cuſpis, qua innocentes animæ tamen feriri poterant, joci interdum proferebantur, ſed *cum ipſa proſtibula publica libidinis in ſcena* (ut Tertullianus c. x. *de Spectac.* ait) *nudatis ut a matre corporibus proferrentur*, nulla amplius veſtis vel dictis vel factis

Digitized by Google

factis inhoneſtiſſimis circumjiciebatur. Adeoque tum revera *hæc ludicrorum diverſoria exiſtunt turpitudinum habitacula & Dæmonum ergaſteria*, ceu Salvianus & Chryſoſtomus Theatra vocant hæc Satanica. Nam ſi juxta Lactantium *c. 6. Epitomes Inſtit. divin. Hiſtrionici etiam impudici geſtus, quibus infames feminas imitantur, libidines, quas ſaltando exprimunt, docent atque mimus corruptelarum diſciplina ſit*; quanto exſecrabilius *turpitudinum magiſterium* (ut cum Cypriano in *Epiſt. ad Donatum* loquamur) fuerit, *ſi lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo adulterium ipſum videndo & audiendo, diſcatur, & exempla fiant, qua jam eſſe facinora deſtiterunt.*

XXII. Exſecrabilia vero juſte viſa ſunt probis hujuſcemodi ſpectacula ſingula & univerſa, ac tanto magis fœdiſſima illa Majuma; De qua bene verſus Sophoclis in Philocteta pronunciari poſſet:

οὐκ ἐνθάδ' οἱ πλοῖ τοῖσι σώφροσι βροτῶν

Non a modeſtis navigatur huc viris.

Adeoque viri honeſti abhorruerunt ab his voluptatibus, ut ſæpe uxoribus nuntium remiſerint, quod illis oblectarentur. *Cod. lib.* VIII. *de repud. Nec ullo modo uxorem expellet, niſi adulteram, vel Circenſibus, vel Theatralibus, vel arenarum ſpectaculis ſe prohibente gaudentem.* Vid. J. C. Bulenger. *de venat. Circi cap.* 12. Et vice verſa D. Chryſoſtomus *Tom. 2. Homil. 6. in Matth. in fine* Maritos alloquitur: *Quomodo vero non rubore ſuffunderis, quoties uxoris recordaris, quando eundem ſexum tam fœde ibi videris publicatum. Neque vero opponas mihi, quod jam, quicquid ibi fit, imitatio ſit jocorum, non etiam veritas rerum; etenim ſimulatio iſta multos adulteros fecit, & multas domos ſubvertit. Deinde quale iſtud eſt, ut cum in foro vel platea nudam feminam nolis aſpicere, multo vero magis in domo propria, ſed (ſi contingat) in injuriam tui factum putes: cum vero aſcendis Theatrum, ut violes utriuſque ſexus pudorem, obtutuſque proprios pariter inceſtes, nihil tibi inhoneſtum credas accidere? Non enim iſtud excipias, quia meretrix nudata eſt, ſed quia natura ipſa, idemque eſt corpus liberæ & meretricis. Quoniam igitur te pacto deinceps adſpiciet uxor a tali fornicatione redeuntem? Quemadmodum ſuſcipiet & alloquetur tam indigne natura muliebris conditionem, ſexumque fœdantem, atque a tali ſpectaculo captivum ſervumque redeuntem mulieris fornicantis?* Et iterum tertiumque idem inculcat *Homil.* LXIX. *in Matth. pag.* 600. & 601. Πῦ νῦν εἰσὶν οἱ τοῖς διαβολικοῖς ἑαυτοὺς ἐκδιδόντες χοροῖς καὶ τοῖς ἄσμασι τοῖς πορνικοῖς, καὶ ἐν θεάτροις καθήμενοι; *Ubi nunc*

nunc sunt, qui Diabolicis choreis, & meretriciis cantibus dediti, inque theatris desidentes? Et quasi ibi non sufficiat ad inflammandam mentem aspectus ac facies mulieris, pestem quoque vocis adinvenerunt. Verum etiam multo magis vestitus spectatores conturbat & ornamenta aurea. Nam pauperes dolore conficiuntur, cum nihil tale uxoribus esse suis recordantur, divites vero cum habitum, aspectum, vocem, incestum cateraque fracta cupidinisque plena viderint omnia, & improbo ardentes incendio domos suas redierint, quasi deformatiores uxores despiciunt, hinc jurgia & rixa, hinc dissidia & bella, hinc mors etiam nonnunquam consequitur. Nam qui hujusmodi cupidine capti sunt, illis ἀβίωτος ὁ βίος, vitaque ipsis cum uxore & liberis acerba videtur, ita universa in domo ipsorum ἄνω καὶ κάτω conturbantur. Ita theatralis hic chorus malorum omnium fons est atque origo.

XXIII. Paria quoque & plane gemina habet in modo allata homilia de Davide & Saule, ut & Procopius Cæsariensis in *hist. arcana p.* 41. 42. de Theodora postea Justinian. Imp. conjuge scribit, *quod vitæ sanioris homines quicunque obviam illam habuissent in foro, vitabundi se subduxissent, ne vestium contactu tantum scelus in se derivarent; quod ipsa statim atque ad ætatis florem pervenisset, inter prostibulas, quas vocarunt planipedes, habita, obviis quibusque copiam suæ pulchritudinis fecisset, mimis quoque in theatro ad omnia se præbuisset ministram sociamque studiosam & ridicularum quarundam fabularum actricem, quando apprime cum dicacitate faceta esset, hincque omnium statim oculos in se convertisset, præsertim cum nihil in ea verecundum, nihil aliquando pudens appareret, sed in quemvis impudicum morem facile prolaberetur, ita comparata, ut inflictas alapas tumentibus genis excipiens, lepide quereretur, ac tum fuse cachinnos tolleret,* ῥαπιζομένη μέντε καὶ κατὰ κόρρης πατασσομένη χαριεντίζειν τε καὶ μέγιστα ἀναγχάζειν (inquit Græce) *visa est.* Ad quem locum Nic. Alemannus *p.* 32. annotavit. Hoc spectaculi genus carmine Greg. Nazianzeni ἐν τῷ νικοβούλου πρὸς τὸν πατέρα hoc modo fuisse expositum:

- - - ὕβρεσιν ἄλλοι
Ἀνδρῶν, θηλυτέρων, πολυκαμπέα τέρψιν ἔχοντες,
Καὶ Μίμων σκιεροῖσι ῥαπίσμασιν, οἷς ὑπὸ κόρρη
γυμνοῦται ψοφέουσα γελοίϊον ἀντὶ γόοιο.
Nunc in femineis, nunc in probrisque virorum
Dum varios animi lusus & gaudia quærunt,

Pro-

Prospiciunt avidi colaphismata; queis sibi malas
Dum retegunt illi, sonitus crepitusque cietur,
Ex quo pro lacrymis oritur gemituque cachinnus.

Et ad Seleucum, Μίμοι γελοίων κονδύλοις εἰθισμένοι. *Scurræ quibus ferire mos pugnorum ictibus.* Tertullianus *de Spectac. Contumeliis alaparum sit objicit malas, quasi de præcepto domini ludat.*

CAPUT VI.

E Sacra porro Historia prima & vetus illa Palæstinæ repetitur a Capite inprimis XVI. *Libelli Judicum, æque limpidis Israelis fontibus deducitur, quam turbidis Gaza ut divitiis, sic & vitiis atque nequitiis, tantoque magis navale ipsius Majuma olim affluxerint, donec tandem illa desolata, hæc vero Christiana facta cum nomine quoque fœdissima spectacula dereliquerit.*

I. Quo vero magis assertionem sententiamque nostram de Majuma reddamus immotam & inconcussam, fundamentum illius ad imum & primum usque lapidem explorando ulterius, ex Sacris potissimum literis & Palæstinorum auspiciis antiquissimam hujuscemodi spectaculi Gazæi originem accersamus. Quod futurum putamus, si supra *Cap.* v. §. 4. laudatum *capitulum* XVI. *Libelli Judicum* Israeliticorum paulo pluribus excutiamus, & scopo nostro applicemus, aliisque parallelis locis Biblicis enarremus & confirmemus. Cum priora & antiquiora alibi testimonia reperire desperemus, adeo quidem, ut quantumvis absolutissimam, & quæ ad ἀκμὴν nequitiarum statim perveniisset, Majumam inibi depictam minime arbitremur; prima tamen lineamenta & vera ejus rudimenta exinde sufficienter deducamus.

II. Spectaculorum igitur Gentilium omnium finis hic fuerat ultimus, ut cum requieti ab hostibus devictis feriari in pace valerent, id Diis suis vanissimis imputantes, ludos eis publicos gratitudinis ergo cum sacrificiis solenniſſimis apparārent, eosque deinceps quotannis instaurarent. Qua ipsa re Pagani Israelitas æmulabantur, unico & vero atque æterno Deo ob victorias suas jure merito ad hymnorum & festorum eucharistiam obligatos: in eo vero seorsim isti ab his faciebant, atque iisdem offendiculo sæpius erant, quod pluribus & fictitiis Deastris suis hanc gloriam venditarent, eoque etiam Judæos festivis illis solennitatibus, & ad ludos insuper

Digitized by Google

ſuper ac epulas opiparas amicitiæ ſpecie tectis & fictis invitationibus inſcarent, & ad ſe non raro pertraherent.

III. Princeps inter hujuſmodi populoſas & ſcandaloſas, utpote Judæis valde vicinas urbes fuit *Gaza* Chananæorum cum *Sidone* antiquiſſima, *Geneſ.* x. 19. & *Deut.* 11. 23. ubi impiiſſimorum & perverſiſſimorum hominum *Cappadocum* perhibetur *colonia*, ſicuti quoque *Jerem.* XLVII. Hinc cum Joſua (ut eſt in illius Geſtis *Cap.* x.) omnem terram montanam atque campeſtrem & meridionalem percuſſiſſet, & omne, quod ſpirare poterat, interfeciſſet, *a Cadesbanes uſque Gazam*, omnem terram uſque *Gabaon*. Hæ duæ ſcil. urbes magnæ excipiebantur. Quod & *Cap. ſeq.* XI. comprobatur, cum dicitur, quod non reliquerit ullum de ſtirpe Enacim in terra filiorum Iſrael *abſque civitatibus Gaza, Geth, atque Azoto*, in quibus ſolum relicti ſunt. Et iterum *Cap.* XIII. Judæorum terminos contra Aquilonem poſuit terram Chanaan, quæ in quinque Regulos Palæſtinorum dividatur: *Gazæos & Aſotios, Aſcalonitas, Gethæos & Accaronitas.* Cap. vero XV. cum *Accarona, Azotum & Gazam*, & quidem unamquamque earum potentem cum vicis & villulis ſuis recenſuiſſet, *Gazam* fecit potentiſſimam longe lateque dominantem uſque ad torrentem Ægypti & Mare magnum, quod ejus eſſet terminus. Atque de iiſdem Palæſtinis, ſubjectis in gyro circa Iſrael, Nationibus *Cap.* XXIII. indicit & prædicit, quod ſi Iſraelitæ voluerint Gentium harum erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias colere, fore *eas ipſas Iſraelitis veluti clavos in oculis, & aculeos in lateribus, & laqueos in pedibus, donec ipſiſmet Iſraelitis faciat, quod Cananæis facere decreverat*; hoc eſt, auferat, atque diſperdat eos de terra hac optima, quam tradidiſſet ipſis Dominus.

IV. Quod ſtatim, qui ſuccedit, liber Judicum, a fronte ad calcem pluribus demonſtrat. Nam licet *Cap.* I. Judas *Gazam cum finibus ſuis & Aſcalonem atque Accaronem* cepiſſet, non delevit tamen habitatores, quorum aras cum non ſubvertiſſent Judæi, hoſtes perpetuos habuere, & Dii eorum facti ipſis in ruinam. *Cap.* II. ſicuti quoque primis ſtatim Capitis III. lineis enumerantur Gentes, quas Dominus reliquiſſet, ut in iis Iſraelem erudiret & experiretur, ante ceteras vero *quinque Satrapæ Palæſtinorum*, de quibus antea jam dictum eſt, & dicitur quoque in *cap.* V. & VI. *Lib.* I. *Samuelis*, ubi juxta numerum provinciarum Idumæarum quinque anos aureos, & quinque mures aureos jubebantur reddere Deo Iſrael, quia una plaga fuiſſet omnibus quinque Satrapiis. Harum con-

Digitized by Google

connubiis & Idolomania cum essent inquinati Israelitæ, cunctæ horum regiones a Midianitis vastatæ sunt usque ad introitum Gazæ, *Judic.* VI.

V. Quamvis autem *Lib.* XIV. *pag.* 33. Ammiani Marcellini tempore *ultima hæc Syriarum Palæstina cultis abundans terris & nitidis, civitates dicatur habuisse quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas, ut Cæsaream, itidemque Ascalonem & Gazam*; attamen hæc cituma primaria & præcipua ceterarum sororum fuerat, cui non certaverit alia, advectitiis ita adfluens copiis & internis, quæ & *plagarum* seu laqueorum, quibus Judæi capiebantur, & *plagarum* alterarum seu pœnarum maximarum iisdem causa caputque fuerat. Ut proinde Paterius e Greg. M. ad hoc *Cap.* XVI. *Judicum* scripserit: *Quid Gaza civitas, nisi infernum designat?* Quo nomine sæpius Prophetæ, cumprimis contra *Gazam*, insurrexere, & tres vel quatuor sorores maritimas ceu desperatissimas Palæstinorum & Cappadocum nequissimorum reliquias, *funiculum maris perditorumque gentem* appellarunt; ut *Jerem.* XXVI. & XLVII. *Amos.* I. *Sophonias* II. & *Zachar.* IX. qui signate Regem periturum de Gaza dixit, ut deinde hic sit quasi Dux in Juda futurus.

VI. Atque sic quoque *Gaza* præcipue nobis ob oculos statuitur isto aliquoties citato *Cap.* XVI. *Judicum*, ceu *maritima* & *luxuriosissima*, deinde *securissima*, & *superbissima*; tum aliis Satrapiis non *confœderata* modo, sed & earum veluti *regina*. Hinc ob variorum populorum concursum *vitiosissima* & *superstitiosissima*, cumprimis *monstro marino* Dagonis seu Dercetus *devotissima*, atque insuper in honorem ejus Idoli *ebriositati, comessationibus, tumultuosis favoribus*, & spectaculorum congenerum *ludis*, ad eamque rem *stupendis* denique *machinis deditissima*. Quæ sigillatim porro exsequemur, & e Sacro contextu enarrabimus.

VII. Primum namque Samson *Gazam* ceu prius Ascalonem descendisse dicitur, vel ut ad *civitatem commodissimo portu insignem*, ex quo in Hailam ad littus maris Rubri, seu Arabici sitam, triginta tantum duo milliaria, inque Ægyptum facillimus trajectus esset; atque ideo magna ibi daretur confluges & inquilinorum & peregrinorum luxuriosissima. Utpote *quod ibi*, ceu Lyranus vel Ordinaria Glossa meminit, *multæ essent hospitatrices, quæ de facili sese exponerent hospitibus suis.* Ad qualem cauponariam meritoriam in publicum diversorium concessit Samson, postquam visa prius ipsi placuisset.

VIII. Deinde quod *securissima* & *superbissima* exstiterit, ex eo patet,

Digitized by Google

quia vere fuerat *Azah* fortis, munita muris & portis obſerata atque cuſtodibus circumdata. Sicuti quoque turres ſeu πύργοι illius & muri 1 *Maccab.* c. XIII. commemorantur; & Propheta *Amoſ.* 1. *v.* 7. Gazæ muros & arces igni conſumenda vaticinatur, quod iiſdem confiſi Idumæi Iſraelitas ſibi pleno exilio mancipaverint. Tales vero urbes & arces majoris ſecuritatis gratia incolere ſueverunt ditiores, ut ſine metu gazis ſuis incubare & gaudere valeant, a quibus etiam nonnulli ipſam volunt nuncupatam. Sic enim Pomp. Mela *lib.* 1. *Cap.* 11. *In Palæſtina eſt ingens & munita admodum Gaza, ſic Perſæ erarium vocant, & inde nomen eſt: quod eum Cambyſes armis Ægyptum peteret, huc belli opes & pecuniam intulerat.*

IX. Tanto vero magis populo Iſraelitico formidabilis eadem inſultabat, quanto magis reliquarum *Satrapiarum quatuor fœdere ipſa*, velut earum *princeps*, *nitebatur*. Nam quinque earum præcipue fuiſſe, jam tum oſtenſum eſt. Et ex eo quoque elicuit D. Chytræus, quod Palæſtinorum ſinguli Satrapæ MC. argenteos Dalilæ ſtipulati fuiſſent, qui ſi argentei Sicli fuiſſent, tum ſinguli Principes DL. Joachimicos, & in una ſumma MMDCCL. Unciales obtuliſſent.

X. Quin *Gaza* primaria ſedes & velut *urbium Domina* fuiſſe videtur, quo ceteri Palæſtini ſolerent convenire, adeoque aula earundem maxima, qua pios oporteret exulare, impios autem & vitioſiſſimos quoſque congregari, non Principes ſaltem, ſed & de plebe Palæſtinorum quoſlibet, ut quæ Panegyrica totius Idumææ ibique quædam quaſi Panphiliſtæa eſſet.

XI. Unde ob eundem confluxum maxime *ſuperſtitionibus* variiſque idolorum vanitatibus eandem *mancipatam arguunt* magnificæ iſtæ *Hecatombæ*, & ingentia ſacrificia Diis ſuis immolata. *v.* 23. Quibus neminem ſub certiſſimo vitæ periculo abeſſe oportebat, præſentibus vero Idolomaniæ cultoribus feriæ indicebantur, veſtes diſtribuebantur, aut ſaltem ab ædilimis promebantur, & poſt facta variis ſimulachris ſacrificia ſolida, Vatibus, Sacerdotibus & omnibus cultoribus convivia & ludi a Regibus & Satrapis exhibebantur. Videſis *caput* x. *lib.* IV. *Regum*, a *v.* 18, ad 27. Eique conjunge *Exod. Cap.* XXXII. Atque inde Simon Maccabæus *lib.* 1. *v.* 13. *ejecit Gaza omnem talem impuritatem, mundans ades, in quibus fuerant ſimulachra.*

XII. Quodque eadem inprimis *Dagonis ſemipiſcis* & veluti Meluſinam aliquam repræſentantis *ſacris immundis contaminata* fuerit *v.* 23. & 24. capitis

capitis hujus XVI. proditur. Quod vero monſtrum hoc marinum maritimis illis urbibus Palæſtinæ cultum quoque fuerit,

- - - Quod turpiter atrum
Deſiit in piſcem mulier formoſa ſuperne.

(ut ab Horatio ex *Artis* ſuæ initio hoc mutuemur) ex *cap.* V. potiſſimum *libri prioris Samuel.* evincitur. Cum *Dagoni caput & duæ palmæ* ſeu volæ manuum *abſciſſa in limine adorabunda* (uti Joſephus loquitur) *jacuere*; quatenus ſcil. ex dimidia parte ſuperiori imaginem hominis referret) *truncus autem ſolus remanſit in loco ſuo*, nullis inſiſtens pedibus, cum in brutam caudam exiret lignum inutile & immobile. Nam *Dag* (*Pſalmo* VIII. & alibi paſſim) *piſcem* denotat. Atque hinc J. J Scaliger in *fragm. Chronolog.* ait: *Dagon, ut Judæi narrant, ſculpebatur forma piſcis; nos autem ſcimus τὴν* Δερκετὼ (*quæ Syris* Atergata, *unde locus in Syria* Atergation 1. *Macc.* XII. 26.) *ſculpi ſolitam ſuperne mulierem, inferne piſcem. Melius igitur τὸν* Δαγῶνα Ἰχθυῶνα, *quam* Σιτῶνα *vertiſſet* (Philo ſcil. & poſt eum Schindlerus atque Druſius ad Sulpitium.) Qui Scaliger quoque *ad* IV. *Varronis de LL.* & *ad Manilium* poterit hac de re conſuli; præcipue tamen e claſſicis Diodorus Siculus *lib.* III. Qui & ipſe *Dercetyn* ſeu mulierem formoſam pubetenus ſimulatam ait, at reliqua corporis parte infima piſcem referre. Nec aliter fere Georg. Fabricius in *Hiſt. ſacris l. 9. c.* 311. *Philiſtini juxta Jordanem & loca maritima coluerunt, & quinque regias civitates poſſederunt. Deus eorum* Dagon, *qui Græcis & Romanis* Triton *eſt: pubetenus homo, parte inferiore piſcis. Studia Philiſtinorum memorantur duo præcipua, negotiationes & auguria.*

XIII. Neque ſane clam eſſe poterit, eam ipſam *Gazam* in honorem hujus Idoli ſui *comeſſationibus publicis abreptam*, atque convivio um epulis in enormem hilaritatem effuſam, promiſcueque in eadem aula vel theatro ſeu adeo fano, accumbentibus pariter viris & mulieribus, ſtrenue pergræcatam. Quæ ebrioſitas eo maxime augebatur, quia hæc Palæſtinæ civitas ferax optimi eſſet vini, quod inde per mare varias in regiones exportabatur, ceu valde, ut potentiſſimum, ab omnibus deſideratum. Sic enim inter reliqua omnia commendabantur a Corippo *lib.* III.

Vinaque quæ Sarepta ferax & Gaza crearet.

Illius autem tanta Fulgentio *lib.* II. *Mytholog.* vis fertur, de quo quilibet etiam ebrioſus vix toto menſe ſextarium bibe it. Ita & Fortunato *lib.* II. *de vita S. Martini* inter loca nectare celebratiſſima primo loco hæc urbs memoratur:

Digitized by Google

- - - Falerna,
Gazaque, Creta, Samos, Cypros, Colophona, Sarepta
Lucida perſpicuis certantia vina lapillis. (ſc. gignentes.)

Et Martinus Dumienſis:

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna:
Quaque Sarepteno palmite miſſa bibas.

Videatur Iſidorus *lib.* XX. *c.* 10. Caſſiodorus *lib.* & *Epiſt.* XII. Sidonius *Carm.* XVII. 15. Gregorius Turon. *lib.* VII. *Hiſt.* & *cap.* 29. & *de gloria Confeſſorum cap.* 65.

XIV. Tumultuoſam quoque eandem acclamationum impiarum quaſi Circenſibus perſtrepuiſſe plauſibus, ſatis probant iſta, ubi præcinentibus & intonantibus Principibus: *Tradidit Deus Noſter, Inimicum Noſtrum, In Manus Noſtras!*

Eadem ceu Echo redderet & vulgus omne, hoc adjiciens de illo ipſo adverſario ſuo Samſone: QUI DELEVIT TERRAM NOSTRAM. ET OCCIDIT PLURIMOS NOSTRUM. LXX. ſic reddiderunt:

παρέδωκεν ὁ Θεὸς
τὸν ἐχθρὸν
ἐν χειρὶ
τὸν ἐρημώσαντα τὴν γῆν
καὶ ὸς ἐπλήθυνε τὰς τραυμαλίας
} ἡμῶν.

Quod autem non DEUM verum, ſed ſuum conflatilem intellexerint, id non præcedanea modo verba, ſed & ſimile docet exemplum *Exodi* XXXII. ubi Iſraelitæ *Apin* ſeu *vitulum aureum* ſibi erigentes, hujuſcemodi favore acclamarunt: HI SUNT DEI TUI ISRAEL, QUI TE EDUXERUNT DE TERRA ÆGYPTI. Cum potius vel in medio deſerto eos Ægypti ſuperſtitioni etiamnum adhærere facerent & adglutinarent.

XV. *Ludis* etiam *congeneribus* plane *deditam* fuiſſe, clarum inde fit, quod a convivio & epulis aliquot millia utriuſque ſexus hominum, in unico fano veluti theatro accumbentium, *ludere & illudere* aliis flagitarint. Bifariam quippe iſtud interpretantur. Nam credibile eſt, ipſoſmet inter ſeſe luſus nefarios & obſcœniſſimos exercuiſſe aliorum gentium more, quos Iſraelitæ jam allegato XXXII. *Cap. Exodi* æmulabantur, *cum poſt oblatas hoſtias pacificas decumbentes cibum potionemque cepiſſent, & inde ſeſe ad ludendum erexiſſent.* Quod & *cap.* X. *prioris ad Corinth. v.* 7. de idololatris aliis, Cereri, Baccho Venerique feriatis repetitur: ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πίνειν καὶ ἀνέστησαν παίζειν. Tertullianus enim *lib. de jeju-*

nio

Digitized by Google

junio contra Pſychicos *luſum* hunc per *fornicationem* & *impudicitiam* interpretatur. Sicuti quoque *lib.* 11. *Aſmonæorum Cap.* VI. templum ſanctum nomine Jovis Olympii inſignitum a gentibus luxuria & comeſſationibus fertur repletum ab externis, nequitiæ inter ſcorta indulgentibus, & intra ſacros parietes cum feminis rem habentibus, & inſuper illicita intro ferentibus. Nam & multi de Dei populo ad convivia idololatrarum invitati, ciboque & vino dementati in turpitudines (prout *plenus venter deſpumat & exæſtuat in libidinem*) & ipſi provolvebantur. Sicuti poſt Idolothytωn manducationem & iſtum Nicolaitarum (mulieres communes habentium) ludum objicit Chriſtus Salvator Pergamenſibus & Thyatirenſibus, *Apocal.* 11. Et inter Epicureorum tria ſcita: ἔσθιε, πίνε, παῖζε! ultimum in Sardanapali tumulo per τὸ ἀφροδισιάζειν explicatur.

XVI. Quin & *ludorum alterorum* ſeu *ſpectaculorum* extrema fuit *amatrix* & ridiculorum captatrix, ut quæ mancipia & devictos ſuos glorioſa, velut per pompam & repetitos triumphos, ludificari faceret ſæpius, quo ſe conſpectu hoſtis, *jam præferrati apud molas tribuni ſemiraſi & pedes annulati* (ut Plautine cum Chytræo loquamur) oblectarent. Atque eo pertinet, quod B. Sulpitius Severus primo *ſacræ Hiſt.* haud dubie ex locuplete Auctore Vet. (licet Sigonius & Druſius unde ille hauſerit, ignorent) obſervatum reliquit: Erat Allophylis moris cum dies feſtos agerent, Samſon quaſi in pompam publicam producere, capto inſultantes; ita die quodam, cum publicum epulum in honorem Idoli dediſſent, Samſon exhiberi jubent, *ut* (ceu in Gloſſa expoſuit Lyranus ille Nicol.) *materiam riſus eis præberet, quia cæcus erat, & ideo impingebat aliquando ad parietem & aliquando cadebat, de quibus ridebant Philiſtæi.* Dubio procul ipſum quoque, ut typum Chriſti, cœperunt ῥαπίζειν & buccis inflatis alapas ipſi infringere, quod κολαφίζειν & κολαβίζειν Polluci *lib.* 8. *c.* 7. *fine* eſt, aliquem obtectis oculis ferire & quiſnam percuſſerit interrogare. Nam & ſic LXX viralis editionis fol. 227. *c.* XVI. *Judic. v.* 26. ex alia tranſlatione antecedentis phraſeos legebatur a quibuſdam: ἐνέπαιζεν ἐνώπιον αὐτῶν καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτὸν, ut Chriſtum *Matthæi* XXVI. 67. & 68. Fortaſſis quoque cum Andabata pugnarunt cum non videret adverſarium. Confer etiam *cap.* 11. *lib.* 11. *Samuel.* ubi *jubentur ſurgere pueri* (ſeu milites) *& ludere coram Joab & Abner, & velitari & digladiari; cum duodecim paria utrinque concurrerent & capitibus ſe apprehendentes invicem jugularent, gladiiſque confoderent.*

XVII. Ad ſtuporem denique excitatis eum in finem Theatrorum *ma-*

Digitized by Google

chinis ſummopere *gaviſa eſt*, ita ut tecti ὑπαιθρίᾳ ſtructura duabus columnis medianis incumbens ſuſtineretur. Cujuſmodi Theatri gemino cardini innitentis memoria exſtat apud Plinium, argute luxuriantem illam veſaniam Romanorum ſuorum exagitantem, *lib.* xxxvi. *cap.* 15. "C. Cu-"rio, qui bello civili in Cæſaris partibus obiit, funebri patris munere "cum opibus apparatuque non poſſit ſuperare Scaurum: Theatra duo "juxta fecit ampliſſima in ligno cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa "libramento, in quibus utriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito "inter ſe averſis, ne invicem obſtreperent ſcenæ & repente circumactis "ut contra ſtarent, poſtremo jam die diſcedentibus tabulis & cornibus "inter ſe coeuntibus faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula "edebat, ipſum magis auctoratum populum circumferens. Quid enim "miretur in hoc quiſque primum? inventorem, an inventum? artificem "an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare an ſuſcipere? parere an "jubere? ſuper omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infida inſtabi-"lique ſede. En hic eſt ille terrarum victor & totius domitor univerſi, "qui gentes & regna dirigit, jura externis mittit, Deorum quædam im-"mortalium generi humano portio, in machina pendens & ad periculum "ſuum plaudens. Quæ vilitas animarum iſta? aut quæ querela de Can-"nis? quantum mali potuit accidere? hauriri urbes terræ hiatibus publi-"cus mortalium dolor eſt, ecce populus Romanus univerſus veluti duo-"bus navigiis impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur, & ſeipſum depu-"gnantem ſpectat, periturus momento aliquo luxatis machinis, & per "hoc quæritur tribunitiis concionibus gratia, ut penſiles tribus faceret. "Qualis hic in roſtris? quid non auſurus apud eos, quibus hoc perſua-"ſerit? vera namque confitentibus populus Romanus funebri munere ad "tumulum patris ejus depugnavit univerſus „ *&c.*

XVIII. Paulo quidem alia nec tamen plane ab illa aliena hæc Gazætica ſtructura videtur. Vix enim quomodo non ſaltem proceres Samſonem intra columnas ludentem & ludificatum, ſed & qui in tecto illis columnis innixo ſpectare ſimul potuerint colligas. Ridiculus ergo eſt Benedictinus ille Cormæriacenus, vir alias facundia & ſcientia clarus, Joach. Perionius, qui in *Vitis Patriarcharum pag.* 79. valde nude & ſimpliciter, ne dicam inepte, ſic deſcripſit: *Renaſci jam ejus* (Samſonis) *capilli cæperunt, cum Palæſtini feſtum diem more inſtitutoque majorum agentes, Samſonem ludibrii cauſa producendum communi conſenſu, ut hoſtem cenſuerunt. Eo in cubiculo duæ columnæ erant, in quibus tota domus nitebatur, tam*

parvo

Digitized by Google

parvo intervallo disjuncta, ut eas manibus posset homo contingere &c. Aliquanto melius Georg. Fabricius in *Hist. sacris virorum illustrium. In convivium, in quo cum uxoribus & liberis Satrapæ accubuerant, spectaculi causa productus fide Deum invocat, prehensisque columnis, quibus porticus innitebatur, eas evertit.* Sed ante hos Godfr. Viterbiensis hoc ejus schema exposuit *fol.* 139. prout quidem huc faciens excerpsimus:

Scribitur in Gaza tunc aula fuisse rotunda,
Gensque Philistæa sæpe resedit ea.
Sarcina cujus erat media stabilita columna:
Idola fana colunt præbet & esca forum.
Ludere Samsonem Princeps jubet ante Dagonem:
Saltat eis cæcus, statque columna secus.
Hanc ubi pessundat Samson, cadit aula rotunda,
Inde cadente domo concidit omnis homo.

XIX. Alius tamen aliam sibi hujus ædificii formam imaginari posset, prout Prudentius Hamartius conjunxit:

—— *Meritoria, templa, theatra,*
Et Circum cum plebe sua madidasque popinas.

Talia vero illa & meritoria erant præsertim, ubi pluribus cellis & pergulis ascendebant distincta cœnacula, de quibus appositè valdè ad hunc locum Tertullianus *contra Valentinianos cap. 7. Primus omnium Enniue Poeta Romanus* cœnacula maxima cœli *simpliciter pronunciavit elati situs nomine, vel quia Jovem illis epulantem legerat apud Homerum, sed Hæreticis quantas supernitates supernitatum, & quantas sublimitates sublimitatum in habitaculum Dei sui cujusque suspenderint, extulerint, expanderint, mirum est. Etiam Creatori nostro Enniana cœnacula in ædicularum disposita sunt forma, aliisque atque aliis pergulis superstructis, & unicuique Deo per totidem scalas distributis, quot hæreses fuerint. Meritorium factus est mundus.*

XX. Ipse tamen Spiritus S. ita hanc ædem Dagonis describit, ut ipsum fanum seu domus inferior plena esset virorum ac mulierum, interque eos ibidem versarentur omnes Principes Palæstinorum, in superiori vero parte seu tecto, quod more ædium Orientalium, planum spectantibus atque comessantibus exhibebat sub divo solarium tribus circiter hominum millibus recipiendis idoneum, atque istud ὑπαιθρον duabus ingentibus columnis suffultum erat, quas cum Samson impulisset & evertisset, collapsum illud desuper non tria modo, quæ continebat, utriusque sexus homi-

minum

minum millia pondere & præcipitio contrivit, ſed ſimul ſuper omnes Principes, optimates atque ceteram multitudinem, quæ infra congregata erat, illapſum, ſingulos & univerſos uno momento obruit, ut interfectorum nullus iniri certus potuerit numerus, ideoque id ſaltem fuerit perſcriptum, *quod plures multo interfecerit in morte, quam unquam prius occidiſſet in vita;*

Scilicet innumero Samſon ex hoſte triumphans:

ut ajebat Petrus de Riga. Tametſi Joſephus non recte inſpecto hoc textu, ea ruina tria ſaltem millia unà cum Samſone velit oppreſſa, quem ſequitur & noſter Calviſius; ſed Sulpitius Severus, & hoc ipſo ſeculo Dion. Petavius cautius numerum ignotum ſilentio tranſiverunt. Et Theodorus Cyrus ipſum interfectorem cum Allophylis tantum non omnibus, ait, interfectum & obrutum in Tetraſtichis:

Παίγνιον ἀλλοφύλοισι πίνεσι προήλυθε Σαμψὼν
Στῆται παρὰ ταθμῷ, κίονας δ' ἔλε χείρεσι δοιὰς,
Σεῖσε δ' ἐλὼν πρόδ' ἅπας χαμάδις πέσεν ἅπλετο οἶκος
Σὺν ᾧ τ' ἄρ' ἀλλοφύλοις αὐτὸν καλέπεφνε φονῆα.

XXI. Sed ne prorſus feramur παρὰ μέλος, *redeamus ad ludos Gazetiços*, quorum cauſa hæc potiſſimum ſcripta, quoſque *aquaticos* ſeu marinos ipſis præ ceteris uſitatiſſimos fuiſſe arbitramur, non modo, quia mare accolerent, ſed quod & talem Deam inprimis colerent, propterea que in ejuſdem honorem congeneres ludos celebrarent. Nam quæ in Cœleſyria colebatur juxta Plinium *lib. v. cap. 23. Atergatis, Græcis Derceto dicta, prodigioſa* eidem ideo eſt, quod

Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.

Hanc quidam Δέρκην *Veneris filiam* dixere, *quæ in mare prolapſa a piſcibus ſervata eſt*: repetente Theone Arati Scholiaſte. Alii Δερκεῖὼ ajunt *Deam ex injecto ſibi a Venere amore adoleſcentis*, ipſi ſacrificantis & conſuescentis, poſtea ſubſecuto pudore & dolore *ſe in ſtagnum abjeciſſe, & in piſcem deformatam fuiſſe*, uti Diodorus memoravit *Lib. 3.* Nonnulli (ut Xanthus Lydus, quem & Heſychius ſed in voce corrupta Ἀτλαγάθη pro Ἀτέργατις laudavit.) Ἀτέργατιν vel Ἀθάρην *a Moyſe quodam Lydo captam, ſimulque cum Ichtye filio in lacu Aſcalone contumelia cauſa fuiſſe ſubmerſam, & a piſcibus devoratam.* Quæ & plura talia requiſieris apud Cœl. Rhodiginum *lect. Antiqu.* & Lil. Greg. Gyraldum *Syntag. 1. fol.* 60. 61. & 62. Qui & ipſe in fine addit: *Eſſe, qui ſcribant, Dagon eandem eſſe cum Derceto unde & templum Bethdagon dicatur, Dagon vero piſcem ſignificet.*

XXII. Eo

Digitized by Google

XXII. Eo vero nomine illa ipſa Dea Syria non modo piſcium abſtinentia ſanctiſſime a populis illis colebatur; Διὸ ϗ τὲς Σύρες μέχρι νῦν (adſtipulatur Diodorus) ἀπέχεσθαι τότε τῶ ζώε καὶ τιμᾶν τὲς ἰχθῦς ὡς θεὲς. Sed &, eodem teſte, *juxta Aſcalonem Syriæ civitatem ad ſtagnum iſtud piſcibus refertum, inſigne ejus Deæ templum in littore conſtituerunt.* Quin & peculiares eidem urbes & templa munita conſecrarunt, ut eſt *Bethdagon*, *Joſuæ* xv. 44. aliud ſane oppidum ab illo *Bethdagon Azoti*, quod fanum fugati hoſtes, ad idolum ſuum ſalutis cauſa ingreſſi feruntur, ut ſe ibi liberarent 1 *Maccab.* x. 11.

XXIII. Iſtud autem præcipue hujus loci hujuſque conſiderationis eſſe videtur, & neſcio num a quoquam animadverſum, in gratiam & honorem hujus Deæ aquaticæ, ludos etiam aquaticos celebratos. Sane Prælaudato Naturalis variæque Hiſtoriæ conſtipatori *Lib.* v. *C.* 13. *Idumæa, Syria, & Palæſtina inque ea hæc* (ita conjunguntur) *oppida: Gaza & Aſcalo libera, Azotas, Jamnes duæ, altera intus. Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Colitur illic*, (ita addit) *fabuloſa Derceto.* Jam vero ex *cap.* xii. *l.* ii. *Maccab.* eluceſcit, pacis tempore certamina quædam ludicra Naumachiæ ſpecie exhibita, ad quæ Joppitas, cum quibus habitabant, Judæos quoque invitaſſe, eoſque rogaſſe, ut in ſcaphas, quas ipſi præbituri eſſent, una cum uxoribus & liberis ſuis conſcenderent, utpote nulla inter eos amplius intercedente ſimultate. Quibus cum Judæi ceu ſincere pacem colentes nihilque plane ſuſpectum habentes conſenſiſſent, & accedente inſuper communi civitatis decreto, (quo publice privatimque pax inter utriuſque religionis incolas ſancita, paciſque fructus commercia libera reſtabilita, & feſtivitates communes tutæ omnibus futuræ ſciſcerentur) tanto ſecurius acquieviſſent; iſti hos in altum eductos ſubmerſerunt non minus ducentos. Idemque facinus vicini quoque Jamnitæ in inquilinos Judæos conabantur. Sed non modo iſtis, ſed & his ſuperveniens ſtatim Judas utrumque portum cum ſcaphis iſtis, & claſſe tota incendit & combuſſit, quique inde aufugerant, gladio trucidavit. Lumen autem ignis apparebat Hieroſolymis a ſtadiis CCXL. Quod etiam a Strabone *l.* xvi. *fol.* 501. firmatur; *Quod a Joppe loco ſatis edito Hieroſolyma conſpiciatur Judæorum metropolis, & quod portus latronum factus fuerit receptaculum, quorum ſylva fuerit & Carmelus. Atque hic locus adeo hominibus abundaverit, ut ex Jamnia proximo vico & circumvicinis habitationibus quadraginta hominum millia armarentur.*

Digitized by Google

XXIV. Quod autem ſpectaculi alicujus Panegyrici cauſa ita pellexerint Joppitæ Judæos, vel ex eo apparet, quod alias non omnes Judæi ita exſpatiaturi fuiſſent, niſi publica communiſque incolis omnibus indicta fuiſſet feſtivitas. Quodque iidem Gentiles in honorem ſuæ Deæ hujuſmodi ludos ſolerent exhibere, inde videtur argui poſſe, quod Jamnitæ vel ſecum ad talia certamina ludicra extuliſſent res quaſdam Deæ illi aliiſque Deaſtris conſecratas, vel ſaltem donaria tum in templis appendiſſent, ut in ſolennitate feſtiva; quæ ipſa contra legis interdictum, cum quidam Maccabæi commilitones rapuiſſent & detraxiſſent, ob eandem cauſam ſub finem ejus capitis in prælio feruntur occubuiſſe.

XXV. Et ſane, quod populi illi plurimum tribuerint marinis exercitiis, manifeſtiſſimum eſt vel ideo quoque, quod illi ipſi Phœnices & Syri maris accolæ primi navigationum auctores eſſe viſi & habiti ſint. Sic enim Dionyſius Afer in *periegeſi ſua pag.* 512. ea de re diſſeruit, cujus integrum locum, & quidem ex Priſciani præcipue verſione & verſibus Latinis proferamus:

Οἵ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἀληθινέω ἐμνήσαντο,
Καὶ βαθὺν ἠρανίων ἄστρων πόρον ἐφράσαντο
Οἵ τ' Ἰόπην καὶ Γάζαν, Ελαίδα τ' ἐναίσσι
Καὶ Τύρον ὠγυγίην Βηρυτῦ τ' αἶαν ἐρανὴν &c.
Ἡχίπερ Αντιόχοιο ἐπώνυμοι Αντιόχεια.

Qui pelagus primi tentantes navibus altis
Et primum ſtellis numeros nomenque dedere
Atque oculis mirum voces, ſentire figuris,
Hi muros Jopes Gazamque & Elaida complent,
Antiquamque Tyrum, Beryti & mœnia grata,
Hinc etiam Antiochus nomen dedit Antiocheiæ.

Sic & Lucanus *lib.* 3.

Accedunt Syriæ populi, deſertus Orontes,
Et felix, ſic fama, Ninos, ventoſa Damaſcus,
Gazaque & arbuſto palmarum dives Idume,
Et Tyros inſtabilis pretioſaque murice Sidon,
Has ad bella rates, non flexo limite prati
Certior haud ullis duxit Cynoſura carinis.
Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Præter hoſce vero virorum ludos in aquis, juxta quoque panegyricos choros ducebant in terra feminæ Palæſtinæ, cumprimis Aſcalonitarum ad lacum Dagonis & Dercetus. Sic enim Rex David *poſteriori lib. Sam. c.* 1. in planctu ſuo inhibet: *Ne annuncietis in compitis Aſcalonis* (quod inclyti Iſrael interfecti) *ne forte lætentur filiæ Palæſtinorum, ne exultent præputiatorum puellæ.* Nam *cap. ult. lib.* 1. *Sam.* præmiſerat, quod præciderint hoſtes caput Saulo, & exſpoliarint eum armis, hæc quidem in templo Aſtartes ſuſpendentes; iſtud vero in Palæſtinam in omnes partes mittentes, quo bene geſtarum rerum nuncius in æde ſtatuarum vel Idolorum ſuorum, atque in natione divulgaretur, exindeque omnes & ſinguli tripudiarent. Quin & Godfr. Viterbienſis *Samſonem* hic exiſtimat *ad ſaltandum fuiſſe circumactum* carmine jam adducto. Quod autem ludentes & ſaltantes valde ſe denudaverint, lineo ſaltem amictu leviter induti, non modo ex *cap.* VII. 11. *Sam.* patet, ubi Michal conjugi Davidi, quem tripudiantem & ſaltantem de feneſtra conſpicata fuerat, objectat: *Quod tanta fuiſſet Regis gravitas, qui ſe ſpectantibus ſuorum ſervorum ancillis non aliter diſco operuiſſet atque vulgaßet, quam ſe ſolerent nudare & vulgare ſcurræ.* Verum ex *fine cap* quoque XIX. *lib. prioris Sam.* ubi Rex Saul, quando & ipſe inter Prophetas ſpiritu correptus baccharetur, exſpoliavit ſemetipſum veſtimentis ſuis, & cecinit nudus tota die & nocte. Quæ duo quoque loca Lyrenſis inter ſe contulit, & unum ex altero enarravit, *quod uterque non modo inſignia Regalia depoſuiſſet, ſed & quaſi unus de ſcurris ſe denudaſſet.*

XXVII. Mulieres tamen magis adhuc proſtituebantur in his partibus nudæ. Juvenalis *Sat.* 111. de Græculis & Syris conqueritur, *Natio quod ſit*

Comœda an melior, cum Thaida ſuſtinet, aut cum
Uxorem Comœdus agit vel Dorida nullo
Cultam Palliolo? mulier nempe ipſa videtur
Non perſona loqui, vacua & plana omnia dicas
Infra ventriculum & tenui diſtantia rima.

Præmiſerat vero hæc externorum cumprimis Antiochenorum ceterorumque Syrorum vitia Romam occupaſſe, & ipſos victos victoribus ſuis dominari:

Cum pridem in Tiberim Syrus defluxit Orontes
Et linguam & mores & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit & ad Circum juſſas proſtare puellas,

Digitized by Google

Ite, quibus grata eſt picta Lupa barbara mitra!
Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

Quæ omnia quod de *Syris*, (qualium tibicinum proprium eſt *Syringas* inflare: οἱ γὰρ Σύριοι θρασύτι καὶ ἔντολμον ἐμπνεῖν δοκοῦσι. *Nam Syrii aſperum quid & forte flare videntur*, Pollnci *lib.* 4. *cap.* 11.) & vicinorum moribus Romam tranſlatis capienda ſint, idem Satyricus ſemetipſum explicat, *Sat.* v. *v.* 246.

Endromidas Tyrias & femineum ceroma, Quis neſcit?

Ubi nequaquam cum Farnabio *purpureas & molliores veſtes* intelligas, ſed quales Phœniciæ & Syræ feminæ in certaminibus & ludis hujuſcemodi gerebant, αἱ γὰρ ἐνδρόμιδες ἴδιον τῆς Ἀρτέμιδ& τὸ ὑπόδημα καὶ τῶν δρομέων, ἀθληταῖς δ' ἂν προσήκοιεν, ut ait Pollux *fine lib.* VII. *C.* 9. & *lib.* VII. *c.* 22. *Diana proprii calcei & curſorum endromides, Athletis vero quoque conveniebant.* Quæ & jocoſo vocabulo τρεχέδειπνα dixit, quod iiſdem ad epulas currebant cupedicini vel potius cupidicæni. Vid. Turnebus *lib.* 3. *c.* 17. & Joſ. Scal. *l.* 5. *de emendat. temp.* qui bina illa Juvenalis loca pariter, ut nos, invicem conciliavit. Vide quoque Paraphraſin aliam tam hujus, quam alterius Satyræ *Cap. ſeq. n.* 2. & 3.

XXVIII. Famoſæ vero erant tam tibicinæ quam ſaltatriculæ & meretriculæ Syræ, de quibus non poſſumus, quin aliquot Epigrammata Græco-Latina producamus, eaque inter Syri quoque ipſius Philodemi Epicuri Gadaræi, cujus & Horatius *lib.* 1. *Sat.* 2. mentionem fecit. Sic autem *lib.* 3. *Anthol. fin. cent.* 2. *alterius Millenarii*, populari cuidam ſuæ Epitaphium ſtruxit e Scaligeri & Brodæi emendatione:

Ἐνθάδε τῆς τρυφερῆς μαλακὸν ῥέθος ἐνθάδε κεῖται,
Τρυγόνιον, σαβακῶν ἄνθεμα σαλμακίδων.
Ἡ καλύβη καὶ δῶπος ἐνέπρεπεν ᾗ φιλοπαίγμων
Στωμυλίη μητὴρ, ἣν ἐφίλησε Θέων. *&c.*

Trigonium jacet hic corpus compoſita tenellum
Et qua proſtibulis flos fuit ebriolis:
Tympana cui fuerant Syria & crepitacla decori,
Garrulitaſque jocans Mater, amanſque Theon.
Sola ſuper reliquas femellas, Cypria amavit
Sacra, prope accedens Laida blanditiis.
Sancte ſed huic tumulo fer Bacchi, pulvis, amicæ
Nequaquam ſpinam, ſed teneras violas.

Idem

Idem *Millen.* 1. *Cent.* 3. *Epigr.* 77. antiquos præſertim ſuæ nationis in littore maris variis floribus conſperſo, voluptatis gratia cœnitaſſe demonſtrat. Sicuti quoque Terentius *in Eunuch.* dicit, quondam *conveniſſe in Pyræeo, ut de ſymbolis eſſent.* Et Quintil. *lib.* 7. *c.* 4. *juvenes*, inquit, *qui convenire ſolebant, conſtituerunt, ut in littore cœnarent.* Quorum ſpectat eodem *Millen.* 1. *Cent.* 3. *Epigr.* 10. quod alibi afferimus.

XXIX. Ceterum cum Gaza Judæis perpetuo mala multa intuliſſet, nimis idolis ſuis ſuperba, & Cincinnis balſamo atque amomo ad omnem luxuriam perfuſis ebria, *calvitium tandem venit ſuper Gazam*, quod ei vaticinatus fuerat Jeremias, *cap.* XLVIII. ante quam expugnaſſet & percuſſiſſet Pharao Necho, Rex Ægypti, Gazam, ante Chr. N. an. DCX. & prius quam an. pariter ante C. N. CCCXXX. Alexander Magnus poſt expugnatam Tyrum obſediſſet Gazam, in cujus oppugnatione bimeſtri graviter vulneratus cum eſſet, eam captam deleviſſet, ut Diodorus & Curtius docuerunt. Dehinc ante N. C. anno CXL. Simon Maccabæus *lib.* 1. *cap.* XIII. expugnata rurſus urbe Græcos, quos Macedones ibi habitare juſſerant, expulit, & eam habitandam Judæis conceſſit. Sed cum Judæos Gazæi viciſſim exegiſſent, tandem anno ante C. N. XC. *Alexander, qui & Jannæus, Judæorum Rex*, juxta Joſephum, *urbem Gazæorum (quod accivisſent Ptolemæum e Cypro contra ipſum) oppugnavit & agrum depopulatus, proditioneque Lyſimachi intromiſſus* 500. *Senatores in fano Apollinis jugulavit, promiſcuaque plebis ingentem multitudinem (quanquam non inulti morerentur) contrucidavit, deſolatas prius ædes incendit & urbem inſuper diruit.* Ab hoc tempore aliquamdiu Gaza penitus deſerta jacuit. Unde non modo *Acta Apoſtolica* meminerunt *cap.* VIII. *v.* 26. de Gaza αὕτη ἐστὶν ἔρημος, ſed & σύγχρονος tradidit Strabo *lib.* XVI. ubi ab Azoto, Aſcalone, Jamnia, & Gadaribus progreſſus: *Poſtea* (infit) *eſt Gazæorum portus, & paulo ulterius ad ſeptem ſtadia civitas, quæ olim illuſtris fuit, ab Alexandro autem everſa non habitatur. Ex hoc loco dicitur eſſe MCCLX. ſtadiorum tranſcenſus in urbem Ailam, ſitam in Arabici ſinus receſſu, qui duplex eſt, alter Arabiam & Gazam verſus, quem Alaniticum appellant ab urbe quæ in ea eſt. Alter Ægyptum verſus ad Heroum urbem, in quem breviſſimum iter eſt ex Peluſio. Et poſt Gazam eſt Raphia, item regio, quæ Gazam ſequitur ſterilis & arenoſa.*

XXX. Hoc igitur ævo *Majuma, Gazæorum portus* ſimpliciter ab ipſa urbe ſua principali, ceu notiore ac vetuſtiore, termino ſc. Chananæorum & Ægypto finitima cognominabatur. Nam quod ſupra *cap.* II. *n.* 3. attigimus,

Digitized by Google

gimus, eandem civitatem ἐπίνειον Γαζαίων ὄσαν καὶ Μαιουμᾶν προσαγορευομένην conſtat ex Sozomeno *lib.* v. *c.* 3. *Hiſtor. Eccleſ.* qui ſtatim ſubjicit de eadem Majuma: Παραθαλάττιον μέρος τῆς Γαζαίων πόλεως ὀνομάζεσθαι, *pars urbis Gazæ maritima nuncupatur.* Atque idem *libr.* VII. *c.* 27. Γάζα πρὸς θάλασσαν *Gaza maritima dicebatur*, ὅπερ καὶ Μαιουμᾶν ὀνομάζουσιν, *quam etiam Majumam vocant.* Aut quoque *Gazæ emporium & Gazenſis emporii oppidum* vocabatur, ut Hieron. in vita Hilarionis, ubi quoque *Gazanus Majomites* quidam legitur & allegatur, quaſi qui licet Majumæ eſſet incola, pariter tamen pro cive Gazano haberetur. Et notabile ibidem eſt, *quod ejuſdem oppidi maritimi ſeu Gazenſis emporii, Majumæ puta, municeps nomine Italicus, profeſſione Chriſtianus, adverſus Gazenſem Duumvirum Marnæ idolo deditum, Circenſes equos nutriens, atque ideo ab Hilarione admonitus, cur non magis equorum pretium pro ſalute animæ ſuæ pauperibus erogaret? ſe ita excuſarit, functionem eſſe publicam, & hoc non tam ſe velle, quam cogi. Quare ſerio Chriſti auxilium maluiſſe petere, maxime contra Gazenſes adverſarios Dei, & non tam ſibi, quam Eccleſiæ Chriſti inſultantes. E ſcypho igitur Hilarionis fictili accepta aqua cum Italicus & ſtabulum & equos & aurigas ſuos, ac rhedam carcerumque repagula aſperſiſſet, hi dato ſigno advolabant, & præpeditos alteros atque vix terga horum videntes prætervolabant, clamore nimio vulgi ſubſecuto & ipſis quoque Ethnicis, Marnam ſuum a Chriſto victum eſſe, concrepantibus.* Ceu ſupra jam tum *cap.* III. *n.* 8. obiter indicavimus, hic tamen repetendum duximus, quod inter Metropolitanos & Municipii incolas Gazenſes æmulatio quoque ludorum adſcititiorum ſeu Romanorum, haud gentilium modo fuerit. Nam Hieronymus expreſſe addit: *Hoc inibi, ut in aliis Romanis urbibus ſervatum a Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum Conſo, quaſi conſiliorum Deo quadriga ſepteno currant circumitu & equos partis adverſæ fregiſſe victoria ſit.*

XXXI. E quo loco & iſtud elicitur, *Majumaitas prius, quam Gazanos Chriſti fidem ſuſcepiſſe.* Id quod iterum Sozomenus, licet *lib.* II. *c.* 4. iſtud quoque oppidum & *Gazæorum navale valde ſuperſtitioſum, & veteres ritus in Diis colendis admirari conſuetum*, dixiſſet, *univerſum tamen ſubito ad religionem Chriſtianam converſum Conſtantini tempore* aſſeruit *lib.* V. *c.* 3. hoc ita commemorans, *quod jam laudatus Imperator ſimul ut intellexiſſet, Majumam vel Gazæorum navale religioni Chriſtianæ inprimis deditam eſſe, civitatis honore eam decoraverit, filiique Conſtantii*

tii nomine appellarit, utque ſui juris eſſet ſuiſque ſe legibus ipſa gubernaret, mandarit, arbitratus iniquum eſſe, ut ditioni Gazæ urbis, ſuperſtitioni Gentilium ſupra modum addictæ, pareret. Et quamvis imperante Juliano, Conſtantiæ nomine hoc deleto, Gazæ iterum, ceu pars ejus maritima adjudicata eſſet, peculiarem tamen ſemper tenuit Epiſcopum: ut tametſi Gazæ poſtea quoque converſæ Epiſcopus defuncto altero Majumæ Epiſcopo, allaboraſſet, quo uterque Clerus ſibi ſubjiceretur, quod nefas eſſe diceret, ut uni urbi duo præficerentur Epiſcopi, ex concluſo tamen concilii iſtius Gentis alius Majumæ creatus Epiſcopus, quod iniquum eſſe exiſtimarent, ut, qui ob pietatem privilegia civitatis recepiſſent, ii tametſi judicio Gentilis Imperatoris ſtatum civilem reformatum haberent, ordine Eccleſiaſtico & honoribus ſibi olim religionis cauſa tributis penitus ſpoliarentur. Qua de re inſpici quoque poterit Euſebius Pamphilus *de vita Conſtantini Lib.* IV. *C.* 37. & 38. Ut & Nicephorus Caliſtus *lib.* I. *cap.* 4. & *libr.* VIII. *cap.* 33. item *X. c.* 3.

XXXII. Concludimus igitur, primum illum Chriſtianum Imperatorem, ut etiam nomen ipſum Majumæ, paſſim jam in orbe pro derivatis inde ludis licentioſiſſimis obtinens, quaſi in ſemente aut ipſa adeo radice ſuffocaret & aboleret, atque toto quaſi mundo proſcriberet, iſtum Gazæorum portum ad CHRISTI JESU fidem jam converſum, confractis MARNÆ VENERISQUE Idolis ejuratiſque profanis & obſcœnis ritibus civitatis, jure donaſſe, & a ſe ſuave ſorore aut filio Conſtantiam nuncupaſſe; poſtea tamen eandem rurſus cum Gaza in unam Remp. coaluiſſe, & communibus utrique magiſtratibus politicis & militaribus, ſeu belli ducibus, ſolo excepto Epiſcopo Eccleſiaſtico, paruiſſe: diſtinctionis vero cauſa pleriſque Scriptoribus ἐπίνειον vel navale & portum Gazæ fuiſſe nominatum. Ludos inſuper iſtos Majumæ inhoneſtos, Anaſtaſii jamdum Cæſaris reſcripto Suidas tradit abrogatos, & ab aliis quoque Imperatoribus ante Arcadium & Honorium prohibitos docuimus, quos quidem duo hi poſteriores Cæſares in principio Imperii, ut populo gratiores eſſent, ultra triennium, ſed abſciſſa turpitudine, permiſiſſent, ſed poſtea & ipſi conceſſionem ſuam revocaſſent. Ut ita nomen illud Syriacum plane in poſterum fuerit exoletum pro urbe & pro ludis iſtis, tametſi res horum quodam modo adhuc eſſet ſuperſtes, ſub nomine tamen Πόρνων, ſeu adeo *Floralium*, aut *Mimæ* notior, quam Majumæ fuiſſe, aut etiam aliis ſub indigitamentis latuiſſe videatur, ut amplius dehinc pateſcet.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Non Provincialium vero ſaltem aut etiam novæ Romæ, ſed & veteris insuper laſcivos iſtos ludos communes, imo proprios factos fuiſſe, porro probatur, non tam quidem Majumæ, quam Mimæ nomine, vel adeo, quando Hoſtiæ Romani hanc ſolennitatem celebrabant (quod poſt Suidam ex Æthico quoque, aſſerta hujus ſimiliter auctoritate evincitur) Caſtorum, vel etiam Caſtrorum titulo eam mactaſſe, taliaque luxuriæ caſtra paulatim in ipſam Urbem ex tentoriis & tabernaculis Siculorum, Cypriorum, præcipue tamen Phœnicum & Syrorum conceſſiſſe.

I. Vidimus hactenus *Majuma* ſpectaculum omnium ceterorum veluti epitomen, imo vero licentiæ & luxuriæ popularis ultimam manum atque colophonem: ſed in Provinciis magis adhuc certo tempore, quam in ipſa Urbe Romana annuatim celebrari ſolitum perſpeximus. Sed nec ipſa hæc penitus exſors fuit, quando ut Deos Deaſque omnes omnium gentium ita & eorundem ſacra & ludos atque ſpectacula recepiſſet, ut non tam in Roma Pantheum unum aliquod, quam tota Roma nil niſi Pantheum videretur. Quod ex falſa illa perſuaſione ortum putamus, qua ſuperſtitioſi illi ſæpe jactabant, quod evocati Gentium aliarum Dii apud Romanos melius haberent, *qui* (ut eſt apud Minutium Fel.) *dum univerſarum Gentium ſacra ſuſcepiſſent, etiam Regna meruiſſent.* Ex quo igitur Hieroſolyma & tota Palæſtina a Veſpaſianis fuit ſubjugata & devaſtata, ex eo potiſſimum tempore paulo poſt eodem pacto, quo aliarum regionum, & hæc Syriæ ſacra ſacerrima, imo ſumme profana in Urbe pedetentim obtinuerunt, etſi non illo ſtatim Majumæ nomine.

II. Nam in *cap.* VI. *n.* 27. e Juvenale demonſtravimus, ſub Imperio Domitiani vitiis peregrinorum, Græcorum puta, & Syrorum totam civitatem fuiſſe corruptam, ut jurare tum quis potuiſſet, Orontem fluvium Syriæ, qui Antiochiæ lambit mœnia & potat civitatem, miro quodam motu ſubterraneo in Tiberim defluxiſſe, ut qui Romæ jam eadem videret & audiret, quæ prius Orontes Antiochiæ: Syrium nempe ſermonem, Syrios tibicines, pariter & fidicines in obliquum inſtrumenta ſua Muſica jungentes, nec non ejuſdem gentis Orientalia tympana, ſtreperoſque & ipſos quoque obliquos mores atque impudentiſſimos & impudiciſſimos; cum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

cum puellas Syras ad Theatra inque Scenis & Circo ad ſaltationem & alios actus laſcivos & obſcœnos proſtare lenones juberent, utque inſanis amatoribus Romanis iſtæ Barbaræ meretrices placerent magis, iidem volebant, ut mitris tiariſque pictis ornatæ pro more gentis ſuæ incederent. Cum ipſiſque in arenam deſcendebant non plebeji modo & inciviliores, ſed & nobiliores ceromate utrinque uncti & congeneribus Tyriorum calceamentis induti. Nam & *cap.* IV. *n.* 10. de Palfurio Sura Conſularis viri filio, quod Marius Maximus ſcriptum reliquerat, nonnihil dictum eſt, eum in agone cum tali Amazone mammoſa ſub Nerone luctatum, eque Senatu poſt ideo a Veſpaſiano ſubmotum, tranſiiſſe ad Stoicam Philoſophiam. Cumprimis vero non modo Syræ nudæ proſtituebantur, ſed & ipſi Syri ac Græculi, cum velut in Majuma perſonam aliquam mulieris meretricis aut Nymphæ marinæ exprimere, atque adeo nudam Dorida, Oceani & Tethyos filiam nulloque palliolo amictam repræſentare debebant, adeo egregie has partes ſuſtinebant, ut muliebrem perſonam ipſam, quæ loqueretur, non perſonatam mulierem agere exiſtimaſſes, quippe qui adeo complanato ventre eſſent, ut ſine pene eſſe dixiſſes, & muliebri natura factos. V. Frederic. Cerutus in *paraphraſi ſua* e Scholiaſte vet. ferme repetita, ut & Brodæus *lib.* 8. *c.* 6.

III. Clarius tamen idem Satyricus VIII. a *v.* 60. hoc pacto explicat: Cum lubet jam in lupanaribus Idumæorum, poſt aurigarum certamina pergrœcari & pervigilare, prout *noctes atque dies patet atri janua Ditis*, iſtud ſolenniter repetere licebit in luſtro alicujus ex Syria & Phœnicia oriundi & unguento ex amomo, quod aſſiduo tractat, madidi, (ſicuti quoque Virgilius *Aſſyrium amomum* deprædicavit.) Atque hic una cum venali aliqua proſtibula, quæ non modo ſuccincta ſit altius, quam tibi pene videre licet, *ut nudam*, *ne crure malo*, *ne ſit pede turpi*, ſed & Cyane veluti aliqua diſco operta vel levi carbaſo cœruleo tecta Nympha, ſub linea nebula tota appareat, obviam tibi factus, ut Regem & Imperatorem aliquem excipiet.

IV. Pari modo Ammianus Marcellinus *lib.* XIV. ſtatim, qui nunc nobis primi vice eſt, ſuo quoque ſeculo & quidem Conſtantii Imperatoris, in hos queſtus effunditur, quod "Quæ per omnes, quotquot ſunt "partes terrarum, ut Domina ſuſpiciatur & Regina, & ubique Patrum "reverenda cum auctoritate canicies, populique Romani nomen circum-"ſpectum ac verendum; lædatur tamen hic cœtuum magnificus ſplendor "levitate paucorum incondita, ubi nati ſunt non reputantium, ſed tan-

Digitized by Google

"quam indulta licentia vitiis, ad errores lapsorum & lasciviam (peregri-
"nam.) Quod cum ita sit, pancæ domus studiorum seriis cultibus antea
"celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torrentes exundant perflabili sono,
"vocali tinnitu fidium resultantes. Denique pro Philosopho Cantor, &
"in locum Oratoris Doctor artium ludicrarum accitur: & bibliothecis se-
"pulchrorum ritu in perpetuum clausis organa fabricant ut hydraulica,
"& lyræ ad speciem carpentorum ingentes tibiæque & histrionici gestus
"instrumenta non levia. Postremo ad id indignitatis est ventum, ut cum
"peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pelle-
"rentur ab urbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impen-
"dio paucis sine respiratione ulla extrusis, tenerentur Mimarum affectæ
"veri, quive id simularunt ad tempus, & tria millia saltatricum, ne in-
"terpellata quidem cum choris totidemque remanerent magistris. Et li-
"cet quocunque oculos flexeris, feminas affatim multas spectare cirratas,
"quibus, si nupsissent per ætatem, ter jam nixus poterat suppetere libe-
"rorum, ad usque tædium pedibus pavimenta terentes, jactari volubili-
"bus gyris, dum exprimunt innumera simulachra, quæ finxere fabulæ
"theatrales.„ Nec meliora *lib.* XXVIII. de iisdem scripsit, tam nobilibus, quam calceorum expertibus Romanis: quorum hos, *ait*, "Omne quod
"vivunt, vino, lustris, voluptatibus & spectaculis impendisse, eisque
"templum & habitaculum & concionem atque spem omnem. Circum
"fuisse maximum; Illos vero in balneis, si ignotam aliquam subito com-
"pererint meritorii corporis lupam, certatim concurrisse, palpantes adve-
"nam deformitate magna blanditiarum ita extulisse, ut Semiramin Par-
"thi, vel Cleopatras Ægyptus, aut Artemisiam Cares, vel Zenobiam
"Palmyreni.„

V. Quid quod priscis seculis & ante Imperatorum Rom. monarchiam infames libidinibus Syri in urbe essent servi, de quibus Plautus *in Trin.* II. 4. ex ambiguo lusit: *Tum autem Syrorum (genus quod patientissimum est hominum) nemo exstat.* Quod Dousa & Lambinus ad pathicum potius morbum, quam ad laboris tolerantiam referendum censuerunt. Sed ab Augusti Imp. ævo in urbe tanta frequentia Syrophœnicum fuerunt contubernia, in rebus ludicris, luxuriosis & nihili occupata, ut recte Horatio *libr.* I. *Sat.* 2. enumerentur

Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ
Mendici, Mimæ, Balatrones; quod genus omne
Mœstum ac sollicitum Cantoris morte Tigelli.

Hic

Digitized by Google

Hic cum *Ambubajæ* dicantur juxta Porphyrionem *mulieres tibicinæ* lingua Syrorum; harum igitur *collegia* coacta ex id genus hominibus, qui nihil quam nugis, præſtigiis, & ad jocum excogitatis vocibus populum illudebant, quarum claſſium Syriaci præfecti erant *Pharmacopolæ*, ſeu Unguentarii, qui amomum vendebant; *ſub Mendicorum tribu* erant Fatidici, Phyſiognomi, Oniropolæ, Chiromantici, Agyrtæ; *ſub Mimis* Hiſtriones, Scenici, Geſticulatores, Pantomimi, Atellani, Thymelici, Saltatores, ſed magis in feminino genere, nam diſerte *Mimas* vocavit. *Sub Balathronibus* fuerunt Ardeliones, Paraſiti, Ganeones, Alcones, Bibones, Popinones, Lenones, Nebulones & hujuſmodi alii, omnes *Ambubajarum collegiis comprehenſi*, cum Muſicam & Tigellium, ceu magiſtrum, omnes attinerent atque amarent. Quem in calce *ſat.* x. *lib.* 1.

Diſcipularum inter juſſit plorare cathedras.

Ubi Scholiaſtes: *vita*, inquit, *eos Poetas, qui pro diſcipulis habuerunt in ſcholis* Mimarum cœtum & Hiſtrionum. V. Cruquius *ad Horat.*

VI. Qui & Copam Syriſcam talem collegiorum hujuſcemodi præfectam credidit, ſicuti & Joſ. J. Scaliger, nec receſſit Bulenger. De qua Virgilius, ut putatur:

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus.
Ebria famoſa ſaltat laſciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat æſtivo defeſſum pulvere abeſſe,
Quam potius bibulo decubuiſſe toro?
Sunt topia & calybæ, cyathi, roſa, lilia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus. &c.

Ubi Joſ. Scaliger *Copam Syriſſam* voluit eſſe καπηλίδα, quaſi *caupam*, ut cludam claudam, ſive a copibus rebus, eamque utricularium, quæ inflans utrem retineat manu calamos, per quorum foramina moduli diſtinguantur, preſſum vero utrem exanimet, quatiat cubito, ita ut calami vibrentur vexatione aſſidua. Ea vero ſic athletas Majumæ alloquatur: Quid vos juvat potius feſſos ad Solem exercere, quam huic diverſorio ſuccedere? Nam hic Syrorum tympana habemus & crepitus cruſmatum & vinum Gazeticum, roſas Majanas, tibias ſonoras & chordas obliquas ſub umbroſis pergulis. Quin etiam fiſtulas Arcadum in antris paſtoritias & potum veteris quidem, ſed nuper diffuſi meri, juxta rivulum dulce ſuſurrantem; ſuntque nobis cum floribus liberis ſerti quoque in corollas &

Digitized by Google

Nymphæ non niſi ab amne virgineo delibatæ, lilia in calathis ſuis afferentes, ſuntque ibidem variæ menſarum ſecundarum delitiæ cum pane mundiſſimo & albiſſimo, caſeoque tenerrimo. Et quamvis nec Priapus tuguriorum hujuſmodi ruſticanorum præſes cum falce ſua abſit, nulli tamen metuendus eſt vaſto ſuo membro. Quare quiſquis huc aſino vectus advolaſti, huc age, accumbe, & ſub umbra requieſcens, te cryſtallinis calicibus prolue, formoſæque puellæ candida ora decerpens talis & quibuſvis lude, ſenibuſque caperata ſupercilia, & jamjam perituris craſtina & mortem curanda mitte, præſertim cum hæc ipſa, quæ nullam rem, nullamque voluptatem deſideret amplius, perpetuo nobis inſtet & moneat, ut dum vivimus, vivamus & bibamus.

VII. Nimirum, quod toties diximus, vera hæc erat ſchola Epicuræorum, quam omnino quoque ſapit alterum eidem Virgilio caſtiſſimo & vere Parthenopæo adſcriptum carmen, quando melius vel Martiali, vel alteri Priapejo Poctæ tribueretur, quod ſupra *Cap.* III. *n.* 2. pariter, cum periphraſi jam tum ſua adduximus; huc autem commode repeti poſſet, quod Lucius nebulo in Majuma juxta Tiberim ſub veſtitu muliebri, crocotula & alaria, luxurioſiſſime ſaltitans, & lumbos motitans, olidos nautas & palæſtritas flumineos ad libidinem provocaret, cumque iiſdem in popinis poſtea comeſſaretur, pergræcaretur & libidinaretur, veluti *in ſacris profanis Cotyttus*, quam Pſaltriam peregrinam Athenis molles, ad imitationem feminarum ſaltantes, noctu defatigare ſueverant, quos Eupolis in Comœdia ſub nomine Baptarum acerbe perſtrinxit, utpote qui ut in Majuma poſtea, ita & hic interdiu prius invicem aquis concertantes, & ſe madefacientes, nefariis deinde pervigilationibus infamabantur. Quo factum, ut irritatus inter ceteros Atticos & Alcibiades Eupolin ſuffocarit cum dicto: *Tu me in Theatro* (Baptis ſc. tuis) *madefeciſti, ſic ego te in mari madefaciam.* Ejuſmodi vero conventicula noctu ad lucernas inſtituta infamium cum Romæ quoque gliſcerent, Juvenalis *Sat.* II. *v.* 91. nocturnæ Cotyttiorum licentiæ contulit:

Talia ſecreta coluerunt Orgia tada
Cecropiam ſoliti Babta laſſare Cotytto.

Et Horatius *lib. Epod.* de Canidia, ubi *Cotyttia, ſacrum iſtud liberi Cupidinis, vulgata & ab inulto irriſa* affirmat. Utrobique vero Scholiaſtæ adiri & audiri poterunt.

VIII. Ex quibus omnibus hoc elicio, Majumæ infandum & deteſtandum ſpectaculum Romam quoque reapſe ab exoticis, Syris præcipue traductum,

Digitized by Google

ductum, neque tamen *Majuma*, ſed *Mima ludum* dictum fuiſſe. Cujuſmodi feminarum ad omne ludorum genus proſtitutarum, quod tot aſſeclæ, tot magiſtri, tantaque ibi collegia, in urbe Romana exſtiterint, & quidem utraque, non veteri modo, ſed & nova, ex Horatio & Marcellino probatum. Cum Mimæ iſtæ & ſaltatrices & bellatrices tempore verno amœniſſimo ejuſmodi ludos Pandemios, juxta aquas, & in iis, celebrarent. Qualis Conſtantinopoli fuit Helladia famoſiſſima ſaltatrix, in cujus erectam in Soſthenio Byzantino imaginem iſtud, ſubjectum, ut puto, ſtatuæ, condidit Epigramma Leontius *lib.* IV. *Anthol. c.* 25.

Εἰμὶ μὲν Ἑλλαδίη Βυζαντιὰς, ἐνθάδε ἕστην
Ἦχι χοροσασίην εἴαρι δῆμος ἄγει.
Ὅππόθι πορθμῷ γαῖα μερίζεται, ἀμφότεραι γὰρ
Ἄντυγες ἐρχηθμὸς ἥνεσαν ἠμετέρας.

Helladie dicor Byzantia, parteque viſor,
Qua chereas populus ducere Vere ſolet;
Quaque fretum dirimit terram: Namque ambitus iſte
Laudavit ſaltus ſemper uterque meos.

I. e. in mari & in terra probarunt hoſce ludos, quibus cum juvenibus contendebat, quod porro idem ibidem innuit:

Θῆλυς ἐν ἐρχηθμοῖς κρατέει φύσις, εἴξατε κοῦροι.
Ἄρσενι γὰρ Ῥώμη θῆλυν ἔμιξε χάριν.

Cedite jam juvenes, choreis nam femina vincit:
Maſculea Roma eſt femina mixta Charis.

Geminum locum habetis infra e Nicetæ Choniatæ *annal.* 3.

IX. Cumprimis vero apud Tiberim & in Acta veteris Romæ Mimas cum aſſeclis ſuis & ſaltaſſe & luſiſſe, atque riſus & plauſus captaſſe, veriſimillimum eſt. Quos inter ὁ δᾶνα celebratur veteris Epigrammatis fragmento Rom. ultra Pontem Milvium. Quod e Smetio Gruterus *p.* 330. retulit:

LAUDATUS. POPULO SOLITUS MANDATA REFERRE.
ADLECTUS SCENÆ. PARASITUS APOLLINIS IDEM.
MULTARUM IN MIMIS SALTANTIBUS UTILIS ACTOR.

Et ibidem tabella marmorea FABIA ARCHIMIMA temporis ſui prima nobilitatur. Quid? quod ipſi Syri teſtentur, in littore Romano quoque frigus pariter & pocula atque voluptatem in gemino ardore captaſſe Quirites, exoticam plerumque; veluti Philodemus Epicuræus, Gadarenus Syrophœnix affirmavit iſta *Epigrammatis* 18. *Cent.* 3. *millen.* 1. clauſula:

Digitized by Google

Κύπρι φιλορμίσειρα, φιλόργιε, σῶζε με κύπρι,
Ῥωμαϊκὲς ἤδη δεσπότι πρὸς λιμένας.

Portipotens Cypri, Orgia amans, me protege Cypri,
Romulea & tandem ad littora duc, Domina!

Præcipue vero Meleager & ipſe Syro-Phœnix *Lib. 7. Anthолog.* multis iſtud ἐρωτοπλοεῖν (ut vocat *Epigr.* 105.) commendavit *Epigr.* 106. 109. 112. 120. *ſeqq.* χειμέριον ſeu tempeſtuoſum iſtud κώμων πέλαγος, in quo & Scyllam naufragi adſpiciant, & ex aquis in ignem cadant, quæ Latine ita loqui juſſimus:

Hoc mihi portentum eſt, ex glaucis fluctibus orta,
Quomodo aquis mediis ſis, Venus, ignipara.

Mox:

Fluctus Amoris amare, ſopore ſine uſque reſtantes
Zeli, luxuriæ tuque hiemale fretum.
Quo feror? anne iterum luxato animi undique clavo,
Scyllam iſtam Tryphera naufragus adſpiciam?

Rurſus:

Abluis, o lotrix, fervente quid amne, ſuperba?
Nondum exuta quidem eſt veſtis, & igne flagro.

Tum vero:

Nico in amabilibus tum fluctibus innatat, unam,
O Venus alma, genam viderat ejus amans.
Ilicet ardentes ob amorem in pectora prunas
Vir ſiccaſque trahit virgine ab uvidula.
Sicque ſuper terra fit naufragus hicce, ſed illam
Vel mare tangentem littora grata tenent.
Nunc ſed amicitiæ æqualis utriſque Cupido,
Littore nec perdit vota Cleander eo.

X. Plura qui deſideret in iſto laudatiſſimo Amaltheas cornu, & inprimis quoque capite peculiari *lib.* 4. εἰς λέτρα requirat, unde iſtam Epitomen unico epigrammate concluſam derivavimus:

Balnea non fuerant prius hæc, quæ balnea nunc ſunt,
Sed ſordes capiens quiſquiliaſque locus.
Poſt ubi lavit Amor genetricem hoc forte lavacro,
Ipſe urens pulchras Lampade pulcher aquas,
Hinc ſpirat Roſeum flammata aqua ſemper odorem,
Aurea adhuc tanquam ſe Cytherea lavet.

Lota

Digitized by Google

Lota ubi cum Chariſi & Gnato aurea tela gerente
Cypris, earum unam pro pretio æqua dedit.
Aſt ubi jam ſuccendit aquas quoque lampas, amantes
Hinc Nymphæ, calidas ad labra fertis aquas.
Nepenthes, ſine felle, malis oblivia cunctis
Dixit Homerus, ubi & Bacchum ibi adeſſe videt.
Vulnera poſt pugnam his medicatur Apollo fluentis,
Ejiciens haſtæ ſpicula Barbaricæ.
Cypris, Amor, Charites, Nymphæ, Dionyſus, Apollo
Jurarunt ſeſe hic velle habitare ſimul.

XI. Ut vero & hoc porro, quomodo præter Orientem variaſque regiones, & ipſam urbem Rom. velut epidemium malum infecerit, probemus, neque nimium veterum Scriptorum de Majuma altiſſimum ſilentium accuſemus, Suidæ teſti locupletiſſimo alium comitem, nimirum Æthicum Coſmographum, qui circa tempora Symmachi, aut Theodoſii vixiſſe dicitur, aſſociabimus.

XII. Licet enim idem pene fatum ille ipſe expertus fuerit, quod & alii quidam egregii Scriptores, ut a Monachis nativus ejus habitus nimis quam fuerit interpolatus, & nonnulla ab Exſcriptoribus eidem infarcta ſint, multarum tamen rerum bonarum adhuc capax permanſit illa Coſmographia: cujus multa loca Oroſius πρὸς λέξιν in ſuum ſuccum transduxit, & annis ab hinc ſeptingentis amplius aliqua expreſſo ejus nomine laudavit Flodoardus, quæ nunc in itinerario Antonini, tanquam ejuſdem auctoris reperiuntur, nonnulli quoque, ut Chronicon Cameracenſe Coſmographiam illam jubente Julio Cæſare ex SC. conceptam allegarunt. Quemadmodum accurate iſta omnia Dominus Barthius *lib.* XLV. *Adv. c.* 13. demonſtrata reliquit.

XIII. Ultra quam accuratiſſimam omnium cenſuram provectus & invectus eſt hodiernus iſte Rhamnuſius juſto longius latiuſque, *Perſonati hujus Æthici & hybridæ opuſculum, vulgo conceptum fœtum, nec magnæ rei auctorem* clamitans, utpote *in quo ne mediæ quidem Latinitatis, ſed ultimæ, imo devirginitatæ propemodum in eo habeantur plurima.* Cum tamen unicum ſaltem reprehenderat in eo, *loquendi modum*, eumque a Mauſſaco *pro non vulgari habitum*, ſed juventuti obiter commendatum, quin a maximis inſuper Auguſtæi ævi Scriptoribus imitatione expreſſum. Sicuti namque unius matronæ capillus ſex, ſeptem ſertis illigatus ab uno eodemque capite in tergum defluebat, cujuſmodi etiam cincinni licio contorti

torti ſub nomine VII. crinium Samſoni quoque ab Hieronymo *cap.* XVI. tribuuntur. Ita Nymphis & fluviis paſſim apud Poetas, cumprimis Naſonem, crines cærulei & inornati, ut *l.* v. *fab.* 6. Cyanæ & *l.* IX. *Metam. v.* 3. Acheloo adſcribuntur. Quo nomine factum, ut ſecundum Pollucem fluminibus coma nutriretur & ſacraretur. Sicuti quoque Scholiaſtes Pindari oſtendit: Τὰς μὲν πρώτας κόμας τοῖς ποταμοῖς ἀπεκείροντο σύμβολον τῦ ἐξ ὕδατος εἶναι πάντων τὴν ἄσκησιν. Et in *Vet. Epigr.* apud. P. Pithœum & Joſ. Scal. in *Catalect. de Neptuno* dicitur:

- - - Magnus cui præpete nimbo
Perfluit Oceanus, & flumina crinibus errant.

Pari modo Antoninus hic Æthicus nec inficete in Coſmographia ſua, cum præmiſiſſet, quod *fluvius Exos de Caucaſo natus in quinque alveos diviſus fundat ſe in Gangen*: & mox: *quod ante eos exeat fluvius Ganges, cui adjungatur alius cum capitibus quinque, quæ reliquiſſet*; tum ſtatim ſubjiciens ait: *Hydaſpes naſcitur in campis Indorum, tribus crinibus hic ſe cominus adunans unus efficitur.* Ubi quidem Joſias Simlerus, qui iſtam Coſmographiam ex Bibliotheca P. Pythæi ediderat *pag.* 57. maluiſſet Crunibus legere (ne ſibi hoc Pinnirapus & alienæ laudis plagiarius *pag.* 46. & 47. inveniſſe arroget, quod reperiſſe diſſimulat) ſed cum vidiſſet aliquoties eandem vocem poſtea repeti, merito nihil mutare voluit. Sic enim Æthicus paulo poſt: *Danubius & Dravus includunt intra ſe Pannoniarum plurimas civitates, & redeunt in unum qui fuerant duo, curruntque per longam rotunditatem, ex quo ipſo fluminali circulo ſeptem crines fluminum procedunt, infundentes ſe in Pontum.* Et ſtatim: *hic unus diffunditur per crines ſupra ſcriptos.* Nequaquam igitur *crinis* hic idem atque κρουνὸς ſeu ſcatebra eſt, ubi fons rivuſque exilit, caput & origo fluvii, ſed potius capitis unius in certa brachia & oſtia eſt diſcriminatio. Nec Hydaſpes tribus fontibus exit in campis Indorum, ſed uno fonte naſcitur, in tres poſtea ejuſdem tamen nominis amnes, veluti totidem unius capitis crines, ſe dividendo, inde iterum adunando. Sicuti Danubius quoque non ſeptem fontibus, ſed uno exit; aſt ubi ſe cum Dravo conjunxit, dehinc ex uno illo circulo veluti e capite ſeptem brachiis & oſtiis in mare diffunditur. Frigidiſſima itaque omnis iſta Rhamnuſii hic κρίσις eſt, & ἄκρατος plane, cum Græcanicam literaturam ipſe potius quam Æthicus affectet, & *crinis* Latiniſſima ſignificatione per elegantiſſimam tranſlationem, quam optime poſſit defendi.

XIV. Ne vero præter rem reprehendendi ſaltem Doctorum reprehenſoris

Digitized by Google

ſoris cauſa protuliſſe iſta videamur, illuſtrabunt ea ipſa ſummopere locum illum Æthici, quem nunc in medium adducemus, quando & Tiberis ab uno capite profluens juxta Urbis regionem XIV. geminetur, & in duos veluti crines ſeparetur, mox iterum adunandus. Quin & ex hoc ipſo loco cum urbem ſacram & æternam dixit, eum florentibus adhuc Romæ rebus ſcripſiſſe, nec ſeculis, ut iterum fruſtra eſt R. incultioribus & ineruditis.

XV. Quum ergo jucundiſſime hoc feſtum Romanorum deſcribat Æthicus *Coſmograph. p.* 20. parcendæ tamen chartæ ergo excerpamus ſaltem, quomodo *fluviorum rex Tiberis, cui primatum æternæ Urbis Romæ ſingularis tribuit magnitudo, eadem Urbe ſacra & æterna geminatus Inſulam faciat regioni quartæ decimæ, poſt iterum unus effectus per pontem Lepidi, a plebe Lapidei dicti, juxta forum Boarium tranſiens, vorticibus ſuorum turbinum & maritimas naves ſuſcipiens & mediterraneas adducens de Etruria, Urbem egrediatur; mox iterum circa ſextum Philippi* (ſc. lapidem) *geminatus inſulam* (inquit) *facit inter portum Urbis & Oſtiam civitatem, ubi populus Romanus cum Urbis Præfecto vel Conſule Caſtorum celebrandorum cauſa egreditur ſolennitate jucunda. Inſulam vero hanc tantæ viriditatis & amœnitatis eſſe*, addit, *ut nec æſtivis menſibus, nec hiemalibus paſturæ admirabiles herbæ deficiant, ita autem vernali tempore roſa vel ceteris floribus adimpleatur, ut præ nimietate odoris & floris Inſula illa Libanus almæ Veneris nuncupetur.*

XVI. Notavit autem ad illum Auctorem *pag.* 64. Joſias Simlerus Tigurinus, *Feſtum hic indicari Majumæ, quod ille Caſtoribus ſacrum fuiſſe cenſebat.* Sicuti quoque Georgius Merula in *Coſmographiæ part.* 2. *l.* 4. *p.* 540. idem ſentit, addens: *Oſtiæ Caſtorum ædem fuiſſe, ibique ſacrificari ſolitum ventorum mariſque cauſa*, uti patet ex Ammiani Marcellini *lib.* XIX. *p. m.* 233. *Dum Tertullus apud Oſtia in æde ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit*, &c. Nam & in urbe Oſtienſi haud ita pridem Appianus hoc vetus Epigramma de Ludis Sabinis a Tatio Præfecto Urbis inſtitutis, ſaxo quadrato cælatum vidit, & ex eo Gruterus *Inſcript. fol.* XCIX. & Pithæus *pag.* VI. retulerunt:

Littoribus noſtris quoniam certamina Lætum
Exhibuiſſe juvat, Caſtor Venerandeque Pollux,
Munere pro tanto faciem certaminis hujus
Magna Jovis proles, veſtra pro ſede locavi
Urbanis Tatius gaudens me faſcibus auctum
Neptunoque patri ludos feciſſe Sabinos.

Digitized by Google

XVII. Et arridebat profecto mihi primum hæc ratio valde verisimilis visa. Quod Gemini illi, seu Castores Latine loquentibus dicti, non certaminibus modo præessent terrestribus, (sicuti Arnobius de ipsis retulit: *Tyndarida Castores, unus equos domitare consuetus, alter pugilator bonus,*) sed etiam marinis, ibi namque periisse feruntur, vel disperiisse saltem, unde nautis salutares facti, sicuti in *Actis Apostolicis c.* XXIIX. *Navis Alexandrina Castorum insigne præferebat:* eoque spectat illud Horatii *lib.* I. *Carm.* de pueris Ledæ, quorum alter equis, alter pugnis superare nobilis esset, utraque vero stella conjuncta simul alba & prospera nautis refulgeat. Ut & illud Martialis *Spectacul.* 24.

Et gratum nautis sidus fulgere Laconum.

Quin:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque viam toties, - - -

juxta Virgilium VI. *Æn.* Quod Servius horum stellis applicat, quæ ita se habeant, ut occidente una oriatur altera; non immerito hoc ad istam navibus concertantium festivitatem referas, ubi uno in aquas conjecto alter triumphabat & tripudiabat. Quo accedit & illud, quod Helenæ adulteræ & Castorum mater Leda Nympha videatur flumineis natationibus delectata, in qualibus Jupiter cygni specie ipsam compresserit. Quod vetus Epigramma Romanum, quod prope S. Luciæ IV. portarum habetur, apud Gruterum *fol.* 99.

Esse putat marmor, latet hic cum Castore Pollux,
Munus olorino de Jove Leda dedit.

Ubi bene notandum, quid *munus dare* sit, spectaculum scil. aquaticum. Et alterum adhuc magis illud comprobat, quod Romæ in ædibus Marii Delphinii Lipsius ac Knibbius & Boissardus viderunt, a quibus Gruterus *pag.* DCLIV. *Epigr.* 6. ita descripsit:

Hoc jacet in tumulo secura GLYCONIS *honesto,*
Dulcis nomine erat, anima quoque dulcior usque
Qua nunquam tetricos egit sibi lucis honores,
Sed mage lascivos suavis, Bacchoque madere
Simplicitate sequi cantus, molleque choreas.
Lusibus ipsa suis generabat sæpe & Amores,
Dulce sibi natisque suis, quos pube reliquit,
CASTOREA *fratres* SUB IMAGINE *quos genevavit.* &c.

"Sicuti ipsi quoque filiæ Ledæ Helenæ, Menelai uxori, (cum Alexan-

"der

Digitized by Google

"der in insula Citherea esset, ut Castorem & Pollucem conveniret,) pla-
"cuit eo ire, optimumque ei visum est, quod Menelaus Spartæ non erat,
"ad mare proficisci. Qua de causa ad litus processit; oppidum ad mare
"est Helena, ubi Dianæ & Apollinis fanum est, ibi rem divinam He-
"lena facere dispositerat. E quo fano de nocte Helenam Paris eripuit, in
"navem detulit, & cum ea mulieres aliquas deprædatus, ibique cum op-
"pidanis id prohibentibus pugnans, eos multitudine sociorum exsupera-
"vit, & plurimos captivos in naves impositos, classe statim soluta abdu-
"xit." (Quæ videtur imago Majumæ aut sane causa & initium,) ut te-
statur Dares Phrygius, seu adeo ejus interpres Corn. Nepos.

XVIII. Sed postquam rem paulo accuratius expendere cœpi, alteram lectionem Æthici, quam in uno Exemplari disertim exaratam fuisse Simlerus, tametsi priori adstipulatus, non dissimulavit, haud plane repudiandam censui. Nimirum *populum Romanum cum Consule vel Urbis Prafecto Castrorum celebrandorum causa egressum fuisse.* Si namque *castra* sunt e variis casis sive scenis ad brevem & temporarium usum constantes mansiones, ubi milites sub tentoriis aliquantisper in loco fossa circumdato subsistant; tum profecto in hac Insula prope Ostiam Tibride circumfusa recte *castra* veteres dixerunt, cum juxta illa quoque pugna quasi navalis haberetur, & frondibus atque scenis virentibus omnia condecorarentur.

XIX. Ne vero sine omni exemplo & ulla auctoritate ista nostra correctio audacior paulo, quam verior doctis appareat, ipseque Auctor noster ceu spurius testis & illegitimus derideatur, en ad ipsum Oratorum & Scriptorum omnium terssissimum & facundissimum principem provocamus, qui *lib.* v. *in Verrem*, *accusatione* x. multa ejus luxuriosa facta incessens inter alia culpat: "Quod cum æstas jam esse cœpisset, iste novo
"quodam ex genere Imperator pulcherrimo Syracusarum luco stativa sibi
"castra fecisset, in ipso aditu atque ore portus, ubi primum ex alto sinus
"ad urbem ab littore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collo-
"cans. In eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut so-
"cius aut minister libidinis esse posset. Huc omnes mulieres, quibus
"cum consueverat, conveniebant, quarum incredibile est, quanta mul-
"titudo fuerit Syracusis. Huc homines digni istius amicitia, digni vita
"illa conviviisque veniebant. Ac per eos dies cum iste cum pallio pur-
"pureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus, non offen-
"debantur homines, lucum illum littoris percrepare totum mulierum vo-

Digitized by Google

"cibus, cantuque ſymphoniæ, in foro ſilentium eſſe ſummum cauſarum "atque Juris &c.„ Mox denuo ſtomachatur: "Quod, quo tempore "cæteri navigare & provincias obire conſueviſſent Prætores, Verres ta- "bernacula quemadmodum æſtivis temporibus fieri ſoleret, carbaſeis in- "tenta velis in Inſula Syracuſis poſt Arethuſæ fontem, propter ipſum in- "troitum atque oſtium portus amœno ſane, & ab arbitris remoto loco "dies æſtivos LX. hic Prætor populi Rom. cuſtos defenſorque provinciæ "ſic vixiſſet, ut muliebria quotidie convivia eſſent. Denique piratas ad "illa æſtiva Prætoris acceſſiſſe, Cicero dicit, ipſam illam ad partem lito- "ris, ubi iſte per eos dies tabernaculis poſitis CASTRA LUXURIÆ col- "locaſſet.„

XX. Talia igitur Ciceronis ævo in provinciis potiſſimum *luxurioſa Caſtra*, non vero in Urbe audita & ſpectata fuerunt, ſed maxime in maritimis locis. Sic enim ipſamet Suada Romana, cum pro Cælio declamaret, dixit: *Accuſatores ipſius libidines, amores, adulteria, Bajis acta convivia, comeſſationes, cantus, ſymphonias, navigia jactaſſe.* Nimirum revera erat Schola hujuſcemodi Epicuræa confluentis multitudinis in thermis (quod Poggius de Badenſibus thermis cenſuerat) ſed & in frigidis natationibus. Nam & de his ibidem Tullius ſtatim differit, quod feminæ quoque laſcivæ juxta Tiberim verbi gratia ex adverſo campi Martii hortos libenter coluiſſent, & nudos ibi juvenes ſpectare & delectum amatorum habere ſueviſſent. Sic enim iſtam Cælii amicam, tum inimicam, affatur: *Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco præparaſti, quo omnis juventus natandi cauſa quotidie venit. Hinc licet conditiones quotidie legas.*

XXI. De Bajanis vero natatibus Regiliani vetus Epigramma apud Pithæum *p.* 61. eandem ad metam tendens, ita ſonat:

Ante Bonam Venerem gelida per littora Bajæ,
Illa natare lacus cum lampade juſſit Amorem,
Dum natat, algentes cecidit ſcintilla per undas
Hinc vapor uſſit aquas: quicunque natavit amavit.

Cui paria quoque cecinit Symmachus in auctario Schippiano: *Epiſt. nunc* VIII. *lib.* I. Campaniæ ſitum ita deſcribens:

Ibi corniger Lyæus — *Thetis & Bajæ ſorores,*
Aperit ſuperna vite, — *Simul innatat choreis*
Vulcanus æſtuoſis — *Amathuſiam reviſens,*
Media coquit cavernis, — *Salis arbitra & vaporis,*
Tenet ima piſce multo — *Flos ſiderum Diona.*

Nec

Digitized by Google

Nec ergo injuſte Veneris & Amoris propriæ feruntur Bajæ, quæ eidem Symmacho *lib.* VII. *Epiſt.* 24. *Sinus luxuriæ* dicuntur.

XXII. Neque tam lotiones, quam comeſſationes & compotationes, ſeu vinum potius, quam aqua iſtas amorum libidines incendebant. Quare de iiſdem Bajis ita cecinit Venuſinus Olor *lib.* I. *Epiſt.* XV. *v.* 18.

Ad mare cum veni generoſum & lene requiro,
Quod curas abigat; quod cum ſpe divite manet
In venas animumque meum: quod verba miniſtret:
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.

XXIII. Quin ut ad rhombum propius accedamus, & Hoſtiam quoque prope mare ſe Romanos nepotulos & decoctores luxuriæ cauſa contuliſſe, planum reddamus, eandem portuoſam Urbem & Bajis iſtis adjunxit alter Satyricus inſignis, Juvenalis XI. *v.* 40.

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Roma
Et coram Dominis conſumitur: inde ubi paulum
Neſcio quid ſupereſt, & pallet fœnoris auctor,
Qui ververe ſolum, Bajas & ad OSTIA *currunt.*

Ita namque expreſſe MS. meum & Britannici quoque exemplaria habuerunt, qui ubi Scholiaſtes de Bajis dixerat, quod ibi eſſet major luxuria: addit hic & Oſtia ſcil Tiberina, ut inde navigent, vel ibi quoque lavent. Nam & hic quaſi quædam mœroris credebantur abſterſiones, ubi lupini velut amari aquis, ita & animi ſolliciti edulcarentur lavacris. Quo referre quiſpiam poſſet, quod eſt in D. Auguſtini *Confeſſ. l.* IX. *c.* 12. §. 4. qui, *cum corpus Monicæ matris apud Oſtia Tiberina* (ubi ſe inſtaurabant navigationi) *defunctum extuliſſet, ad ſanandum dolorem ſuum, viſum eidem piiſſimo filio fuit, ut iret lavatum, quod audiſſet inde balneis nomen inditum, quia Græci* βαλανεῖον *dixiſſent, quod anxietatem pelleret ex anima. Sed,* confitetur ibidem, *miſericordiæ Patris orphanorum, quod poſtquam laviſſet, talis adhuc fuiſſet, qualis prius quam laviſſet, cum ne ſic quidem exudaſſet de corde ſuo mœroris amaritudo, niſi quod deinde dormierit paulo melius, & evigilans non parva ex parte inveniſſet mitigatum dolorem ſuum.* Inde Rutilius:

Pande precor gemino placatum Caſtore Portum,
Temperet æquoream Dux Cytherea viam.

XXIV. Sed & ad *caſtra luxuriæ* redeuntes, & *proſtibulorum* (ceu Tertullianus vocavit) *Conſiſtoria,* ea ſane in lavacris & juxta mare præcipue frequentata fuerunt. Sic iterum Juvenalis VI. *v.* 417.

Digitized by Google

Balnea nocte subit, conchas & Castra moveri nocte jubet.

Item:

Egregios Equites & Castra domestica, quidni
Hac cupias, & qui nolunt occidere quenquam?

Ibi Scholiastes ad *Sat. hanc* x. *v.* 95. adjecit: *Hac Sejani Castra praetoria supra Diocletianas* (sc. thermas) *fuisse.* Luculentus vero est locus Justini, thema nostrum corroborans *lib.* XVIII. *Mos erat Cypriis virgines, ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quaesituras, in quaestum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas.* Quodque non paucæ eæ, sed magnus earum numerus & veluti exercitus quidam sub tentoriis ad mare fuerit, sequentia statim innuunt verba, ubi dicitur, quod *harum ex numero* LXXX. *admodum virgines rapi & navibus imponi Elisa* (Sidonia Carthaginem ædificatura) *jusserit, ut & juventus matrimonia & urbs sobolem habere posset.*

XXV. Neque vero a Cypriis hoc didicerant Phœnicæ feminæ, vel in Africam illinc eam consuetudinem Dido, sed ex Phœnicia traduxerat, propter eandem scil. rationem, quia Tyrii maris essent accolæ & Phœnices reliqui, & de his D. Athanasius *prima sua Oratione contra gentes pag.* 21. affirmaverat: Γυναῖκες γὰρ ἐν εἰδώλοις τῆς Φοινίκης πάλαι προεκαθέζοντο ἀπαρχόμεναι τοῖς ἐκεῖ Θεοῖς ἑαυτῶν τὴν τοῦ σώματος καὶ αὐτῶν μισθαρνίαν, νομίζουσαι τῇ πορνείᾳ τὸν Θεὸν ἑαυτῶν ἱλάσκεσθαι καὶ εἰς εὐμοιρίαν ἄγειν αὐτὴν διὰ τούτων. *Olim certe Phœnissæ mulieres ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus suum quaestum, persuasæ, meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem inde rerum nasci.* Atque harum turpe dedecus Valerius Max. *lib.* II. *c.* 6. §. 15. subnexuit: *Sicca fanum esse Veneris,* inquiens, *in quod matrona se contulissent: atque inde procedentes ad quaestum, dotes corporis injuria contraxissent, honesta nimirum tam inhoneste vinculo conjugia junctura.*

XXVI. Est vero *Sicca Veneria* Antonino in Itinerario, & Victori Uticensi *lib.* 2. *de Vandalica persecutione,* ubi Arnobium claruisse scripsit Hieronymus in *Chronico,* eadem Africæ urbs, quæ Plinio *lib.* 5. *c.* 3. & D. Cypriano in *sententiis Concilii Carthaginensis* simpliciter *Sicca* pariter ut Valerio paulo ante, nec non Gyraldo in *Syntagm. Syca* urbs Punica appellata fuit, Solino vero tantum *Veneria,* at Ptolemæo & Procopio *lib.* 2. *Vandalicorum* Σίκκα Ουενέρια. Colonia est Africana trium dierum itinere sive M. pass. plus minus CXX. a Carthagine dissita, & quasi *Siccoth Benoth* dicta. Quæ ferme e V. C. Jani Seldeni *lib.* 2. *Syntagm.*

cap.

Digitized by Google

cap. 6. hauſimus, quem exſcripſit quoque Schedius & Rhamnuſius.

XXVII. Nam & eidem inſuper & in eo quoque ſubſcriptores ſumus, quod dum libidinoſam hanc coloniam ex Oriente, ubi ſunt calidiores homines, in Occidentem caſtris motis traductam voluit, ille ſane Phœnices hunc cultum hos ritus a Babyloniis & eorum *Succoth* vel *Siccoth Benoth* accepiſſe, perſuaſus fuit. Quæ ſacra prius tabernaculis in Aſſyria fixis dudum & diu ibi perduraſſe, Divinas quoque literas teſtari ſcimus, II. *Regum* XVII. dicitur, quod cum vicina quoque gens in urbibus Samariæ, in quibus habitabant (abductis ſc. indigenis veris) Deos ſuos repoſuiſſent, Viri quidem Babel *Succoth Benoth*, quæ interpretantur *tabernacula filiarum*, ſeu fanum ipſum Babyloniæ Mylittæ ſive Veneris Uraniæ, & circa iſtud ritus ſacros, ubi puellæ corollis revinctæ & ſedentes, ſingulis in ſpatiis (quæ funiculis diſtincta Herodoto διέξοδοι κοινολέκεες, aditus ad funiculorum longitudinem protenſi circa feminam ſedentem, & iis obſeptam appellantur) hoſpites operiebantur, qui, rite implorata Venere Mylittia, pecuniaque quantulacunque data (quæ Deæ ſacra) cum eis a fano ſubductis rem haberent. Lege vero patria omnibus feminis erat commune, ut ſemel in vita ita deſidentes cum advenis conſuetudinem haberent. Nec cuiquam fas erat prius diſcedere, quam juxta hunc ritum fuiſſet ad res Venereas electa. Unde fiebat, ut per biennium nonnunquam & triennium exſpectarent, quæ deformes, miſeræ. Ceterum beatiores vehiculis cameratis tectæ, relicta a tergo magna famulitii turba, pro fano conſiſtebant. Heic plane filiarum ſeu muliercularum erant tabernacula ſeu *Siccoth Benoth* (nam & *Siccuth*, quod propius a *Sicca* abeſt, *tabernacula* ſonat Ebraice, & probabile ſatis eſt idem ſonaſſe Punice) Hiſtoriam autem ampliorem de hac re habes apud Herodotum *lib.* I. & Strabonem *lib.* XVI. Abſque iis eſſet, quis locum illum Hieremiæ in Epiſtola Barucho ſubnexa caperet, ubi ad hunc modum de ſcortis diobolaribus Babyloniorum loquitur. Αἱ δὲ γυναῖκες περιτιθέμεναι ἀοίνια ἐν ταῖς ὁδοις ἐγκάθηνται &c. *Mulieres funiculis circumdatæ in viis ſedent, ut furfures,* τὰ πίτυρα, *ſeu libamina adoleant. Et ſi qua earum cum advena quovis, qui eam ſibi attraxerit, cubaret, proximam conviciabatur, quod nequaquam ſimili afficeretur honore, nec funiculus ejus diſrumperetur.* Quod igitur cinctæ funiculis feruntur, eſt, quod ſub tarbernaculis, quæ funibus extentis erecta erant, virgines Veneri Uraniæ operantes, ibi operirentur ſuos amatores. Unde *Succoth Benoth* quaſi *tabernacula Veneris* dicta. Sic enim Eucherius Lugd. Epiſc. *ad l.* 4. *Reg. c.* 17. ſcripſit: *Melius, ni fallor,*

pla-

Digitized by Google

placeret interpres, si Sochot Latine in tabernacula verteret, & nomen Idoli Benoth absolute poneret. Benoth utique in Venus apud Latinos transiisse Seldenus, Vossius & Schedius probaverunt B. & V. item T. & S. promiscue usurpari & alternari solitis.

CAPUT VIII.

In Majumæ cognata & quasi synonyma, Maicampos Francorum Regum & Cæsarum, & an Martii quoque campi recte dici meruerint, item in Roncalias Rom. Regum, unde & hæ derivatæ, inquiritur, ut & in alios ludos Majales Septentrionales.

I. Germani quoque, cumprimis Francici Cæsares & rem & vocem Græco-Latinam Majumæ suæ linguæ accommodantes *Maycamp* vocarunt & celebrarunt, quæ vel semi-Latina, vel etiam mere Germanica. Nam licet Imperatores mense *Majo in campo* castra quasi figerent, ad quem proceres plebemque velut ad comitia convocarant, ibidemque post seria pertractata delitiarentur quoque & comessarentur sub scenis & tentoriis.

II. Sicuti in Carmine Helperici, seu adeo Alcuini, quod Canisius *tom.* VI. *Antiq. Lect.* publicavit de Carolo M. descriptus ille *Maicampus* exstat pluribus, sed inde paucos versiculos extrahemus.

Non procul excelsa nemus est & amœna vireta,
Lucus ab urbe virens & prata recentia rivis
Obtinet in medio multis circumsita muris.
Hic amnem circumvolitat genus omne volucrum,
In ripis residens rimantes pascua rostris,
Non procul in medio summergunt flumine sese
Nunc quoque præcipiti properant ad littora cursu. &c.
Hic pater assidue Carolus venerabilis Heros
Exercere solet gratos per gramina ludos.
Littorei juxta ora soli plebs inclyta tendit
Venandi studio, regique exercitus omnis
Jam sociatur. &c. *ibi Carolus fert missile ferrum*
Sternit & innumeras porcorum strage catervas
Unde reflectit iter campum repetensque priorem
Frondosum lucum patulis fonteseque recentes
Ramis prætextos & opacam frigoris umbram.

Aurea

Digitized by Google

Aurea quæ terris passim tentoria fixa,
Stant pomposa ducum hinc inde & castra nitescunt,
Læta parat Carolus sociis convivia lætus:
Convocat huc omnes longævos ordine Patres, (i. e. Senatum.)
Maturum populum, natum melioribus annis,
Impubem pariter plebem castasque puellas
Conlocat, inde jubet mensis donare falerna. &c.

III. Sed videtur ejusmodi conventus non tam ludicrorum causa institutus, quam potius ad publica regni negocia deliberanda, privatasque controversias jure manuve componendas institutus, cum si non alio modo, litigia duello finiebantur, quod Germani *Kamp* vel Kampff semper & adhuc vocitabant. Quemadmodum in Testamento Caroli M. quo terras filiis suis distribuit, legimus prohibitum, *ne unquam pro causa dubia pugna vel Campus ad examinationem judicetur.* Inde *Maikamp* sequiorum seculorum Scriptorum est *placitum, seu conventus* Imperatorum *ad Kalendas Maji indictus variis rebus determinandis, quo ad Regem in liberum campum confluebant cum optimatibus subditi.* Pompam Regis venientis in *Maikampum*; vide sis apud Urspergensem *Chron. fol.* 170.

IV. Sed postea tempus hujusmodi Comitiorum variare cœpit, durante nihilominus illo nomine. Hinc in *Annalibus Franc.* a Frehero editis sub a. 776. *Maicampus ad Wormatiam*, anno 770. *ad Badelbrunn in Saxonia*, anno 779. *In Dura indictus & habitus Maicampus* alteri annalium Francicorum auctori a Canisio *antiq. Lect. tom.* III. publicato, dicitur *Synodus in Wormatia civitate, ubi Carolus multas causas conjungens, & ibi placitum publicum tenens, facto consilio, Saxonum firmitates subito intravit*, &c. item *Synodus in villa, quæ dicitur Duria.* item anno 782. *Synodum tenuit ad Coloniam, ibique peracto placito reversus est Dominus Carolus Rex in Franciam.* Anno 793. *ipsa hieme fecit iterum Rex Carolus apud Reganesburg conventum, & cum convenissent, fideles Episcopos & Abbates & reliquum populum fidelem adhortatus est.* &c.

V. Quo loco non poteram spleni temperare, cum Criticorum cernerem Rhamnusium tam audacter more suo auctores corrumpere verius & corripere, quam corrigere, vel erigere, & enarrare. Is *pag.* 315. *V. L.* cum istos citatos Maicampos pariter præmisisset: *Alius* (inst) *annalium Francorum Scriptor a Pithœo editus Martis Campum vocavit, vel quod Athenis dicasterium, in quo δίκαι Φονικαὶ dijudicarentur, & in quo causa Martis homicidæ primum cognita fuisset,* Ἄρειος πάγος *vocaretur; vel*

Digitized by Google

quod Romani campum Martium extra urbem, in quo Reges magiſtratuſque creare & delectus habere fas erat, comitiis celebrandis deſtinaſſent; quorum ſimulachrum erant placita Francorum. Fere hoc genus Scriptores (ita concludit R.) *ſua ad Græcas Romanaſque antiquitates exigunt, & hos adfectant interdum valde putide.*

VI. Sed putidum ſane hoc ipſum eſt judicium, evolviſſet modo iſte Collectionem Hiſtorico-Chronographicam Anonymi, ſed Carolo M. ſupparis Scriptoris ex Idacio & Thoromacho *lib. 6. pag. 716. & 725.* illic namque ſic ait: *Evoluto anno Rex* (Pipinus) *a Kal. Martii omnes Francos ſicut mos eſt Francorum, in Bernaco villa publica ad ſe venire præcepit, initoque conſilio ſuo cum proceribus ſuis eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere*, &c. Vides geminam rationem, cur non uſque adeo male *Martius campus* alteri dictus fuiſſet. Nec adeo abſonum foret, ſi Romanorum imitatione iſtud inſtitutum Gallicorum Regum, non Scriptorum vero figmentum fuiſſet. Apud hos namque juxta Vegetium *lib. 1. c. 8. Campus Martius vicinus fuit Tiberi, in quo Romana juventus poſt exercitium armorum ſudorem pulveremque dilueret ac laſſitudinem.* Pari modo conventu indicto Galli quotannis in campo Martio ad armiluſtrium & conſultationem de bello confluebant, præ cæteris quoque Gregorius Turonenſis *Hiſt. Franc. l. 2. c. 27.* de Clodovæo adhuc fanaticis erroribus involuto narrat, quod ille *tranſacto anno juſſerit omnem cum armorum apparatu advenire phalangem, oſtenſum in campo Martio ſuorum armorum nitorem*, &c. Sed ibidem ſtatim idem laudatus Auctor Anonymus ſubjicit; cum iterum ſequenti anno *ad Arvernum urbem cum omni exercitu veniſſe Regem illum, ibique cum Francis & proceribus ſuis placitum ſuum Campomadio tenuiſſe* recenſuiſſet; *evoluto anno hoc commotoque exercitu Francorum uſque Aurelianis* (ita ſcribit) *perveniens, ibique placitum ſuum Campomaji, (quod ipſus* Pipinus *primus pro campo Martio, pro utilitate Francorum inſtituit) tenens multis muneribus a Francis & proceribus ſuis ditatus eſt:* Anno tamen inſequenti iterum *Campomadium, ſicut mos erat, Bituricis tenere juſſit, inito cum proceribus ſuis conſilio.*

VII. Confer nunc cum hoc Chronologo alterum iſtum Annalium Scriptorem apud Pithæum, & Sole clarius apparebit, non ſolos Reges e Merovingis, ſed quoſcunque Francorum Reges t. t. Maicampum, ſeu Campomadium non Majo ſemper menſe, ſed Martio prius celebraſſe. Quare ipſum Pithæanum auctorem audiamus, & ſimul cærimonias quaſdam

hujus

Digitized by Google

hujus festivitatis panegyricæ apud Gallos anniversariæ cognoscamus. *Anno* DCCLI. *Pipinus missa Romam legatione, Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiqua Merovingorum stirpe descendentibus, qui Reges quidem dicebantur, sed potestas regni tota apud Majorem domus* (qui erat Pipinus ille) *habebatur, excepto quod chartæ & privilegia Regis nomine scribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno a populis visus publica dona solenniter sibi oblata capiebat, stante coram Majore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populis annunciante. Sicque Rege domum redeunte, cætera regni negotia Major domus administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum juste Rex debeat dici & esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni & omnium negotiorum molestias sufferat? ibi Papa Zacharias mandavit populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hilpricus Merovingorum ultimus depositus, & in monasterium missus, Pipinus vero a S. Bonifacio in Regem unctus est.*

VIII. Atque idem Annalium Francorum Auctor *pag.* 24. a nepote Pipini Ludovico post mortem Caroli M. habitum narrat ejusmodi *generalem conventum populi, ad justitias faciendas, & oppressiones populares relevandas.* Et *pag.* 31. porro scribit: *Mense Majo apud Inglenheim habito conventu, diversarum gentium legationes auditas absolvit. Pag.* 35. vero ait: *Imperator mense Junio Noviomagi conventu generali habito, consiliis quorundam ex primoribus* &c. Et *pag.* 41. *Tempore autumni apud Padabrunn generale placitum habuisse*, retulit idem. Et *pag.* 43. *Circa Cal. Octobris generale placitum habuit apud Moguntiacum, in quo legatos Nordmannorum Sclavorumque suscepit, audivit, absolvit.* Manifeste igitur apparet, quod antea dicebamus, variasse illas panegyres, quæ tamen a Majo fortean nomen accepissent.

IX. Ab hisce Majumis vel Maicampis non re quidem, sed nomine saltem abludit *Roncaliæ campus* super Padum, non longe a *Placentia*, (quod *oppidum campestre* Livius *de secundo Bell. Punico lib.* VII. jamdum nuncupaverat) quo a Rege Teutonico indicta publica expeditione Romana ad suscipiendam Imperii coronam, aut similem ob causam, omnes beneficiati seu Vasalli prima nocte Regi in prædicto campo mansionem facienti adesse cogebantur, aut Feudum perdebant, veluti quidem Otto Frisingensis *lib.* Friderici II. *c.* XII. istud in prosa ante oculos posuit, Guntherus vero in Ligurino *lib.* II. ligata, his versibus:

Digitized by Google

- - - - Tunc demum ſigna revellens
Runcaliam properat motis attingere caſtris.
Eſt locus Italiæ, modicum ſejunctus ab urbe,
Cui, quia pulchra ſitu placet, inde Placentia nomen,
Planus & Eridano placido junctiſſimus amni
Effundit latos ſpacioſo limite campos.
Hic quoties claram Regnator tendit ad Urbem
Teutonus, Auſoniam ſumpturus rite coronam,
Ponere caſtra ſolet: ligno ſuſpenditur alto
Erecto clypeus: Tunc præco regius omnes
Convocat a dominis feudalia jura tenentes.
Excubias Regi prima celebrare Fideles
Nocte vetuſtorum debent ex more parentum.
At quicunque domi, domino nolente, relictus
Defuerit, Feudo privari curia cenſet.

X. Inde Abbas Urſpergenſis in Frid. I. *Roncaliam*, inquit, *ubi mos Lombardorum eſt, juſtitiam ſuam requirere, & ab Imperatoribus recipere, diem certam & Curiam publicam ad præſentiam Principum, qui tunc aderant, eis deſignavit.* Qui Fridericus Authenticam Habita, Ne Filius pro Patre, Runcaliæ publicavit. Et Lotharius Imperator *lib. Feud.* II. *tit.* 52. *n.* 1. ita reſcripſit: *Dum apud Roncalias, ſecundum antiquorum Imperatorum conſuetudinem, pro juſtitia ac pace regno componenda conſideremus, omnia quæ ad honorem Imperii Romani ſpectare videntur, ſollicite indagantes.* Et *tit.* 55. ut & apud Ottonem & Radevicum Friſingenſes *lib.* IV. *c.* 7. *Fridericus Imp. dum ex prædeceſſorum noſtrorum more univerſalis curia Roncaliæ pro tribunali ſederemus a Principibus Italicis, tam Rectoribus Eccleſiarum, quam aliis fidelibus regni non modicas accepimus querelas*, &c. Sed *tit.* 40. *de Capitulis*, quæ *Rex Conradus* fecit *in Romandiola*, locum corruptum Cujacius & emendandum cenſuit *in Roncalia*, quod etiam Hugo Grotius in floribus ad Jus ſparſis *p.* 341. ex Gunthero correxit, pro Conrado quoque Fredericum ſubſtituens.

XI. Verum non plane temere variavit iſta lectio, quæ inde ortum traxit, quod vox iſta primum mere eſſet Alemannica, ita ut *Roncalia* nihil foret aliud, quam expeditio Romana, der Römer-Zug/ uti nunc ſalutatur, ita dicta quaſi Rom-walia, Rom-Wallen; id eſt, Romam ire vel proficiſci. Wallen enim idem ac Gall. *aller*. Ital. *andare*. Sic ergo pro *Rom-Wallen*, Franco-Galli pro litera W. qua deſtituuntur C.

vel

Digitized by Google

vel G. fere ſubſtituentes, & in concurſu duarum LL. unam in I. mutantes *Roncaliam*, quidam forte quoque Itali ſuæ linguæ aptius *Romandiolam* fecerunt, quidam etiam duabus vicinis vocibus, unde derivatam illam compoſitamque crederent, expreſſerunt, hunc actum vocantes, *Romam ambulare*, ut in charta veteri inveſtituræ ſub Karolo M. quam Goldaſtus in Germanicis *Tom. 2. n.* 58. adduxit, ubi, *Vaſallus* LXX *ſolidis & Caballis* v. *cum ſaumis & tufiis & filtris, cumque ſtratura ſua inſtructus apparere jubetur ad Imperatorium iter, ad Romam ambulandum.* Alii *Tranſalpiſationem* pro Roncalia dicere maluerunt, c veluti ç proferentes.

XII. Sic quoque apud Balſamonem in Can. 62. Synodi 6. cum Calendarum feſtum (quod primis Januarii menſis diebus celebraretur) feſtum alienum eſſe dixiſſet, aliud ſimile ſtatim ſubdens ceu pariter alienum; *& ea* (pergit) *quæ dicuntur ῥωσάλια, quæ poſt ſanctum Paſcha ex mala conſuetudine fiunt in externis regionibus.* Ubi pro ῥωσάλια ſcribo ῥωϊσάλια vel ῥωνκάλια, tametſi alicui videri poſſint *Robigalia*, 7. Cal. Majas (juxta Feſtum) ſacrificiis pro avertenda rubigine celebrata. Verba Balſamonis ſic habent: Τοιαύτη πανήγυρίς ἐϛι καὶ τὰ λεγόμενα ῥωσάλια, τὰ μετὰ τὸ ἅγιον πάσχα ἀπὸ κακῆς συνηθείας ἐν ταῖς ἔξω χώραις γινόμενα.

XIII. Suo quoque modo Septentrionalium huc accedunt *Majalia feſta*, (ſicuti ea Upſalienſis Epiſcopus Olaus Magnus *lib.* 15. *p.* 322. inſcripſit,) quamvis propter tardiorem temperati aeris adventum ad Vigiliam Natalitii D. Johannis Bapt. differantur. "Tum demum omnibus tam "ſilvis, quam pratis & campis vireſcentibus & floreſcentibus populus o-"mnis utriuſque ſexus & ætatis turmatim in publicis plateis urbium aut pla-"nitie camporum, ubique copioſis accenſis ignibus, pro choreis tripudi-"isque exercendis concurrere ſolitus, vetuſtorum heroum domi foriſque "magnifica geſta ubilibet in Orbe peracta ſaltando decantat, etiam quid "illuſtriores feminæ, pro æternis aſſerendis laudibus, amore ſervandæ "pudicitiæ perfecerunt. Præterea quid degeneres ignavique nobiles, "crudeles tyranni, & turpes feminæ excluſa honeſtate fecerunt, pa-"triis cantionibus & rythmis ſonantibus citharis, ac tibiis alternatim ad-"ductis, exnarrant. Ut tenera juventus agnoſcat, quam excelſa ac ſplen-"dida virtus ſit, æterniſque laudibus digna, bonorum inhærere veſti-"giis, & a peſſimis reſilire ac præcavere exemplis. Ibidem tamen "primo die Maji, Sole per taurum agente curſum, alium ritum fu-"gandæ hiemis, & recipiendæ æſtatis Suecis meridionalibus & Gothis

Digitized by Google

"ſcribit uſitatum; duplices enim a magiſtratibus urbium conſtituuntur "robuſtorum juvenum & virorum equeſtres turmæ ſeu cohortes, tanquam "ad durum aliquem conflictum progreſſuræ; quarum altera ſorte depu- "tato Duce dirigitur, qui Hiemis titulo & habitu, indutus pellibus, "haſtiſque focalibus armatis, globatas nives, & cruſtatas glacies ſpar- "gens, ut frigora prolonget, obequitat victorioſus: eoque duriorem ſe "ſimulat, & efficit, quo ab vaporariis ſtiriæ glaciales dependere viden- "tur. Rurſumque alterius equeſtris cohortis præfectus, Æſtatis Comes "Florialis appellatus, virentibus arborum frondibus, foliiſque & floribus "(difficulter repertis) veſtitus æſtivalibus indumentis parum ſecuris, ex "campo cum Duce Hiemali, licet ſeparato loco & ordine, civitates in- "grediuntur, haſtiſque edito ſpectaculo publico, quod æſtas hiemem exſu- "peret experiuntur. Unde & acriter utraque parte triumphare cupiente, "illa vehementius alteram urget, quæ iſto die ex aeris clementia vel au- "ſteritate videtur mutuare vigorem. Si hiemis aſperitas adhuc ſuum gelu "ſpirat, depoſitis haſtis, cineres vivis ignium ſcintillis commixtos, ur- "nis vel ſaccis extractos, obequitando hiemis perſona, ſuper aſpicien- "tes effundit. Similiter & hi, qui eodem cultu & habitu, quaſi auxilia- "res turmæ adjuncti ſunt, in equis ignivomos globos ejiciunt in aſpicien- "tes. Ne autem æſtatis perſona ob defectum ramorum virentium florum- "ve, cum ſua equeſtri cohorte privetur honore cupito, longe antea be- "tuleas frondes, ſeu tiliæ virgas, vaporarii calore & irrigatione artificio- "ſe virentes, quaſi e ſilva productas, clanculo elatas, ſed aperte redu- "ctas oſtendit: quo caſu ob defraudatam naturam, hiemis propugnato- "res infeſtius inſtant, ne dolo quæſita victoria emergat, aut ſiſtat in pla- "cida pompa: quæ tamen favorabili aſtantis populi, aſperrimum hiemis "dominium per amplius ſufferre negantis, judicio, digna juſtaque ſen- "tentia convincitur, ut æſtati pro publica lætitia victoria cedat, victo- "riamque partam ſplendide inſtructo convivio æqualibus perficiat, & cor- "roboret hauſtibus, quam aſſequi vix potuit haſtis."

CAPUT IX.

Dic cur hic de Majuma, pridem quoad nomen deſita? Quia quoad rem paucis retro ſeculis multorum malorum cauſa in Syria, Græcia, Italia, Gallia & Germania exſtitit, nec dum niſi titulotenus ceſſavit, Hydra & Protei inſtar ſemper in Nymphæis revireſcens, & ſe variis

Digitized by Google

riis figuris dissimulans. Quare brevi ἀνακεφαλαιώσει, *quæ forma ejus proprie sit & fuerit, qualisque fucus & quod virus exterius ei accesserit, finitur.*

I. Claudendi jam tandem veniebant rivi, imo vero flumina, juxta quæ & in quibus Veneris, aquis oriundæ, ludi lascivi exhibebantur, quando & aures & prata superquam satis bibissent, unicum tamen adhuc nos inhibebat, quo minus siccis pedibus illud transiremus: nimirum dum finis fieri jam deberet, hic ipse finis hujus Diatribæ a nobis exposci poterat, quod in omni actione quoad intentionem primum esse consuevit. Quamvis autem statim in Procætio (seu, ut vulgo vocant, Proceſtrio) innuerimus, quæ causæ nos ad illud emoliendum impulerint, materiæ sc. passim ignoratæ raritas, quæ excussa tamen plurimis scriptis & sacris & profanis lucem esset fœneratura: attamen hic nobis aliquis superstitiosulus tenebras magis exoptandas occinere posset, gratiasque potius Deo nos debere, quod & res & nomen pariter Majumæ penitus jam sint exoleta. Cui utrumque pollicem premeremus, si, quod iste supponit, revera se ita haberet, & non adhuc, vel paucis retro seculis eadem pene fabula & spectacula actitata fuissent. Quorum fœditatem & subsecutas maledictionis divinæ pœnas, dum vel in hac Coronide subjiciemus, tanto magis ea & alios ab iisdem absterrebunt, & nos ipsos quoque, quod minime illis gaudeamus, excusabunt.

II. Nullum enim nobis est dubium, *Majumam Mahometum post se traxisse*, qui cum videret Orientem, & Græciam præsertim, nimis quam voluptatibus mancipatam, talem inde sibi formavit religionem, talemque *perpetuæ* quasi *Majumæ Paradisum*, & a puniente permissus Deo omnia illa loca turpibus istis voluptatum illecebris addicta, inque iis Romam novam post Antiochiam, Gazam, & Majumam sibi subjugavit, cum semper adhuc iisdem ludi impuri, & feminea potius, quam mascula exercitia solenniter celebrarentur. Parum enim abest, quin haud plane Majumæ absimiles ludicras pugnas Antiochiæ a Manuele Comneno institutas credam, quas Nicetas Acominatus *annale* & *n.* 3. descripsit, cum dicto Imperatori Constantinopolitano Antiocheni pomposum ingressum adornantes: Τάς τε ἀγυιὰς καὶ ἀμφόδους ἐπίπλοις καὶ τάπησι διεκόσμουν καὶ δένδρων νεοδρέπτοις κλωσὶ κατηλάϊζον, τὰς τῶν λειμώνων καὶ ἀνθέων Χάριτας ἐς τὸ ἄστυ μέσον Διακηπεύοντες: Quæ ipsæ recentes arborum frondes & Majum & Majumam redolent, præsertim cum nulla alia voce interposita subdatur,

Digitized by Google

datur, *nullum ab illo honorifico occurſu abfuiße, ſed omnes inquilinos confluxiſſe,* ὡς παρεῖναι καὶ Σύρον ὀψυφάγον *adfuiſſe & Syrum guloſum & latronem Iſaurum & piratam Cilicem & equitem lancearium Italicum, qui pedibus triumphum comitabantur: interque eos commiſſam ludicram pugnam, tantam excepiße ludorum varietatem & elegantiam, ut haud ab re dici potuißet, in iis ludis Venerem cum Marte & Bellonam cum Gratiis coiiſſe.* Præſertim tam amœno Maji tempore, quod Τὸ τῦ ἀέρ& ῥόδιον vocavit. Ἡνέμῳ addit τὰς σημείας, καὶ λιγυρὸν ὑπεσύριζεν, εἰπεῖν ἄντις ἂν ἀκόμψως πρὸς τὴν τηνικαῦτα Διάχυσιν ἀπιδὼν, ἀφροδίτην Ἄρεϊ συνελθεῖν, τῇ δ' Ἐννοῖ συμπλέκεσθαι Χάριτας, ὕτω τὰ τότε παίγνια μίγμα ποικίλῳ καλῷ ἐτύγχανεν ὄντα. Quæ ipſa vox παιγνίων ſatis arguit ſcenicum quid Mimorum, quorum propria ſunt, inibi quoque fuiſſe ſpectacula.

III. Unum quoque & alterum ſeculum vix præteriit, quando & in Galliis Sirenum Syriacarum Majumas nocturnas diurnis continuatas depinxiſſet Nicolaus de Clemangis *Epiſt.* LIV. ita legenda, intelligenda & conſtituenda: *Cum ex mari in portum, ſed hinc iterum ad vaſtiores fluctus Pariſinos, & velut ad Charybdin ſe revocatum* ait, *ubi cuncta vitiorum monſtra verſarentur, nec ſola juventus, ſed & provectior atas vitiis juvenilibus ita eſſet implicata, ut luxui, lubricaque diſſolutioni non dies ſufficeret, noctes ſæpius ludo ac choreis inſomnes tranſigerent, ubi vero totis noctibus ſaltaßent, luſiſſent, bibißent, pedibus plauſiſſent, luxuria & comeſſationibus uſque in lucem protractis indulſißent, ſopore defeſſi, uſque ad meridianam horam, nonnunquam uſque ad veſperam quieſcerent, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ut propheticam conſequantur benedictionem.* Mox: *Viri ſui ſexus obliti in muliebremque reſoluti mollitiem femineo ſe ritu agunt compti & ad ſpeculum compoſiti domo prodeunt auro & gemmis onuſti. Femina a natura propria degeneres virilem induerunt audaciam, quæ ut ſuam pudicitiam ſpectantium oculis manifeſtent, toto prope exſerto pectore ſeminudæ per vias eunt. Non debent perfidæ ſimulationis vel duplicitatis argui, quæ non aliud pectore celant, quam vultu produnt, ſed pectora & renes* (lege *ſed monſtra & Sirenes*) *ſi pedes haberent, tibi occurrere putares, quæ velatis aliquatenus imis partibus, humeris ac toto ſinu patentibus, ut a Poetis ſolent fingi, & ab artificibus pingi; quas Poeta præclariſſimus ita deſcribit:*

Prima hominis facies & pulchro pectore Virgo
Pubetenus, poſtremo immani corpore priſtis.

Unde

Digitized by Google

Unde ſtatim ſubdit: *Perque omnia liquet, mulieres in loco illo non modo marini monſtri, fera beſtia, ſed etiam maligni ſpiritus ſpeciem tenere.*

IV. Præ ceteris tamen internos animi ſui morbos, quos nulla aqua, nullis balneis, nullo mari expies, produnt mulieres, etiam quæ Sabinas imitatæ videri volunt, ſi Sabinos Neptuni ludos & lavacra, & thermas ſectantur. Sicuti falſe Martialis *Epigram. 62. lib. 1.* ludit *in Lavinam caſtam & tetricam mulierem, quæ, dum Bajanis ſæpe fovetur aquis, incidit in flammas amatorias juvenis, & relicto conjuge abiit Helene, quæ venerat Penelope.* Additque Lanſius *Orat.* contra Germanos: *Bajas heu multis in locis hodie habemus, ubi inter lavantium greges videre eſt frequentiſſima Veneris Amorumque Gymnaſia.*

V. Quales ſcholas Epicureæ factionis in Teutonia eleganter quoque ob oculos nobis poſuit Poggius Florentinus *Epiſt. 325. ad Leonhard. Aret.* quando Concilii Conſtantienſis tempore in Germania, ob Aſconium Pedianum & Quintilianum ipſi ibidem repertos celebratiſſima, verſaretur. "Et in thermis Badenſibus, quas balneis Puteolanis, licet univerſus po-"pulus Romanus cauſa voluptatis eo confluxiſſet, feſtivitate hominum & "balneorum uſu atque ceterorum omnium jucunditate immenſa præfere-"bat, exiſtimans & Venerem ex Cypro & quicquid eſſet ubique delitia-"rum ad hæc balnea convolaſſe, quæ tam diligenter illius inſtituta ſervent, "& ad unguem ejus mores ac laſciviam repræſentent. Oppidum Baden "ſatis opulentum in convalle montibus circum imminentibus ſitum ait, "idque prope ſtadiis quatuor eſſe villam ſuper flumen, (quod in Rhenum "fluat longe ab oppido millibus paſſuum ſex) pulcherrimam, in uſum bal-"neorum fabricatam. Aream peramplam eſſe in media parte villæ & cir-"cum hoſpitia magnifica multarum receptacula gentium, ſingulas domus "ſua habere balnea interius, in quibus abluantur hi ſoli, qui ad eas di-"vertere, privata balnea numero xxx. publica haberi tantum duo, ab "utraque parte areæ lavacra plebis & ignobilis vulgi, ad quæ mulieres at-"que viri, pueri, innuptæque puellæ, & omnium circumfluentium fex "deſcendat. Ridiculum addit eſſe videre vetulas ſimul & adoleſcentulas "nudas in oculis omnium aquas ingredi, verenda & nates omnibus oſten-"tantes hominibus. Quo tam præclaro ſpectaculi genere ſæpe mentem "revocaſſet ad Florales ludos & Majumæ, (pro quo ignavi & ignari le-"gerant Mecummet) iſtarum ſimplicitatem admiratus, quæ neque ad hoc "oculos advertant, nec quicquam ſuſpicentur aut loquantur mali, quan-"do nullæ aditus cuſtodiæ ſervent, nulla oſtia prohibeant, ſed idem qui

Digitized by Google

"viris & mulieribus ingreſſus ad balnea ſit, ut ſæpiſſime accidat & virum "ſeminudæ feminæ, & feminam viro nudo obviam ire; cum maſculi "campeſtribus tantum utantur, at vero feminæ linteis induantur veſti- "bus, crurum parte tenus, ab altero latere ſciſſis, ita ut neque collum, "neque pectus, nec brachia aut lacertos tegant, in ipſis aquis ſæpe de "ſymbolis eas eſſe tradit propoſita menſa, ſuper aquas natante, quibus "viri aſſiſtere conſueviſſent. Poſt cœnam in prato quodam ingenti, ſe- "cus flumen multis arboribus conſito, convenire undique omnes ad varios "ludos; ubi quidam choreis gaudeant, cantent quidam, plurimi pila lu- "dant, tintinnabulis plena, quam alter ad alteram dilectiorem projiciat, "ad eamque excipiendam undique concurratur, cum qui eam accipiat, "potior habeatur, iſque cum iterum projiciat ad perſonam ſibi acceptio- "rem, cum illam multi porrectis exſpectent manibus, atque ipſe modo "ad aliam ſimulet ſe jacturum. Et multos præter hos fieri alios ibidem "jocos, ut hunc eſſe locum credidiſſet illum, in quo primum hominem "creatum ferant, quem Eden Hebræi vocarint, hoc eſt, hortum volu- "ptatis, quæ ſi vitam beatam efficere poſſet, non vidiſſe ſe, quid huic "loco deeſſet ad perfectam & omni parte conſummatam voluptatem. Ubi "ſingulæ feminæ, quoad poſſint, veſtibus, auro, argento, gemmiſ- "que ſic veniant ornatæ, ut non ad balnea, ſed ad celeberrimas nuptias "eas dixeris acceſſiſſe, quibus nec abſint virgines Veſtales, vel rectius "loquendo Florales, nec Abbates, nec Monachi. Nihil autem viſu & "dictu mirabilius, quam in tam variis mille fere hominum moribus, tur- "ba tam ebria, nullam diſcordiam oriri, nullam ſeditionem, nullum diſ- "ſidium, nullum murmur, incognito & inaudito zelotypiæ apud ipſos "maritos nomine; quoties etiam uxores ſuas ſolas cernant ab aliis ſolis "tractari, cum omnibus una mens ſit triſtitiam fugere, ſectari hilarita- "tem, animo & corpori indulgere, quoſlibet dies feſtos agere, nihil "quærere, niſi quemadmodum læte vivant, gaudiis aſſidue paſcantur; nec "de communi dividundo agier, ſed de communicando diviſa.„

VI. Plus æquo tribuimus inſaniæ quoque noſtratium, quando & ipſos etiam Majumam celebrare, reſtituto eo Auctori ſuo vocabulo, deprehendimus; quod ipſum tamen Germani quoque inferiores (niſi Gallo-Belgæ forte videri malint, & ſuperioribus Alemannis peritiores) ſummo noſtri ſeculi viro Joanni Barclajo eripuerunt & corruperunt. Cujus gemma inſigni dum hanc Diatribam obſignare cogito, adeoque pauciſſimis comprobare, nihil non pene adhuc fieri, quod factum ſit prius, ita ipſum invenio

Digitized by Google

invenio in ſuo Euphormione ſcripſiſſe *pag.* 30. & depravatiſſima tempora noſtra juſte flagellaſſe: *Quocunque inter hos velato etiam capite produceris, ſincera vaticinatione dices, non quod Citharadus cauponam eſſe, ſed larvam, prodigium, ſcelus, perfidiam, nefas. Majorum virtus nihil ultra timuit, quam ne cœlum rueret: præſentis autem ævi impietas, niſi prorſus deſipuit, nihil amplius horret, quam hiatum dedignantis terra ſui oneris improbitatem. Omnium ætatum crimina, omnium immanitas ſcelerum in hæc tempora confluxit. Nunquam effuſior libido, ambitus amentior, nunquam ſe denique latius effudit maledicendi licentia. Non impudens Majuma, non arena crudelis, niſi hac tenebris, illa nomine diſſimulata ceſſavit.* Ubi videre licet aurem correctoris Batavam ſeu adeo Bœoticam, *Majumam* cum audiret, nec intelligeret, *Calumniam* pro ea, cervam pro virgine ſuppoſuiſſe, cui quomodo verba ultima reſpondeant, ipſa viderit. Hoc enim indicabat noſtri ævi Heliodorus Gallicus, vel potius Lucillius, nec dum Majumam, nec gladiatoria ſpectacula ceſſaſſe, niſi quod hæc ad nocturnas tenebras, ubi graſſatores homines occiderent, illa ſaltem nomine antiquata videatur exſpiraſſe, cum reipſa adhuc ubique triumpharet.

VII. Nec enim apud Syros modo & Græculos tanta ſocordia & licentia, ſed & apud ipſos Romanos etiam antiquiores viguit, ex quo tempore M. Varro, & inde L. Junius Mod. Columella præfat. de R. R. conqueſti ſunt; *Quod omnes patres familia falce & aratro relictis, intra murum correpſerimus, & in circis potius ac theatris, quam in ſegetibus & vinetis manus moveamus; attonitique miremur geſtus effeminatorum, quod a natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos ſpectantium. Mox deinde, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquamus, & exſucto ſudore ſitim quæramus, nocteſque libidinibus & ebrietatibus, dies ludo vel ſomno conſumamus; ac noſmetipſos ducamus fortunatos, ſi nec orientem Solem viderimus, nec occidentem.* Qua imagine nihil eſt Majumæ ſimilius, ac ne ovum quidem ovo, licet nomen Majumæ, tum adhuc incognitum foret Quiritibus. Quæ poſtea quoque tempeſtate ſequiore, imo noviſſima ſemper quidem viſa & audita, ſed non iſto nomine fuit.

VIII. Nam pro Majuma, reſecto veluti hydræ capite, alia ſtatim *Nymphæa* paſſim pullularunt, *ædificia genialia, feſtis conviviiſque apta, & omni genere naturalium delitiarum, arboribus, gramine, fontibus, lavacris frigidis, avium concentu & qua alia ad innocuam voluptatem ſi-*

Digitized by Google

ne admiſtione pretioſarum rerum componi poterant, Nympharum hypogais æmula, ob amœnitatem ruſtica manſionis, & antrorum fontibus nativis ingenuiſque ſedilibus veluti ad habitationem Nympharum connatorum jucunditatem e montibus & convallibus in urbes traducta. In qualia loca Nympharum inſuper (quarum, inibi habitare creditarum, effigies erant puella ſaltitabunda) ſtatuis exornata ſe conferebant virgines amœnitatis gratia, & ut ibi frigida abluerentur, quibus & populus poſtea frui cœpit. Sicuti docti viri Adrian. Junius, Marius, Grapaldus & præcipue C. Barthius *lib.* VI. & VII. *Adv.* e Codicis Theodoſ. *lib.* XI. *c.* 5. & 6. Longi Pœmen. Victore, Rutilioque docuerunt. Alii e Capitolino in *Gordiano Juniore, cujus opera fuerunt Romæ Nymphea & balnea.* Conſtantinopoli vero *Clearchus Nympheum maximum adificavit in platea Theodoſii, ubi aquæ affluentia erat emiſſa.* Socrat. Tripart. Hiſt. qui una cum Ammiano quadratum ibi lapidem e muris Chalcedonis (unde exſtructum erat hoc lavacrum) meminerunt, in quo fatales quidam urbi Conſtantinopolitanæ Græci verſiculi reperti ſunt, Latine ita ſonantes:

Laurigeram Nympha dum miſcent ſaltibus urbem
Raucaque multigemens defendit balnea murus,
Gens fera, gens numerum ſuperans ſuperabit & Iſtrum,
Quæ Scythicas franget glacies Myſoſque rebelles
Conteret, hoſtili penetrans ſed cuſpide Thraces
Prælia committet, ſed committendo peribit.

IX. Denique ne plane Proteo ſimilem, in tot diverſas plane formas abeuntem, credamus Majumam, aut talem, qualis fuerit *Ælia Lælia Criſpis, Nec vir, nec mulier, nec androgyne; Nec puella, nec juvenis, nec anus, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia: Nec cœlo, nec aquis, nec terris, ſed ubique jacens.* Segreganda igitur poſtremo loco cenſemus τὰ ὑσιώδη, καὶ τὰ ἐπισιώδη. fucum & larvam adſcititiam ab ingenua facie, ſecundaria a primariis, acceſſoria accidentia a ſubſtantialibus bene diſcernentes, ita tandem pugno dicta omnia concludimus, pugnamque illam & ſpectaculum hoc uno oculi ictu exhibemus: *Majuma erat ludus cognominis portus Gazæi panegyricus, quo nautæ inter ſe commiſſi e puppibus in aquas ſe invicem proturbabant, inde in alias urbes principes, atque adeo in utramque Romam paulatim traductus, exhilarandi ubique populi gratia.* Hæc ejus innoxiæ & rudis adhuc Majumæ eſt deſcriptio, hæc vera eſſentia, hic ſanus uſus, hæc caſtis moribus ex Arcadii & Honorii præſcripto perſeverans honeſtas & verecundia. At vero *Majuma mudarum*

Mi-

Digitized by Google

Mimarum & proſtibularum in theatri piſcina natantium, ſaltantium, bacchantium & colluctantium munus, ſpectabilibus & audibilibus univerſis corrumpendi populi, & ad omnem noctes & dies continuata luxuriæ impuritatem ſeducendi ergo introductum. Hæc demum eſt peſtis epidemiæ viva effigies, hæc rei licitæ everſio, hic inſanus abuſus, hæc procax hominum licentia, hoc fœdum & inhoneſtum ſpectaculum, Anaſtaſio jam dum Imperatori, & jam laudatis binis fratribus Cæſſ. mox abrogatum, a SS. Patribus opportune & importune interdictum & maledictum, ab ipſoque Dei vindice oculo & temporali devaſtatione, inque reprobum ſenſum traditione, punitum, & Gehenna tandem æterna porro puniendum.

X. Quo ipſo finimus, & veniam petimus, ſi tumultuario cum inſanis ſemel inſanivimus ipſi, melius fortaſſis alibi bonas horas collocaturi, modo illud e Columellæ frontiſpicio cogitaſſemus; quod *ſine ludicris artibus, atque etiam ſine cauſidicis olim ſatis felices fuerint, futuraque ſint urbes.* Sed ubi alii nimii ſunt in nihil aut male agendo, nobis licebit *ludo & joco uti, ſicuti & ſomno*, eoque parciſſimo, ad alia deinde ſeria alacrius ſurrecturis.

Digitized by Google

CHRISTIANUS FRIDERICUS

FRANCKENSTEIN

DE

ÆRARIO POPULI ROMANI.

Digitized by Google

OBSERVATIONIS I

πίτάκιον.

Ærraria Veterum pleraque in templis: quo & privatorum pecuniæ congeſtæ: & quæ in controverſiam veniebant depoſita: quin & in tumulos, quia ſacri, recondi pecunia ſolita: In quædam templa aurum inferre oraturo nefas; uti nec ferrum; & exinde inſtituti hujus ratio: Romanum ærarium in templo Saturni: & quare.

Quamvis ludibrium debeat ſubtiliſſimo Hiſtoriæ Romanæ ſcriptori Floro, *a* Perſes Macedonum Rex ultimus, quod *deſperatis rebus in Samothracen profugerit fretus celebri religione, quaſi templa & aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui nec arma potuiſſent*: Liquet tamen pleroſque Veterum ſe ſuaque religione locorum tutatos, quippe quorum violatio haud temere cuiquam impunita fuiſſet. Sic Brennus ſuomet apud Delphos gladio transfixus, *b* Pyrrhuſque & Plemminius violatores luci Locris Proſerpinæ ſacri ſceleris haud dubias pœnas dedere. *c* Et hinc moris aſſervare publicam pecuniam in templis. Fore namque putabatur, ut ſi minus hominum, numinum ſaltem metu (χαλεπὴ δὲ θεῶν ἐνὶ μῆνις *d*) a ſacrilegio ſcelerati manus abſtinerent. Et ſane quam nihil omnino adverſus furum aſtutiam & machinamenta proficiat, abſque hoc timore ſit, hominum in aſſervandis opibus ſolertia; Rex Ægyptiorum Rampſinitus a ſui gazophylacii architecto callide expilatus, ſatis ſuperque comprobat: *e* ut jam illud ſimilis aut majoris etiam verſutiæ præteream exemplum, quod in Cretenſi quodam Stamato ſuperiora ſecula viderunt; quippe qui me-

a *l.* 2. *c.* 12. b *Juſtin. l.* 24. *p.* 171. *Val. Max. l.* 1. *c.* 1. *n.* 18. c *Liv. l.* 29. *c.* 8. d *Homer. Iliad. rapſ.* 1. *v.* 178. e *Herodot. Euterpe p.* 132.

Digitized by Google

memorabili audacia publicum Venetorum Thesaurum deprædari ausus est *f*; & abstulisset etiam, nisi tam male continenti fuisset lingua, quam manu fuerat parum abstinenti. Verum enim vero quod fieri plerumque solet, ut enormi flagitio si index desit, ab auctore detegatur. (*Utitur quippe numen ad ultionem hominis vitio*) id etiam hoc in loco accidit: nam hic ipse Stamatus dum compatri cuidam suo, & per hunc Senatui Veneto semet prodit, exitio suo captus scilicet & aureo fune in D. Marci foro suspensus verum probavit Euripideum illud *h*.

Ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυσυχία.

Quod si, (ut ad rem redeam) earum exempla gentium quis requirit, quæ reip. suæ censum consecratis crediderint locis, præsto esse multa possunt. Sic populo Judæorum plurimum tam publicæ quam privatæ, tam sacræ quam profanæ pecuniæ in templo repositum erat, quod Seleucus Philopator *i* dum per Heliodorum instituit auferre, in extremum vitæ periculum hominem conjecit k. Sicuti nec M. Crassus, qui *audita templi opulentia in Palæstinam divertit, templum pervasit, diripuit opes* l; *impune id tulit*, sed scelerata cupiditas *undecim strage legionum, & ipsius capite multata est: quod recisum cum dextera manu & ad Regem* (Parthorum) *reportatum ludibrio fuit neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est: ut cujus animus arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exsangue corpus auro ureretur* m. Neque id adeo admirandum; cum neque Pompejus templi interiora & solis summis sacerdotibus solenni ritu accessa profano aspectu gratis polluerit *n*, (*Intravit namque debellato Mithridate Hierosolymam, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo* vitem *o cælo p*) licet ab omni cupiditate intactus. Non desunt enim, qui cladem in Philippicis campis acceptam numinis vindictæ ascribant. Græciæ quoque totius ærarium Delos insula fictitia Apollinis religione etiam Persis, etsi bellum toti Græciæ Diis hominibusque indixissent, mille numero navibus subnixis, inviolata perstitit: C. Verri spoliata signis & picturis antiquissimis pro sacrilegio naufragium reddidit *q*. Nec multis opus in re satis clara. Liquet exemplis innumeris, quod plerique Veterum & tantum non omnes pecuniam in sacris ædibus soliti sint deponere; Deos scilicet Deasque illius habituri fidelissi-

f *Camerar. p.* 1. *hor. succis. c.* 64. *Ex Sabell. histor. Ven. dec.* 3. *l.* 6. g *Erasm. de ling. p.* 112. h *Stobæus serm.* 133. *ex Bacchis Euripidis.* i *Helvic. tab. Chronolog.* 20. k. 2. *Macc.* 3. *Adrichomius in Hierosol. n.* 103. l *Abbas Ursperg. Chr. p.* 41. *cit. Dempster.* m *Flor. l.* 3. *historiæ Rom. c.* 11. n *Egesipp. l.* 1. *c.* 17. *Excid. Hieros.* o *Italegit. Lipsl.* 2. *Elector. c.* 5. p *Florus l.* 3. *c.* 5. q *Cic. Verr.* 3. *tom.* 2. *p.* 130.

Digitized by Google

delissimos custodes *r*. Idem & divitibus in usu, & cæteris qui suis rebus timerent. Sic Athenienſis Clisthenes Junoni Samiæ filiarum dotes concredidit *s*. Sic Plautinus ille Chrysalus ficto in periculo ad senem:

Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus,
Qui ibi sacerdos est Dianæ Ephesiæ.

Et mox:

Quin ipsa in æde Dianæ conditum est
Ibidem publicitus servant t.

Ita Deos in controversiis capiebant arbitros, & inde promiscue usurpata, *in æde sacra, in fano, apud pontificem* deponere *u*. Varro *x*. *Ea pecunia quæ in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quinquagenos æris ad pontificem dependebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Cicero *y de Luccejo est ita actum, ut auctore Cn. Pompejo ista pecunia in fano poneretur.* Nec obstat Plutarchi illud *z* asserentis, aurum introferre in templa ingressuris nefas olim fuisse. Nec enim id voluit, quasi antiquitas cujus judicium incorruptissimum fuit, aut delubra donariis magnificis & multo auro radiantia aut ipsas opes damnavisset: sed, adstipulante Cunæo, *a* cum e vestigio Plutarchus addat, etiam ferrum iis deponendum fuisse, ædem qui intrare vellent, ea vera ratio esse videtur, *ut & sine auro nummisque & ornatu operosiore astarent, qui diis supplices in loco augustissimo erant, & rursum magis sibi opem omnem esse in numine positam intelligerent, qui ferro armisque se nudaverant.* In tumulis quoque, quia sacri aut religiosi potius *b* (unde *monumentorum locum definiri & quantum terræ spatium religioni cederet, designari*, monumentisque *inscribi oportebat c*) defodere pecunias solebant *d*. Neque enim sine grandi piaculo violari eos posse præsumserant; hinc Andromacha Senecæ:

- - - Fuerat hoc prorsus nefas
Danais in ausum, templa violaſtis, Deos
Etiam faventes, busta transierat furor. e

Atque hac veluti inductione permotos arbitrer Romanos ærarium suum

r *Jac. Pont. ad progym* 7. *l.* 4. s *Pontan. l. c.* t *Plaut. Bacchid. a.* 2. *sc.* 3. *vers.* 72. & 78. u *Dempster. in paralip. ad Rosin. l.* 7. *c.* 31. *Ravard. l.* 1. *var. c.* 15. x *l.* 4. *de LL. p.* 43. y *familiar. ep.* 20. z *in Politic. præcept. tom.* 3. *pag.* 1466. a *l.* 2. *de rep. Hebr. c.* 12. b *Kirchm. de funer. Roman. l.* 3. *c.* 21. c *Brisson. l.* 2. *select. antiquit. c.* 15. *Kirchm. l. c.* d *Dempst. in Paralip. ad Rosin. l.* 7. *c.* 31. e *Senec. Troad. v.* 666.

Digitized by Google

in templo Saturni esse voluisse, idque ex P. Valerii Poplicolæ instituto. Ἐπεὶ γὰρ (verba sunt Plutarchi f) ἔδη χρήματα εἰς τὸν πόλεμον εἰσενεγκεῖν ἀπὸ τῶν ὑσιῶν τοὺς πολίτας, οὔτ' αὐτὸς ἅψασθαι τῆς οἰκονομίας, οὔ τε φίλους ἐάσαι βουλόμενος, οὐθ' ὅλως εἰς οἶκον ἰδιώτου παρελθεῖν δημόσια χρήματα, ταμιεῖον μὲν ἀπέδειξε τὸν τοῦ κρόνου ναὸν, ᾧ μέχρι νῦν χρώμενοι διατελοῦσι. i. e. Vertente Cruserio. *Cum esset ad bellum collatione stipendii opus pro facultatibus civium, quod pecuniam neque tractare ipse vellet, neque committere amicis, nec vero ut omnino in tecta privata pecunia publica deferretur, attribuit ærario templum Saturni, quo ad nostram* usque *ætatem utuntur.* Cur vero hoc potissimum fanum isti usui elegerit, aliis aliam placere rationem video. Quidam quod quo tempore incoluit Italiam, nullum in ejus finibus furtum factum sit, aut quod sub eo nihil fuerit cujusquam privatum,

Nec signare solum aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant omnia;

ærario præsidem datum autumant: g alii quod primus monetam cudere instituerit. *Q. Septim. Florens Tertullianus: a Saturno primum tabula & imagine signatus nummus & inde ærario præsidet.* Fors etiam quod tutissimus erat templi mons, & conspicuus, adversus injurias hostium insidiasque provida naturæ manu situque munitus, quam rationem Plutarcho i præ cæteris placere video. Idque recte ni fallor. Arbitrantur quippe architecti, *quo tutius & promtius sit ærarium, in media urbis parte ponendum & foro conjungendum esse* k. Idque non Romanis solum, sed & Atheniensibus observatum, qui ærarium suum loco munitissimo post templum Palladis habuere, eique loco custodem Jovem σωτῆρα præfecerunt. Quam ob causam mihi, l ut si cuivis liberum relinquo quamvis harum pro libitu rationem probare, Plutarchi sententia præ cæteris magis arridet.

OBSERVATIONIS II

πιττάκιον.

Ærarium locus est, in quo pecuniæ publicis usibus destinatæ asservantur: Æs pro auro quoque & argento

f *in Poplic. oper. tom. p.* 187. g *Macrob. l.* 1. *saturn. cap.* 6. h *in apolog. adversus gentes c.* 10. i *in quæst. Roman. c.* 42. k *Ja. Pont. l.* 4. *Progymn.* 7. l *Vet. Scholiast. Arist. & Car. Gerard. in Plutia.* 5. *sc.* 2. *vers.* τὸν ἐπισθόδομον. *Budæus Comm. in π l.* 1. *tit.* 13. *de offic. quæst. pag.* 62.

Digitized by Google

to vel quacunque moneta accipitur: Pauca quædam de nummis: Differt ærarium a fiſco & theſauro: Priora tamen duo promiſcue uſurpata quandoque invenias.

In *arium* neutra pleraque repoſitorium ſignificant Perotto: *a* unde etiam omnes opes publicæ in unum locum congeſtæ & repoſitæ ærario nomen dederunt, quod ab ære *b* ideo appellatum eſt, quod antiquiſſimi nondum auro argentoque ſignato ære utebantur. Prius enim ærea pecunia in uſu hominum fuit, poſt argentea, demum aurea ſubſecuta *c*. Ovidius *d*:

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta nova.

Inde pecunia ab eo quo cœpit metallo nomen retinuit, & æs pro auro quoque & argento, imo omnis generis moneta, uſurpatum *e*. Inde æris alieni appellatio, licet aurei nummi aut argentei debeantur. Seneca *f*. *Æs alienum habere dicitur & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod uſum numerata pecunia præſtat.* Item adoptio ut etiam teſtamentum per æs & libram factum dicebatur, etiamſi quis aureo uſus eſſet aut argenteo numiſmate: *g* prodigiſque ſolenni formula ære commercioque interdictum, etſi aurum quoque & argentum in peculio haberent *h*. Nummi namque olim (uti nunc quoque) in triplici præcipue erant differentia, aurei, argentei & ærei. Quod enim quarto loco a quibuſdam additur plumbeorum genus, adulterinum eſſe maximam partem autumo. Siquidem *aurum argento, argentum ære, æs plumbo adulterabatur i*. Unde etiam ejuſmodi numiſmatum depravationes a Tacito Imperatore ſevere interdictæ *k*. Niſi forte ſub poſterioribus demum Imperatoribus eos abrogatos, antea vero etiam publice plumbum æri permixtum eſſe dicendum eſt, quod ut credam, inde etiam ex parte inducor, quod eos antiquitus in uſu fuiſſe videam, Plautoque ſæpius joculariter uſurpatos: ut Caſina *l*:

Cui hodie homini peculi nummus non eſt plumbeus.

Trinummo *m*:

a *in Cornucop. p.* 313. b *Lal. Taurell. de mil. ex caſ. p.* 560. *Coraſ. l.* 6. *miſcell. c.* 19. *n.* 3. c *Iſidor. l.* 16. *Etymol. c.* 17. d *l.* 1. *Feſt. v.* 222. e *Gædd. ad l.* 154. *tit. de verbor. ſignific.* f *l.* 5. *de benef. c.* 14. g *Gædd. l. c.* h *Cujac. l.* 7. *obſerv.* 33. i *Salmaſ. in not. ad Vopiſ. p.* 417. k *Vopiſc. in vita Taciti p.* 229. l *Act.* 2. *ſ.* 3. *v.* 40. m *a.* 4. *ſc.* 2. *v.* 120.

Digitized by Google

Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.

& Moſtellaria *n*:

Tace ſis faber qui cudere ſoles plumbeos nummos.

Martialis quoque pro vilis pretii moneta ponit *o*:

Centum merebor plumbeos die toto.

Fuerunt enim omnium viliſſimi. Ærei contra in paulo majori pretio (quam ob cauſam & iſtos ab Athenienſibus raro ſignatos Caſaubonus *p* ſcribit) quos primum Servius Tullius ſignavit pecudis nota, aſſerente Plinio *q*, unde procul dubio pecuniæ nomen. Quod ſi ita eſt, quid de Saturno futurum eſt, quem paulo ante primum nummi auctorem cum Tertulliano feceramus. Dicendum forſitan, de Romanis Plinium intelligendum, Saturnum aliis Italis morem ſignandi monetam tradidiſſe. Neque aliquid etiam obſtat, quo minus cum Lipſio *r* aſſeratur, a Servio vel poſteris Jani atque navis (cujus in aſſe effigies fuit, ut ratis in quadrante & triente *s*) notam uſurpatam memoriæ cauſa, quo facere videtur illud Ovidii *t*:

At bona poſteritas puppim ſignavit in ære
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Quamvis etiam non nemo putet a Numa primum, religionum ſcientiſſimo, id inſtituti manaſſe, ut etiam nummus eſſet, quaſi Numius *u*. Mihi tamen veteri verbo *Non liquet*. Argenteis Pyrrho demum devicto populus Romanus uſus eſt Anno U. C. 484. *x* Aurei origo in annum ſexageſimum ſecundum ab argento primum ſignato i. e. in annum U. C. 546. a Lipſio rejicitur *y*. Sed de his plura ſuperſedeo, ut quæ viri celeberrimi a Dempſtero *z* magno numero citati jamdudum præoccuparint. Differt a fiſco ærarium, nam proprie loquendo fiſcus Principis eſt, ærarium populi vel reip. *a*. Tacitus † Quantum ærario aut fiſco pendebant. Alias fiſcus proprie *vas eſt ſparteum recipiendis pecuniis deſtinatum, & quia major eſt ſumma pecuniæ publicæ quam privatæ, hinc pro publico ærarii theſauro dicitur fiſcus b*. Hinc Suetonius: *poſitis ante ſe cum pecunia fiſcis c*. Differt itidem a theſauro, quo *nomine privatorum pecunia venire ſolet, ita depoſita, ut neque memoria extet neque dominum habeat d*. Videas

n *a. 4. ſc. 2. v. 11.* o *l. 10. Epigr. 74.* p *In comm. ad Theophr. Charact. Ethic. c. 11. p. 170.* q *l. 18. nat. hiſt. c. 3 & l. 33. c. 3.* r *de re pecuniar. Veter. c. 1.* s *Crucq. ad Hor. l. 1. Carm. Od. 1. v. 17.* t *l. 1. Faſtor. v. 239.* u *Vid. Cœl. Rhod. l. 10. antiq. lect. c. 2.* x *Plin. l. c.* † *l. 2. annal. c. 42.* y *Lipſ. l. c.* z *in Pæalip. ad Roſin. l. 7. c. 31.* a *Budæus ad l. 1. π. tit. 13. de offic. quæſtor. Roſin. l 7. c. 36. Rhodig. l. 10. antiq. lection. c. 2. alii innumeri.* b *Aſcon. in divin. Verrin. cit. Roſin. l. c.* c *in Claudio c. 18.* d *Caſſ. ad l. 6. Variar. ep. 8.*

Digitized by Google

deas tamen priora duo ſubinde promiſcue uſurpata, ut in modo citato Pædiani loco, & præcipue in Jure, teſte Coraſio *e*, uti & poſteriorum temporum *f* ſcriptoribus, quibus fiſcus & ærarium fere ſynonyma ſunt Græcorum tamen quidem τὸ βασιλικὸν τῷ δημοσίῳ opponunt. Imo & Latinorum aliqui iſta ſibi mutuo contradiſtinguunt; Spartianus *g*: *Damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuit omni ſumma in arario publico recepta.* *Gloſſa h* itidem pro ſynonymis habent, dum ταμεῖον reddunt, *fiſcus*, *ararium*. Ubi vero ſub Conſtantinopoleos Imperatores imperium redactum eſt, ibi ut pleraque alia, ita & hæc ipſa immutata in largitionum ſacrarum & privatarum nomen conceſſerunt: uti vel ex ſolo illo (ut alia multa præteream) Codicis titulo *k*, *de magiſtris ſacrarum largitionum & rei privatæ* abunde videre eſt. Sed hac de re, ſi vitam mihi Deus & ſanitatem ſuppetat, in ſequentibus plura.

OBSERVATIONIS III

πίτακιον.

Extra urbem quoque ſacræ pecuniæ aſſervatæ: Ærariatemplorum particularia: Arcæ Collegiorum: Ærarium noſtrum duplex: Vulgare alterum: Cujus reditus ex tributis & vectigalibus; quæ trium generum; decimæ; portorium; ſcriptura; Ad idem prædæ Imperatorum, & mulctæ pecuniariæ civium relatæ: Ærarium fieri, ſeu in Cæritum tabulas referri, quid ſit?

Præterquam quod *Nemis quoque & Tibure ſacrarum pecuniarum theſauros ad incertos belli eventus, ſi externa vis ingrueret, aſſervatos* Alexander ab Alexandro *a* tradit, prope ſingulis etiam templis propria, & ut ita loquar, particularia ærariafuerunt. Sic in Ilithyiæ (Junonis Lucinæ) ærarium (vertente Sylburgio, cum in Græco ſit θησαυρὸς) pro natis, in Veneris Libitinæ pro defunctis, in Juventæ pro togam virilem ſumentibus nummum inferre *b* neceſſe erat ex inſtituto Servii Tullii, ut exinde de civium numero, & eorum qui militari ætate eſſent, certo ipſi conſtaret *c*. Quin

e l. 6. Miſcell. c. 19. n. 3. *f Salmaſ. in not. ad Spartian. p. 17.* *g In Adriano p. 4.* *h Ab H. Stephano edita p. 630.* *k l. 12. Cod. tit. 6.* *a l. 2. genial. dier. c. 2.* *b Dionyſ. Halicarn. l. 4 antiq. Romanar. p. 220.* *c Valtrin. l. 2. de mil. Rom. c. 3. §. 7.*

Digitized by Google

& cuique ferme collegio peculiare fuisse ærarium, colligere est ex inscriptionibus, in quibus *curator ærarii pontificum d*, item IV-*vir ad ærarium pontificum* e *memoratur*; quamvis particularia hæc æraria frequentius quin & rectius arcarum nomine venire *f* autumem. Et hinc forsitan hodieque tribus seu Collegia Opificum pleraque si non omnia, (ut jam de Eruditorum conventibus nihil dicam,) arcam aliquam communem (eine Lade) habent, in quam mulctas & similia conferre consueverunt. Sed his jam prætermissis ipsum quoque, de quo jam ago, Saturni ærarium duplex invenio fuisse, unum quod vulgare *g* appellabo, in quo communis reip. census & ordinaria tributa sociorumque vectigalia asservabantur, & quo sumtus bellorum ordinarii sustinebantur *h*. Idque in æde seu cella Opis. Cicero. *Pecunia utinam ad Opis maneret, cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum iis, quorum est, non redditur, necessaria.* Illata ergo tributa. Quæ, cum initio ex æquo omnes conferrent, secundum censum seu facultates unius cujusque primum a Servio Tullio instituta sunt. δίκαιον γὰρ ἡγήσατο καὶ συμφέρον τῷ κοινῷ, τὰς μὲν πολλὰ κεκτημένους πολλὰ εἰσφέρειν, τὰς δ' ὀλίγα ἔχοντας, ὀλίγα *k*. *Justum namque existimabat & reip. utile, ut qui multum possiderent, conferrent multum, parum vero qui essent in re tenui.* Hunc tamen morem a Tarquinio Superbo rursum sublatum (ᾧ ὁπότε δεήσειε χρημάτων, τὸ ἴσον διάφορον ὁ πενέστατος τῷ πλουσίῳ καλέφερεν. *l*) revocarunt iterum P. Valerius 11. & T. Lucretius Consules. *m* Sed cui rei tributa, inquies, cum stipendia militi anno demum Urbis Conditæ 349. de publico data sint *n*. Putem sæpius quidem pro libidine imperantium indicta, usurpata tamen etiam ad commeatum cæteraque quæ ad bellum opus sunt paranda. Quapropter restituta etiam eadem plebi ex præda copiosa bello parta videre licet *o*. Usque dum de publico stipendia quoque miles acciperet. Tum enim tributa procul dubio necessaria imo augenda fuerunt, ideoque cum *Tribuni plebis auxilio se futures edixissent, si quis in militare stipendium tributum non contulisset*, Patres, *ut bene cœptam rem perseveranter tuerentur, conferre ipsi primi, & quia nondum argentum signatum erat, as grave plaustris quidam ad ærarium convehere p*. Nimirum in his rebus æqualitatis vel maxima ratio habenda, cum alias nemo in reip. usum expendere credat, quod non persolvit is

d *Inscript. 7. p. 306.* e *Inscript. 4. p. 413. citante Reinesio.* f *cum Reines. l. 3. Var. lect. cap. 16.* g *Cum Dempstero in Paralipom. ad Rosin. l. 7. c. 31.* h *Godelev. in not. ad Liv. l. 27. c. 12.* i *Philipp. 1. tom. 4. Oper. p. 242.* k *Dionys. Halicarn. l. 4. antiq. Romanar. p. 215.* l *Halic. l. c. p. 245.* m *Halicarn. p. 293.* n *Liv. l. 4. cap. 49.* o *Apud Halicarn. l. 5. p. 313. & in excerpt. legat. p. 747.* p *Liv. l. 4. c. 60.*

Digitized by Google

is qui in eadem eſt republica. Duravit hæc tributi perſolutio ad bellum uſque Macedonicum ſecundum, quo L. Paulus *ſplendidiſſimo triumpho, quique omnium ante actorum comparationem amplitudine vicit*, q *tantum pecuniæ in ærarium intulit, ut populus Romanus ex eo tempore tributum pendere deſierit* r. Vectigalia quoque augebant ærarii reditus, eaque primitus triplicia, portorium, decimæ, ſcriptura. Poſtea ſub Imperatoribus numerus in immenſum auxit, adeo ut urinarium quoque vectigal ab Veſpaſiano inſtitutum ſit *s* & Caligula ex capturis proſtitutarum exegerit, quantum quæque uno concubitu mereret *t*. Sed de his alio loco. Portorium ergo τέλος ἐν λιμένι, proprie id nomen obtinet, quia ſcilicet e vectu, unde vectigal. Fuit nimirum τέλος hoc ἐξαγογικῶν καὶ εἰσαγογικῶν pro invectione & evectione mercium. Cicero *u* de hoc ut & illis duobus generibus clare: *Aſia*, inquit, *tam opima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum & varietate fructuum & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.* Et mox: *Cum hoſtium copiæ non longe abſunt, etiamſi irruptio nulla facta ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum navigatio conquieſcit. Ita neque ex portu, neque decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt.* Sed num id diverſum a portario? Arbitror. Gloſſæ enim diverſimode. Portorium τέλος ἐν λιμένι. Portarium τέλος πύλης. Nimirum & in portis urbium dabatur pro mercibus, quæ per portas importabantur vel exportabantur *x*, imo & pro egreſſu aut ingreſſu *y*. Videtur tamen inferiore potiſſimum ævo id inſtitutum & ſub principatu. Certe tyrannidem ex parte ſapit, unde & a Pertinace ſalubriter ſublatum eſt *z*. Morem tamen hunc nec Italia hodie nec Belgica ignorat *a*. Et hinc procul dubio Florentino cuidam calidum & callidum illud conſilium pronatum eſt, qui, *cum cives ſui cum Piſanis bellum gererent, omneſque ſuas opes prope exhauſtas animadverterent, diu multumque deliberarunt, qua ratione huic malo occurrerent: tandem hic reliquis ætate provectior, excogitavi, inquit, genuinum huic malo remedium. Nulla ut ſcitis adeo in promtu nobis ſunt vectigalia, quam ea, quæ apud civitatis portas penſitantur, quas cum tantum nunc undecim habeamus, totidem præterea alias quam citiſſime efficiemus; ita nobis theſaurus duplo augebitur b.* Atque hæc de portorio. Succedunt decimæ, de quarum, ut

&

q *Vellej. l. 1. c. 9.* r *Plin. l. 33. nat. hiſtor. c. 3.* s *Sueton. Veſpaſ. c. 23.* t *Idem Caligula c. 40.* u *Próleg. Manil. tom. 3. oper. p. 7.* x *Bulenger. de Vectigal. pop. Rom. c. 5.* y *Lipſ. l. 2. admirand. c. 1.* z *Herodian. l. 2. p. 56.* a *Lipſ. l. c.* b *Caſtiho in Curial. l. 2. p. 154.*

Digitized by Google

& ſcripturæ origine clare Appianus *e*: *Romani*, inquit, *nunc hos, nunc illos Italiæ populos ſuperando ac ſubjiciendo partem agri iis auferebant, atque oppida & colonos condebant, aut ſi oppida opportune jam condita, hos inducebant. Agri igitur quod cultum erat, colonis fere aſſignabant, quod incultum ut multa per bellum, id aliis cupientibus elocabant, parte decima fructuum ſibi retenta in agris ſativis, in plantariis & arboretis quinta. In paſtionibus autem certum precium definiebant in capita minoris pecoris majoriſque.* Sed de quinta hac fructuum minus clarum. Cicero *d* enim vini atque olei decimas dediſſe Siculos, diſerte ſcribit, non igitur quintas, & tamen inde Appiani Vectigal redigi debebat, niſi forte Appianus de ſylva cædua capiendus; aut mitius leviuſque habiti ſunt Siculi, & illud ibi peculiare fuit *e*. Reſtat ultimum genus vectigalium, ſcriptura, quæ proprie dicta eſt ratio eorum, qui vectigal e paſcuis percipiunt *f*, poſtea pro ipſo accipitur vectigali quod e paſcuis recipitur. Feſtus: *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo ut pecora paſcantur certum æs tribuitur, quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.* Neque tamen ob ſcripturam pecudem accipere publicano licebat, ſed æs tantum. Illuſtrat Plauti locus *g*.

> DIN. *Adverſum legem a me ob meam ſcripturam pecudem accepit Æraque.* ASTAPH. *Idem quod tu facis faciunt rei male gerentes: Ubi non eſt, ſcripturam unde dent, incuſant publicanos.*

Omnia in hoc genere capita minoris & majoris pecoris profitenda fuerunt, cum *qui inſcriptum paviſſet, lege cenſoria committeret h.* Exoſa tamen cuncta hæc provincialibus, unde eos Cicero *homines* appellat *quibus odio ſint* Romanæ *ſecures, nomen acerbitati, ſcriptura, decima, portorium morti.* Salinarium Vectigal quod a M. Livio inſtitutum † paulo poſt iterum in Italia deſiit, conſulto hic omitto. Nec enim inſtitutum hic meum, omnia nimis exacte perſequi *k*. Atque hi ordinarii reditus & ſtati, ad poſtrema uſque reip. tempora, quibus Tribuni plebis aliique plebis gratiam aucupantes per leges Agrarias, ſimileſque omnes iſtos proventus ex republica in Italia ſuſtulere. Ita Metellus Nepos Prætor, de vectigalibus, quæ urbi atque Italiæ moleſta admodum erant, omnibus abolendis legem pertulit, cunctis valde acceptam *l*. Ex prædis tamen Imperatorum,

c l. 1. Civil. bell. ut Lipſ. d *In Verr.* e *Lipſ. l 2. de magnit. Rom. c. 1.* f *Bulenger. de Vectig. c. 10.* g *Trucul. a. 1. ſc. 2. v. 42. Conſer. Turneb. in Var. de LL. & Taubm. in l. c. Plauti.* h. *Varr. l. 2. de re ruſt. c. 1. p. 71. P. Victor. in emendat.* i *Pro Flacco tom. 3. oper. p. 217.* †*Liv. l. 29. c. 7.* k *Conſ. Lipſ. l. 2. admir. Bul. in de Vect.* l *Dio Caſſius l. 37. p. 54.*

Digitized by Google

ratorum, qui ubi ſive triumphantes ſive privati urbem introiiſſent, quicquid auri argentique poſt expenſas ſupererat, ad ærarium referebant, plurimum procul dubio redactum, poſt ſecundum præſertim Punicum bellum, ubi Victor hoſtium populus in Macedoniam jam Aſiam atque Græciam, at quales provincias, invaſit. Celebriores aliquot triumphos, & quibus plurimum auri argentique illatum ærario, Lipſius *m* recenſet, ex quo huc transferre jam non vacabat. Mulctas item pecuniarias civium ærario illatas conſtat. Sic Camillus accuſatus, quindecim millibus gravis æris damnatur, quæ collaturos ſe promiſerant amici clienteſque, niſi ille in exilium ire præoptaſſet *n*. Et immutata jam republica Plinius *o* refert, Cornutum Tertullum Conſ. deſignatum cenſuiſſe, pecuniam quanti damnatus eſſet Marius, repetundarum reus, ærario inferendam, Mario urbe Italiaque interdicendum. Inſtituti jam ratio poſtulat, ut de iis qui cenſoria nota affecti in ærarios referebantur, aliquid addatur. *Cenſores* nimirum *moribus civitatis regendis præpoſiti cives ſic notabant, ut ſi quis Senator eſſet, ejiceretur Senatu; Si Eques Romanus, equum publicum amitteret, ſi plebejus in Cæritum tabulas referretur & ærarius fieret* p. Quod pœnæ genus Græcis etiam uſurpatum video, quibus erant, quos ἐγγεγραμμένους ἐν ἀκροπόλει appellabant ex more Athenienſium, quia in arcem relata eorum nomina erant, dictos etiam ὀφλόνλας & καλαδίκους, & ἐζημιωμένους. Ita ſi aliquos ea rurſus ignominia liberaſſent, ἐξ ἀκροπόλεως ἐξαληλιμμένους ſicuti Romani ex ærariis exemtos dicebant *q*. *Adimebatur autem talibus jus ſuffragii, & referebantur in tabulas eorum civium, qui eo jure carerent, nec erant amplius in albo centuriæ ſuæ, ſcilicet ad hoc ut cives eſſent, ſed tantummodo ut pro capite ſuo æra penderent* r. Origo nominis prioris, *quo ad ærarium ſeu inter ærarios* relati dicebantur, ex Livio clara; cenſor nimirum in ærarium veniens ejus præfecto eorum, quos ærarios relinqueret, nomina dare ſolebat *s*. Alterius, quo *in Cæritum tabulas tranſcriptos* appellabant, ex Livio *t* item & Gellio *u* pateſcit. *Carites nimirum cum ſacra Romana tumultu Gallico recepiſſent & conſervaſſent, publice cum iis hoſpitium junctum & municipes ſcripti ſunt, i. e. civitatis quidem Romanæ honorem ceperunt, negotiis tamen oneribuſque vacarunt.* Quo ipſo cum vix ſatis gratiæ relatum illis pro beneficio non-

m *l.* 2. *admirandor. c.* 8. n *Liv. l.* 5. *c.* 32. o *lib.* 2. *epiſtol.* 11. p *Aſcon. in divinat. Cicer. cit. Budæo Comm. in π. p.* 42. *Roſin. l.* 1. *c.* 17. q *Budæus Comm. in π. p.* 43. r *Cæl. Rhodig. l.* 29. *antiq. lection. cap.* 6. *Roſin. lib.* 6. *cap.* 10. s *Liv. l.* 29. *c.* 37. t *Liv. l.* 5. *c.* 50. u *Lib.* 16. *Noct. Attic. c.* 13.

Digitized by Google

nulli autument *x*, existimem juribus istis privatos tum demum, cum Tarquiniensibus juncti a Romanis defecerunt. Tum enim pœnitentia ductis & pacem orantibus eam his datam conditionibus arbitror *y*. Et juvat Commentator Horatii. *Care*, inquit, *oppidum in Italia fuit, quo capta a Gallis urbe Sacra Romana cum Virginibus* (Vestalibus) *translata sunt; quæ cum servassent integra, pro eo beneficio Caerites civitate donati sunt, municipesque facti: At postea quam sunt ausi Romanis rebellare, eis devictis iterumque civitate donatis jus suffragiorum ademtum est, censusque eorum in tabulas relati a cæterorum censibus remoti sunt; hinc factum est, ut qui aliquid flagitii admitterent, in Cæritum Tabulas relati dicerentur.* Sed num Equites quoque Romanos aut Senatores inter ærarios quandoque relatos dicemus? Ita puto; si Censoribus ista nota digni viderentur. Ita *Mamercum Æmilium Censores, quod Magistratum populi Romani minuissent, modo temporis censura præfinito, tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt* a. Ita *C. Claudius & M. Livius Salinator censores ob mutuas discordias, non modo alter alteri equum publicum ademit, sed & C. Claudius exitu Censura cum in ærarium ascendisset, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collega nomen. Deinde M. Livius in ærarium venit & præter Metiam tribum, qua se nec condemnasset nec condemnatum Consulem aut Censorem fecisset: populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus, ærarios reliquit; quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum Consulem & Censorem fecissent, neque inficiari possent, aut judicio semel, aut comitiis bis, ab se peccatum esse. Inter quatuor & triginta tribus & C. Claudium ærarium fore. Quod si exemplum haberet, bis eundem ærarium relinquendi, C. Claudium nominatim se inter ærarios fuisse relecturum b.* Atque hæc etiam hac de re sufficiant.

OBSERVATIONIS IV

πίναξ.

Transgressus ad cætera, quæ in ærario asservarentur: Leges puta: Senatusconsulta: Rationes Imperatorum ex pro-

x Erasm. Chil. 1. cent. 10. parœm. 81. Crucq. in l. 1. ep. 6. v. 62. Horat. Car. Steph. in Lex. p. 301. y Liv. l. 7. c. 19. & 20. z a Crutquio editus in l. c. Horatii. a Liv. l. 4. c. 24. b Liv. l. 29. c. 37.

Digitized by Google

provincia redeuntium: Legatorum nomina qui in urbem adveniſſent: Signa militaria. Tandem ad ærarium ſanctius deventum, in quo aurum viceſimarium: Quantum ex eo Cæſar abſtulerit, incertum.

Vidimus pecunias hactenus in ærarium inferri ſolitas. Jam ad cætera veniendum, quæ ipſa quoque eo recondi conſueverant. Omnia namque fere acta deferebantur in publica tabularia *a*. Ita leges in æs inciſæ in ærarium recondebantur *b*. Clarus in eam rem Suetonii *c* locus: *Acciderat, ut Pompejus legem de jure Magiſtratuum ferens eo capite, quo apetitione honorum abſentes ſubmovebat, ne Cæſarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox lege jam in æs inciſa & in ærarium condita corrigeret errorem.* Nec tamen omnes promiſcue eo repoſitæ, ſed præcipuæ publicis in locis fixæ, ut civium oculis exponerentur *d*. Semel autem fixis aut reconditis mutari nihil poterat niſi per aliam legem *e*. Eo Senatuſconſulta etiam delata Tacitus *f* oſtendit, quum cautum ſcribit, ne *decreta patrum ante diem decimam ad ærarium deferrentur*: & rurſum Suetonius *g*: *Auctor eſt*, inquit, *Julius Marathus, ante paucos, quam Auguſtus naſceretur, menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denunciaretur, regem populi Romani naturam parturire. Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis eo anno genitus educaretur; Eos qui gravidas uxores haberent, quod quiſque ſpem ad ſe traheret curaſſe, ne Senatuſconſultum ad ærarium deferretur.* Ex quo utroque loco vel me tacente patet, non rata ea niſi delata. Imperatores etiam ſive triumphantes ſive privati urbem introiſſent, tum alio die referre rationes ad ærarium cogebantur *h*, qui quidem dies primis temporibus certus non erat. Cicero *i*: *ſi rationum referendarum jus vetus & mos antiquus maneret, relaturus rationes, niſi tecum pro conjunctione noſtræ neceſſitudinis contuliſſem confeciſſemque, non fueram.* Sed poſtea L. Julia de provinc. cautum eſt, ut magiſtratus rationes in duabus provinciæ ſuæ civitatibus relinquerent, & reverſi totidem poſtea verbis ad ærarium referrent *k*. Cicero *l*. *Quod igitur feciſſem ad urbem, ſi conſuetudo priſtina maneret, id, quando lege Julia rationes in provincia relinquere neceſſe erat, eaſdemque totidem verbis referre ad ærarium, feci*

a *Plut. in quæſt. Rom.* c. 42. b *P. Manut. de leg. Rom.* p. 258. c *in Julio* c. 28. d *Roſin. l.* 8. *antiq.* c. 2. e *Sabell. in locum Suetonii citatum.* f *L.* 3. *Annal.* c. 51. g *In Octavio* c. 94. h *Valtrin. l.* 7. *de mil. Rom. cap.* 18. *Budæus in Pandectas pag.* 62. i *l.* 5. *familiar. ep.* 20. k *Roſin. l.* 8. *antiq.* c. 8. l *l. c. verbis ſequent.*

Digitized by Google

in provincia. Et mox: *Illud quidem certe factum eſt, quod lex jubebat, ut apud duas civitates Laodicenſem & Apameenſem, quæ nobis maxima videbantur, quoniam ita neceſſe erat, rationes confectas & conſolidatas deponeremus.* Hinc idem Piſonem cum Cæſare ita loquentem introducit: *Rationes ad ærarium retuli continuo Cæſar, ſicut tua lex jubebat, neque alia ulla in re legi tuæ parui.* Rationum quoque relatarum exemplum *n* ſuppeditat, quamvis earum brevitatem incuſet. Eodem & centuriones cæteroſque provincialis curæ ſocios in beneficiis deferebant, *o* ſed ſolos cives Romanos. Cui rei argumentum eſſe poteſt, quod Archiam civem Romanum Cicero *p* exinde probet, quod a Lucullo ad ærarium in beneficiis relatus ſit. Legatorum etiam nomina, qui Romam advenerant, Quæſtores ad ærarium referebant & in publicas tabulas *q*. Eo quod antiquitus ſumtus ipſis ex ærario ſuppeditarentur. Plutarchus *r*. *Cur legati undecunque Romam miſſi ad Saturni ædem accedunt, ibique nomina ſua dant præfectis ærarii? An hoc fit eo, quod Saturnus cum fuerit peregrinus hoſpitibus gaudeat? Aut hiſtoria potius quæſtionem ſolvit? Antiquitus enim ut apparet, Quæſtores legatis munera mittebant, quæ Lautia dicebantur, ægrotantium curam ſuſcipiebant, mortuiſque funus e publico faciebant, nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, ſumtu omiſſo id tamen ſervatur, ut legati accedant præfectos ærarii, qui eorum nomina in tabulas referunt.* Cicero *s*. *Hi tres etiam ærarii noſtri tabulas falſas eſſe voluerunt; nam ſervos novem ſe profeſſi ſunt habere, cum omnino ſine comite veniſſent.* Signa militaria bello inſtante ex ærario prolata & in idem relata, Livius *t* docet: *Signa*, inquit, *ex ærario deprompta ad dictatorem feruntur*: & alio loco *u*: *Signa quæſtores eodem ex ærario deferre juſſit.* & Dionyſius *x*, ἐκέλευσεν ἐκ τῶν ἱερῶν τὰ σημεῖα καταφέρειν. Breviter, quicquid alicujus momenti erat, id omne in ærarium Romani congerebant.

Tandem ad ærarium ſanctius deveniendum, aurum viceſimarium ad ultimos reipublicæ laborantis caſus celans *y*. Erat id intentioris curæ, admodum dives. Quam ob rationem etiam etſi nonnemo *z* illud auri ex viceſima manumiſſorum, quæ lege Manlia *a* ærario inferebatur, redactum putet, malim ex viceſima tributorum omnium & vectigalium, imo etiam ex captivo auro argentoque ditatum. Ejus mentio Livio: *b Cætera expedien-*

m *Orat. in Piſon. tom.* 4. *p.* 150. n *Verrin.* 3. *tom.* 2 *p.* 126. o *Cic. ep.* 20. *lib.* 5. *ad fam.* p *Orat. pro Archia tom.* 3. *p.* 275. q *Gentil. l.* 1. *de legat. c.* 16. r *in quæſtion. Rom. c.* 43. s *Pro Flacco. tom.* 3. *p.* 225. t *Liv. l.* 4. *c.* 22. u *l.* 7. *c.* 23. x *Halicarnaſſ. l.* 10. *p.* 645. y *Dempſter. ad Roſin. l.* 7. *c.* 31. z *Valtrin. l.* 7. *de milit. c.* 19. a *Liv. l.* 7. *c.* 16. b *l.* 27. *c.* 12.

Digitized by Google

dientibus quæ ad bellum opus erant Conſulibus, aurum viceſimarium quod in ſanctiori ærario ad ultimos caſus ſervaretur, promi placuit. Et Ciceroni: *c Attulit mandata ad Conſules, ut Romam venirent, pecuniam ex ſanctiore ærario proferrent.* Et hujus auctarium quaſi fuiſſe exiſtimem pecuniam Gallici belli cauſa collatam, additis horrendis execrationibus, niſi Gallico bello inſtante non movendam †. Quicquid in utroque fuit pecuniarum, Cæſar ſub initium belli civilis abſtulit. Nam quamvis Conſules urbe excedentes ærarium hoc clauſiſſent, eum tamen id non tardavit *c*. Quin imo ridiculum pene videtur Dioni *d*, quod claves ſecum Conſules abſtulerint, quaſi non earum loco ſecuribus liceret uti. Et revera Cæſari in urbem ventitanti nihil prius viſum agi *e* dignum, quam rapere quicquid opulentiæ congeſtum fuerat. Florus: *Nec Pompejus ab Italia quam Senatus ab urbe fugatur prior, quam pene vacuam metu Cæſar ingreſſus Conſulem ſe ipſe facit, ærarium quoque ſanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, juſſit effringi, cenſumque & patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium.* Quantum inde opum abſtulerit, Plinius prodit *f*: *C. Cæſar*, inquit, *primo introitu urbis ex ærario protulit laterum aureorum viginti ſex millia, & in numerato pondo trecenta, nec fuit alio tempore reſpubl. locupletior.* Hæc tamen ſumma Lipſio *g* non ſuffecerit, ut taceam & Plinii locum aliter legi a quibuſdam, & ſummam ab auctoribus aliis *h* aliter referri. Meum non eſt, iſti liti judicium interponere, ſatis eſt quod conſtat, grande fuiſſe quicquid fuerit; & certe Lucanus valde exaggerat:

Tum conditus, inquit, *imo*
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi prada Philippi.
Quod Tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius Regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores ſervaſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit ſuper æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima Regum

c *l.* 7. *Epiſt. ad Attic. ep.* 20. † *Godel. in l.* 27. *c.* 12. *Liv.* c *Cic. l.* 7. *ad Attic. ep.* 12. d *lib.* 41. *p.* 160. e *lib.* 4. *c.* 2. f *lib.* 33. *nat. hiſt. c.* 3. g *Lipſ. l.* 2. *admir. c.* 8. h *Apud Dempſter. ad Roſin. l.* 7. *c.* 31. i *l.* 3. *Pharſal. v.* 155. *ſeqq.*

Digitized by Google

Qua Pompejanis prælata eſt gaza triumphis
Egeritur; Triſti ſpoliantur templa rapina;
Pauperiorque fuit tum primum Cæſare Roma.

OBSERVATIONIS V

πίλταϊκιον.

Genius populi. A. Genius urbis. B. Ad rationem poſitûs aſtrorum non infunditur. C. Reſp. certos ſuos habent atque fixos terminos. D. Sed hi incogniti. E. Conſpicuæ maxime everſionis cauſæ magnitudo nimia, F. & felicitas. G. Ex hac duo diverſa vitia, avaritia, & luxuria. H. Unde Romanæ quoque Reip. exitium. I. Cujus ærarium Cæſar adhuc ante Victoriam ſpoliavit. K. Nervi rerum gerendarum pecunia. L. Vectigalia publica coloniarum. M. Defectis pecunia interfectoribus Cæſaris privatum ærarium conſtituendum fuerat. N. Appellationis hujus ratio. O. Ærarii publici inopiam & ſtante Rep. privati, P. & poſt Cæſares ſæpe ſublevarunt. Q.

Gentilium vana ſuperſtitio non contenta Deos innumerabiles coluiſſe, ne quid uſquam numine vacaret, minores inſuper poteſtates, A. Geniorum nomine ſuperinduxit, coſque non hominibus tantum, quibus & ſingulis ſingulos, & multis etiam univerſoque adeo populo unum genium præfecerat, quin & æde publice exſtructa coluerat; *a* ſed & quibuſcunque demum locis, adde & urbibus *b* B. attribuit. Et *hos* quidem rerump. fata diſponere nimium facili credulitate arbitrantur nonnulli, & C. pro vario aſtrorum poſitu, quo tempore urbis fundamenta jaciuntur, majori aut minori felicitate pollere. Quem errorem hodieque a quibuſdam ex Aſtrologorum gente non alienum erraſſe olim Symmachus, Prudentio *c* refertur:

- - - Sicut varia naſcentibus, inquit,
Contingunt pueris anima: Sic urbibus affert

Hora

a *Dio Caſſ. l.* 47. *in an. U. C.* DCCXII. *p.* 330. & *l.* 50. *in an. U. C.* DCCXII. *p.* 423.
b *Turneb. l.* 13. *adverſ. c.* 12. *Dilb. in Dial.* 2. *p.* 149. c *l.* 2. *cont. Symm. carm.* 1. *v.* 65.

Digitized by Google

Hora dieſque ſuum, cum primum mœnia ſurgunt,
Aut fatum aut genium, cujus moderamine regnent.

Et alibi: *a*

At ſolers emtor ait, fataliter urbem
Sortitam, quonam genio proprium exigat ævum;
Cunctis nam populis, ſeu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut genius, noſtrarum more animarum,
Quæ ſub diſparili ſubeunt nova corpora ſorte.

Proni vero nimium ad credendum, quicunque hoc perſuaderi ſibi patiuntur. Symmachum certe ſatis refutat modo laudatus Prudentius: *b*

At tuus hic urbis genius, (inquit) *dicas volo, quando*
Cœpit adhuc parva primum ſe infundere Roma.

Et quæ eo loco plura ſequuntur. Namque ut Rebus etiam publicis præſides Angelos ac cuſtodes a divino numine attributos pie credimus; *c* (quos tamen cæca gentilitas ignoravit) ita eoſdem aſtris alligare, vimque & vires eorum exinde deducere ejus eſſe autumo, qui Chaldaicis effatis nimium quantum tribuat. D. Habent illæ ſane omnes certum quendam atque fixum terminum, quem temere tranſilire non licet; ſed propinquante eo mutari atque in pejus ruere omnia, præter quod ulla ratione præveniri poſſit, neceſſe eſt: E. Sed hic tamen ipſe cum a poſteriore ferme cognoſcatur, alias non facile in humanæ mentis incurrens oculos, facit, ut propiorem & manifeſtam magis cauſam everſionis Rerumpublicarum advertamus *magnitudinem nimiam & felicitatem.* F. Et præclare in hanc rem, ut omnia, Seneca, origine, ingenio, eloquio æternum Hiſpaniæ decus: *d* Quemadmodum humanum genus quodque eſt, quodque erit, morte damnatum eſt; ita omnes, quæ rerum potiuntur urbes, quæque aliorum imperiorum magna ſunt & decora, ubi fuerint, aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur. Alias deſtruent bella, alias deſidia paxque ad inertiam verſa, & *magnis opibus exitioſa res luxus.* Sæpe certe eſt, ut non alia re magis, quam mole ſua ruant imperia, cum nulla magna civitas diu quieſcere poſſit, & foris cum non habet hoſtem, domi inveniat: *Neſcio ego,* inquit Florus, *e an ſatius fuerit populo Romano Sicilia & Africa contento fuiſſe, aut his ipſis etiam carere dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur.* Atque hinc paci conſervandæ externum bellum nonnunquam facere

a *l. eod. carm.* 2. *v.* 93. b *l.* 2. *Carm* 3. *v.* 19. *Contra Symmachum.* c *Pet. Fab. l.* 1. *ſemeſtr. c.* 9. d *Lipſ. in epiſt.* e *l.* 3. *c.* 12.

Digitized by Google

facere, cum Politicorum filii asserunt, tum præter Romanas historias modernus ipse Galliarum status satis superque comprobat. Videlicet *mortalia omnia incerta, quanto plus ambitu suo complexa, tanto magis in lubrico sunt*, a *& cum non habent quo progredi possint, solent regredi.* b Unde non tam invidia, quam futurorum solerti providentia *Augustum supremo testamento addidisse consilium cohercendi intra terminos*, quos præscripserat, *imperii*, c prope abest, quin credam. G. Præcipua tamen hac in re felicitatis nimiæ opera (quæ magnitudinis non raro aut comes aut pedissequa est) ut in aliarum, ita & Romanæ Reipublicæ exitium valuit. Et *qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuerunt.* d Verissime Vellejus: e *Potentia Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula, non gradu sed præcipiti cursu a virtute desitum, ad vitia transcursum. Nec ulla res alia civiles furores peperit, quam* nimia felicitas. f *Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni Regis hæreditas, illa opes atque divitiæ afflixere seculi mores, mersamque vitiis suis quasi sentina rempublicam circumdedere.* H Nimirum exinde luxuria primum, inde avaritia exorta, quæ ut in se diversa vitia insequuntur tamen mutuo, unumque ex altero prognascitur. Rectissime Sallustius: g *Ex divitiis luxuria atque avaritia juventutum invasit, rapere inde, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere didicerunt: Magnificique illi conviviorum apparatus & sumtuosæ largitiones non aliunde quam ab opulentia fuerunt, paritura mox egestatem.* h Huic dum per fas nefasque succurritur, dum remedia quæruntur adesis aut accisis rebus, turbare tiles luxu atque avaritia perditi rempublicam, & *ejusdem malis privata vulnera operire satagunt*; i *Ut talibus bello civili opus esse*, non inscite Cæsar dixerit. k Nam plerumque ita se res habet, ut, si omnino ita usus veniat, *publica ruina malit quisque quam sua proteri, & idem passurus minus conspici*; l *Cum turpius sit privatim cadere quam publice.* m Et hæc sane ipsa mala, (siquidem in quibusdam *ambitionem* adjungas, quæ ut ex iisdem causis orta, ita propius *aliquanto virtutem vitium est* n) *in hac tam magna, tam sancta, tam bonis exemplis diviti republica* o *Gracchanas seditiones Syllanasque & Marianas tempestates peperere: Hæc Catilinam patriæ*

a *Tacit. l.* 1. *Annal. c.* 72. b *Vellejus l.* 1. *cap.* 7. c *Tacit. l.* 1. *Annal. c.* 11. d *Sallust. in bell. Catil. p.* 9. e *lib.* 2. *c.* 1. f *Flor. l.* 3. *c.* 12. *& l.* 4 *c.* 2. g *de bell. Catil. p.* 10. h *Flor. l.* 3. *c.* 12. i *Tacit. l.* 1. *Histor. c.* 53. k *Vid. Sueton. Jul. c.* 27. l *Vellejus l.* 2. *cap.* 91. m *Cicero l.* 13. *ad Att. ep.* 14. n *Sallust. in bell. Catilin. p.* 9. o *Liv. in præf.*

Digitized by Google

tria impegere: Hæc Cæsarem denique atque Pompejum furialibus in exitium reipublicæ facibus armavere a, donec illa suis allisa viribus in unius potestatem atque arbitrium Cæsaris concessit. K Hic cum sub initium statim belli civilis Romanum spoliasset ærarium *b* (namque illi, sane imprudenter, *non modo privatam omnem, quæ in urbe, verum publicam etiam, quæ in ærario erat, pecuniam adversarii reliquerant*; c *ipsi vero in urbem ventitanti nihil prius visum agi dignum, quam rapere, agere quicquid opulentiæ congestum* fuerat. *d* Unde Appianus disertim: ἀψαύστων, inquit, ἐκείνει χρημάτων *e* bello post victor, uti reipublicæ, sic ærarii quoque rationes in se transtulit. Namque ita usu semper venire solitum, ut mutata reip. forma, cætera quoque si non uno impetu, sensim tamen & ad arbitrium mutentur occupantis. C. certe Cæsar cum privatus adhuc maximas subinde & pene ultra fidem largitiones feciſſet, potitus imperii ferme insanis ærarium exhausit, nihilque aut parum, reliqui fecit suis interfectoribus. Aliquantum tamen. Clare Cicero: *f Pecunia utinam ad Opis* (adjuncta ea cella templo Saturni erat) *g maneret, cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum illis, quorum est, non redditur, necessaria.* Sed hanc tamen & ipsam ab Antonio dilapidatam putem. Sequitur enim eodem loco; *Quanquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit.* Et aperte adstruit Vellejus: *h Sestertium septies millies depositum a C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, insertis falsis, commutatisque &* (ita Lipsio *i* legere placet) *corruptis commentariis.* Pessimo exemplo, L. νεῦρα γὰρ τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματά ἐστιν, *k* nervus principatus, imo rerum gerendarum omnium pecunia est. Et qua ratione *negant Medici sine nervis homines ambulare posse, l* ita nec actiones usquam progredi sine ista M. Quin imo nec commune ullum aut conservari aut constitui. Ea propter etiam Augustus, colonias suas, quibus duodetriginta Italiam frequentavit, *m* non operibus tantum, sed & *vectigalibus publicis* plurifariam instruxit. Quæ *non in suis tantum agris Italici populi habere* consueverant, sed etiam, quod notari non indignum, *in remotissimis interdum. n* Ita Campanæ coloniæ reditus publici in Cretam insulam rejecti: *o* Ita Arpinates suos habebant in Gallia. Cicero: *p Arpinatium municipum*

a *Flor. loco sæpius citato.* b *disp. prior. Observ.* 4. c *Cic. l.* 7. *ad Attic. epist.* 15. d *Dempster. in Paral. ad Rosin. l.* 7. *c.* 31. *p.* 1150. e *l.* 2. *bell. civ. p.* 453. *cit. Dempst. Vid. latius Bud. l.* 2. *de asse p.* 50. *G. H.* f *Phil.* 1. *tom.* 2. *p.* 826. *D. edit. Genev. in quarto.* g *Vid. Valtrin. de milit. Rom. l.* 7. *c.* 19. h *lib.* 2. *c.* 60. i *In notis ad hunc locum.* k *Mucianus apud Dion. l.* 66. *p.* 746. l *Petron. Satyr. c.* 89. m *Sueton. Octavio c.* 46. n *Casaub. in loc. cit. Suet.* o *Vellejus l.* 2. p *l.* 13. *epist. ad famil. ep.* 11.

Digitized by Google

Pane meorum omnia commoda omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta adium sacrarum locorumque communium tueri possunt, constitunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. Sed vel maxime bellum hoc opum præsidio opus habet. Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων. q πολλὰ γὰρ ἓ πολέμῳ (ἢ μᾶλλον, πάντα) τῇ γνώμῃ καὶ τῶν χρημάτων περιουσίᾳ κρατεῖται. r Itaque & fortissime cœptorum sequiorem, quam debebat, exitum huic defectui imputent licet Cassius & Brutus. Quod enim reip. causa ausi fuisse *maximum & pulcerrimum* s facinus videri volebant, pauciores sine dubio habuere in partibus, cum nec rempublicam aliter, nisi decernendis honoribus (quorum magnæ parti minor pecunia cupido est) gratiæ referendæ esse nec privatas ipsorum opes, qui sat magna, ut in istis temporibus, semper abstinentia egerant, suffecturas retribuendo putaretur. Atque ideo, ὅτι πάντα ὠνια ἓ πλούτῳ, t

Et cum fortuna statque caditque fides v.

Consultatum de remedio est, & præterquam quod *pecunias, quæ ex transmarinis provinciis Romam a Quæstoribus deportabantur, a volentibus acceperant*, a *excogitatum etiam a quibusdam, ut* N Privatum *ipsis* Ærarium *ab Equitibus Romanis constitueretur*, sed & hic infra spem consilii eventus fuit, *globusque ille consensionis unius Attici dissensu disjectus est.* b *Privatum* hic Nepos vocat *novo* tum *nomine*; O. *Nova* tamen etiam est *administrandi ratio*, ut privatorum arbitrio serviat pecunia publica, (quanquam *ubi ipsi essent, prætexebant esse & Remp.*) *c novus* ad hæc & ipse colligendi *modus*. Atque ad hunc respexisse Dempsterum *d* arbitror, (namque epitheti ratio uti tum forte nova, ita ab Augustæ historiæ scriptoribus *e* sæpius post frequentata, quibus ærarium privatum paria cum fisco facit) cum nullibi, quale hic tradatur, nisi forte simile quidpiam in Floro *f* legisse scribit, P ubi *opes suas* in subsidium egentis ærarii *Senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis* singulisque *g annulis erat, quicquam sibi auri reliquere. Eques secutus exemplum, imitatæque equitem tribus. Denique vix sufficere* promtitudine huic *tabulæ, vix scribentium manus.* Et eandem hanc ob inopiam *pecunias quoque pupillares; inde*

q *Demosth. Olynth.* 1. r *Thucyd. l.* 2. s *Cic. Phil.* 1. *E.* 2. *p.* 824. *l. t.* t *Arist. lib.* 2. *Rhet. c.* 16. v *Ovid. l.* 2. *de Ponto Eleg.* 3. *v.* 10. a *Vellejus l.* 2. *cap.* 62. b *Cornel. Nep. in vita Attici, c.* 6. *n.* 3. c *Vellejus l.* 2. *cap.* 62. d *in Parat. ad Ros. l.* 7. *c.* 31. *pag.* 1158. e *Vulcat. Gallican. in Avid. Cass. p.* 42. *E. Trebell. Pollione in Claudio p.* 207. *alii.* f *l.* 2. *c.* 6. *hist. Roman.* g *Grut. in not. ad loc. cit. Cons. Lipsi l.* 2. *Elect. c.* 19.

Digitized by Google

de viduarum eodem cœptas conferri, Livius *h* auctor est, *nusquam eas tutius sanctiusque deponere credentibus, qui deferebant, quam in publica fide.* Quod uti Romæ sponte & caritate in patriam sublevandæ publicæ indigentiæ tum factum, ita in Anglia *i* jure Regio accrevit. Et ibi *in principis peculio tutela pupillorum pupillarumque est, itemque custodia morbi vitio insanientium ad Regem pertinet. Hocque per consensum ordinum semel impetratum, imperialique diademati annexum dissolvere tam quisquam potest, quam clavam e manibus Herculis extorquere.* Q. Nec infrequens etiam Cæsaribus ærarii indigentis sustentatio, & sæpe laborantem fidem publicam succollarunt. De se Augustus in Lapide Ancyrano: QUATER ... AVI ÆRARIUM. Quod Casaubonus supplet: Quater Levavi *k*. Et firmat geminus huic locus Dionis. *l* ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. Sic Nerone principe *quadringenties HS. ærario illatum ad retinendam populi fidem. m* Ita & M. Antoninus Philosophus *bello Marcomannico omne ærarium suum exhausit, & propterea auctionem ornamentorum imperialium fecit, gemmas etiam vendens, quas multas in repositorio sanctiore Adriani reperat. n* Quem imitatus videri poterat Alexander Severus, qui *o* gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens, gemmas viris usui non esse.

OBSERVATIONIS VI

πιττάκιον.

Vigilandum ei, qui imperium occupaverit. A. Id fieri, non dimissis protinus militibus. B. Quibus retinendis ærarium militare ab Augusto institutum. C. Ei explendo ipse primum aliquid intulit, aliis exemplum sequentibus. D. Ea cum non sufficeret, cogitatum de constituendo certo quodam reditu. E. Et instituta vigesima hæreditatum. F. Tueri & prosequi milites apud Suetonium. G. Summa præmiorum. H. Emeritum. I. Ea collatio quod molesta videretur

h *lib.* 24. *c.* 18. *& l.* 34. *c.* 5. i *Smith. de republ. Angl. l.* 2. *c.* 4. k *Comm. in Suet. p.* 347. l *Dio. l.* 53. *in an. ab U. C.* DCCXVI. *p.* 496. m *Tacit. l.* 13. *annal. c.* 31. *add. Ferret. in not. ad h. l.* n *Jul. Capitol. in M. Anton. phil. p.* 29. *D.* o *referente Lamprid. in Alexand. p.* 228. *B.*

Digitized by Google

retur & gravis, reducta ſubinde, & tandem plane abolita. K. Vigeſima libertorum. L. Vigeſima quinta mancipiorum. M. De ea ambigitur, an non quinquageſima. N. Cujus aliud genus quoddam itemque vigeſimæ quintæ refertur. O. Centeſima rerum venalium. P. Ea a Tiberio in ducenteſimam mutata. Q. a Cajo abolita. R.

Ut *principatum* A. *armis quæſitum armis teneret*, *a* rectiſſime ſuaſiſſe Cæſari Hirtium & Panſam, exiſtimo, cum id conſilium ipſa mox experientia laudaret. Namque

Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis.

Lyci ſententia. *b* Jure itaque ſibi, adde & tranquillitati publicæ, Auguſtus proſpexit, dum militem B perpetuo in armis non modo in provinciis & adverſus hoſtem, ſed ad Urbem quoque & vicinis circum oppidis *c* habuit. Et cum ex parentis quoque ſermonibus didiciſſet, *duo eſſe, quibus & quæreretur, & augeretur, & conſervaretur potentia, milites nimirum, & pecuniam*; cum & ſuppeditatione rerum neceſſariarum exercitus contineri, & eam ipſam armis parari neceſſe ſit; alterutro autem deficiente alterum ſimul concidat, *d* idcirco de utroque vel maxime ſollicitus & ipſe ſemper fuit. Quod itaque D. Julius nulla ſe nova vectigalia conſtituturum quondam promiſerat, *e* diu ſe ſimili indictione abſtinuit. Veruntamen cum & ad Urbis præſidium tuendoſque imperii fines plurimæ legiones *f* alendæ eſſent, nec ſuppeterent Auguſto tot ſumtus, C. conſulit Senatum de reditu quodam certo & perpetuo conſtituendo, unde citra ullius injuriam ſtipendia militibus ac præmia ſufficerent. Cumque reditus excogitari nullus poſſet, quem omnes probarent, omneſque eum quæri indignarentur, D. Auguſtus pro ſe & Tiberio pecuniam in Ærarium, cui Militaris nomen indidit, contulit, interpoſito promiſſo, quotannis ſe id facturum, Reges quoque & populi polliciti ſunt quædam. Nam a privatis, quamvis multi libenter ſe eo collaturos pecuniam dicerent, nihil accepit. Sed cum hæc pecunia ſumtuum magnitudinem non exæquaret, E. tradidit Senatoribus negotium, ut inquireret pro ſe quiſque

a *Vellejus l. 2. cap. 57.* b *apud Senec. Herc. furente v. 343.* c *Sueton. Oct. c. 49. Conf. Lipſ. in Tacit. l. 4. annal. c. 2.* d *Dion. 42. p. 207 in an. U. C.* DCCVII. e *apud Dion. l. 43. p. 222. in an. U C.* DCCIIX. f *numerum vid. & nomina apud Dion. l. 55. p. 562. in an. U. C.* DCCLIIX. *& Xiphilin. in excerpt. ex hoc libro p. 214.*

Digitized by Google

que in aliquam ejus certo reditu augendi rationem. *g* Multis prolatis probata nulla F. τὴν εἰκοσὴν (verba ipſa ſunt Dionis *h*) τῶν τε κληρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντες τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων καταλείπωσι, κατεχήσατο, ὡς καὶ ἐν τοῖς τοῦ Καίσαρος ὑπομνήμασι τὸ τέλος τοῦτο γεγραμμένον εὑρών. Nimirum id ex uſu tum, & conſuetudine, cum dicerent, arbitrarenturque homines in actis Cæſaris decreta numinum convelli, multumque eodem hoc colore uſus Antonius. *i* Eadem de re, ſuppreſſo vectigalium nomine Suetonius: *k Quicquid ubique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit, definitis pro gradu cujuſque & temporibus militiæ, & commodis miſſionum, ne aut ætate aut inopia ſollicitari ad res novas poſſent. Utque perpetuo ac ſine difficultate ſumtus ad tuendos eos, proſequendoſque ſuppeterent, ærarium militare cum vectigalibus novis conſtituit.* Duplici nimirum fini hic pecunia opus, ad ſtipendia ſcilicet, & præmia, quod ſignate poſt Suetonius, G. *ad tuendos*, in militia ſcilicet, & *proſequendos*, nempe poſt eandem & a miſſione. *l* Præmia hæc *commoda* etiam *miſſionum* paulo ante dicta, & definitur ſumma a Dione *m* H. ἐψηφίσθη, τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμὰς, ἐπειδὰν ἐκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις τρισχιλίας, ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, διδόσθαι. An agrorum loco ea data, cum Lipſio *n* ambigas. Adſtruere certe videtur Dionis *o* locus, διέταξε inquientis, τά τε ἔτη, ὅσα αἱ πολῖται στρατεύσαιντο, καὶ τὰ χρήματα, ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας, ἀντὶ τῆς χώρας, ἣν ἀεί ποτε ἤτουν λήψοιντο. Quod ipſum Taciti locus *p* firmat, ubi *per nomen agrorum, uliginoſa paludum, aut inculta montium dari queruntur, & præmia in ipſis caſtris pecunia ſolvi poſtulant.* I. Emeritum eadem hac notione dictum videtur Lipſio. Firmatque id JC. auctoritate, Modeſtinus: *Qui militiæ tempus in deſertione explevit, emerito privatur.* Rurſus, *q Eximproviſo, dum iter facit captus, ut veteranus reſtituetur, & emerita accipiet.* Arrius Menander: *r Et præmia & emeritum capit.* Facit & huc Suetonii *s* locus, præſertim ex Lipſii *t* mente lectus: *Legiones immodeſte miſſionem poſtulantes citra commoda Emeritorum & præmiorum exauctoravit*, ſed lectioni huic libri reclamant. *v* Malim tamen hoc vocabulum

g *Roſin. lib. 7. ant. Rom. c. 31. p. 1147. ex Dion. l. 55.* h *libro 55. p. 564. in an.* DCCLIX. *ex quo Xiphil. loc. cit.* i *Vid. Cicer. Philipp. præcipue ſecund. Vellejum l. 2. cap. 60.* k *in Octav. c. 49.* l *Lipſ. l. 2. de magnit. Rom. cap. 4.* m *l. 55. p. 562. in an. U. C.* DCCLIX. n *Comm. in l. 1. c. 17. Annal. Tacit.* o *l. 54. p. 538. in an. U. C.* DCCXLI. p *lib. 1. annal. cap. 17.* q *l. 49. D. de re milit. leg. 3. §. 8.* r *ibid. §. 12.* s *ibid. l. 5. §. 7.* t *in Oct. c. 24.* v *in Comm. in l. 1. c. 17. annal. Tacit.*

Digitized by Google

ad ſtipendia emeritis data reſtringere, ut alia ſint a commodis. *x* Iſtam, aduſque miſſionem dilata & retenta ex Suetonio *y* colligas: *Miſſiones veteranorum* (de Tiberio ſermo eſt) *rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans.* Redeundum in viam eſt. K. Moleſta hæc viceſima Romanis & gravis, *z* ideoque miris laudibus Trajanus Plinio celebratur, qui magnam partem ſuſtulerat hujus vectigalis, & id oneris reſtrinxerat ad hæredes extraneos & ſummas grandiores. *a* Ab eadem hac cauſa eſſe puto, quod leges de eadem tulit M. Antonin. Philoſophus. *b* Et poſtquam jam varie reducta eſſet a ſequentibus Imperatoribus, plane tandem ſublatam oſtendit Juſtinianus. *c.* L. Alia tamen ab hac eſt *viceſima libertorum*, cujus mentio Ciceroni quoque: *d Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diviſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum præter viceſimam.* Sed de eadem ſupra *e* quoque aliqua. M. Adjecta paulo poſt huic ærario *viceſima quinta venalium mancipiorum.* Tacitus: *f Vectigal quinta & vigeſima remiſſum ſpecie magis quam vi, quia cum venditor pendere juberetur, in pretium emtoribus accreſcebat.* Hi namque tanto carius licitabantur, ut fieret pars pretii. *g* Quinquageſimæ mentio apud Dionem eſt. Sic enim Tacitus de Auguſto: *h* προσδεόμενος χρημάτων ἐς τε τὰς πολέμους, καὶ ἐς τὴν νυκτοφυλάκων τροφὴν, τό τε τέλος τὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε. Ambigas ergo cum Lipſio, utrum ex alio corrigas. Nunquid Romano accredas, & in Dione leviſſima mutatione facias, πεντεικοσῆς, *i* an Romanum ex Græco, & in Tacito reponas quinquageſimæ. *k* Cum præſertim vigeſimæ quintæ nulla alibi mentio, ſi Lipſio fides. o. Aliud quinquageſimæ genus abolitum a Nerone, *l* reductum poſt, *m* apud Lipſium *n* & Bulengerum *o* videre eſt. Vigeſimam quintam omnium bonorum in bellum contra Antonium antequam triumviratus conſtitueretur, collatam Dio refert; *p* ſed & ea ceſſante bello abolita. Acceſſit tandem fons replendi hujus ærarii tertius, *Centeſima rerum venalium.* P. Ea itidem ab Auguſto, etſi haud uſquam expreſſo

x *teſte Caſaubono in loc. Sueton.* y *aſſentiente Gutherio lib. 2. de offic. domus Aug. c. 11. p. 310.* z *in Tib. c. 48.* a *Dion. 55. p. 564. Xiphil. in excerpt. p. 214. iterumque l. 56. p. 585. in anno U. C.* DCCLXVI. *Xiphil. p. 217. in exc. ex l. 56.* b *Plin. in Paneg yr. Cui jung. Lipſ. in Comm. in Paneg. a n. 324. Jul. Capitol. in Anton. p. 27. B.* c *l. 6. Cod. tit. 33. leg. 3. de edict. D. Hadr. tollendo.* d *l. 2. epiſt. ad Att. 16.* e *diſſert. 1. obſ. 4. C. 2. fac. a. Conſ. Lipſ. in lib. 13. annal. Tacit. c. 31.* f *l. 13. an. 6. 13.* g *Ferret. in notis ad h. l. Tac.* h *l. 55. p. 768. m an.* DCCLX. i *ita mallet ille in admir. l. 2. cap. 4.* k *ita ferme velit idem Comm. in h. l. Tacit.* l *Tacit. lib. 13. annal. c. 51.* m *Symm. l. 5. epiſt. 60.* n *Lipſ. in Com. in Tac. lib. 13. annal. c. 51.* o *Buleng. de vectigal. P. R. cap. 24.* p *l. 46. p. 314. in an.* DCCXI. *Xiphilin. ex eod. p. 164.*

Digitized by Google

presso tempore; sed evidenter tamen Tacitus *q* ostendit: *Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti.* Ergo dubio procul tum, cum vectigalibus novis ærarium militare *r* constituit. Grandis ea procul dubio summa, quæ ex ea redacta. Proportione cæteroquin respondere ferme putem Accisorum quod vocant, vectigali, cum singulis imperialibus semobulus imponitur. Q. Mutavit eam aliquando in ducentesimam Tiberius, cum Archelaus Cappadociæ Rex vitæ finem sponte an fato impleviſſet. *Regnum enim in provinciam redactum est, fructibusque ejus levari posse centesimæ vectigal professus Cæsar ducentesimam in posterum statuit.* *s* Scilicet ut cum ante centesimus quisque tunc ducentesimus nummus ærarium principis augeret. *t* Eam tamen post necem Sejani, dubio procul odio in populum restituit. *v* Dio καὶ μετὰ ταῦτο (post Sejani scilicet mortem) τέλος τῆς ἑκατοστῆς ἤγαγε. R. An alia ab hac centesima auctionum, quam Italiæ a Caligula remissam Suetonius tradit, *x* mihi sane non liquet; si eadem cum centesima venalium, multum sane summæ huic decesserit. Et ad solas auctiones Lipsius *y* sane restrinxerit. Nisi forte dicendum, centesimam venalium in Urbe solum, auctionum in Italia fuisse. Et irem in hanc sententiam, nisi in remittendis tributis & indicendis etiam civium urbanorum ante Italicos, & horum ante provinciales rationem habitam moneret Vir magnus. *z* Itaque viderint alii, definire mihi neque licet, neque libet.

OBSERVATIONIS VII

πίνακιον.

Ærarium ventri & lieni assimile. A. Ejus extraordinarii reditus ex mulctis. B. Quarum longe maxima pars ex lege majestatis injuste exercita. C. Cujus levibus, frivolisque ex causis in innoxios usurpatæ exempla aliquam multa recensentur. D. Impietas in principem idem quod majestas læsa. E.

Atque

q *lib.* 1. *Annal. cap.* 78. r *Sueton. Oct. cap.* 49. s *Tacit. lib.* 2. *annal. c.* 42. t *Vertran. in notis ad h. l. Tacit.* v *lib.* 58. *pag.* 628. *in annal.* DCCLXXXIV. x *in Calig. cap.* 16. y *Comm. in Tacit. lib.* 2. *annal. c.* 42. z *Casaub. in notis ad Lamprid. pag.* 165. *notar.*

Digitized by Google

Atque hi fuere ordinarii reditus & ſtati, de quibus etſi veriſſime Plinius: *a Onera imperii pleraque vectigalia inſtitui, ut pro utilitate communi, ita ſingulorum injuriis coegere.* Optandum tamen vel ſic foret, ut ne avaritia principum aut libido aliis pecuniæ mediis inveniendis occaſionem cauſamve ſuppeteret. Sæpe namque dubitare cogimur, nunquid majori ſcelere coacervarint vel diſſiparint opes. Equidem fiſci (utendum enim hoc vocabulo promiſcue fuerit cum Poeta, cum præſertim tam ejus quam ærarii arbitrium a Cæſaribus pendere conſueverit) utilitatem in republica ſatis eleganter A. exſequitur Corippus Africanus: *b*

Quod fiſci eſt, nullus rapiat: cognoſcite fiſcum
Ventris habere locum, per quem omnia membra cibantur.
Venter alit corpus; fuerit ſi venter inanis,
Omnia deficiunt, tenuantur robore membra,
Et contracta rigent arentibus oſſa medullis.

Sed & idem dixerat: Fiſcus

Qua ſua ſunt capiat, quæ ſunt privata relinquat.
Nec patimur quenquam ſacratum ladere fiſcum,
Nec ledi quenquam ſinimus ſub nomine fiſci.

Fiſcales nimirum, *calumnias c* intelligit, quas reprimere vel mali etiam principes inter initia imperii penſi habuerunt. Sin, & in rapacitatem propenſus ſit princeps, verior eſt, qui *d fiſcum lieni aſſimilabat, quo creſcente tabeſcerent reliqui artus.* Extraordinarii itaque reditus ex mulctis, B. iique ob delinquentium multitudinem copioſi ſatis. *e* Ita legem *Papiam Poppæam* ſenior jam Auguſtus *incitandis calibum pœnis, & augendo ærario* ſanxerat. *f* Ita Mario *repetundarum* ex Africæ Proconſulatu damnato, *quantilis æſtimata foret, ærario inferendum Cornutus Tertullus* Conſul deſignatus *cenſuit. g* Sic & Cæſar *Catilinariæ conjurationis reos* municipatim dividendos, *cuſtodiendoſque publicatis bonis cenſuit. h* Idemque quod *locupletes eo facilius ſcelere ſe obligarent, quod integris patrimoniis exſularent, parricidas bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit. i* Verum exceſſere hic ſæpe, & quæſiti colores in innocentes atque innoxios. Quin & ea quoque armorum ſæpe cauſa. Auguſtus ipſe *conſpecto k* ad arma ivit, ut occulti adverſarii, & quos metus magis quam voluntas contineret,

a *In Panegyr. Trajani num.* 324. *in Lipſ. comm.* b *l.* 7. *num.* 7. *cit. Dempſt. in Paralip. ad Roſin. lib.* 7. *c.* 36. *p.* 1172. c *Sueton. Domitian. c.* 9. d *Trajan. in Epit. Sext. Aurel. Victor. in Julian. p.* 1219. *D. Conſ. Alciat. embl.* 146. e *Lipſ. l.* 2. *admirand. c.* 4. f *Tacit. lib.* 3. *annal c.* 25. g *apud. Plin. junior. lib.* 2. *epiſt.* 11. h *Sueton. in Jul. cap.* 14. i *Sueton. Jul. cap.* 42. k *vid. de hac lectione Caſaubon. in comm. in hunc Sueton. locum.*

Digitized by Google

tineret, facultate L. Antonii ducis præbita detegerentur, devictiſque his & confiſcatis promiſſa veteranis præmia perſolverentur. *l* Et de quibus temporibus Juvenalis: *m*

Quicquid conſpicuum pulcrumque ex æquore toto
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

De iiſdem Plinius: *n Locupletabant & ærarium & fiſcum non tam Voconia o aut Julia p leges, quam majeſtatis unicum & pene ſolum crimen eorum qui crimine vacarent.* Et juvat ſane conſiderare, quam levibus ſæpe ex cauſis majeſtatis accuſati, bonaque per ærarium proſcripta ſint multorum, queis ſolæ, quo minus evaderent periculum, divitiæ obſtabant. c. Majeſtas, finiente Ulpiano, *q eſt crimen illud, quod adverſus populum Romanum, aut ſecuritatem ejus committitur*, i. e. in quo læditur aut dignitas aut ſecuritas ejus. *r* Et hæc jam tum ſtante Republica. Sed abuſi ſequentes principes. Tacitus: *s Majeſtatis legem reduxerat Tiberius, cui nomen apud Veteres idem, ſed alia in judicium veniebant, ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique male geſta Republica majeſtatem populi Romani minuiſſet. Facta arguebantur, dicta impune* erant. (Niſi tamen aſſertioni huic refragatur, quod ex gente Claudia quædam novo more apud populum judicium majeſtatis mulier ſubiverit, quod in conferta multitudine ægre procedente carpento palam optaverat, ut frater ſuus Pulcher reviviſceret, atque iterum *t* claſſem amitteret, quo minor turba Romæ ſi fieret) *Primus Auguſtus* v *cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit.* D. Initium ergo mali jamdum ſub Auguſto, ſed vires ſub Tiberio pleniores accepit. *x* Prætentata crimina in *Falanio & Rubrio* modicis Equitibus Romanis, quorum illi accuſator objiciebat, quod *inter cultores Auguſti Caſſium quendam mimum corpore infamem adſciviſſet, quodque venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet.* (Nimirum & JC. *y* in conſecratis ſtatuis commiſſum eſſe ſtatuunt, non conſecratos ea lege eximunt.) *Rubrio* objiciebatur *violatum perjurio nomen Auguſti.* Ita *Granius Marcellus* majeſtatis accuſatus, quod *ſtatua Auguſti capite amputato effigiem Tiberii indidiſſet.* *z* Nimirum invalue-

l *Sueton. Aug. cap.* 15. m *Satyr.* 4. *v.* 54. n *in Panegyr. num.* 371. o *vid. Roſin. l.* 8. *antiq. Rom. c.* 18. p *de maritandis ordinibus. Vid. eund. c.* 26. *l. ejus d.* q *l.* 48. *tit.* 4. *l.* 1. r *Roſin. l.* 1. *c.* 23 *Conf. Buda. in annot. in D. fol.* 41. *& f.* 53. *itemque in ann. reliq. fol.* 90. s *l.* 1. *an. c.* 72. *adde lib.* 3 *annal. cap.* 24. t *Suetonius in Tiberio cap.* 2. v *pergit Tacit. loco cit.* x *Tacitus lib.* 1. *annal. c.* 73. y *Vid. Tit.* 4. *D. ad leg. Jul. majeſt. l.* 5. *§.* 2. *& l.* 6. *Conf. Lipſ. Comm. in Tacit. l.* 1. *annal. c.* 73. z *Tacit. l.* 1. *an. c.* 74. *Sueton. Tiber. c.* 49.

Digitized by Google

rat iſte mos, veteres ſtatuas μεταρρυθμίζειν in aliam formam, *ſurdo figurarum diſcrimine*, *a* ſicut & Caligula ſimulacra numinum tota Græcia conquiſivit, quibus capite demto ſuum imponeret. *b Rhodiiſque* præſertim ea res ita familiaris fuit, ut earum, *ſtatuas hiſtrionibus ſimiles urbani* homines dicerent. *c* Adoleſcebat magis magiſque iſta lex, & arceſſitur ea *Apuleja Farilia ob probroſos ſermones*, *quibus D. Auguſtum & Tiberium matremque ejus* (nam & hanc majeſtatis lex complectebatur) *d* incluſerat. *e* Ita & *C. Lutorius Priſcus*, quod *carmen ægro Druſo compoſuiſſet*, *quod ſi extinctus fuiſſet*, *majore præmio vulgaretur*. *f* Parva hæc & nullius pene momenti, ſed minora adhuc aliis objecta, accuſatuſque *L. Ennius*, quod *effigiem principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet*. *g* Ita *capital* fuit *circa Auguſti ſimulacrum ſervum cæcidiſſe*, *h* (Quod Tiberius eundem honorem, patri ſuo novo numini & tantundem reverentiæ præſtari, quam cæteris numinibus, quorum ſtatuæ, aræ effigies perfugium ſervis *i* contra indementes dominos præbebant) *k* cum tamen Auguſtus Antonii majorem natu filium abreptum ſimulacro D. Julii interimere non dubitaſſet: *l* Ita necata *Vitia Fuſii Gemini mater*, *quod filii necem flevisſet*. *m* Dies me deficiat recenſentem omnia; Veſtimenta mutaſſe Auguſti ſtatua præſente prægrande nefas, & morte piandum. *Et exemplum *n Domitianus* renovavit, *mulierem occidens*, *quæ in conſpectu ſtatuæ ejus ſe exuerat*. *o* Similis pœna in eum, qui *nummo vel annulo impreſſam effigiem latrinæ aut lupanari intuliſſet*. *p* Et damnatus *a Caracalla* eſt, *qui urinam eo loco fecerat*, *ubi ſtatuæ & imagines principum erant*. *q* Uſque adeo complementum omnium accuſationum iſtud crimen. *r* Nam & crudelitati ſuæ Principes & avaritiæ litare hoc pacto gaudebant, cum ſpes aliqua lucri affulgeret, ut jure ſub non abſimili principe *s* ærarium ſpoliarium civium & cruentarum prædarum ſævum receptaculum Plinio *t* audiat, meritoque idem cauſam ejus nunquam malam niſi ſub bono principe aſſerat. *v* Piget referre, quam multis ſtudia exitio fuerint, ut Cremutio Cordo, *x* Aruleno Ruſtico, Herennio ſenecioni, *y* aliis. Ingenioſe

a *Plin. cit. Lipſ. in Comm.* b *Sueton. Caligula cap.* 22. c *Vid. plura apud Lipſ. in l.* 1. *c.* 74. *annal. Tacit. & Caſaub. in Sueton. Tiber. c.* 49. d *Tacit. lib.* 2. *an. c.* 50. *ſimile quid l.* 4. *cap.* 42. e *Tacit. lib.* 4. *annal. c.* 34. f *l.* 3. *an c.* 50. g *lib.* 3. *c.* 70. h *Sueton. Tiber. cap.* 49. i *Vid. loc. Ter. Heaut. a.* 5. *ſ.* 2. *v.* 22. *Scal. ad Tibull. pag.* 189. *Rhodius l.* 6. *c.* 17. *Lipſ. ad l.* 3. *cap.* 60. *Taciti.* k *Caſaub. ad loc. Sueton. c.* 49. *Tiber.* l *Sueton. Aug. cap.* 17. m *Tacit. lib.* 6. *annal. c.* 10. n *Sueton. Tib. cap.* 49. o *Xiphilin. in Domit. p.* 333. p *Sueton. Tib. cap.* 49. q *Spartianus.* r *Tacit.* 3. *annal. cap.* 38. s *Domitiano.* t *in Paneg. Traj. num.* 306. v *ibid. num.* 32. x *Tacit. lib.* 4. *annal. c.* 34. y *Tacit. in vit. Agric. c.* 2.

Digitized by Google

nioſe ſcilicet, conficta crimina niſi ingenioſior adhuc Caligula, qui Druſilla defuncta juſtitium indixit, in quo riſiſſe, laviſſe, cœnaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve capital fuit. z Ut eleganter graviterque a ceu omnia Dio iſtorum temporum conditionem deſcripſerit. Omnes, inquit, homines, in culpam incurrebant, ſive mœſti ſive læti eſſe ſentirentur. Nam & lugere eam, quippe Deam, & non lugere quippe hominem, vitio dabatur. Quid tum evenerit, ex hoc uno colligi poteſt, quod impietatis reus factus, qui aquam calidam vendidiſſet, & a Cajo trucidatus fuit. Oceanum exemplorum ingreſſus mihi videor, unde enatare non detur meo arbitratu. Et unum hoc addo, E. peculiari & ſignato nomine impietatis, nomine & majeſtatis læſæ accuſari pari notione ab auctoribus, dici videri, ut vel ex illo Dionis, & alio Taciti b loco conſtat: *Albucilla*, inquit, *defertur impietatis in principem*; *abduntur ut conſcii & adulteri ejus Cn. Domitius, Vibius Marſus, L. Arruntius.* Et erat iſta, ſi quis quoquo modo principem aut aliquod factum ejus dicto aliquo læſiſſet. Namque uti nullius olim rei, quam Deorum vilior annona erat, c ita & ex his, οἱ ἀρᾴῳης καρπὸν ἔδωσιν, contra Decretum d multi ſibimet divinos largiebantur honores, & Dominique Deique dici volebant. Cajus exemplo eſt, & Panthea ejus Druſilla, e & Domitianus, & quæ alia monſtra & hujuſmodi portenta generis humani orbis habuit.

OBSERVATIONIS VIII

πίλτάκιον.

Caligula nova vectigalia ſuperinduxit. A. vectigal macelli. B. Quadrageſima pro litibus. C. Octava ex gerulorum diurno quæſtu. D. Vectigal meretricium. E. Alia octavæ mentio. F. Captura. G. Vectigal meretricium hodieque a Pontifice exigi. H. Athenis quoque ſimile quid, & cum alia cum Cajo intermortua eſſent, hoc diu manſiſſe. I. Matrimonia qua ratione idem publico obnoxia voluerit, diſquiritur. K. A Veſpaſiano ſed ſumma ærarii fiſcique inopia coacto vectigal urinæ. L.

z *Sueton. Calig. cap.* 24. a *l.* 59. *p.* 746. *in annal. U.C.* DCCXCI. *Conferendus Seneca conſol. ad Polyb. c.* 36. b *lib.* 6. *annal. cap.* 47. c *Philipp. Carol. in antiq. lib.* 1. *cap.* 2. d *apud Senecam factum a Diis in de Claudii morte.* e *Dio l.* 59. *p.* 745. *in anno,* DCCXCI.

Digitized by Google

Avaritiam luxus pediſſequam jam dum diximus, & vere ille *a*: Ærarium ſi ambitione (luxuve) exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum eſt. Clarum id Caligulæ exemplo, A. qui uti nepotinis ſumtibus omnium *prodigorum ingenia ſuperavit, aut frugi hominum eſſe oportere dictitans aut Cæſarem, b* ita mox *exhauſtus & egens, cum immenſas opes totumque illud Tiberii Cæſaris vicies ac ſepties millies ſeſtertium non toto vertente anno abſumſiſſet, ad rapinas convertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere.* B. Inſtitutum tum *vectigal macelli. Pro omnibus eduliis quæ tota urbe venirent, certum, ſtatutumque exigebatur. c* Nota quidem ea in re ſeveritas antiqua, cum vetarentur multa publice proponi, luxui temperando, revocatæque tales leges ſub Nerone etiam, ubi interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina & olera veniret, *d* cum antea nullum non obſonii genus proponeretur. Veruntamen hic non tam exemplum ſpectabatur, quam quærebatur pecunia, cui augendæ acceſſit *quadrageſima pro litibus.* C. Suetonius. *e Pro litibus atque judiciis ubicunque conceptis quadrageſima ſummæ de qua litigaretur, nec ſine cauſa, ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium convinceretur.* Quanquam *aliud quadrageſimæ genus* ab hoc eſſe autumo, de quo idem auctor: *f Titus Flavius Sabinus publicum quadrageſimæ in Aſia egit; traxerimque* ad illam quam Nerone principe abolitam Tacitus *g* ſcribit. Manet, inquit, abolitio quadrageſimæ. Erat enim, explicante Quintiliano, *h* vectigal, quod omnes res præter inſtrumenta itineris publicano debebant. Sed iſthæc in divites adhuc inventa dixeris, & maximam partem injuriæ in eos expetiſſe. Addita eſt & exacta etiam pars D. *octava ex gerulorum diurnis quæſtibus,* i *item ex* E. *capturis proſtitutarum quantum quæque uno concubitu mereret, additumque legi, ut tenerentur publico, & quæ meretricium & qui lenocinium feciſſent.* F. Octavæ quoque alibi ſæpius mentio & in jure civili *k* vel præcipue. Sed eam a poſterioribus Imperatoribus inſtitutam exiſtimo. G. *Capturæ* autem vocabulum proprie maxime & ſignate hac in re acceptum, & plerumque ita dicuntur mercedes ſordidarum artium & obſcœnarum. Seneca: *l Pretia ſtupri accepiſtis & manus, quæ Diis datum erat ſacra, capturas tulit.* Et alibi: *Tibi captura quotidiana non reſpondet, apparet, nondum ſatis*

a Tacit. *lib.* 2. *annal. cap.* 38. b *Sueton. Caligula cap.* 37. c *Idem ibid. cap.* 40. d *Sueton. Neron. cap.* 16. e *in Calig. cap.* 40. f *in Veſpaſ. cap.* 1. g *l.* 13. *annal.* h *Declam.* 359. *cit. Lipſ. in* Tacit. i *Suet. loco cit. c.* 40. *Calig.* k *Vid. Cod. lib.* 4. *tit.* 61. *l.* 7. & 8. & *tit* 65. *leg.* 7. *alibi. Conf. Buleng. de Vectig. P. R. c.* 19. & 31. l *lib.* 1. *Controverſ.* 2.

Digitized by Google

ſatis hominem miſerum videri. Græcis μίσθωμα eſt, ſi Caſaubono accredo, & diſtinctum ἀπὸ τῦ μισθῦ. Quamvis μισθὸν quoque hac notione accipiat Juſtinus Apologetico ſecundo: Ὃν τρέπον λέγονται, οἱ παλαιοὶ ἀγέλας βοῶν καὶ αἰγῶν τρέφειν, ἕτω νῦν καὶ παῖδας εἰς τὸ αἰσχρῶς χρῆσθαι μόνον, καὶ ὁμοίως θηλειῶν, καὶ ἀνδρογύνων, καὶ ἀῤῥήτο ποιῶν πλῆθος, κατὰ πᾶν ἔθνος ἐπὶ τῦτο τῦ ἄγους ἕνεκε, τύτων μισθὸς καὶ εἰσφορὰς λαμβάνετε. Nimirum contra Plauti ſententiam omne *illi omnino lucrum homini eſſe utile exiſtimant.* *m* Nam & H. ſanctiſſimus quoque Pater inde redigere non abſurdum aut impium exiſtimat. Et ut quondam in Palatio Lupanar, ubi matronæ & ingenui palam proſtabant, *n* appoſitis etiam qui nomina ſubnotarent, quaſi adjuvantium Cæſaris reditus, in quo Meſſalina Claudii, ὁ καὶ αὐτὴ ἐκαθέζετο, καὶ τὰς ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθισεν. Ita & in tanti (ſi Dis placet) numinis conſpectu Lupanaria, id eſt, publicæ turpitudinum officinæ aperte proſtant, & publicis vectigalibus elocantur. *p* Pontificis permiſſu aliquot millia meretricum quæſtum corpore faciunt. Lupa Romuli quondam & Remi fratrum nutrix erat, hodie Lupanar Romano Præſuli non tantum nutrix, ſed etiam delicatiſſima eſt filia. *q* Nam cum:

Meretrix fortunati ſit oppidi ſimillima
Nec poſſit rem ſuam obtinere ſola ſine multis viris, *r*

Tributum ab ea exigitur annuum, quemadmodum ab iis, qui quæſtum faciunt de rebus in commercio poſitis. *ſ* 1. Vetuſque adeo iſtud malum eſt, & ſplendidiſſimis quibuſque Rebus publicis frequentatum. Nam & *Athenis* πορνικὸν τέλος fuiſſe, Æſchines oſtendit. *t* Et manſit ad ſequentes quoque Imperatores, circa quod religioſior Alexander Severus, qui *lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in ſacrum erarium referri vetuit, ſed ſumtibus publicis ad inſtaurationem theatri, circi, amphitheatri & erarii deputavit.* *v* K. Sed tamen num pauſa quædam? Nondum *matrimonia* quoque idem monſtrum publico obnoxia voluit. *x* Qua id ratione, equidem juxta cum ignaris ego ſcio. Eſt qui vectigal inſtitutum arbitretur, quod legitimo matrimonio juncti penderent, quoties liberis quærendis operam darent *y*. Alius in fœminas legitimis nuptiis junctas ſed domi ſe & intra privatos parietes proſtituentes accommodes. *z* Abſentire

m *Captiv. a.* 2. *ſc.* 2. *v.* 75. n *Sueton. Calig. cap.* 41. o *Dio l.* 60. *p.* 683. *in anno U. C.* DCCC. p *Chemnitius in Exam. concil. Trident. p.* 3. *cap.* 1. *p.* 6. q *Schonb. l.* 3. *Pol. c.* 13. *p.* 262. r *Plaut. Ciſtell. a.* 1. *ſc.* 1. *v.* 82 ſ *Schonb. loc. cit.* t *in Orat. contra Timarch.* v *Lamprid. in Alex. p.* 121. *E.* x *Sueton. Calig. c.* 40. y *Caſaub. in locum cit. Suet.* z *Bulenger. in de Vectigal. c.* 30. *in analect.*

Digitized by Google

utrique malim, cum opiner in contrahentes matrimonium certam pecuniæ ſummam ſtatutam, videamque & a non nomine *a* alias viam hanc probari. Atque hæc omnia uti dixi a Caligula, quem monſtrum *b* & portentum generis humani jure dixeris, neſcio fœdiorine avaritia an libidine impulſo. Succedit alia ratio a bono cæteroquin principe Veſpaſiano, coacto ad talia ſumma ærarii fiſcique inopia. *c* Et ex iis *præcipuum urinæ vectigal*, *d* L. notuſque in id dolentem Titum ejus jocus. Manſit id diu. Et retulerim ſane eo quod Juvenalis *e* habet:

Cedamus patria; vivant Arturius iſtic
Et Catulus; maneant qui nigrum in candida vertunt.
Conducunt foricas: & cur non omnia? cum ſint,
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

Et id fuiſſe dixerim, quod *Chryſargyri* nomine poſtmodum venit, de quo plura alii, *f* forſan & ego alibi. Nam mihi jam filum hic abrumpendum eſt, cum operarum tarditas plura expedire poſſe intra præſtitutum diem neget, id adhuc a Lectore Benevolo precato, ut feſtinatæ ſcriptioni, & quæ per eam prætermiſſa videbuntur plurima, ignoſcere velit. Quod ſi me aliquando otium reſpiciat, & quæ reſtant additurum, & quæ jam fugere aut memoriam meam aut cognitionem, libentiſſime adjecturum profiteor. Jam pro more.

OBSERVATIONIS IX

πίτακιον.

Nunquid ex uſu ſit, theſaurum publicum habere, diſquiritur, A. & adductis aliquorum, quibus ſecus videtur, exemplis aut rationibus, B. pro affirmantibus pronunciatur; C. ſed tamen ut in indicendis tributis conſtiſtituendiſque vectigalibus, & ſi quæ alia huc ſpectant, modus adhibeatur D. Fixi diſſertationi termini, a Veſpaſiano ſcilicet ad uſque imperii Conſtantinopolin tranſlati tempora. E.

The-

a *aut. Conſil. qua ratione ſtatus imperii are alieno ſuo exire queat. pag.* 13. b *Sueton. Calig. cap.* 22. c *Sueton. Veſp. cap.* 16. d *id. ibid. cap.* 23. e *Satyr.* 3. *verſ.* 29. & 38. f *Lipſ. in l.* 2. *admir. c.* 5. *Caſaub. in loc. Sueton.*

Digitized by Google

Thesauros publicos congerere A. & asservare futuris fortean casibus an salutare sit, & ex usu principis aut Reip. venire in disquisitionem video. Siquidem & rationes & exempla invenias pro hac aut illa sententia facientium. B. Equidem & divina lex, cujus effata pro ratione nobis esse condecet, regi Israelitarum *auri & argenti pondera habere* interdicit, *a* & tot peculatus periculis, furumque insidiis subjacent publicæ ejusmodi opes, ut præcavendis omnibus vix esse posse videatur rectorum solertia. *b* Et *quis*, ut omnia ista recte se habeant, *spondebit, eas non in luxuriæ instrumentum, sed in usum publicum conversum iri? c* adeoque tutius omnino, atque *cautius servari apud privatos posse*, non injuria forte cum Juliano *d* existimes, quam mercenariæ præfectorum fidei, quorum piccatis & viscosis manibus nimis quam multa sæpe adhærescere consueverunt, aut etiam in eorum stipendium decidenda sunt, concredere. Hinc *Alexandrum M. de opibus apud amicos depositis* gloriantem *e* mirum in modum efferre consueverat Julianus, eamque vocem ut præclarissimam semper extollere. *f* Egeni namque & exhausti subditi ditatum etiam ex ejusmodi rapinis principem haud quaquam, sed e contra abundantes vel egentem hostibus maxime formidabilem reddunt. *Bonus siquidem princeps, qui a suis magis diligitur, quam timetur, habet, quicquid possident cives. g* Cum rapaci atque avaro sæpissime vel tacitæ etiam cogitationes imprecentur; *Quod habes non habeas, & illud quod jam non habes, habeas malum: Vera* itaque *ac certa principis opes, & prope extra omnem periculi jacturæque aleam posita in subditorum divitiis sita sunt. h* Idque suo exemplo Constantius apud Diocletianum Augustum minus prudenter administrati imperii insimulatus, in cujus rei signum colligendarum opum negligentiam delator afferebat, satis superque comprobavit, dum legatis apud se retentis maximam a volentibus & liberalitate sese invicem superare contendentibus subditis pecuniæ vim precario impetravit. *i* Possem simile Cyri factum ex antiquitate subjungere, qui subditorum erga se amorem pari modo periclitando Crœsi de coacervandis thesauris consilium opportune redarguit, *k* nisi optimi nostræ memoriæ principis exemplum aut monitum *l* his omnibus tenebras offunderet, quum tributorum impositione

a *Deut.* 17. 17. b *Vid. diss.* 1. *obs.* 1. *exempla Rhampsiniti Ægyptii & Venetorum.* c *quod verentur Scoti apud Buchan. l.* 16. *rerum Scoticarum p. m.* 579. d *apud Ammian. Marcellin. l.* 25. *c.* 14. e *in Suppl. Curtii l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. f *apud Ammian. l. c.* g *Eutropius l.* 10. *p.* 269. h *Antimachiavell. l.* 3. *theor.* 32. *p.* 805. i *Euseb. in vita Constantini l.* 1. *c.* 10. *p.* 163. k *Xenoph. l.* 8. *παιδίας.* l *Jacob. VI. Magnæ Brit. R. l.* 2. *sup. Cæsa. p.* 104.

Digitized by Google

tione filio ſerio interdicens ſubditorum opes & facultates certiſſimas regi eſſe divitias, affirmat. Veruntamen, & hæc, & ſi quæ alia afferuntur rationum, aut exemplorum, c. tanti nequaquam apud me ſunt, ut nudum ab omni ærarii ſubſidio ſolaque ſubditorum benignitate & benevolentia nixum principem ad noſtra hæc tempora eſſe exiſtimem, cum, *quando in communes uſus tributum ex privato conferendum eſt, tanquam in publico funere complorantes* jam olim Carthaginenſes cernere ſit, *m* tantum abeſt, ut noſtris moribus aliud ſperandum veniat, qui ad eorum, quos ſupra commemoravimus exempla, & ardentiſſimum Principis, patriæve amorem multos aſcenſuros non perſuadent, incertum ſuo vitio an imperantium. Quid, quod iſta Sacrarum literarum auctoritas fiduciam potius in theſauris collocare prohibeat, quam ipſos illos damnet, quum tanquam in pietatis compenſationem aut præmium Salomon Regum ſapientiſſimus eos abſtulerit. *n* Opes igitur aliquæ publicæ neceſſariæ, idque gentium aut omnium aut plurimarum exemplo, quod a primo ſtatim omnium noſtrorum parente Adamo & poſteris acceptum manaſſe, porro autumat nonnemo *o*. Quod ſi vero quæ Reſp. hoc præſidio deſtituatur, non tantum ſemet prolatatione finium excludit, id quod *Spartana ex Lycurgi legibus accidiſſe* Philoſophus commemorat, *p* ſed & aliis ſeſe obnoxiam periculis & injuriis facit, cum *nec quies ſine armis, nec utrumque ſine tributis haberi poſſit. g.* D. Sed moderamine tamen certo hic opus, ne *ſpoliarium civium cruentarumque prædarum ſævum receptaculum r* locus ille audiat. Et vidimus ſane ejus ante mutatam remp. ex decimis, portorio, ſcriptura bene conſtitutos reditus, *s* quos novis & ſubinde iniquiſſimis vectigalibus omnique genere calumniarum adinvento *t* auxere poſtea, qui monarchiam invaſerant. Quos audire ſane conveniebat Tiberii, Principis alioquin non boni, dicterium: *Boni paſtoris eſſe, tondere pecus non deglubere. v* quod Dio Caſſius *x* ita vertit, κείρεσθαί μὲ τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι, Et pulchre illuſtrat alter *y*: αὐτὸ δὲ τοῦτό φησι, ἔοικε δηλοῦν Ὅμηρος, καὶ ὅταν ἐγκωμιάζων τινα λέγει τῶν βασιλέων ποιμένα λαῶν. Ἓ γὰρ ποιμένος οὐκ ἄλλό τι ἔργον ἢ πρόνοια καὶ σωτηρία καὶ φυλακὴ προβάτων, ὥς τε κατοπτεύειν, ὑμὰ Διὶ καὶ σφάττειν καὶ δέρειν. Καίτοι ἐνίοτε πολλὰ πρόβατα ἐλαύνει μάγειρος εἰς οἰνησά-

m *apud. Liv. l.* 30. *c.* 44. n 1. *Reg.* 3. 13. o *Maximil.* Fauſt *in conſiliis pro exerc. claſſ.* 1. *conſ. I. Ord.* 1. p *l.* 2. *de Republ. c.* 9. *ſub fin.* q *Liv. l.* 1. *Conſ. diſſ.* 2. *obſ.* 2. *L.* r *Plin. in Panegyr, n.* 306. *Lipſ. ed.* s *diſſ.* 1. *obſ.* 3. t *Vid. diſſ.* 2. *obſ.* 3. u *Sueton. Tib. c.* 33. x *lib.* 57. y *Dio Chryſoſt. orat.* 4. περὶ βασιλ. *Vid. Caſaub. ad h. l. Sueton.*

Digitized by Google

ἀνησάμενος. Ἀλλὰ πλεῖον διαφέρει μαγειρικὴ καὶ ποιμενική. Legi præcipue majestatis sub malis Principibus ditissimi cujusque facultates subjectas videre est; quorum, & si qui *boni* intercurrerunt, (quamquam horum *nomina uno in annulo scribi omnia posse*, Mimicus quidam scurra non minus festive quam vere asseruit z) statuta, uti ad Vespasianum usque antea vidimus, E. ita jam, quæ in uno aut altero scriptorum ad usque imperii Constantinopolin translati tempora occurrebant, commemorare porro animati sumus.

OBSERVATIONIS X

πίναξ.

Arbitrium ærarii omne penes Principem. A. Cujus ex testamentis accessiones magnæ; Sed sæpe iniquissime exactæ. B. Fiscus Judaicus & circa eum Domitiani acerbitas. C. Judæa religio cum Christiana pariter exosa, D. sed tamen impositio tributo permissa. E. a Nerva & Trajano Domitiani circa utrumque rapinæ sublatæ. F.

Ex quo Cæsar successorem potentiæ suæ Augustum nactus est, manentibusque iisdem magistratuum nominibus potentia penes unum fuit, cura quoque pecuniæ publicæ quasi hæreditario jure ad Cæsares delata est. A. Namque etsi distinctio aliqua inter ærarium & fiscum, nominalem tamen ferme solum fuisse dixerim, cum, *licet suas pecunias ab ærario separatim haberet*, tamen his quoque pro arbitrio uteretur & Augustus ipse & successores. *a* Nobis itaque difficilior nunc progressus ad cætera, confusis subinde apud auctores nominibus, reali discrimine plane sublato. Itaque prout vel Cæsari vel ærario alicunde accreverit, ita ordine tradendum deinceps veniet. Et habuit sane ille *ex testamentis* accessiones haud exiguas. B. Nam præter vicesimam hæreditatum ærario militari destinatam *b* ex donationibus & legatis plurima rebus privatis Cæsarum accrevere. *Augustus*, cujus tamen hac in re moderatio laudatur, c *intra XX. annos quaterdecies millies HS. ex testamentis amicorum percepisse* scribitur, *d* quæ summa

z *refer. Vopisc. in Aureliano c. 42.* a *Dio l. 53. p. 506. in A. V. C. 727.* b *Vid. diss. 2. obs. 2. F.* c *a Suetonio in Augusto c. 66.* d *Sueton. in Augusto c. 101.*

Digitized by Google

ad triginta quinque milliones noſtrates adſcendit. *e* Nec deſunt, qui hac collatione *honeſtius nihil, nihil laudabilius cenſeri poſſe inter vivos & ad poſteros arbitrentur.* *f* Verum enim vero abuſi mox ſequentes; *Caligula teſtamenta primipilarium ut ingrata reſcidit, quicunque ab initio, principatus Tiberii neque illum neque ſe haeredem deſtinaſſent.* *g* Item *caeterorum, ut irrita & vana, quoſcunque quis diceret haerede Caeſare mori deſtinaſſe.* Imitatus hunc Domitianus, qui ut bonum Principem promiſerat *fiſcales abolendo calumnias*, edita memorabili voce; *Princeps qui delatores non caſtigat, irritat; liberando diſcrimine reos omnes, qui proxime quinquennio apud aerarium pependiſſent,* *h* (Namque inter acta magiſtratuum, quae ad aerarium deferri ſueverant, *i* ſolebant item eſſe reorum nomina: quanquam ſit, qui hunc locum de iis, qui obligatam aerario fidem liberare non poterant, capere malit *k*) ita paulo poſt ad ſaevitiam deſcivit & cupiditatem. Et hinc tanquam ad iſtius exemplum non tantum majeſtatis legem crudeliſſime exercuit, ſed & *alieniſſimas haereditates confiſcavit, vel exiſtente uno, qui diceret, ſe audiſſe ex defuncto, dum viveret, haeredem ſibi Caeſarem eſſe.* *l* Scilicet amor ſceleratus habendi leges neſcit aut terminos. Hujus nunc & qui eum ſecuti, tempora videnda ſunt, & quibus illi rationibus bonis maliſve ſibi proſpexerint. c. Inter caetera *fiſcum Judaicum* acerbiſſime idem egit. *Ad quem deferebantur, qui veluti profeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent.* *m* D. Nam nulla unquam religio exoſa adeo Romanis, exiſtimo, fuit, aut irriſa quam haec ipſa. Hinc non tantum illud: Vin' tu Curtis Judaeis oppedere? *n* quod ad irriſum pertinet; ſed & *a Tiberio juventus eorum per ſpeciem Sacramenti in provincias gravioris caeli diſtributa*, quo facilius ſcilicet interirent: *reliqui gentis urbe ſubmoti*; *o* quod idem & Claudius poſtea fecit, *p* & Severus, qui *Judaeos fieri ſub gravi paena vetuit*; *q*. Idque etiam de Chriſtianis ſanxit, qui in hujus odii haereditatem poſtea quaſi ſucceſſere. Unde eſt, quod eos prodigioſis nominibus *hoſtes generis humani* r *& publicos*, s *reos laſa divinitatis* t *& omnium ſcelerum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, natura totius inimicos* v proclamabant

e *ex calculo Bodini l. 6. de republ. c. 2. Lipſ. in Paneg. Plin.* f *quos inter Bornit. de erario l. 9. c. 1. p. 83.* g *Suet. Caligula c. 38.* h *Sueton. Domitiano cap. 9.* i *ut tactum diſſ. I. obſ. 4.* k *Torrentius ad h. l. Conferens l. 5. cap. 9.* l *Sueton. Domitiano cap. 12.* m *Sueton. c. 12. Domitiani.* n *Horat. Sat. 9. v. 69.* o *Sueton Tiberio cap. 36.* p *Sueton. Claudio cap. 20.* q *Spartian. in Severa cap. 17.* r *Tertull. in Apologetico c. 39.* s *c. 10. & 35.* t *cap. 26.* v *cap. 2.*

Digitized by Google

bant. Sed avaritia vide quid facit? impoſito tributo Judæi tolerati ſunt. E. Cujus originem rei Veſpaſiano tribuerim. ἀπ' ἐκείνης γὰρ δίδραχμον ἐτάχθη τὸς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περισέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διὶ κατ' ἔτος ἀποφέρειν x. Duplici autem ratione calumniis quas diximus, ſub Domitiano fuerunt obnoxii. Vel dum aperte iſtam vitam intra urbem vivunt, cujus rei facultatem tamen non redemerant, (namque ut in aliis artibus ſordidis & vetitis pretio depenſo earum permittebatur profeſſio, pariter & in religione Judaica idem factum. y) Vel dum originem abnegant, & ſe Judæos eſſe diffitentur, ubi non abnuerim, vel præcipue ejus criminis arceſſitos Chriſtianos, (quorum religionem cum Judæa ſubinde confundebant Gentiles, z & ſic Judæorum nomine Chriſtianos fere comprehendebant,) a & capi poſſe hæc ipſa de ſecunda a Domitiano excitata perſecutione. b F. Verum enim vero, quod non vano augurio *cornix in Capitolio paucis ante cædem Domitiani menſibus prolocuta fuerit*, ἔσαι πάντα καλῶς, quod non fallaci ſomnio *ipſemet gibbam ſibi pone cervicem auream enatam viderit, atque beatiorem poſt ſe latioremque ſtatum reip. portendi pro certo habuerit*, id mox eventus oſtendit, & moderatio ſequentium Principum. c Namque & D. Nerva, ut impietatis, ita ritus Judaici accuſari neminem permiſit, d & Trajanus illam extortam a morientibus & fictam teſtamentorum nuncupationem aſpernatus abolevit. Clare Plinius: e *Teſtamenta noſtra jam ſecura ſunt, nec unus omnium* nunquam f *ſcriptus hæres. Non tu falſis, non tu iniquis advocaris.* Conſimiliter Hadrianus ignotorum hæreditates repudiavit, nec notorum accepit, ſi filios haberent. g Scilicet, ut malis Principibus, *cum omnia raperent, & rapta retinerent, deerant tamen omnia, ac ſi nihil rapuiſſent, nihil retinuiſſent*, (quia turpius egerebant ſæpe, quam ingeſſerant nefarias opes) ita plurimis impendiis, & erogationibus ſola ſufficere frugalitas Principis poteſt, h ſi rationem diligenter cum imperio ponat.

OBSERVATIONIS XI

πιτλάκιον.

Æquitas in adminiſtrando inter ærarium fiſcumve & privatum judicio. A. Liberalitas in remittendis reſiduis tri-

x *Xiphilin. in Veſpaſiano.* y *Caſaub. ad h. l. Suet.* z *Beroald. in Sueton. Claudium c. 25. Torr. ad cap. 12. Domitiani.* a *Vid. Caſaubonus Torrentius & Beroaldus in Suetonii locum cit.* b *Suet. Domit. c. ult.* c *Dio l. 68. p. 772.* d *in Panegyrico Trajani n. 383.* e *ita Lipſio emendare placet hunc loc.* f *Plin. in Panegyr. n. 308.*

Digitized by Google

tributorum & vectigalium. B. Aurum coronarium. C. Aurum negotiatorium. D. Vectigal frumenti. E. Vectigal braccariorum, & linteonum. F. Vitri, chartæ, lini &c. G.

Quot ſupra dixiſſe meminimus, veras Principum opes in ſubditorum divitiis ſitas, id vel hinc quoque eluceſcit, quod ærarium & fiſcum abundaſſe ſemper ſub bonis Principibus, certe minus egenum fuiſſe, ſub malis exhauſtum utrumque ſemper videas. Cum tamen ſub his præter ordinarios reditus omni rapinarum & exactionum genere impleretur, ſub illis ne conſtituta quidem vectigalia & tributa ſemper inferrentur. Cujus rei argumentum afferre licet, A. æquitatem illam, quam in reddendo inter fiſcum æræriumve & privatos judicio adhibebant. *Fiſci* equidem *cauſa nunquam mala, niſi ſub bono Principe*, *a* idque Domitiani tempora ſatis demonſtrant, quibus ſæpe *quolibet & accuſatore & crimine bona vivorum & mortuorum pariter correpta*, *b* verum aliter boni, & inter eos *Optimi* nomen conſecutus *Trajanus*, ad quem Plinius: *c Fortaſſe non eadem ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes. Imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. Dicitur Actori, atque etiam Procuratori tuo, in jus veni, ſequere ad tribunal. Nam tribunal quoque excogitatum cruciatu* (cura tua, aut Principatui legat Lipſius *d*) *eſt par cæteris, niſi illud litigatoris amplitudine metiaris. Sors & urnæ fiſco judicem adſignat.* Sic *Majeſtatis crimina*, uberrimum & pene ſolum inſtaurandarum ſub peſſimo quoque Principe opum medium, *non admiſit Hadrianus.* *e* Nec obſtat, quod initio principatus ejus Nigrinus, Palma, Luſius & Celſus ſtructarum ſacrificanti inſidiarum comperti occiſi ſint, ſiquidem & *damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuit, omni ſumma in ærario publico recepta, & id ſe invito Senatu jubente factum ipſemet in vita ſua dicit.* *f* Jam qui huic per L. Antoninum Pium ſucceſſit, M. Antoninus Philoſophus, *fiſco in cauſis compendii judicans faviſſe* nunquam ſcribitur. *g* Leges quoque de jure populi & fiſci moderatas ſanxit Alexander Severus, *h* eum itidem in finem, ne gravarentur cives. Nec æquitate tantum, ſed & liberalitate conſultum iverunt civibus ſuis boni Principes, B. eamque per occaſionem exercere tributa & vectigalia, quibus ſolvendis dies jam exierat, remittendo penſi habue-

a *Plin. in Panegyr. n.* 322. b *Suet. in Domit. c.* 12. c *Plin. in Panegyr. n.* 309. d *in Comm. ad h. l.* e *Spartian. in ejus vita cap.* 18. f *Spartian. cap.* 7. g *Julius Capitolinus in Marco c.* 12. h *Lamprid. in Alex. Severo c.* 16.

Digitized by Google

habuerunt. Exemplum rei jam inde ab Auguſto eſt, qui *Tabulas veterum ærarii debitorum exuſſit ſyngraphis in foro incenſis.* i Ubi tamen nullus abnuerim, quin per veteres ærarii debitores, qui poſt privati indigitantur, etiam, qui pecuniam ab ærario fiſcove mutuam ſumſerint, intelligi queant. Nam id quandoque fieri ſolitum, vel ſolus Suetonii locus evincat. k. Ad eum poſtea modum, cum D. Nerva viceſimam hæreditatum moderatus eſſet, l ſucceſſor Trajanus præterquam quod muneri ejus uberiore explicatione addidit, m hoc inſuper adjecit, ut qui ejuſmodi ex cauſis, (quas ille exceperat) in diem edicti vigeſimam deberent, nondum tamen intuliſſent, non inferrent. n Suggillat tamen hanc liberalitatem Auſonius. o *Vel illud unum*, inquit, *cujuſmodi eſt de condonatis reſiduis tributorum? Quis unquam Imperatorum hoc provinciis ſuis uberiore te indulgentia dedit. Fecerat & Trajanus olim, ſed partibus retentis. Non habebat tantam oblectationem conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſervati.* Liberalior Trajano Hadrianus, & plane ad Auguſti exemplum *infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro D. Trajani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis.* p. Summam definit inſcriptio vetus Romæ: IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. TRAIANO AUG. PONT. MAX. TR. POT. II. COS. II. QUOD. OMNIUM. PRINCIPUM. ET. SOLUS. REMITTENDO. HS. NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA. N. DEBITUM. FISCI. NON. PRÆSENTES. MODO. SED. ET. POSTEROS. SUOS. PRÆSTITIT. HAC. LIBERALITATE. SECUROS. q Grandis illa ſumma, & quæ ad viginti duos cum dimidio milliones aſcendit. Fecere hoc poſtea plures alii. Fecit Aurelianus, qui *tabulas publicas ad privatorum ſecuritatem exuri in foro Trajani ſemel juſſit.* r Fecit, ut ad poſteriorum unum aut alterum tranſcendamus, Gratianus, de quo Auſonius. ſ. Tu *argumenta omnia flagitandi publicitus ardere juſſiſti; Videre in ſuis quæque foris omnes civitates conflagrationem ſalubris incendii: ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum.* Fecit Anaſtaſius, ὃς πυρὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ἐναντίον πάντων κατέκαυσε τὰ τῆς συντελείας κατάγρα-

i *Sueton. in Oct. c.* 32. k *in Octavio cap.* 41. l *Plin. in Panegyr. n.* 335. m *id. ibid. n.* 338. n *n.* 358. o *in Paneg. ad Grat. cit. Lipſ. in Plin. Panegyr. n.* 362. p *Spartian. in Hadrian. cap.* 7. q *affertur inſcriptio a Lipſ. in Plin. Panigyr. n.* 362. & *Caſaub. in l. 6. Spartian.* r *Vopiſcus in Aurelian. in Paneg. cit. Caſaub. ad cap.* 32. *Aug. apud Sueton.*

Digitized by Google

φα. *t* Nec vero his finibus ordinariorum tributorum remittendorum stetit Principum liberalitas, sed subinde etiam in oblationibus simile quid observatum. Namque ut *omne pensitationis genus* his tribus absolvitur, *canone*, *oblatione*, *indictione*, quorum iste *ordinaria* tributa complectitur, illa *voluntaria*, hæc *nova & super addita*, *v* ita voluntaria quandoque in ordinaria mutarunt, id quod præcipue in c. *auro coronario* videre licet. Cujus origo, ut socii & amici victori Imperatori coronas aureas offerrent, quasi gratulantes, & meritum ei caput cingentes. *x* Nec id in victoriis tantum, sed quæcunque gratulandi suppeteret materia. Magna etiam circa hoc indulgentia Principum. Nam ut grandis inde summa redigebatur, cum præcipue sequentibus temporibus non coronas amplius, sed earum loco pecuniam exigerent, *y* ita non minus vectigalibus & tributis ordinariis fere atterebat. Remisisse itaque & jamdum Augustus gloriatur, in Lapide Ancyrano: MUNICIPIIS. AC. COLONIIS. ITALIÆ. CONFERENTIBUS. AC. TRIUMPHOS. MEOS. QUINTUM. CONSUL. REMISI. ET. POSTEA. QUOCIESCUNQUE. IMPERATOR. M.-----AURI. CORONARIUM. NON. ACCEPI. Et Adrianus quoque *in Italia remisit*, *in provinciis minuit*, *b* & quidem *difficultatibus ærarii ambitiose & diligenter* expositis. Ita *Antoninus Pius aurum coronarium*, *quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat*, *Italicis totum*, *medium provincialibus reddidit*. *c* Idem illud Romæ remisit Alexander Severus. *d* Quod si vetustatem oblationis hujus, & alia huc facientia requiras, illa tradunt Lipsius, *e* Casaubonus, *f* alii. Hoc Alexander & de D. auro negotiatorio fecit. *g* Namque & hoc inter reditus, & alias aurarii canonis aut oblationis nomine venisse puto. *h* Sed veniendum ad alia. Et ad reditus ærarii jure etiam optimo retulerim E. Vectigal frumenti. Notæ sunt seditiones sæpius a populo excitatæ ob annonæ penuriam. Hinc istud in Coriolanum odium, *i* quod fame plebem tanquam hostes peteret. Hinc *annonæ cura Pompejo non minus addidit gloriæ*, *quam pulsus ambitus campo*, *exactus hostis mari*, *oriens triumphis occidensque lustratus*. *k* Cui adde, quod adverso vento timentibus cunctis primus ille oram solvit, animose exclamans:

t *Cedrenus allegatus a Casaub. in Sueton. Calig. c.* 15. v *Ascon. in* 4. *Verrin. cit. Buleng. de Vectigal. c.* 14. *p.* 50. x *Lipsi. de magnitud. Rom. l.* 2. *c.* 9. y *Lipsi. l. c.* z *Vid. p.* 135. *Casaub. in Sueton. & p.* 129. a *Spartian. cap.* 6. b *Capitol. in Anton. Pio. cap.* 4. c *Lamprid. in Alex. Sever. c.* 32. d *de mag. R. l.* 2. *c.* 9. e *ad l. cit. Lamprid. p. notar.* 165. f *Lampr. l. c.* g *cum Casaub. ad l. c. Lampr.* h *Liv. l.* 2. *cap.* 35. i *Plin. in Panegyr. n.* 231. k *Lipsi. in not. ad l. c.*

Digitized by Google

mans: *Navigare necesse est, vivere necesse non est.* l Atque eam ob causam Principibus semper maxima annonæ cura. Sic Augustus *annona populum pellexit*, m idemque *inter alia dominationis arcana sepositi Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terræ ac maris quamvis levi præsidio adversus ingentes exercitus insedisset.* n Atque hæc ab illo successoribus tradita quasi per manus cura, prospicere, ne fame pop. Rom. premeretur. Quin imo *annonæ vilitas perpetui instar congiarii ipsis fuit.* o Feraces igitur frumenti provinciæ hoc vectigali vel maxime oneratæ, & vel præcipue Ægyptus, cujus sterilitatem vehementissime semper horrebant, & ad iram Deorum referebant. Hinc apud Tertullianum legas: p *si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem.* Vectigal igitur istud per opera in Nilo adjuvare Probus Imp. curæ habuit. q Ab Alexandro Severo autem Vectigal novum. F. Namque is *Braccariorum*, (bractearium) *linteonum, vitrearium, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum vectigal pulcerrimum instituit.* r Et post eum Aurelianus, G. *ex Ægypto urbi Romæ vectigal vitri, chartæ, lini, stuppæ, atque embolicas species æternas confecit.* s Et bene, siquidem sub Tiberio Principe factum est inopia chartæ, ut e Senatu darentur arbitri dispensandi. t Nec de lino mirum. Cum exigi id sueverit, quo unaquæque provincia abundaret, & reponi, quicquid ubique pulcerrimum nasceretur. Certe & vestes in ærario fuisse satis probat, quod *Macrinus Procurator ærarii majoris purpureas inspexit, & quas claras probavit, in id conclave redigi præcepit, in quo post duas horas Diadumenus natus est.* v Sed de hoc loco mox plura.

OBSERVATIONIS XII

ΠΙΤΤΑΚΙΑΝ.

Inquiritur in locum Lampridii A. Ærarium majus, ærarium sacrum & privatum. B. Largitiones sacræ & privatæ.

l *Tacit. l. 1. A. c. 2.* m *Id. l. 2. cap. 59.* n *Plin. in Panegyr. p. 231* o *in Apologetico c. 40.* p *Vopiscus in Probo cap. 9.* q *ita legente Scal. apud Buleng. de Vect. c. 29.* r *Lamprid. in Alex. Sev. c. 24.* s *Vopisc. in Aurel. c. 45.* t *Plin. l. 13. c. 13. Nat. hist. Torr. in Suet. Tib. cap. 34.* v *Lamprid. in Diadum. cap. 4.*

Digitized by Google

vatæ. C. Arca publica. D. Arcæ Etymon. E. Salmaſii Emendatio loci Agelliani. F. Profeſſio Natalis & Cenſualis. G. Nominis impoſitio apud Romanos & Græcos quo die facta. H. Mos quorundam Chriſtianorum in imponendis nominibus. I.

Atque ita cum, quem diximus locum, legunt Codices vulgati, A. quos tamen corrigere malit in hac *ærarii majoris* voce Caſaubonus: *a Vir qui omnes doctrinæ opes velut in ſanctiore quodam ingenii ærario reconditas habuit. b* Certiſſimum eſſe ait, probationem purpurarum non pertinuiſſe ad Procuratorem ærarii, ſed ad alium, cui cura peculiaris veſtium principalium, iſque nullus niſi Procurator gynecei aut baphii. Scripſit igitur auctor ex illius mente Procurator *veſtiarii majoris*, vel *gynecei majoris*. Atque hujus conjecturæ & Joſ. Scaligerum approbatorem laudat, & fulcimentum illi ex *l.* 2. *Tit.* 7. *l.* 11. *Cod. de murilegulis* quærit. Verum enim vero, ſi abſentire tanto Viro jus faſque eſt, malimus equidem cum Salmaſio *c* facere, qui mutandum nil cenſet. Unde cum eo B. ærarium ſacrum hic intellexeris, quo trahit ille Statii locum de Procuratore Præfectove majoris vel ſacri ærarii agentem:

Jam creditur uni
Sanctarum digeſtus opum, partæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi.
Quicquid ab auriferis ejectat Iberia foſſis,
Dalmatico quod monte nitet, quod meſſibus Afris
Verritur, æſtiferi quicquid terit area Nili,
Quodque legit merſus pelagi ſcrutator Eoi
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galeſi,
Perſpicuæque nives, Maſſylaque robora, & Indi
Dentis honos, uni parent commiſſa Magiſtro.

Nec enim per ſanctas illas opes aliud quid intelligere poſſis, quam ſanctius aut ſacrum ærarium. Quod tamen aliud eſſe ab illo, quod ſupra *d* deſcriptum a nobis, facile quivis videt. Oppoſitum autem huic *privatum* ærarium, ſeu res privatæ Principis, quas ille ante vel in patrimonio habuerat, vel acquiſierat etiam. Nam eo retuleris illud Spartiani *in Severo. e Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi Prin-*

a *notis ad Lampr. l. c. p.* 141. *E.* b *Lanſ. in orat. pro Gallia p.* 177. *edit. in* 4. c *in not. ad l. c. Lampr. p.* 175. *ſeq.* d *diſſ.* 1. *obſ.* 4. *ſub. fin.* e *cap.* 12

Digitized by Google

Principes civitatis, multæ femina illustres fuerunt, bona omnium publicata sunt ærariumque auxerunt. Filiis etiam suis ex hac proscriptione tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum, cum magnam partem auri per Galliam, per Hispanias, per Italiam Imperator jam fecisset. Tumque primum privatarum rerum procuratio instituta est. Falli tamen in hoc ipso Spartianum, Salmasius arbitratur, & procurationem hanc diu ante fuisse *f. g* Mansitque idem etiam sub posterioribus Imperatoribus, quamvis mutato nomine. Nam pro ærario sacro & privato C *sacras & privatas largitiones* dixere. Magnifico sane vocabulo quasi ad nullam aliam rem ærarium Princeps, quam ad largiendum haberet. Nec opus id roborare multis, cum in Codice *h* frequenter occurrat. Adde Suidam ἰλαργιτιῶνές εἰσι δύο, τὰ σάκρα καὶ τὰ πρίβατα. Quanquam nisi sacram privatamque vestem & rem omnem vestiariam dispositioni comitis sacrarum largitionum adsignaret locus ex Statio adductus, multæque præterea Impp. constitutiones, magis propendebamus eam in partem, ut diceremus, per majus ærarium hoc loco intelligi privatum Imperatoris, τὸ βασιλικὸν, aut βεστιάριον, cui duos præfectos τὸν πρωτοβεστιάριον & τὸν κόμητα τῶν θησαυρῶν ἢ λαργιτιώνων adsignat Meursius. *k* Idque ea ratione moti, quod procuratorem rei privatæ fuisse Macrinum bis meminerit Capitolinus, *l* advocatum fisci factum ex aliis referat sub Vero Antonino. *m* Quin & Dio Cassius cum accurate & diligenter omnes Macrini promotiones enumeraret, hac de re nihil addat, sed tantum dicat ὀνόματά τινα ἐπιτροπίας ὀλιγοχρονίου λαβὼν ἔπαρχος ἀπεδείχθη. *n* Quæ ἐπιτροπία ὀλιγοχρόνιος certe aliud nihil, quam procurationem privatarum designat, cum hi tales non diu in officio durare sueverint, quod Lampridius *o* clare testatur, *Rationales cito mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret, eosque si boni essent, oderat, malum necessarium vocans.* Itaque unum hoc habemus, ut non certo liquere dicamus, an per ærarium majus illud quod sacrum, an quod privatum indigitabant, intelligendum veniat. Sufficit scire, utrumque ærarium sanctius, vel majus & privatum Imperatoris tum fuisse. Nam quod populo vel Senatui restabat, ad modum Collegiorum p *arca publica* D. nomine venit. *Vestra auctoritatis est arca publica, quam magis refertam esse reperio, quam cupio q* leges in Aureliani ad Senatum li-

f *In not. ad Vopisci Probum p. not.* 439. g *Vid. l.* 1. *Cod. l.* 12. *tit.* 6. *de Quæstoribus mag. offic.* h *Adeatur Meursius in Glossario Græco Barbaro vocabulo* γενικὸν, & λαργιτιώνες. i *apud Salmas. in not. ad Lampr. p.* 176. k *p.* 131. l *c.* 2. & *c.* 7. *Macrin.* m *Capit. in Macr.* 4. n *l.* 78. *p.* 904. o *in Alex. Sev. c.* 46. p *diss.* 1. *obs.* 3. q *apud Vopisc. in Aurel. c.* 20.

Digitized by Google

teris. Equidem omne ταμεῖον recte arca dicitur, unde & arca fisci, *r* pro vero Principis ærario, & arcæ populi Romani mentio in inscriptionibus. *s* Sed specialiori tamen notione arca vel bursa Collegiorum est, ad quorum exemplum etiam primi Christiani arcam communem habebant. *t* E. Est autem arca (ut hoc obiter addamus) ex Græco εἴργειν, unde εἴρκτη & εἱρκτὸς, Latine erca & erctus, vel herctus, & mutato E. in A. arca, a continendo scilicet. F. Qua occasione non possumus, quin elegantissimam Salmasii *v* in A. Gellium emendationem addamus. Legitur ibi *c.* 9. *l.* 1. *Romana voce* κοινόβιον, quod cum aperte falsum sit, reperisse se ille in antiquo libro ait, *erto non cito* i. e. bono vel bonis aut hæreditate non divisa, *Cio* enim a Græco χίω, pro quo & χίω, divido. Inde *erciscí*, *& ercticiscí*, quamvis prius oppugnet tanquam a Triboniano per ignorantiam in Pandectas invectum Salm. contractum tamen ex erciciscí vel ercticisci affirmat Grotius. *x* Nec ipsi id Ciceroni ignotum probari potest *y*. Restat unus adhuc ærarii Saturni, quod Romæ erat, usus. Nam alias publicam pecuniam eo delatam non amplius putarim, sed semper penes Imperatorem fuisse. Firmat Herodianus, *z* apud quem Pompejanus ad Commodum, ταμεῖα χρημάτων βασιλικῶν ἐνταῦθα πάντα, & antea, ἐκεῖ ἡ Ῥώμα, ὅπου ποῖ ἂν ὁ βασιλεὺς ἦ. Acta, & Senatusconsulta ibi asservata meminimus supra. *a* Accessit professio filiorum G. Professionum equidem duo in jure genera memorantur, Natalis, & Censualis. Quarum hæc unumquemque civium Romanorum jubebat, quantum in bonis haberet, apud Censorem profiteri. Qua in re si quis falsus deprehenderetur, bona ejus ærario cedebant, quod arguit Suetonius, apud quem Caligula perperam editi census arguebat, quibus postea quacunque de causa quidquam incrementi accessisset. *b* Origo ejus a Servio Tullio, antiqua satis, sicut & illa natalis, quæ eidem ortum suum debere & facta fuisse antea apud Junonis Lucinæ, (Ilithyiæ) sacerdotes videtur, *c* a M. autem Antonino Philosopho præfectis ærarii Saturni demandata est. Nam is *liberales causas ita munivit, ut primus juberet apud præfectum ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimam diem nomine impositi. Per provincias autem tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii,*

r *apud Lampr. in Alex. Sev. c.* 43. s *Vid. Salm. in Lampr. p.* 229. *d.* t *de qua vid. Tertull. in Apol. c.* 39. *& Heral. in Comm. in b. l. p.* 158. v *in Solin. p.* 1262. *b.* x *In flor. sparsis ad Jus Justin. Tit. de ercisc. famil.* y *Cic.* 1. *de orat. n.* 237. z *l.* 1. *c.* 6. a *Suet. Cal. cap.* 37. *Cas. in h. l.* b *diss.* 1. *obs.* 4. c *ex instituto Servii Tullii apud Dion. Hal. l.* 4. *antiq. Rom. p.* 220. *Cons. de utr. Briss. l.* 1. *Select. cap.* 5.

Digitized by Google

ærarii, ut si forte quis in provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret. d Idque postea non ab ipso tantum observatum est, cum Commodum suum Antoninum vocavit, & ita in publicas edidit diem natalis sui, e sed & ab aliis. Siquidem & *de Gordiano Seniore illud satis constat, quod filium Gordianum Antonini nomine & signo illustraverit, cum apud præfectum ærarii more Romano professus filium publicis actis nomen ejus inseruit.* f Adde Apul. qui, *Pater ejus natam sibi filiam more cæterorum professus est. Tabulæ ejus partim ærario publico, partim domo asservantur.* g Et Juvenalem. h *Libris Actorum spargere gaudes Argumenta viri.* Mirum autem cur *trigesimum* diem huic rei præfinierit M. Antoninus H. Nam Romano more alias in maribus nonus, in femellis octavus erat, i ejus rei rationes aliquas adducit more suo Plutarchus. Sunt quidem qui *tertium* legant, k sed nescio an satis bene. Siquidem non sine causa tamdiu expectabant, quod ante septimum vita pueri adhuc in dubio erat, id quod & Aristoteles habet, l unde in incertam spem nomina dare verebantur. Totumque hoc a Græcis ad Romanos manavit, apud quos decimus dies nominis impositioni præfinitus. Testes adducimus Aristophanem m Comicum: Ὀυκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ. Καὶ ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ θέμην. Euripidem Tragœdum: n Ηκῦσας, οἶμαι, τῶν ἐμῶν λοχευμάτων. Τούτων ὑπέρ μου θῦσον, οὐ γὰρ οἶδ' ἐγώ. Δεκάτῃ σελήνῃ παιδὸς ὡς νομίζεται. Nec id sine multa solennitate, & convivali etiam lætitia. Quo non tantum Terentium o referas, sed & vel præcipue Suidam p: Ἔθος ἦν παίδων συγγεννωμένων τοῖς Αθηναίων ἀςοῖς τῇ δεκάτῃ τῶν νυκτῶν ἀπὸ τῆς γενέσεως συγκαλεῖσθαι τοὺς πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς οἰκείους, καὶ τοὺς ἐγγύτατα φίλους, καὶ παρόντων ἐκείνων τάτ' ὀνόματα τοῖς παισὶν τίθεσθαι, καὶ καλλιερεῖσθαι τοῖς θεοῖς, ἔπειτα τοὺς συνεληλυθότας εὐωχεῖσθαι. Adde quod in electione nominis omen futuræ felicitatis captare solebant, quod nec Suetonius noster tacet, q dum Neroni omen imperii a Claudio accipiendi fuisse ait, *quod C. Caligula roganti sorori, ut puero quod vellet, nomen daret, Claudium intuens ejus se dare dixit.* I. Nec Christiani quondam neglexerunt, quanquam ob hoc a Chrysostomo r reprehensi. Consueverant enim nonnulli infanti nomen imposituri lumina multa accendere, suum cuique nomen assignantes, pu-

d *Capitol. in Marco c.* 9. e *Lampr. in Diadum. c.* 6. f *Capit. in Gord. c.* 4. g *In apol. p.* 424. *Conf. Gent. in l. c. n.* 877. h *Satyr.* 9. *v.* 84. i *Vid. Plut. Q. R.* 102. *Macr.* 1. *Sa.* 16 k *Ruben.* 1. *Elector.* 5. l *l.* 7. *H. A. cap. ult.* m *In Avibus.* n *In Electra* o *in Phorm. act.* 1. *scen.* 1. *Weiz. in Comm. ad h. l.* p *in* Δεκάτην ἑστιᾶσαι. q *in Ner. cap.* 6. r *in super.* 1. *Cor.* 4.

ta uni lumini Zosimi appellationem indebant, alteri Stephani, tertio Procopii & ita in cæteris, atque ejus demum, quod cæteris extinctis supervixerat, nomen arripiebant, ac puero imponebant. *s* Sed longius, quam volueram, hic provehor. Terminalia jam sunto, postquam Lectorem æquum etiam atque etiam rogavero, ut his, quæ non diffiteor inconditè, sine cultu, sine ordine in tumultuarias quasi sarcinas congesta, veniam non deneget. Quod si futurum est, ut ad præfectos quoque & expensas ærarii descendamus, opus omnino, ut nos Vacuna respiciat, quam huc usque iratam habuisse certum est. Interim ne morem usitatum migremus, auctarii loco addimus sequentia.

OBSERVATIONIS XIII

πίτθάκιον.

Tam exosa subditis esse consuevit Tributi impositio, A. quam necessaria Reipublicæ. B. Præbet tamen subinde aut certe auget rei adeo salutaris odium Præfectorum rapacitas, C. cui & per severas coercitiones D. & aliis quibuscunque modis obviandum, E. quod Romanis in mente, constitutis Quæstoribus, penes quos cura ærarii. F. Eorum origo antiquissima jam inde a Regibus. G. Taciti & Ulpiani circa eorum creationem animadversa dissensio H.

Non placuisse omnibus omnino populis thesauri publici congregationem & tactum, supra *a* & causæ rei hujus aliquæ allatæ sunt. A. Sane res ipsa multum invidiosa, & nunquam non notati, qui exactionum nova genera, novas formas commentati fuerant. Inde certe & *Salinatoris* cognomen *M. Livio* posterisque adhæsit, quod in censura *vectigal novum ex salaria annona statuisset*: *b* Et *Darius Hystaspis*, qui primus Persarum Regum a subjectis sibi populis tributum, quanquam summa cum moderatione exegit, cum antecessorum reditus ex solis muneribus constarent, non absque nota ad posteritatis memoriam transmissus est, *institoris* appellatus cognomine, sicut *Domini Cambyses*, *Cyrus parentis*. *c* Atta-

s *Casaub. ad Pers. Satyr.* 2. *p.* 197. & 198. *Boxh. ad Plut. Q. R. Rom. p.* 147. *Paeff. conf. Scal. ad Festum in* Lustrici, & 2. *L. Ausf.* 22. a *diss.* 3. *obs.* 1. *adde.* P. *Gregor. de repub. l.* 3. *c.* 1. *n.* 1. *seq.* b *c.* 37.

Digitized by Google

c Attamen res plane neceſſaria, B. cum *nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi* poſſint, *d* præfectorum C. ſæpe culpa ſummum in odium vertit, quorum milvinæ rapacitati ſatis præcavendæ vix eſt ut Argus aliquis centoculus eſſe queat. Scilicet hæc ipſa fuit, quæ Lacedæmoniis publicum inſtituere ærarium diſſuaſit, ne violentiores cuſtodes illud quandoque expilarent, *e* quo pacto ſemet a proferendis imperii finibus excluſerunt. *f* Hæc & Judæos in Menelaum & Lyſimachum per funeſtam auctoribus ſeditionem commovit, etſi fratres iſti ſceleri ſacrilegium junxiſſent. *g* Hæc initium dedit tumultibus in Richardum Angliæ Regem excitatis. *h* Unde adeo non mirum, D. iſtam coactorum perfidiam ſeveriſſimis quondam ſuppliciis vel in nobilitate vindicatam a Gallis Regibus, uti Dominus de Marigny a Ludovico Philippi Pulchri F. in furcam actus, Dominus de Cyac juſſu Caroli VII. in ſaccum inſutus fluvioque merſus, ejuſque ſucceſſor Camus de Beaulieu depoſita ſupplicii prædeceſſoris ſui memoria pari fraude graſſans itidem necatus ſuo comprobarunt exemplo. *i* Itaque inter conſervandæ in regno pacis vix jam conſtitutæ media 1. hoc vel præcipuum fuit Henrico Magno, coactorum numerum prioribus Regibus conſuetudine magis quam neceſſitate toleratum diminuere, praviſque eorum molitionibus conſtituto proprio conſilio occurrere, quod præter *Chokier k.* ſuo more, id eſt, elegantiſſime inſinuat *cuivis veterum comparandus l* Barclajus. *m* Prudenter ſane monet Vir incomparabilis, *n* ut ad avertendas fraudes, & dolos, præveniendumque crimen publici peculatus penes alios imperium, penes alios cura & cuſtodia, penes alios accipienda æris reipublicæ ratio exiſtat. F. Idque olim Romanis procul dubio in mente, cum penes ſenatum imperium, penes quæſtores aut præfectos alios colligendæ & aſſervandæ pecuniæ publicæ negotium eſſe voluerunt, a quibus Cenſores vel etiam ſenatus quandoque rationem requirebant. *o* Itaque, qui pecuniæ publicæ præſit Magiſtratus, non neceſſarius tantum, G. ſed & antiquiſſimus in Romana Republica fuit. Etenim jam dum ſub Regibus inſtitutos quæſtores Tacitus *p* auctor eſt, & præter hunc Ulpianus: *q* Ori-

c *Vid. Herodot. in* Thalia *cap.* 89. *& conf. Briſſon. de regn. Perſ. l.* 1. *p.* 122. *edit. in* 4. d *Certalis apud* Tacit. *l.* 4. *hiſt. c.* 74. e *Ex aliis Petrus ſanct. Fleur. hiſt. rer. memor. cap.* 35. f *Cenſente Philoſopho l.* 2. *de Rep. c.* 9. *ſub fin.* g 2. *Macc.* 3. *v.* 39. *ſeq.* h *Froiſſard. l.* 3. *p.* 214. i *Chokier l.* 2. *aphor. polit. cap.* 10. *ſub fin. c.* 1. *n.* 18. *Polit. MS.* k *loco allegato paulo anterius.* l *Frinshem. judic. in Flor. l* 1. m *in Argen. l.* 3. *p.* 322. *edit. Franc. in* 8. n *M. Z. Boxh. in inſtit. l.* 1. *c.* 11. *ſub fin.* o *Poteſt Vider. P. Ærod. in Pandect. rer. judic. l.* 2. *tit.* 11. *c.* 2. p *l.* 11. *Annal. c.* 22. q *l. un. Dig. de offic. quæſt.*

Digitized by Google

go, inquit, *quæſtoribus creandis antiquiſſima eſt, pene ante omnes Magiſtratus. Gracchanus Junius libro ſeptimo de poteſtatibus etiam ipſum Romulum & Numam Pompilium binos quæſtores habuiſſe, quos ipſe non ſua voce, ſed populi ſuffragio crearent, refert. Sed ſicut dubium eſt, an Romulo & Numa regnantibus quæſtor fuerit, ita Tullo Hoſtilio Rege quæſtores fuiſſe certum eſt. Sane crebrior apud Veteres opinio eſt, Tullum Hoſtilium primum in Rempubl. induxiſſe quæſtores.* Verum hic ille mihi ſcrupulus oboritur, H. ſi non pro arbitrio, ſed ex populi ſuffragio Regibus obtigerunt quæſtores, quomodo poteſtatem diligendi Conſulibus manſiſſe Tacitus ait, *r* donec eum quoque honorem populus mandaret. Nunquid ergo diſtinctio temporum difficultatem tollit, & major hac in re poteſtas Conſulum, quam Regum fuerat. Quippe jam inde a principio Romulus τῷ δημοτικῷ πλήθει τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε, καὶ νόμους ἐπικυρῶν καὶ πολέμων διαγινώσκειν. *s* Sed eam aliis in rebus arctatam potius videre eſt. Dicerem dilectum illum, de quo Tacitus, ſolam ex jam creatis & conſtitutis quæſtoribus eligendi facultatem Conſulibus dediſſe, *t* ſed ſequentia Taciti verba obſtant. Quid ſi ergo, quoniam lege Curiata ad populum Brutus tulit, facile fuit Conſulibus ante Voleronis legem *u* uti quos ipſi vellent Tribunos, ſic & Quæſtores creare, uti poſt accidit. *x* Sed cum lex de plebejis ſolum Magiſtratibus, hoc eſt, Tribunis plebis agat, neque hoc mihi ſatisfacit, & hæreo animi, & conciliandum Tacitum cum Ulpiano ab aliis exſpecto.

OBSERVATIONIS XIV

πίνακιον.

Origo Quæſtorum. A. Ratio nominis. B. Quæſitores ab his diverſi. C. A Republica liberata bini inſtituti, & primorum nomina. D. Error ea in re Lipſii. E. Numerus Quæſtorum a binario, uſque ad XL. excrevit. F.

Itaque primus ærario præfectus Magiſtratus quæſturæ fuit. A. Varie jam inde ab initio habita. Nam & ſub Regibus fuiſſe, dictum eſt, nec dubi-

r loc cit. s Verba ſunt Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. p. 87. edit. Sylburg. inſ. qua repetita vide l. 4. p. 124. t cui rei ſacit Plin. 4 epiſt. 15. u de qua Liv. l. 2. c. 56. x Vid. Liv. l. 4. c. 44.

Digitized by Google

dubitem, quin ſub ipſo Romulo. Inducor ad credendum a Dionyſio, *a* apud quem ille διελὼν τὴν γῆν εἰς τριάκοντα κλήρους ἴσους, ἑκάστῃ φράτρᾳ κλῆρον ἀπέδωκεν ἕνα, ἐξελὼν τὴν ἀρκοῦσαν εἰς ἱερά, καὶ τεμένη, καίτινα καὶ τῷ κοινῷ γῆν κατέλιπε. De quo ipſo communi agro ſed ab Regibus uſurpato *b* Ὁ Τύλλος ταύτην τὴν τῶν βασιλέων ἐξαίρετον χωρὰν ἐπέτρεψε τοῖς μηδένα κλῆρον ἔχουσι Ῥωμαίων κατ' ἄνδρα διανείμασθαι, τὴν ταπρῶων αὐτῷ κτῆσιν ἀρκοῦσαν ἀποφαίνων εἰς τε τὰ ἱερὰ, καὶ τὰς ἐξ εἰς δαπάνας. Quod ſi ergo ille publicum reliquit agrum, & ad publicas impenſas, ſacrificia puta, quæ ex ærario præbita, ut alias videbimus, *c* utique & curatores bonorum iſtorum habuerit neceſſe eſt, dum ipſe urbe abſens, belliciſque occupatus in rebus curæ iſti ſufficere non poſſet. Ab exactis Regibus manſit officium, ut præter Tacitum, *d* quem modo vidimus, & Plutarchus *e* clare, & non obſcure Dionyſius *f* innuit, bona Regis Porſennæ ab iis vendita aſſerens. Sed num eodem hoc officio ab iis ipſis inde temporibus fuerint, dubitari poſſet. Sicuti enim a quærendo B. dictos claret *g* ita quid, vel qua de re quæſiverint, haud in aprico eſt. Et ambigas ſane non ſine cauſa cum politiſſimo antiquitatis vindice *h* Lipſio *i* an quod pecunias publicas conquirebant, & reponebant, an de crimine quærendi cauſa ita principio dicti ſint. Ille Romanorum eruditiſſimus *k* Varro *l* tantum abeſt ut explicet dubium, ut implicet potius, mihi quidem. *Quæſtores a quærendo*, inquit, *quod conquirerent pecunias publicas, & maleficia, qua Triumviri capitales nunc conquirunt: Ab his poſtea, qui quæſtionum judicia exercent, Quæſtores dicti.* Ubi & quæſtionem de maleficiis, & illam pecuniarum aperte conjungit. Feſto *m* autem, ejuſque abbreviatori Paulo *n* unius tantum mentio eſt originis, quod ſcilicet de rebus capitalibus quærerent. C. Scilicet uterque *Quæſtores* intelligit, diverſum ab his magiſtratum, & inter extraordinarios, qui judiciis & quæſtionibus præfuere, uſque dum publicæ quæſtiones de repetundis, ambitu, peculatu, majeſtate, &c. conſtitutæ & prætoribus demandatæ ſunt. *o* Undelibet nominis primam originem deduxe-

a *l.* 2. *p.* 82. b *l.* 3. *p.* 137. *ſub init. lib.* c *Poteſt interim videri Guther. de Vet. jur. Pontif. l.* 4. *c.* 21. d *l.* 11, *Annal. c.* 22. e *tom.* 4. *oper. p.* 187. *in Publicola.* f *l.* 5. *p.* 503. g *non ſolum ex l. un. D. de off. quæſt. l.* 2. *de orig. jur.* §. 22 *ſed & ex Varr. l.* 4. *de LL. p. m.* 20. h *ita Barthio audit in Nemeſian. p.* 256. i *l. de magiſtr. Rom. c.* 16. k *apud Vinſil. appell. l.* 10. *Inſtit. c.* 1. l *loc. cit.* m *in voc. quæſtores.* n *in voc. Parrici.* o *Roſin. l.* 7. *ant. c.* 32. *Sigon. de judic. l.* 2. *c.* 4. *& c.* 21. *Bachov. ad l.* 2. *D. de orig. jur.* §. 23. *& copioſe de la Cerda ad Virg.* 6. *Æneid. v.* 432. *Conf. etiam. Ravard. ad LL. XII. Tabb. c.* 27.

Digitized by Google

duxeris, ſiquidem nos ἐπέχομεν, omiſſis hiſce proximis, priorum jam inde a libertate per Brutum inſtituta D. frequens mentio, frequentior etiam ex eo, quum patribus plebique ea res in certamen venit. Sive autem a Bruto *p* lege lata confirmatos, ſeu a Valerio Publicola *q* ſtatuamus, bini initio creati ſunt, primiſque P. Veturio, M. Minutio nomina fuere. E. Qua in re patitur aliquid humani modo laudatus *r* antiquitatis & doctrinæ omnis Coryphæus, *s* cum Plutarchum a Tacito, Livioque *t* & Dionyſio *u* in aſſignandis hiſce nominibus diverſum abire exiſtimat, cum tamen de diverſis temporibus ſermo ſit, & Liviani iſti ad XXIII. a Regibus exactis & ſic U. C. CCLXIX. referendi veniant. Binarius tamen, quo primum definiti fuere, numerus ſane haud ita diu manſit. F. Quin imo duplicatus mox eſt, quod res Romana augeſcens & qui domi & qui belli curarent, requireret. Qua occaſione ut ſimul patriciis & plebejis locus foret, magnis contentionibus obtentum a Tribunis plebis, & tum quidem omnibus patritiis creatis eluſum, *x* paulo poſt tribus plebejis admiſſis vindicatum *y* ***noviſque hominibus per quæſturam aditus ad conſulatus & triumphos patefactus eſt.*** Neque tamen etiam hac ſtetit, ſed ſtipendiaria Italia facta, cum primum argento ſignato Romani uti cœpere, ampliatus iterum *z* ad octonarium aſcendit. *a* Poſt Syllæ lege Senatui ſupplendo XX. creati, *b* & mox occupata a Cæſare Republica XL, *c* vel non abſimili de cauſa, *d* vel quod aliam rationem præſtandi ea, quæ multis multa promiſerat, non haberet. *e*

OBSERVATIONIS XV

πίνακιον.

Leges annales in republica initio nullæ fuere, A. ſed temporis progreſſu introductæ. B. Quæſturæ annus legitimus Vigeſimus quartus expletus. C. Neque ea libera, ut Manutio videtur. D. Dignitas quæſtorum. E. Aditus per eam

p *ut* Tacit. *l.* 11. *A. c.* 22. q *ut vult Plutarch. in Public. tom.* 4. *oper. Grac. p. m.* 187. r *apud Acidal. in Vellei. l.* 2. *c.* 98. s *Lipſ. in comm. l.* 11. *c.* 22. *A. Tacit. p. comm.* 277. *edit. in* 8. t *l.* 2. *c.* 41. u *l.* 8. *p.* 544. x *Liv. l.* 4. *c.* 43. y *Liv. ibid. c.* 54. z *Liv. epit. l.* 15. a Tacit. *l.* 11. *c.* 22. b Tacit. *ibid.* c *Dio l.* 43. *p. m.* 236. *in A. U. C.* 709. *Suet. paucis in Julio c.* 41. *rem tangit.* d *ita Lipſ. arbitratur c.* 16. *de Magiſtr. Rom.* e *ut Dio. l. c. verius cenſet.*

Digitized by Google

eam in Senatum. F. Conveniri tamen apud prætorem etiam a privatis potuerunt. G.

Apud Majores A. honor *virtutis præmium fuerat, cunctisque civium si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Consulatum ac Dictaturas iniret.* Ita Tacitus *a* nec obscure innuit, & a primis Rei Romanæ conditoribus indolis præ ætate majorem respectum fuisse, & ab insequentibus annorum rationem haberi cœptam. Equidem B. L. Julius, qui aliis Villius est, *b* & ex ea re Annalis cognomen in familiam suam intulit, Tribunus plebis, rogationem primus tulit, quot annos nati quemque magistratum peterent, caperentque. *c* Sed & ante hunc tale quid fuisse, Africani majoris elegans & plane tempori conveniens responsum evincit. Nam cum adolescens admodum ædilitatem peteret, ejusque se rationem habituros Tribuni plebis negarent, quod nondum ad petendum legitima ætas esset, *si me*, inquit, *omnes Quirites ædilem facere volunt, sat annorum habeo. d* Scilicet, ut in illo adolescentiæ lubrico sæpissime evenit, ut qui non cadit, titubet saltem, *e* & propterea rerum habenæ temerariæ isti ætati committenda facile non sunt, ita illustria & heroica ingenia communibus usitatisque terminis, aut certo annorum numero circumscribere injurium est. Quod ergo in magistratibus cæteris observatum, idem in quæstura, C. ut certus illi annus præfiniretur, quem quidem cum Lipsio *f* XXIV. sed exactum assignaverim. Neque ignoro, quod Vir doctus & Italiæ suæ suadæ *g* nullum quæsturæ legitimum tempus fuisse arbitretur, D. ea præcipue ratione ductus, quod ab aliis alio tempore illa gesta sit, puta a Tib. & C. Gracchis anno ætatis XXVII, a Catone Minore anno XXIX, a Cicerone XXXI, Cæsare denique Julio XXXIII. Sententiæ firmandæ Cæsaris pricipue exemplum urget, hominis acerrimi simul & ambitiosissimi, & propterea in honoribus capessendis haud quaquam segnis futuri. At ut taceam, hoc ipsum exemplum contra assertam ab eo liberam quocunque anno petendi facultatem adferri haud incommode posse, Torrentius *h* respondet, eum declinandæ invidiæ, qua ab ineunte ætate flagravit plurima, *i* sicuti antea Rhodum iviſſe, ita etiam

a *l. cit. ex II. Annal. c.* 22. b *Manut. de leg. p. m.* 52. c *Liv. l.* 40. *c.* 43. d *Liv. l.* 25. *c.* 2. e *Beroald. in Sueton. Calig. c.* 1. f *Comment. in Tacit. Ann.* 3. *c.* 29. *p.* 155. g *Manut. nempe in Legib. p. m.* 52. h *in Suet. Calig. c.* 1. i *Vid. de eo judicium Sullæ ap. Sueton. in Jul. c.* 1.

Digitized by Google

petitione magiſtratuum abſtinuiſſe. Noſtram ſententiam Vellejus adſtruit, Tiberium anno ætatis undeviceſimo quæſtorem aſſerens, *k* quem tamen magiſtratum non niſi quinquennio maturius, quam per leges liceret, cepiſſe narratur Dioni, *l* itemque Tacito. *m* Itaque libera Republica haud dubie is annus, vel circa eum proximi, quem tamen haud ita ſtricte numeratum arbitror, ut *non ſolum in ampliſſimis magiſtratibus apiſcendis, ſed etiam in ædilitatibus capeßendis* (& hinc ad reliqua officia facilis collectio eſt) *petitorum ætas ita rigide obſervata ſit, ut nemo quiſquam vel nobilitate, vel gratia, vel pecunia tantum valuerit, qui annos lege comitiali perſcriptos feſtinatis honoribus præoccuparet.* *n* Exempla aliud docent, & qui Boeclero *o* non immerito inter heroas numeratur, Africanus minor *in ædilitatis petitione declaratus Conſul* *p* vel ſolus evincit. Cæterum conſtitutum a nobis & præfinitum annum in ulteriora Polybius promovere quibuſdam videtur, *q* dum non niſi ab expletis decem ſtipendiis magiſtratus ullius capiendi jus fuiſſe aſſerit. *r* Jam ætatem militarem ab anno XVII. incepiſſe notius eſt, quam ut probari multis debeat. *s* Sed exiſtimem, uti ab eo anno nomina dare juniores obſtricti erant, ita prohibitum nulli fuiſſe, quo minus a Toga Virili ſumta, ſi animus vireſque ſuppeterent, mereret, idque in ſpem maximarum rerum genitos nobilium filios conſueviſſe facere, & in Imperatorum contubernio agere ſatis conſtat. *t* Primus ergo quæſtura E ad honores & rempubl. perque eam haud dubie aditus *u* ad majora. F Certe proximus hic ipſe ad Senatorium ordinem gradus, ut ſupra Tacitus oſtendit, in quem tamen legi a Cenſoribus eum qui hunc magiſtratum geſſiſſet, oportebat. *x* Imperium tamen nullum habebant, *y* (de urbanis mihi hoc loco ſolis ſermo eſt. Nam qui apud Conſules & in provinciis curabant, & quos poſterior ætas quæſtores Cæſaris appellat, ſequenti Diſſertatione dabo) non ſellam curulem, non viatorem, nec vocationem, nec reprehenſionem, G quin imo & a privatis in jus ad prætorem vocari poterant, quod ex Varrone docet A. Gellius. *z* Speciem gerendi rite non alius melius quam Cato Minor expreſſerit, cujus induſtriam uti libens referrem, ita loci prolixitas addi eam non patitur. *a*

O E-

k l. 2. c. 94. n. 3. l l. 53. p. m. 515. m *l. 3. ann. c. 29.* n *Pacatus apud Beroald. in Suet. Calig. c. 1.* o *in Charact. Vellej. c. 2.* p *Vellej. l. 1. c. 12. n. 8.* q *Vid. Roſin. l. 8. c. 5.* r *lib. 6.* s *Poſſet videri Valtrin. de milit. Rom. l. 2. c. 4.* t *Vid. Sueton. in Jul. c. 2. & in eum Caſaub. Torr. in c. 3. Veſpaſ. Salluſt. in bell. jugurth p. 81.* v *Liv. l. 4. c. 54.* x *argum. l. 2. c. 2. ex. 1. in Val. Max.* y *Pontan. progymn. l. 4. progmn. 16. p. 170.* z *l. 13. Noct. Attic. c. 13.* a *Plutarch. in Cat. Min. tom. 6. Gr. p. 1405.*

Digitized by Google

OBSERVATIONIS XVI

πινάκιον.

Quæstura quasi spectamen quoddam indolis. A. Quæstorum cura circa ærarii accepta & expensa. B. Cui rei & scribæ ærarii. C. Circa Senatusconsulta. D. Circa rem militarem & in specie signa. E. Circa provincias ornandas. F. Circa militum stipendia ordinanda. G. Tribuni ærarii. H. Denique & circa exteros, legatos puta, Regesque, aut alios Romam adventantes. I. Qui militiæ curabant apud Consules & Prætores, in dissertationem aliam rejecti. K.

Quod Laconum quidam dixisse fertur, a chori præfecto in ultimum locum rejectus repertam illi rationem, qua & hunc locum honestaret, *a* id & in omni magistratu evenit, qui prout a bonis aut malis geritur, honori aut ignominiæ est. Nec enim *prætura & consulatus, & alia omnia hujusmodi per se ipsa clara ac magnifica sunt, sed perinde habentur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est.* *b* Pariter & in A. quæstura id observatum, quam non male Tyrocinium appellaverim Ramanæ Nobilitatis, & eorum, qui se ad Rempubl. dare decreviſſent, in qua indolem & ingenium, & imprimis custodiendi solertiam, alienique abstinentiam ostenderent. Qua de causa non ipsis solum, sed & eorum assecles negotiatio lege Claudia prohibita, ne de publica pecunia negotiarentur. *c* Nam quæ prima ipsis atque potissima officii pars erat, circa ærarii reditus versabatur, qua de causa & ærarium provinciam habere dicuntur *d* B. scilicet, ut publicas pecunias ex hæreditatibus, mulctis aliisve de causis ad ærarium P. R. pertinentes, vectigalia, & quicquid ex agris locisque publicis elocatis percipi potuit, diligenter conquirant, & in ea, quæ communis necessitas requirit, erogent. Qua in re C. scribarum opera multum usos constat, quorum propterea honestum ordinem appellitat Orator, *e* quod *eorum fidei Tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committerentur.* Est quidem omnino non ita *honoratum scribarum genus apud Romanos, quippe*

a *Plutar. in conviv. septem sap. tom.* 1. *Græc. p.* 258. b *Sallust. in bell. Jugurth. p.* 45. *proœm.* c *Ærod. l.* 2. *rer. jud. t.* 11. *c.* 5. d *in inscript. Grut. p.* 203. e *Cic.* 5. *Verrina.*

Digitized by Google

Mercenarium, *f* Græcis ultra æſtimantur, ſed in hoc prudentioribus, quod quæſtoribus ſuis ſervos publicos addebant, quorum pro admiſſo peccato per verbera emendatio foret, quod in ingenuis non licuiſſet. *g* His ipſis ſalarium de publico acceptum perſolvere Quæſtores tenebantur. *h* Verum quod plerumque fieri amat, cum mutatis magiſtratibus miniſtri perennant, ut qui ſuccedant in officio, *ignoratione juris ſui tantum plerumque ſapiant quantum apparitores volunt*, *i* id etiam in ſcribis quæſtoriis, qui ex Romana conſuetudine perpetui erant, uſu venit. Nam ipſi vim poteſtatemque magiſtratus ſibi arrogantes, ſolam quæ nominis eſt, dignitatem quæſtori relinquebant. Quam ipſorum inſolentiam cum animadvertiſſet, animo ad Rempublicam tranſlato Cato Minor, non minus maſcule quam prudenter retudit, dum quæſtorias prius leges perlegit, ſingulaque ex peritis inveſtigavit, ſummatimque vim complexus eſt muneris illius. Quibus præſidiis inſtructo, in proclivi poſtea fuit, ærarium curia auguſtius facere, excluſiſque abinde ſycophantis, (dum nihil cujuſquam in gratiam concedit, ſcribaſque malæ fidei manifeſtos ab adminiſtratione remotos ſalariis inſuper privat, ea ſeveritate, quæ nec ſummorum virorum interceſſioni concederet,) demonſtrare, quod poſſit citra ullius injuriam reſpublica locuples eſſe, uti Plutarchus eleganter & accurate l. c. exſequitur. Cæterum ut ea quæſtorum prima & potiſſima, & ſub initium reipubl. ferme ſola cura erat, ita in ſecundis numerem, quæ in aſſervandis D. SC. adhibenda fuit. Illa L. Valerio & M. Horatio Conſulibus primum ædilibus plebis demandata in ædem Cereris deferebantur, cum antea ſupprimerentur vitiarenturque varie, *k* ſed poſt quæſtorum officio hæc aſſervatio acceſſit, *l* in qua pari fide verſatum Catonem legimus, deque Senatus Conſulto dubitantem multis adſtipulantibus non habuiſſe fidem, neque prius retuliſſe ad ærarium (antea autem rata eſſe non ſolebant) *m* quam præſentes Conſules juraſſent. Atque hæc circa res urbanas, ut ita appellem, iſtorum procuratio erat. Porro quod ad militiam, ſigna, E. quæ ex auro ut plurimum vel argento, in poteſtate habebant, & exercitu in hoſtes profecturo ea in campum deferebant. *n* Iidem, F. cum provinciæ ornatæ jam eſſent, & ſumtum ab ærario ſuppetere, & rem ipſam in tabulas referre ſueverunt. Erat autem ornare

f *Cornel. Nepos in Eumene c. 1. n. 5.* g *Ulpianus in 2. Olynth. cit. Ærod. L. 2. rer. jud. tit. 11. c. 1.* h *Vid. in ſcript. ap. Sig. de ant. jur. civ. Roman. l. 2. c. 9. add. Plin. ep. 12 l. 4.* i *Cic. l. 3. de legib. ſect. 48.* k *Liv. l. 3. c. 55.* l *Roſin. l. 7. antiq. c. 22. Pontan. l. ſupr. cit.* m *qt vid. potes ex Diſſ. obſ. 4.* n *Liv. l. 4. c. 22. l. 7. c. 22. Dionyſ. l. 10. p. 645.*

Digitized by Google

nare provincias, cuilibet eo profecturo cum imperio certam pecuniam, quæ attributa dicitur Varroni, certum militum numerum (si opus iis foret) certum in eos stipendium, tum viaticum in legatos & cohortem, mulos, equos, jumenta, apparitores, & si quid hujus simile sumtu publico decernere, quo & stipendiorum militarium curam retulerim, *o* quæ quæstor Ærarii Saturni tribunis ærariis, H. & hi porro iis, qui Ducem peregre sequebantur, quæstoribus dinumerabant, hosque tribunos ex plebe fuisse, Sigonius *p* inter judices lege Aurelia sedisse, & a Cæsare sublatos Suetonius *q* commemorat. Porro & circa exteros urbano quæstori negotium, & si qui amici Reges Romam venirent, aut ab amicis legati, I. is quæstorem obviam prodire, Romæ hospitium sumtu publico curare, muneribus colere, ne qua res desit prospicere, & demortuos publico funere efferre oportebat, quæ cum supra a nobis tacta sunt, *r* tum, ἐὰν ὁ θεὸς θέλῃ καὶ ζήσομεν, in recensendis expensis agetur de iis latius. Poteram, aut debebam potius & rationes Imperatorum ex provincia redeuntium ab iis susceptas ostendere per adductos locos auctorum K. & de iis, qui ad bellum proficiscentibus, aut in provincias ituris, sorte plerumque obveniebant, loqui; quin & sub Principatu institutas præfecturæ hujus mutationes ob oculos ponere, sed cum ad clepsydram quasi studendum mihi sit, filum hic necessitate coactus, tempore excluſus abrumpo.

o *Vid. Cic. 2. Agr. & quos Sigon. citat. l. 2. de ant. jur. provinc. c. 1.* p *l. 2. de jur. civ. c. 8.* q *in Julio cap. 41.* r *diss. 1. obs. 4. ubi & Loc. Plut. ex quæst. Rom. c. 43.*

Digitized by Google

ANDREÆ RIVINI

DISSERTATIONES DUÆ

DE

VENILIA ET SALACIA,

NEC NON

MALACIA.

Digitized by Google

Προαύλιον.

Esse in rerum natura pleraque ita occlusa prorsum, & in ejusdem abdita majestate, ut nulla ingeniorum solertia, aut indaginis cura pervestigari potuerint satis, a Physiologis proditum eminentissimis, evidens est, sed & Medici adjecere calculum. Quo nomine Mathematicorum principem Ptolemæum legimus, Theologiam & Physicam contemptui duxisse, quod illam præsigni rerum excellentia humana imbecillitas deprehendere vel consequi haut queat: Hæc vero ob inconstantem, perpetuoque fluentem materiam capi tenerique minime possit. Nos tamen, nescio quo genio, multa sepicule indidem prælibamus, quod læta se nimis rerum ubertas, ac velut maza, ut dicitur, alba in viretis illis varietate ostentet inenarrabili. Quibus hisce nostris studiis multum adjici ornamenti floridioris, ut enarrationum necessitatem prætream, nemo arbitror tam exoculatus, qui non videat. Proinde quomodocunque recasura sit res, propositum tenebimus, & quæ de maris ratione comperta nobis, ingeremus. Liceat nobis iisdem verbis auspicari, quibus Cœlius Rhodiginus *caput XIV.* in ejusdem numeri libro. Nemo namque, dum cum nautis etiam inexplorabiles maris profunditates scrutantibus & fluctus ejus superantibus, idem non exhaurire quidem manu, sed intellectus humani bolide pertentare gaudemus, nos vel operam lusuros, vel actum acturos existimabit, dummodo præter intimam difficultatem, summam quoque sibi maris & necessitatem & utilitatem imaginatus fuerit: cui motus eum in finem potissimum sit datus, ne putrescat ab externo calore, id quod alia aliaque maris mutatio per ejusmodi ventilationem inducta prohibet. *Nam* (ut Naso ait) *vitium capient, ni moveantur aquæ.* Sicuti & eodem fluctuum propulsu cadaveribus, stramentis aliisque fœculentiis naufragiorumque reliquiis Oceanus repur-

Digitized by Google

repurgatur, ne nimium confluente veluti ſentina ſordeſcat. Quod docet etiam *Iſaias* LVII. 20. Atque hoc ipſo quoque beneficio faciliores hominum longiſſime diſſitorum per navigationes fieri poſſunt congreſſus, & religionis aliarumque bonarum diſciplinarum merciumque communicationes, quando juxta Virgil. *non omnis ferat omnia tellus.*

Quamvis autem motus ille a variis varius tradatur, ſicuti & a variis fit cauſis, duplex tamen potiſſimum a recte ſentientibus conſtituitur: quorum prior eſt *ſpontaneus æquationis*, cum mare ob ingenitam gravitatem deorſum ad humiliorem aquæ locum terræ contiguum defertur; quem motum raptus perpetuum mare communem habet cum omnibus aliis aquis, eſtque ab ortu in occaſum ad imitationem & impulſionem motus primi corporum cœleſtium. Alter *periodicus æſtus*, ſive motus reciprocationis mari proprius & peculiaris eſt, cumque plane *accidentario motu* & agitatione fluctuum (quem tertium quidam faciunt) ſæpe confunditur. Priorem volunt fieri a forma activa, ſecundum a natura paſſiva, qualis ſit in ferro ad magnetem ob cognatam naturam, talem ajunt & in aqua eſſe ad motum Lunæ; niſi quod alii & hic internum principium maluerint.

Quod ipſum ego mecum olim perpendens, Hamburgo in Bataviam iturus, cum illic in Albi, verſus urbem per æſtum maris nondum mihi cognitum refluente periclitarer, & *s'io nella mia giovanezza non foſſi quaſi continuamente ſtato a ſcola dal famoſo Sala noſtro fiume, mi ſarei ſenza alcun dubbio affogato*, ut cum Raimundo in ſimili caſu loquar. Quando vero poſtea huc appuliſſem, ad Chattorum vicum mari allutum Lugduno me contuli, ut propius Oceani reciprocationem contueri & arbitrari liceret, cumque Sirio & itinere calidior me ipſo mari jam recedenti in littore refrigerare & natando exercere cuperem, omni vacare credens periculo, ecce fluctus quidam decumanus ex improviſo allabens me primum cœpit attollere, ſubito poſtea magna vi mare verſus retrahere, ut niſi tam celeriter ſubſidens, in ſabuleto me, divina aſſiſtente gratia, ſtitiſſet, citius in Britanniam ſine rate navigaturus fuiſſem, quam cogitaſſem. Certe ſubiit illud Crinagoræ *in Antologia*

Τίς κ' ἐνὶ νηὶ Θαρσήσαι πεζοῖς τὴν ἀφύλακτον ἅλα.

Atque hujuſcemodi ſuffocationis diſcrimini gemino expoſitus in terra quoque ſecunda vice nonnullis videbar, cum nuper ad reip. clavum iterum ſederem, quibuſdam eandem navim, in qua utique & ipſi remigabant, perforare & tantum non evertere molientibus, nec non fluctus in ſimpulo concitantibus, varium ibi æſtum animorum fluctuantium cernere

&

Digitized by Google

& discernere licuit, qui tamen postremo in otiosam quietem, nulla plane aura, nec secunda, nec adversa, spirante concideret. Qua occasione ego ansam, & spatium nactus, rerum humanarum Euripum alternantemque sali & soli fortunam, una cum ipsa *Venilia* atque *Salacia*, nec non *Malacia*, ad *Nauteam* usque tædiosæ per hunc mundum navigationis contemplari cœpi, utque eo remotius a negotiis politicis atque publicis agerem, totum me quasi Physio-Philologicis speculationibus immersi, rationem & nominum illorum & rerum reciprocantium paulo certiorem ex incertissimis redditurus. *Æstus* quippe illius *marini*, quem vulgus *fluxum & refluxum* appellitat, intricatas, nec tum satis cognitas explicatuque difficiles esse causas, nemo opinor ambiget, nisi qui Aristotelem ipsum ob Eurìpi impenetrabiles rationes mœrore animi confectum enectumque ignoraverit; eundemque nihil, vel parum de æstu marino reliquisse non observaverit. Sicuti pauci sane Philosophi & Philologi ad mare exspatiati sunt. Unde & Seneca *Suasor.* 1. asserit: *Latinos Declamatores in Oceani descriptione non nimis viguisse, nam aut timide descripsisse, aut curiose*, atque *l. 7. c.* 10. *de B. Licet nescias*, inquit, *quare tio Oceanum effundat ac revocet. &c.* Accedit & rationum discordia, dum alii cum Heraclito ad Solem; alii cum Pythea Massilienſi ad Lunam; alii ad utrumque luminare magnum; stellas puta temporis dominas mariumque patronas, & quæ summam cum omnibus aquis, maximeque fluere & refluere, elevari & deprimi aptis, præsertim vero Oceani omnium in universo mundo marium parentis convenientiam habeant, cum Plinio, Raimundo &c. referunt. Quidam etiam (ut Aslacus) totum mare gravidæ instar nunc ad Lunæ plenitudinem volunt intumescere, alias vero concidere & uterum suum recolligere. Pretium igitur operæ arbitrantes, cum Horatio,

Neptunum procul e terra spectare furentem,

post alios multos in hac ipsa palæstra impræsentiarum desudabimus, atque adeo cum ipso æstu ultro citroque jactati, tantisper *circa tam nomina, quam momina rerum* fluctuabimus, dum tandem ex optato frui liceat portu. Quam ad rem lumen & flumen ventosque secundos a Divino Numine exoramus.

Digitized by Google

TMEMATIS I. DE ONOMATOLOGIA

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ I.

Mare tametsi stagnans, I. fluxionis tamen peculiaris velut oscillo quodam jactatur, quem II. *fluxum & refluxum* vulgariter, Latiniores nuncupant *æstum*: III. qui & ipse tamen, cum non minus atque apud Græcos ἀνάῤῥοον, ut & IV. πλημμυρὶς, & παλιῤῥοδίη atque ἄμπυδις, sit *æstuosus*, ac V. dubius, & contra aliorum quoque sententiam VI. *secundus*; eo autem generalior adhuc VII. *motus*; alia quoque *synonyma* VIII. descriptiones sint paulo prolixiores: Simplicissima ergo illa IX. & antiquissima, sed quorumvis seculorum summis Viris usitata Veniliæ & Salaciæ *nomina*, & tantum non *numina* placeat revocare, & a Malina atque Liduna paulatim discriminare.

Ἔκθεσις.

I. *Cum aquarum, quæ circa terram & in ea sunt, aliæ quidem sint* ῥυλαὶ *aliæ* σάσιμαι: *& fluctuantes quidem omnes sint* πηγαῖαι, *quæ a fontibus habent fluendi initium; stagnantium vero quædam sint fontanæ, quædam syllogimæa. Illæ partim hominum comparantur industria, ut* Φρεατιαῖαι, *i. e. puteales cisterninaque, partim naturales omnino sunt, quæ exiguos habentes fontes & locorum cavitates, profluere ubique non queunt. Hæ autem collectitiæ, earum iterum aliæ sunt pluviæ, aliæ ex fluminum cursu exceptæ, quæ & si uberes & perennes sufficiunt aquas, paludes vocantur; sin minores, stagna; si per exiguas, volutabra. Et mare ipsum inter stagnantes potius referendum. Non Hyrcanum enim solummodo mare, & Caspium nullo in loco copulari invicem, & neutrum fluitare fluxuque elabi compertum est. Sed & alia, licet alicubi mare diffluere videatur, ubi scilicet ex lato pelago in angustum mare cogitur, cum sit ambiens terra ipsum pelagus editior altiorque ob id fluere ac refluere in aliam videtur partem, quoad ejus hinc atque illinc libretur aqua. Fluit quoque mare ab eminentioribus ad magis cavernosa & debiscentia loca ob multitudi-*

nem

Digitized by Google

nem fluminum in sublimiores partes ejus influentium, utcunque autem fluat mare, in sese fluit ac reciprocatur, non in aliud se recipit, velut in ipsum fluvii. Qua ratione aquam maris inter stagnantes esse, ita collegit post Aristotelem *lib.* 2. *Meteor.* C. Rhodiginus *lib.* & *cap.* 14.

II. De hac ipsa tamen stagnantis maris fluctuatione dum dicere paramus, inusitatum nemini videatur, si paulo minus usitatis & vix centesimo cuique notis nominibus atque titulis hanc Dissertationem inscripserimus. Romana quippe sunt, atque adeo vetustissima, quibus sane Latinius utemur, quam *fluxus & refluxus*, tametsi hic in ore sit omnium mediocriter doctorum, imo adeo indoctorum quoque, Nautarum Hispanorum, Italorum, & Gallorum: illis namque est *fluxo y refluxo del mar*; istis *flußo rifluſſo del mare*; his vero: *le flot & reflot de la mer.* Unde & Belgis: **De Vloedt der Zee**/ accessum & incrementum maris, sive æstum significat: sicuti & Anglis *the Flowing of the sea.* Sed tanto magis suspecta & invisa nobis hæc debet esse Latinitas, quanto est vulgarior, nec ulla idonea & probata subnixa auctoritate. Ut taceam, quod fluxio, seu adeo fluxus maris sit cum fluctibus suis varius, neque semper refluum illud denotet, sicuti Homerum *Odyss. v. v.* 65. ἀψόῤῥοον ἀκεανόν, dixisse ideo vult Eustathius, ὡς εἰς ἑαυτὸν ὁρμοντα ἤγουν ἐπανιόντα, tanquam in se impetu ruentem & redeuntem. V. Lipsius *l.* 2. *Physiolog. Stoic. dissert.* 17.

III. Quamvis autem ceu Græcis πλημμυρὶς sit & ὑπεριῦσα & παλίνοστος, & Celtis *le flot de la mer, qui vient & qui va*; ita & Latinis utraque maris accedentis ac reciprocantis commotio una voce *æstus* denotetur. Quo sensu & pro arena illa instabili, quæ se effundendo absorbet & haurit omnia, Virgilio 3. *Æneid.* capitur, ubi ait: *Æstu miscentur arenæ.* & iterum *lib.* 6.

- - - Vastaque voragine gurges
Æstuat atque omnem cocyto eructat arenam.

Sicuti & Cæsari & Vitruvio exinde *æstuarium* locus est, qui vicissim æstu maris, vel nudus, vel aquis stagnantibus usque adeo offertus est, ut brachium nonnunquam, vel sinus maris queat videri. Quam vocem & Hispani suam fecere, *el Estero de la mar* nuncupantes. Sigillatim tamen, veluti utrisque Gallis, tam Celtis, quam Belgis *Flot*, ceu diximus, ita quoque Romanis *æstus maris*, & Græcis πλήμη, πλημμύρα καὶ πλημμυρὶς, ἡ τῆς ἁλὸς ἀναχυσις, solum plerumque accessum & intumescentiam ejus tantam signat, ut nimio istud suo calore fermentatum, eousque in-

Digitized by Google

fletur, donec exundet & se diffundat in ipsa usque flumina, atque adeo in terram continentem restagnet, tumque Curtio & aliis quoque *æstuare* illud proprie, aliisque *fervere* dicitur. Quod instar aquæ, in caldario ebullientis velut igne subjecto elevetur & effundatur. Sicuti & hac prima *æstus* & *fervoris* acceptione inductum cernimus Thomam Lydiatum Anglum, ut sub fundo maris, ceu olla quadam ingenti vastos bituminis ardentis rogos accenderit, quorum exhalatione mare subinde ampulletur & tumescat. Quod Maro 7. *Æn. v.* 462. & Naso 7. *Metam.* egregie depinxerunt.

IV. Utque porro Achivorum simul & Latiarium, priscorum & posteriorum dubias animorum, circa has nominum crepidines, æstuationes ulterius profundamus & confundamus, non modo, ut diximus, πλημμυρὶς, sed & ἄμπωτις ita passim leguntur alternatæ, ut vix a se invicem internoscas & distinguas. Tametsi namque apud præclaros Auctores recte illæ opponantur, ut aqud Theophrastum *l.* 4. H. *p. c.* 8. συμβαίνει δ' ὅταν ἡ πλημμυρὶς ἐπέλθῃ, ἐκ τῶν κλάδων ἀνάπτειν τὰ πρυμνήσια, ὅταν δὲ πάλιν ἄμπωτις γίνηται, ἐκ τῶν ῥιζῶν. & apud Diod. Siculum: οἱ δὲ καταπεπλευκότες ἀπήγγειλον ἀμπώτεις τε καὶ πλήμας παραδόξους γενέσθαι κατὰ τὸν ὠκεανόν. Sicuti & illarum originatio nihil aliud innuit, quam quod πλήμη exprimat πλῆμα, seu id, quo aliquid impletum & quasi prægnans fit, ἄμπωσις autem per syncopen sit concisa ἀνάπωσις, quasi mare aquam revolutam rebibere & resorbere videatur. Nihilominus tamen Apollonius Rhodius *lib.* 2. *Argonautic.*

Πλημμυρὶς παλίνορσος ἀνερχομένη κατένεικεν
Ἔισω πετράων.

Inundatio retrofuga rediens promovit (ipsos remigantes) in petras.

Uti Joh. Hartungus vertit: sed Valentinus Rotmarus ita:

Donec Cyaneas refluentibus æstubus intra
Unda ratem petras ageret.

Ut mirum sit proinde, cur Cl. Taubmannns *ad* 2. *Georgic. v.* 479. *quæ vi maria alta tumescant Obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant*, hæc annotata reliquerit. *Respicit* πλημμυρίδα *sive* παλίνορσον; *cui* ἄμποτιν *Grammatici opponunt.* Ubi dubio procul præ oculis habuit illum Apollonii locum, qui tamen non tam æstum alluentem, quam refluum significat, sicuti & Medicorum superioris seculi doctissimus Hadr. Junius ad maris recessum & refusionem tam hoc, quam Homeri *Odyss.* 1. κείμενον retulit;

Πλημ-

Πλημμυρὶς ἐκ πόντοιο παλιρρόθιον φέρε κῦμα.

Quod ipſum παλιρρόθιον etiam ſimpliciter poſitum τὸ εἰς τυπίσω ἐφορμιτικὸς *Odyſſ.* ε. exprimit, uti Arato παλιρρόθιη. Quæ viciſſim tamen ita illi uſurpata eſt: ut non fluctum retrogradum, ſed appellentem & navem in portum conjicientem, atque terram continentem apprehendentem inſinuet:

\- - - ὅια χαὶ αὐταὶ
Νῆες, ὅταν δὴ ναῦται ἀποστρέψωσι κορώνην,
Ὄρμον ἐσερχόμενοι τὴν δ' αὐτίκα πᾶς ἀνακόπτει·
Νῆα, παλιρρόθιη δὲ καθάπτεται ἠπείροιο.

Quod Cicero ita Latine dixit:

Sicut quum cœptant tutos conſtringere portus
Obvertunt navem magno cum pondere nauta
Adverſamque trahunt optata ad littora puppim.

Rurſus quoque ἄμπωτις non ſemper æſtus reciprocationem illam denotat, quando poſt exundationem aqua a mari reſorbetur & litora deſtituit. Sed nonnunquam ipſam quoque alluviem, ut & gurgitem atque voraginem, majori æſtu naves abſorbentem indicat. Sic enim Ambroſius *Hexaem. lib. 4. c. 7.* Ἄμπωτις *quoque in Oceano eſſe perhibetur, quia cum reliquis diebus ordinem ſuum ſervare dicatur, Lunari exortu evidens mutationis ſuæ fertur indicium dare, ut mare ipſum occidentale, in quo ſpectatur ἄμπωτις, ſolito amplius accedat, & recedat, & majore æſtu feratur, tanquam Luna quibuſdam aſpirationibus retrorſum retrahatur, & iterum iisdem impulſum & retractum in menſuram propriam refundatur.* Quem imitatus cernitur Honorius Auguſtodunenſis, qui *lib. 1. de Imag. mundi c.* 41. Ampotis *quoque, id eſt, vorago in Oceano, in exortu Lunæ majori æſtu fluctus involvit & revomit. Hæc autem vorago, qua totas aquas & naves abſorbet & revomit,* &c.

V. Eodem pacto & *æſtus* non uſquequaque (ceu vult Nonius) marinos impetus, vel commotiones ſignificat, ut apud Plautum *in Aſinaria Act. 1. ſc. 3. v. 6. Quam magis te in alium capeſſis, tam æſtus te in portum refert.* Sed æque mare refugum, vel refluum prodit, quam cum affluit, nam & quando a nobis abſcedit, *aquorque refundit in æquor*, ut canit Ovidius, non minus æſtuat & ad *alio ſub Sole calentes* terras refunditur, quam ſecundum Virgilium *lib. X. Æneid.*

\- - - *Cum Mare inoffenſum creſcenti allabitur æſtu.*

Aut cum ut *lib. 2. Georg. v.* 193.

Digitized by Google

- - - Ponto longe ſonat unda refuſa
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus avernis.

Ita ergo Seneca 1. *de Ben. c.* 10. *Quos æſtus accedens longius extulit, recedens interiore litorum veſtigio tenuit.* & Statius *lib.* 2.

- - - Gurgite cano
Nunc retegit bibulam, nunc obruit æſtus arenam.

Haut infrequenter vero ſolam ſignat ἄμπωλιν, ut apud Catullum *c.* 69.

- - - Tanto te abſorbens vortice amoris,
Æſtus in abruptum detulerat barathrum.

Ita quoque poſt alios Auſonius *in Moſella:*

Cum virides algas & rubra corallia nudat Æſtus. Atque idem:
Diffunditur alveo Æſtus & extremi procurrunt margine fluctus.

A qua ſignificatione tranſlationes illæ ſumptæ ſunt Ciceroni 3. *de Oratore: Repente te quaſi quidam æſtus ingenii tui procul a terra abripuit.* Et *in Bruto: Hunc quoque abſorbuit æſtus quidam gloria.* Sic & Horatius *lib.* 2. *carm.* 7.

Te rurſus in bellum reſorbens,
Unda fretis tulit æſtuoſis.

VI. Nec alia acceptio eſt Græcanici Proverbii κατὰ ῥῦν προχωρεῖν apud Lucianum *in Jove Tragœdo*, & Æſchylum *in Perſis*, quam quod Latini *ſecundo* flumine *vel æſtu navigare* dixerunt, idque communiter ita exponitur, ut ſit in eam partem, in quam flumen decurrat, quod & Ovidius 4. *de Ponto* ſic innuit:

- - - Sed flumine ſæpe ſecundo,
Augetur remis curſus euntis aquæ.

Et Prudentius *h.* 2. *periſteph.*

Cernunt ſtupentes navitæ Labi retrorſum leviter
Vectam remenſo marmore, Æſtu ſecundo & flumine.

Unde & Poetarum Princeps *lib.* 10. cum dixit de Turno *v.* 687.

Labitur alta ſecans fluctuque æſtuque ſecundo,

non tautologiam commiſiſſe, ſed utrumque bene conjunxiſſe & diſtinxiſſe judicandus eſt, quaſi eo celerius ille fuiſſet Ardeam devectus, quo fortius & naturalis aquæ decurſus & violentior æſtus jam retro properans ipſum ſimul abſtuliſſent. Id quod cum J. L. de la Cerda *de æſtu, ad littora procurrente* ibidem *p.* 509. & iterum. *p.* 364. intelligat, fruſtra eſt. Aliter & Plinius *c.* 28. *lib.* 6. ut & Claudianus *de ſexto Conſulatu Honorii* erant explicandi. Quod vel idem ipſum monere debuiſſet Maro *lib.* 3. *Georg. v.* 447. *- - - Vdis*

Digitized by Google

- - - Udis aries in gurgite villis
Verſatur miſſuſque ſecundo deſluit amni.

Nam tametſi *ſecundum* idem ſit atque Græcis φορὸν, exinde tamen non neceſſe eſt, æſtum inferentem inferre, ſed & referentem. Atque ſic Plinius *l. c. ſecundo æſtu navigant: e Parthico enim regno navigantibus vicus Teredon infra confluentem Euphratis & Tigris.* Qui populi ſcilicet flumine, exæſtuatione prius aucto, ſed poſtea eundem æſtum refluum atque curſum ſuum genuinum proſequente, navigationes ſuas inſtituunt. Quod idem Naturalis hiſtoriæ Secretarius ibidem ſic circumſcripſit: *Viciſſe eodem die & claſſe, æſtuque reverſo iterum equitatu.* Apud Claudianum itidem *d. l.* nequaquam ab una parte *æſtus*, & *amnis ſecundus*; ex altera *amnis rediens nudataque littora* (ut voluit de la Cerda) conſtituuntur. Sed *Nereus* prius *æſtuans*, mox Padi *amne ſecundo puppes devehens.* Atque iterum *nunc fluctu redeunte revehens, nunc eodem fluctu nudata litora deſerens* componitur atque opponitur. Verſus hi ſunt:

- - - Jamque ora Padi portuſque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æſtuat & pronas puppes nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte vehit nudataque littora fluctu
Deſerit: Oceani lunaribus æmula damnis.

Ubi num per *damnum* receſſus maris capiatur, (ut idem Jeſuita Hiſpanus obſervavit) aliis conſiderandum relinquo.

VII. Non minus æquivoca eſt *motus maris* appellatio, tametſi hæc antiquior & notior eſſe, quam *æſtus* viſa fuerit Bonav. Vulcanio ad Ariſt. *de mundo p.* 56. manu eum ducente divino auctore Pomponio Mela *lib.* 3. *c.* 1. quem locum, quod elegantiſſime propoſitum noſtrum explicet, integre exſcribere non pigebit: *Oceanus* (inquit) *ingens & infinitum pelagus & magnis æſtibus concitum* (*ita enim* motus ejus *appellant*) *modo inundat campos, modo late nudat ac refugit, nec* (ita corrigo pro *nunc*) *ad alios alioſque invicem, neque alternis acceſſibus nunc in hos, nunc in illos impetu verſum. Sed ubi in omnia litora quamvis diverſa terrarum inſularumque ex medio pariter effuſum eſt, rurſus ab illis colligitur in medium & in ſemetipſum redit, tanta vi ſemper immiſſum, ut vaſta etiam flumina retroagat, & aut terreſtria deprehendat animalia, aut marina deſtituat.* Hinc qui mare horis ſuis æſtuans coram non vidit, in ſpeculo conſpicere tamen poteſt, judice Illuſtri Barthio *Adverſ. lib.* 14. *c.* 12. Qui etiam *lib.* 25. *c.* 13. divinitus ſonum aquæ marinæ fluctibus alliſis & reliſis.

Digitized by Google

relisis crescentem & cadentem Anapæsticis illis elegantissimis Accii *in Philinidis* repræsentari credidit, sicuti eos Scaliger *ad Varr.* conferruminavit.

Atque ubi curvo littore latrans
Unda sub undis labunda sonat,

Simul & circum magni sonantibus
Excita saxis, æva sonante
Crepitu clangente cachinnat.

VIII. Quando vero ne hæc quidem *motus* nomenclatio diversum illum motum discriminet, atque pariter illa *æstus* & *fluxus* vocabula sint generaliora, πολύσημα atque proinde ambigua. Iccirco signantiora & priscis, vel etiam sequioribus seculis usitata reducemus nomina, quo accessum pariter & recessum maris rite distinguere valeamus, quæ Aristoteles *de mundo* ἀναχωρήματα καὶ ἐπιδρομὰς κυμάτων, Apulejus vertit *progressus & recursus*, sicuti & Virgilius *lib.* 10. *Æneidos: Languentis pelagi recursus* vocitavit. Utque reliqua insuper & summis Auctoribus usurpata adque maris accessum & recessum exprimendum opponi sueta συνώνυμα uno quasi obtutu lustremus, & facile descriptiones inde, quales reapse sunt, exstruamus: Coegit aliquam multa J. L. de la Cerda *ad Vers.* 480. *lib.* 2. *Georgicorum:*

- - - Qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in seipsa residant.

Plin. *lib.* 2. *c.* 97. eodem pacto oppositi *intumescere, residere; accedere, reciprocare; affluere, remeare; inundare, sorberi; exundare, mitescere; augeri, minui.* Alter Plinius *lib.* 4. *Epistol. impelli & resorberi, reprimi.* Et *lib.* 9. loquens de æstuario, quod emergit ex stagno. *Impelli, inferri mari, reddi stagno.* Silius *lib.* 3.

Fertque refertque fretum sequiturque reciproca Thetys.

Manilius *lib.* 2. *Pontum terris immittit & aufert.* Seneca *lib. de provid. c.* 1. *nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri.* Ibidem: *Modo contrahi undas & introrsum agi, modo erumpere & magno cursu repetere sedem suam.* Græci κυμάτων ἄρσει, accessui fluctuum, opponunt ἀψόῤῥοον, παλίνορσον, ἄμπωσιν, ἢ ἄμπωλιν. Nazianzenus *Orat.* 28. una ex parte κύματα ἀνισάμενα καὶ κορυφούμενα ex alia ἐλατούμενα posuit, & vicissim *Orat.* 1. *de pace:* θαλάσσης ὑπεξισούσης pro mari allabente, & θαλάσσης ὑπεληθείσης pro recedente & imminuto. Idem *Orat.* 32. Εὐρίπων μεταβολαὶ καὶ ἀμπώτιδες. Et *in Præceptis ad Virgines* ita: Πόντος δὲ ῥέει καὶ ῥεῖθρον ἄνεισιν, & statim: Ὠκεανὸς ἕλκεται ἀπὸ χθονὸς, & ἐπὶ χέρσον ἔρχεται. Philo in lib. *de immortalitate Dei:* ἀμπωλίζοντα πελάγη καὶ ἐξαναχωροῦντα comparavit, uti Synesius *Epist.* 4. eo-

Digitized by Google

eodem plane ſenſu κυρτὰ & κοιλὰ, tum ida & cava. Nam ut tumidum apparet mare undarum copia: ita cavum, cum decreſcit. Sed rediens ad Virgilium, qui Acceſſum *lib.* II. *Æneid.* explicavit per iſta: *Pontus procurrens gurgite, ruens ad terras, undam ſuperjaciens, arenam extremam perfundens*: Receſſum contra iſtis: *Rapi retro, reſorberi, ſaxa fugere, littus relinquere*, adjecit præterea & Joſephum *lib.* I. *belli Judaici c.* 16. qui huic ἐγείρεται κῦμα πρὸς ταῖς πέτραις oppoſuit τὴν ὑποστροφὴν & κύματος. Sicuti Maximus Tyrius *Diſſert.* 31. νάματα προσίοντα καὶ ἀπίοντα: addit & ἀνάβασιν καὶ ἀπορρύην, ἄυξησιν καὶ φθίσιν, & iterum verba hæc ὑψοθῆ & λήγει. Qui plura deſideraverit alibi a nobis adducta, vel adhuc adducenda, adeat & audiat eundem Hiſpanum *fol.* 326. & 364. ubi cum nullas aptiores aut meliores inveniſſet voces, tandem in illum erupit Colophonem: *Latini Veteres venientem undam in acceſſu, Veniliam vocarunt, remeantem in receſſu Salaciam.*

IX. *Venilia* utique & *Salacia* ſimpliciſſima & Aboriginibus uſque adeo culta nomina, ut in Deorum cenſum numina facta migrarint, reſuſcitare ab umbris & ſitu placuit, ſicuti & poſtgenitorum *Malinam* & *Lidunam*: cum ad ἐπίτασιν ἢ κλύδωνος ἐπανάσασιν: tum vero ad ἄνεσιν ἢ ἄμπωλιν καὶ παλιρροδίην exprimendam pariter & diſtinguendam; nec non ad majorem minoremque affluxum & defluxum denotandum, propter Lunæ variationem quoque variantem. Et quia hiſce hederis præſentem Exercitationem venaliorem facere cogitavimus, paulo altius in earundem origines diſquirere viſum eſt.

TMEMATIS I. ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ II.

Cum maris humidum agitatione excalefactum ſit prolificum, x. inde numina ficta & facta ſunt, ceu Plato poſt cœlum terramque ΘΗΤΥΝ ſtatim Oceano nuptam, omnium Deorum fecit parentem, quam Cicero SALACIAM tranſtulit, Maro XI. VENILIAM. Utramque eandem poſt alios credidit Servius, illam vel ab *aqua ſalſa*, vel a *ſalo* dictam, hanc, quod *veniens aquam det*, dum æſtum maris *creſcentem & accedentem* notat, ut illa *ad ſalum remigrantem*. Quam viam XII. jam tum Varro præiverat, co-

Digitized by Google

mitibus S. Auguſtino & Iſidoro, quæque illorum nuper veſtigia preſſerunt, Vetranio J. J. Scaligero, Roſino, Laurembergio &c.

*Ἔκθεσις.

X. Aquam autem elementum fœcundiſſimum, veluti humidum inde ortum radicale, ad rerum generationem & propagationem præprimis creatum, veteres ſaniores cenſuerunt, cum Pindaro ἄριστον μὲν ὕδωρ ex ſententia Thaletis pronunciantes. Inde non modo Apollonius Rhodius *lib. 2. Argon. v. 3.* Ποσειδάωνα γενέθλιον appellavit, διὰ τὸ διεπόζειν ἓξ ὑγρᾶ καὶ πάσης τροφῆς καὶ γενέσεως αἴτιον εἶναι καθὰ τὸ ὕδωρ πάντων γεννητικὸν. uti tradit Interpres; *quod in animantibus prædominetur humidum, & omnis nutritionis ac generationis cauſa ſit.* Sed & Latini VENEREM atque VENILIAM, ut & SALACIAM, vel aquas ipſas, vel ex aquis motis ortas, iiſdemque ut & Venereis actibus præfectas Divas ſcitati ſunt. Certum enim eſt, ſub omnium pene Deorum Gentilium ſpariis, naturalium fere latitare rationum pretioſos parietes. Veluti Serv. Honoratus *ad lib. 1. Æneid.* ita commentatus eſt: *Nomina Deorum marinorum plerumque de cauſis ficta ſunt, ab elementis, quæ Numina dici voluere majores: ut Cymothoe, curſus fluctuum,* ἀπὸ ἓξ θέειν τὸ κῦμα. *Triton ſimilis Deus marinus, Neptuni & Salaciæ filius, Dea marina ab aqua ſalſa dicta.* Quamobrem & parens eloquentiæ Cicero *in Timæo*, ſive libro *de Univerſitate* (quo loco Platonis Τηθὺν Oceani ſcil. uxorem Latine vertit *Salaciam*) *Oceanum Salaciamque Cœli ſatu Terræque conceptu generatos editoſque* retulit: *Ex his Phorcyn, Saturnum & Opem, deinceps Jovem atque Junonem.* Cur autem mare undabundum incaleſcat, & quaſi ad ſalacitatem quoque fiat pronius, reliquis aquis agitatu frigeſcentibus, cauſa iſta perhibetur, quod in his ἐπεισόδιόν ἐστι καὶ ἀλλότριος ἡ θερμότης, i. e. adventitia & peregrina habetur caliditas, quam perfacile motus externet digeratque: at eandem ingenitam domeſticamque mari amplius excitant venti & alimenta ſubjiciant, uſque adeo, ut nec ſumma frigora expellere hunc calorem inſitum, nec mare coire faciant. *Rhodig. ex Plutar. lib. 14. c. 7.*

XI. Quemadmodum autem Venus juxta etymologiam *Tullianam lib. 2. de Nat. Deorum* inde dicta, *quod Dea ad omnes veniret*, ita & *Venilia* teſte Joſ. Scalig. *ad Varron.* a veniendo venit, ut εἰλειθυῖα παρὰ τὸ ἐλθεῖν.

Hinc

Digitized by Google

Hinc & apud Maronem *lib.* 10. *Æneid. v.* 76. Juno Veneri Veneriſque filio per obtrectationem opponit Turnum, *cui Diva Venilia mater*, tanquam æque Dea, & altera Venus vel Thetys eſſet. Nam & ſic Cumæa Sybilla *lib.* 6. *Æneid.* vaticinata legitur:

- - - Alius Latio jam partus Achilles,
Natus & ipſe Dea;

Scil. maris *Venilia*, (ut ille *Thetide*) quæ auxilio venerit Turno, ſicuti & Juturna ſoror, per amnem Numicium interpoſitum, multum illius partes, juxta Boccatium *lib.* 12. *Geneal. c.* 62. juvit, atque ita & Virgilius de C. Julio C. *lib.* 1. *Georg. An Deus immenſi venias maris.* Tametſi Scholiaſtes Virgilianus Servius aliam referat originationem. *Sane*, inſit, *hanc Veniliam quidam Salaciam accipiunt Neptuni uxorem, Salaciam a ſalo, Veniliam, quod veniam det exigentibus.* Ita quidem Petrus Danielis & Georg. Fabritius ediderunt, ſed malim, *quod undam det exigentibus*, vel *quod veniens aquam det.* Nam & Janus L. de la Cerda ad locum Virgilii citatum, *æſtum maris accedentem* innuit, *dici Veniliam priſcis Romanis a veniendo, remigrantem vero & iterum redeuntem, Salaciam.* Atque ſic quoque Carolus Stephanus in Diction. ſuo: *Veniliam antiqui Neptuni conjugem appellarunt a veniendo, quam tandem & Salaciam vocaverunt; ad naturam maris reſpicientes, cujus fluctus modo ad terram veniunt, modo in ſalum abeunt.*

XII. Sed ea omnia deſumpta a Varrone *lib.* 4. *de L. L. Salacia Neptuni ab ſalo; Venilia a veniendo ac vento illo, quem Plautus Ciſtell.* 1. *dixit. Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt, tranquillo mari: ventum gaudeo.* Ad quem locum Joſ. Scalig. *in Conjectaneis* Vetranium reprehendens, qui putarit hic agi de Vento ſecundo, atque inde Veniliam dictam, in eo ipſum, ait, inſigniter lapſum. *Nam quod Varro non poterat ſatis exprimere genus illud loquendi (quo advenientem aliquem accipiebant, cum dicebant, ventum gaudeo.) Iccirco adduxit verſum Plauti: Si enim de Vento ſecundo intellexiſſet, non opus erat verſum Plauti laudare.* Hæc Scaliger. Ego tamen formulam illam, non modo excipientium aliquem peregre venientem, ſed & ipſius venientis arbitror, qui quod & vento ſecundo vectus, & feliciter ad terram venerit, cupit, ut ſui faciant, quo poſſit ventum gaudere, i. e. ob ventum, vel ventum fuiſſe. Turneb. *lib.* 7. *Adverſ. c.* 7. Auſonius vero Popma: Ergo ait Varro: *Venilia dicta eſt a vento illo*, i. e. acceſſu ad littus. *Vento* pro adventu, ut Virg. 4. *Georg. Atque Ixionei vento rota conſtitit Orbis.* V.

Digitized by Google

Junius Phylargyrius. Sed & *aliud* ejusdem iterum Varronis *fragmentum* citarunt S. Augustin. *de C. D. lib. 7. c. 22.* Et Isidorus *in glossario*: Venilia (quam & idem Glossator ibidem per *maris exæstuationem* reddidit) *Unda, quæ ad litus venit*, Salacia, *quæ ad salum redit*. E quo & Scaliger *ad Varron.* Veniliam recte *accessum maris* interpretatur, Salaciam vero *recessum*, & hunc locum Varronis ita citatum se reperisse commemorat. Transscribente quoque Jano Rosino *antiq. Rom. lib. 2. c. 13.* & Laurembergio *antiquario*. Maneat igitur & veniat *Venilia* a *veniendo*, sed eo significatu, quo ponitur apud Horat:

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt.

Ubi in adolescentibus anni *venire*, i. e. crescere dicuntur, in senibus *recedere* ad morem æstus marini. Atque ita explicat & Servius illud Maronis *Æneid. lib. 5.*

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Id est, crescens. Ut apud eundem:

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

Et circa principium ejusdem *lib. 1. Georg.*

Ipsæ sponte sua veniunt: campos & flumina late
Curva tenent.

TMEMATIS I. ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ III.

Notior tamen est SALACIA XIII. ab ipsis usque veterum (Nomenclatore quoque Gellio) indigitamentis, *aquam marinam* sævientem Pacuvio denotans, Festo Deam *salum cientem*, Paulo Diac. *salacem*, aliis XIV. est *sali ἅχα*, vel *acua*, aut *aqua salsa*, vel etiam *saliens*: eademque cum Ἁλοσύδνῃ Homeri & *Amphitrite*, quæ unde Græcis sint dictæ & ductæ, Interpretes Homeri & Oppiani docuerunt. Exindeque Pausanias Neptuno eam copulari vidit, XV. tanquam spiritui aquæ molem subjectam agitanti. Qui XVI. ut in aliis animantibus secundum Platonem sequacesque Stoicos, & Apollonium Th. & Solinum, C. quoque Rhodiginum, Joannem item Keplerum & alios, nunc sufflet, nunc reflet.

Ἐκθεσις.

Digitized by Google

Ἔκθεσις.

XIII. SALACIAM enim in Romanis comprecationibus (annotante ex vetustis indigitamentis Gellio *libro tredecimo cap.* 21.) Neptuno associabant, ut Horam Quirino, Latiam Saturno. Illam, ut scribit Paulus *ad Festum*, dicebant Deam aquæ, quam putabant *salum ciere*, i. e. mare movere. Unde Ovidius: *Nymphaque salaces.* Festus ipse: *Salacia dicta est, quod salum ciet.* Antiquos autem ait eo vocabulo Poetas pro ipsa aqua usos esse: *Hinc sævitiam Salaciæ Cereris, post condor thalamo, nemo ut me queat Effugimus latique munere vescimur Abducere hinc mortalium* &c. Ubi Jos. Scalig. ridiculum judicat testimonium Ovidii *Fast.* 4. (a Paulo scil. allegatum) cum salax non sit Salacia. Negari tamen nequit, *Salaciam* & fortean *salacem* quoque deduci *a salo*, quod mare sit fœcundissimum, sicuti & sal quoque caprarum est, & murium atque libidinosorum oblectamentum & incitamentum. Ab hac *Salacia* an *calare* Italorum profluxerit, equidem nescio; Germanorum Ebbe / & Anglorum Ebbing of the Sea / non ex *abeo* cum M. Martinio, sed ab eben / quod æquor seu planitiem notat, quando nulli aquarum affluunt cumuli, verum aqua relapsa plana via fit, sicco quasi pede transituris, derivo; nisi quis paulo longius ab ἄμπωλις, quod idem est, arcessere malit.

XIV. Primo igitur *Salacia sali* ἄχα (unde & *Acheloia pocula* Virgilio) vel *aqua*, aut *acua* (ceu Lucretio) fuit, eaque aut *salsa*, ut Servio placuit, aut mota vel *saliens* & *resiliens.* Inde Dea est aquarum, quam Homeri Ἁλοσύδνη exprimit, παρὰ τὸ τὴν ἅλα σύειν, ἢ παρὰ τὸ ὦν ἀλὶ σύεσθαι, ἃ ἐστιν ὁρμᾶν, uti legitur apud Scholiasten Homericum Eustathium, qui dicit nomen esse Nereidis, aut Amphitrites, epitheton. Sicuti & Glossarium Græco-Latinum habet, *Salacia* ἀμφιτρίτη, Νηρηΐς. Quæ ipsa laudantur quoque Jos. Scaligero *ad Festum*, quemadmodum & Adr. Turnebo *lib.* 19. *c.* 11. ubi sic scribit: *Salacia* (quam Gellius *lib.* 13. *c.* 21. inter vetustas Deas retulit) est, *quam Poeta Amphitriten appellant, Neptuni uxor.* Legi & in antiquo Lexico *Salmaciam* esse Ἀμφίλριτην, neque supprimendum putavi. Sed non est ambiguum, *Salaciam* legendum, & eandem esse Amphitriten, quod ante Reinesius observavit in Varius Lectionibus. Nam & Apollodorus & Hyginus Tritonem filium Neptuni ex Amphitrite dixerunt, quem Servius supra e Sa-

Digitized by Google

lacia. Ubi & hoc levioris operæ (censente C. Rhodig. *lib.* 14. *A. L. c.* 18. *f* agglutinandum est. Scribit Fulgentius *mythol. lib.* 1. Neptuno Amphitriten in conjugio deputatam, eo quod ἀμφὶ, i. e. circum circa, omnibus tribus elementis aqua concluſa ſit, id eſt, in cœlo, in aere, ſeu nubibus, & in terra, ut ſunt fontes & putei. Quanto rectius Oppiani Interpres: dici Amphitriten Neptuni quidem uxorem, ſed pro mari frequenter accipi, ratione etymologica etiamnum ſuffragante, ἀπὸ ϛ ἀμφοῖέροθεν τρίτην τάξιν ἔχειν, quod utrinque obtineat tertium ordinis gradum. Superne ſiquidem æther eſt, hinc aer & aqua; rurſum in imo Herebus, terra, mox item aqua. Idem quoque & *Magnum Etymologicum* ex Cheroboſco & Orione, ut & Allegoriarum Heſiodi Auctor prodit, ſed adnectit ſimpliciter eſſe Amphitriten aquarum hypoſtaſin. Iccirco & Corinthi bimari regione Neptuni ſigna duo, Amphitrites unum ipſumque adeo mare æneum in pronao, ſeu antica templi parte erecta fuere. Intus autem & in curru ſteterunt Amphitrite & Neptunus, & rectus Delphini inſtitit Palæmon puer, ebore & auro omnes expoliti, inque media baſi, quæ currum ſuſtinebat, mare expreſſum, & ex eo emergens Venus, aſſiſtentibus utrinque Nymphis, quæ Nereides appellantur, ut αὐλόπλης Pauſanias *lib.* 2. depictum reliquit, unde & Vincent. Cartara *de imagin. Deorum antiq. p.* 211. effigiavit. Nec temere eſt, quod Neptunus Delphinis, homines ipſius quoque amantis, ſed ad mare tamen aſſidue reſpectantis, pararia ope uſus dicatur, per quem Nympham illam, Atlantis montis antra & radices, atque ita terram magis, quam mare diligentem, ſibi conciliaverit, & cum eodem ad aquarum veram ſtationem & ſedem concurrere, & vel ad loca ante placita ſubinde iterum exſpatiantem, ſemper tamen ad maritum, revocante conjugali amore, reverti fecerit. V. Hyginus *lib.* 2. Neptuni igitur uxor hæc nihil aliud eſt, quam ipſa aqua, ut in *Cyclope* ait Euripides:

Ἄνω δ' ἐπ' ὄχθον εἶμι καίπερ ὢν τυφλὸς,
Δι' Ἀμφιτρίτης τῆσδε προσβαίνων ποδί.
Ego vadum pertranſeo cæcus licet,
Per Amphitriten hanc meo incedens pede.

Quam Amphitriten glaucam & piſcoſam atque immenſam nominavit Orpheus in Argonauticis, cum illa ſint maris, at non alicujus Deæ proprie adjuncta. Præcipue vero hanc in rem & commendari & emendari digni ſunt Dionyſii Periegetæ verſiculi, quos Marcus Hopperus ita perperam edidit & Latine reddidit:

Εἰθα

Ἔνθα κορυσσομένης τυρσηνίδος Ἀμφιτρίτης
Ἄλλοτε μὲν πλημμυρὶς ἐγείρεται, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ἀμφὶς τις ξηρὴν ἐπιτροχάδην ψαμάθοισι.

Ubi intumescentis Thusci maris interdum quidem inundatio attollitur, interdum vero rursus. Utrinque aliquis siccis currit super arenis. pro Salacia sic. Nam legendum esse ἄμπωλις, non Etymologus modo, sed & cohærsio sensus atque Priscianus Interpres ipsum docere debuissent:

Qua tumor immensus Thyrrheni pellitur æstus,
Accessusque furit, siccisque recessibus arenis.

Viden' hic Amphitriten ἀμφολέρεσθαι τρέω, h. e. mare ipsum utrinque trepidare, & ceu principium passivum, δύναμιν ἐνεργητικὴν, seu vim elementi masculam ita recipere, ut nunc prægnans & πλέον μύῃ, nunc vero detumescens ἀναπνήλαι.

XV. Quod si jam *Salacia* & *Amphitrite* synonyma habeantur, atque adeo corpus veluti quoddam & materiam humoris omnis, qui vel circa, vel intra terram sit, involvant; *Neptunus* vero sit spiritus per universam aquæ molem diffusus, & tanquam ejusdem elementi anima, ut censet Carolus Stephanus e Natalis Comitis *Mytholog. lib.* 2. *c.* 8. vel potius e Maronis 6. *Æneidos v.* 772. & reliquis paulo post allegandis versiculis. Exinde factum, ut multi Veteres in eam devenerint opinionem, a Spiritibus hunc contingere accessum & reciprocationem maris. Sic enim Philostratus de Appollonio Thyanæo *lib.* 5. *c.* 1. *fol.* 210. commemorat, sicuti & Photius *in Bibliotheca suam p.* 535. eundem locum transtulit: Τὸν Ὠκεανὸν φησὶν ἐφύδραις ἐλαυνόμενον πνεύμασιν ἐκ πολλῶν χασμάτων, ἃ ὑπ' αὐτῷ τε καὶ περὶ αὐτὸν ἡ γῆ παρέχεται, χωρεῖν ἔς τε ἔξω καὶ ἀναχωρεῖν πάλιν ἐπειδὴ ὥσπερ ἆσθμα ὑπονοήσῃ τὸ πνεῦμα, i. e. *Oceanus a Spiritibus sub aqua existentibus impulsus ex multis hiatibus, qui partim sub ipso, partim in terra circa ipsum sunt, ad exteriora diffunditur, ac rursus retrocedit: postquam velut anhelans, quem diximus, Spiritus retrocedit.* Cum primis autem Plato cum Stoicis affectis suis familiam inter eos ducit, qui hanc spectabilis mundi *universitatem animal quoddam arbitrati sunt esse ex variis Elementis conglobatum, quod regatur mente & spiritu moveatur, habeatque in profundis Oceani nares quasdam, per quas emissi anhelitus, vel reducti modo efflent maria, modo revocent.* C. Julius Solinus *c.* 26. Quod & Patrum memoria C. ille Rhodiginus *lib.* 14. *c.* 17. denuo statuit, nec transmittendum putavit, *mare animantibus esse persimile, siquidem ut illa reciprocatione perpeti vitalem nunc efflant spiritum,*

Digitized by Google

ritum, nunc revocant: Sic & mare viciſſitudine perpetua in ſe & ex ſe recurrenti agitatione quadam, & præcipue mira, modo refertur reſilitque. Id vero perſtanti in littore contemplantique palam facit fluctuantis aquæ commotio. Pariter enim pedes diluit ſeſe porrigens undarenudatque velut refugiens; aſſilitque mox irrequieto motu appetendo ſemper quæ relinquat, rurſumque relinquendo qua appetat. Quam opinionem quoque noſtro tempore Mathematicus ille Nobiliſſimus Joh. Keplerus *Harmonica lib. 4. c. 7.* ſtatuminare niſus & viſus eſt: *Terram ingens eſſe animal*, tradens, *quod immanibus pulmonum follibus marinas aquas per intervalla viſceribus inſpiret reſpiretque.* Cui ridicule alius oggerit, *forte fabuloſam hanc belluam anno 1550. tuſſiviſſe quoque, cum Oceanus Britannicus ad Tameſim novem horarum ſpatio ter reciprocaßet.*

TMEMATIS I. ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ IV.

Quæ ipſa tamen XVI. de *Spiritu* maris, vel etiam *mundi*, aquam agitante, opinio, nec adeo ridicula & deformis, aut erronea eſt, neque priſcis unquam noviſque XVII. procis & patronis deſtituta: vel ſi in iſta ſuperſtitionis caligine *error* admixtus, erat ille XVIII. Auguſtini quoque (*Veniliam* & *Salaciam* quam optime depingentis & diſtinguentis) ſuffragio *tolerabilis:* cum non ſit adeo profanus, ſed ἀπόῤῥητα XIX. quædam ſacra ſub perſona & in receſſu habeat. Idem proinde ſanctiſſimus Pater Varroni XX. ita conciliandus, ut utrinque tandem XXI. hanc nominis definitionem exſculpamus. *Venilia & Salacia eſt unda maris ab anima mundi, illud permeante, ceu forma ſua æſtuans, & nunc ad littus veniens, nunc iterum ſenis plerumque horis in ſalum revertens.*

Ἔκθεσις.

XVI. Nequaquam vero uſquequaque explodi tam antiqua, tamque apud bonos Auctores frequens & abſtruſa hæc de marina reciprocatione Philoſophia meretur. Quam tanti utique fecere maximi Viri, ut illam in

Digitized by Google

in concursu discrepantium sententiarum principe semper loco exponerent. Ut enim jam tum productos prætereamus, Strabo *lib.* 3. *Geogr.* antequam Posidonii, de motu Oceani ad Lunam, proponat sententiam, alteram Athenodori præmittit, qui ita dixit, interprete quidem Conr. Herlbachio: *Quod circa aquarum incrementum aut decrescentiam obvenit, inspirationi aut exspirationi perquam simile videtur. Si aliqua fluentes aqua per alios quidem meatus, naturam effluxionis secuta, in superficiem effundunt, (quarum ora fontes appellamus;) per alios vero meatus ad maris fundum contrahuntur, illud simul extollentes, ut inundet, quando fit exspiratio: ac tum proprium suum destituant, quem mox repetant, alveum, cum & illud mare reversionem accipiat.* Similiter & Pompon. Mela laudato *c.* 1. *lib.* 3. sic scribit: *Neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id mundus efficiat, retractamque cum spiritu regerat undam undique, si (ut doctioribus placet) unum animal est; an sint depressi aliqui specus, quo reciproca maria residant, atque inde rursus exuberantia attollant; an Luna causas tantis meatibus præbeat: Ad ortus certe ejus occasusque variantur, neque eodem assidue tempore, sed ut illa surgit ac demergitur, ita recedere atque adventare comperimus.* Nec abludit Lucanus *libro* 1.

Quaque jacet littus dubium, quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus, cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens; an sidere mota secundo
Tethyos unda vaga Lunaribus æstuet horis;
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum fluctusque ad sidera tollat;
Quærite quos agitat mundi labor.

Quo loco addit Micyllus, *compertum* esse, *certa Lunæ ratione mare moveri, nisi ventorum impetus obsit.* Adde & Plinium, tametsi & ipse *causam in Sole Lunaque* esse censuerit *c.* 97. *lib.* 2. Semel tamen atque iterum ita loquutus est, ut nec ab altera opinione magnopere ipsum fuisse alienum appareat. Nam cum æstus in Oceano majores esse ostendere vellet, *totum*, inquit, *in universitate animosius est, quam in parte.* Et mox: *Circa littora autem magis, quam in alto deprehenduntur hi motus, quoniam & in corpore extrema pulsum venarum*, i. e. *spiritus magis sentiunt.*

Digitized by Google

XVII. Quid quod mortalium omnium acutissimus Scaliger *Exercitat.* 52. *Motorem certum maris* perveſtigans, *internum an externum? cum ſolus gravitatis motus habeat internum motorem formam, a quo intimo principio ſi ſit, jam mare*, inquit, *animal eſt. Sola namque anima quanquam ne ea quidem omnis multiplex motor eſt. Quod ſi animal non eſt, extrinſecus ei motus hic accidit, & cum Luna curſum ſequi obſervatum eſſet, ejus auctorem Lunam judicarunt. At Luna non tangit aquas. Hoc Peripateticorum nonnullis negotium fecit, quibus etiam Magnes facere debuit. Qui motus in ferro ſi fit a lapide ſine contactu, quare non ſequeretur mare corpus nobiliſſimi ſideris?* Sed hæc ipſa influentia cum ſit ſine contactu magnetica, haud tamen ſine Spiritu unionis fieri poſſe credibile eſt, ideoque & Joh. Olivarius annotavit iſta ad Melam: *Quod ſi concedimus mundum eſſe animatum & habere animam, non a vero aberit, virtutem illius anima per univerſum diffuſam eſſe, quam vocant influentiam, ſed adhuc hoc nullo modo erit ſingulare vocabulum, quemadmodum dicimus exhalationem & evaporationem. Non dubium eſt, cœlum agere in primis motu, nam ſine motu ceſſat effectus luminis & illius virtutis, qua influentia dicitur, poſtea lumine, deinde influentia.* Quod ſi quoque magna majoris minoriſque mundi ſit harmonia, non uſque adeo abſurdum videri poſſet, ſi quemadmodum noſter anhelitus aerem prius haurit, poſtea refundit & reſpirat, viceſque ſuas mutat, ita tamen, ut aerea illa natura ſponte ſua ad aeris liberioris campum relabatur, & tandem quoque in eundem penitus effundatur. Naturæ tamen vi in corpus pertrahatur. Tale quoque in macrocoſmi corpore, *ſpirituale eſſe commercium*, vero ſit ſimillimum, ubi pari modo & mundi anima ejuſdemve partes agant, *qua diffuſa per membra omnia, aterna molis* (ut cum Solino loquar) *vigorem aſſidue exerceant.* De qua tamen mythologica & abdita Philoſophia, priuſquam latius & clarius agamus, Afrorum Patrum ſubtiliſſimus integro *cap.* 22. *lib.* 7. *de Civitate* Dei ante tribunal admittendus, & num Varro juſte literam infelicem θ hic ab ipſo promeruerit, integre & ἀπροσωπολήπτως cognoſcendum erit.

XVIII. "Jam utique (infit) habebat Salaciam Neptunus uxorem, quam "inferiorem aquam maris eſſe dixerunt, ut quid illi adjuncta eſt & Ve"nilia? niſi ut ſine ulla cauſa neceſſariorum ſacrorum ſola libidine animæ "proſtitutæ multiplicaretur invitatio dæmoniorum? Sed proferatur inter"pretatio præclaræ Theologiæ, quæ nos ab iſta reprehenſione, reddita ra"tione, compeſcat? VENILIA, inquit, *unda eſt, quæ ad littus venit,*

SA-

Digitized by Google

"SALACIA, *qua in ſalum redit.* Cur ergo Deæ fiunt duæ, cum ſit una "unda, quæ venit & redit? Nempe ipſa eſt exæſtuans in multa numina "libido veſana. Quamvis enim aqua non geminetur, quæ it & redit, hu- "jus tamen occaſione vanitatis, duobus dæmoniis invitatis amplius anima "commaculatur, quæ it & non redit. Quæſo te, Varro, vel Vos, qui "tam doctorum hominum talia ſcripta legiſtis, & aliquid magnum vos di- "diciſſe jactatis, interpretamini hoc? Nolo dicere ſecundum illam æternam "incommutabilemque naturam, quæ ſolus eſt Deus, ſed ſaltem ſecundum "animam mundi & partes ejus, quos Deos veros eſſe exiſtimatis. Partem "animæ mundi, quæ mare permeat, Deum vobis feciſſe Neptunum, "utcunque tolerabilioris eſt erroris. Ita ne unda ad littus veniens & in "ſalum rediens duæ ſunt partes mundi, aut duæ partes animæ mundi? "Quis veſtrum ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Cur ergo vobis duas Deas "fecerunt, niſi quia proviſum eſt a ſapientibus majoribus veſtris, non "ut Dii plures vos regerent, ſed ut ea, quæ iſtis vanitatibus & falſita- "tibus gaudent, plura vos dæmonia poſſiderent. Cur autem illa Salacia "per hanc interpretationem inferiorem maris partem, qua viro erat ſub- "dita, perdidit? Namque illam modo cum refluentem fluctum eſſe per- "hibetis, in ſuperficie poſuiſtis, an qui Veniliam pellicem accepit, ira- "ta ſuum maritum de ſupernis maris excluſit? „ Hactenus Auguſtinus.

XIX. Ex quo ipſo capite multa memorabilia, & ad præſentem ſcopum admodum facientia, uti accipimus, ita non uſque adeo juſte per omnia Varronem condemnari cenſemus. Si namque *Venilia* & *Salacia* nihil aliud ſint, quam *unda*, uti & ipſe alibi faſſus eſt Varro, cur ille ipſe tanta reprehenſione objurgandus fuit, quod *lib. 4. de LL. Salaciam Neptuni*, & *Veniliam* inter Divas retulerit? Aliter enim cum vulgo loquebantur Veteres, aliter cum paucis ſapiebant, quæ coram illo in ſummis ſuperſtitionis tenebris effari tuto, tanquam ab Hebræis aut Ægyptiis ſumpta, non liceret. Unde hæc arcana Philoſophia ab ipſo Archi-Poeta, Sileno & Umbris *Ecl. & Æneid. 6.* adſcripta fuit:

Principio cœlum ac terras campoſque liquentes
Lucentemque globum Lunæ Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet,
Inde hominum pecudumque genus vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Quantillum hic reſtat ad veram naſcentis mundi hiſtoriam? *Geneſ. 1. In*

Digitized by Google

principio creavit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et mox: *fecit Deus duo luminaria magna, majus, ut præeſſet diei, & minus, ut præeſſet nocti, quæ eſſent in ſigna & tempora, dies & annos, luxerentque in firmamento cœli, & illuminarent terram. Creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Fecitque Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas & jumenta, & denique hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* &c. Quantillum, inquam, hic reſtat, ad veram Philo-Theo-ſophiam? Nam & *Minutius in Octavo* aperte hic Virgilium de Deo enarrat, ut & Paulinus *Epiſt.* 36. ita ſcribens: *Quis enim non videt, mundum iſtum corporeum vi incorporea gubernari, totamque molem infuſam atque permiſtam magno Univerſitatis corpori divini Spiritus mente, qua facta eſt, agitari ad vitam?* Nam per *Spiritum* Maronis, *Deum* ipſum accipi ex ſententia Platonis, *Deum mundi animam* ſcitantis, quæ univerſam eſſentiam pervaderet, compleret atque moveret, id & alii probarunt, atque idem quoque multis evicit Clemens *libr.* 5. *Stromatum* ex Euripide, Æſchylo, Orpheo & Pindaro. Sicuti & Socrates apud Plutarch. *lib.* 1. *de placitis c.* 3. ὁ δὲ Θεὸς νῦς ἐστὶ ὁ κόσμος. Quod ibidem *cap.* quoque 7. firmatur. Inde manavit & illud Virgilii: *Jovis omnia plena.* Quod Plato *lib. X. Leg.* ita extulerat: Θεῶν εἶναι πλήρη πάντα. Atque ſic Virgilius quoque ſui Interpres *lib.* 4. *Georgic.* planius dixit.

- - - Deum ire per omnes,
Terraſque tractuſque maris cœlumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſcere vitas.

Qua de re e quam plurimis auctoribus pluribus *ad Veneris Pervigilium* diſſeruimus. Sed illi ipſi tamen Creatorem & Conſervatorem plerumque permiſcent. Tametſi namque eundem ab opificio ſuo non segregemus, ſed eundem intime ipſi adeſſe, firmiter credamus, quieviſſe tamen die ſeptimo (ſicuti iiſdem horarum, dierum, menſium Lunarium & annorum hebdomadibus quietis iſtinc quaſi quædam imaginem in ipſo quoque mari expreſſam conſpicamur) atque jam cauſis illis ſecundis, quas formas rerum conditarum non inepte diximus & duximus, mundum permiſiſſe ſcimus, occultis quidem plerumque iſtis, ſed tamen certiſſi-

Digitized by Google

tissimis, siquidem materiata illis, ad tot animata producenda, destitui sit impossibile. Quod Manilius *lib.* 1. haud obscure innuit:

Hoc opus immensi constructum corpore mundi
Membraque naturæ diversa condita forma,
Aeris atque ignis, terræ pelagique jacentis
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat.

XX. Divinum ergo hunc *fusum per omnes rerum naturæ partes Spiritum* (uti Fabius *declamat.* 134. vocavit) alii deinde crassiores, qui Universum hoc tanquam animal, quod illo ceu anima regatur, conceperant, eandem, tanquam potestatem illam in homine triplicem, intelligentem, sentientem & vegetantem, essentia tamen simplicem, pariter quoque dividere, & ex uno patre ternos fratres, Jovem, Neptunum & Plutonem sub aulæis fabularum & producere simul & occultare sategerunt. Quo agnito quoque S. Augustinus paulo mitius pronunciavit: *Animam*, inquit, *mundi & partes ejus, quos Deos veros existimatis.* Sed *partem animæ mundi, quæ mare permeet, Deum vobis feciße Neptunum, utcunque tolerabilioris est erroris* &c. An vero partis illius animæ mundi alias iterum geminas partes Veniliam & Salaciam constituere Varroni unquam venerit in mentem, ille Monicæ filius viderit, cum negare nequeat, *Neptunum* ceu *maritum Spiritum* ab eo considerari, *Salaciam* vero *ut uxorem, quæ viro corpore subdita sit, Veniliam* quoque *ut pellicem*; & *Salaciam* ab isto *inferiorem maris partem & refluentem fluctum* appellatam, *cui super adjuncta sit Venilia*, hoc est, *superior aqua.* Neque vera est ista, cujus arguere Romanum cupit Afer, Ἀντιλογία: quasi eadem *Salacia non possit esse inferior maris pars, quam modo, ut refluentem fluctum, in superficie ponat.* Non enim leges contradictionis de modo & tempore eodem custodit. Excussa namque in littus & terram continentem Nympha illa superiore *Venilia*, ista postmodum ascendit retroversa *Salacia*, uti sæpe in hujuscemodi flexu primi fiunt ultimi, uti antea illi ipsi ultimi erant primi.

XXI. Sed omissis nunc istis serræ reciprocationibus, alteras undæ *ex utroque tam* Varrone, *quam* Augustino reassumamus, & *Veniliam* quidem atque *Salaciam* absque ἀποθεώσεως incrustationibus undæ marinæ æstuationem definiamus, seu fluctum motu modoque periodico nunc alluentem, nunc refluentem; provenientem ab interno motus concreati principio, quod ipsi divina Majestas, verus ille Neptunus & aquas obnu-

Digitized by Google

bens mundi Spiritus, in primordio rerum indidit, & ceu formam ſuam (ſi ita loqui liceat) inſpiravit. Nam, ut inquit Philoſophus noſtri ſeculi egregius, & Ariſtotelis atque Scaligeri ſectator induſtrius, Thomas Sagittarius: *Certum, hic primum ad Dei omnipotentiam confugiendum, quæ mare ita ut affluat & refluat, creavit. Sicut enim non poſſum aliam adducere cauſam, cur Sol, Luna & cæteræ ſtellæ hoc & illo modo moventur, niſi quia ita* Deus *illas creavit, & tale principium motus internum illis conceſſit: Ita & mare ideo affluit & refluit, quia* Deus *ita, ut affluat & refluat, voluit, ſanxit, præſcripſit. Cætera, quæ a Doctoribus afferuntur cauſæ, non pertinent ad adæquatas & principales, ſed ad συναίτια & adjuvantes.* Qua ſemita jam tum præceſſerat & D. An. Libavius Halenſis, *lib. 5. de orig. rerum*, ubi, etiamſi non eat inficias, *Solem aliquid conferre poſſe, uti & Lunam ſpirituoſum iſtud ſidus; in his tamen nec primam principalemque cauſam eſſe, nec ſolitariam, verum aliqua ſaltem adminicula & occaſiones, quibus cauſæ inſitæ moveantur & in æſtum veniant*, aſſerit. *Mare enim iſtam potentiam habuiſſe, antequam iſta ſidera conderentur, certum videri; nec ullibi legi propter æſtus reciprocantes ea facta eſſe, ſed ut eſſent in ſigna, tempora, dies & annos, lucerent in firmamento cœli, tenebras & lucem diſcernerent, gubernarentque dies & noctes.* Id quod Civem noſtrum famigeratiſſimum a Guilielmo Britone poſtea integre a nobis afferendo & aſſerendo accepiſſe, vel traxiſſe, credibile eſt.

TMEMATIS I. ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ V.

Dividitur autem fervoris illius utriuſque, *Veniliæ* & *Salaciæ* junctim ſumptæ *regurgitatio*, XXII. in *Malinas* & *Lidunas*, & eas quidem (præmiſſa tam harum, XXIII. quam illarum XXIV. origine propria & acceptione XXV. genuina a corrupteliſque vindicata) non tam juxta Poſidonium XXVI. in *menſtruas*, aut XXVII. *annuas*, ſed XXVIII. vel in *majores* & *minores* cum Beda, vel etiam XXIX. contra Voſſium in *quotidianas*, *hebdomadarias* & *quatuor anni temporum*, i. e. *in Malinas magnas*, *majores*, *maximas*; & *Lidunas parvas*, *minores*, *minimas*.

Id

Digitized by Google

Id quod porro xxx. ex Apocrypho libro Auguſtini & Marcelli Emp. locis melius explicandum, & poſterior a Scaligeri criminatione, ſicut & Oroſius xxxii. ab Elmenhorſtii erit liberandus.

Ἔκθεσις.

XXII. Suppoſita jam qualicunque (poſt excuſſas Etymologias & Synonymias, diſcuſſaſque Homonymias) nominis deſcriptione, a genere, differentia & cauſa efficiente deſumpta, ipſa quo ſuccedat, diviſio neceſſe erit. Quamvis autem, ſi Scaligerum Patrem ſequi vellemus, multifariam partiri has reciprocationes poſſemus, cum ratione varietatis, quia non iiſdem horis progreſſio finiatur. Deinde celeritatis, propterea quod ſegnior ſit in quibuſdam locis, in aliis incitatior; tum privationis, quoniam certis locis currat, nec recurrat; & denique contrarietatis, ut cum in novilunio & plenilunio ſunt incrementa, in quadris detrimenta & decrementa. Longe tamen pauciores ſpecies fierent, ſi cum Poſidonio, ſeu adeo Strabone & Voſſio diurnum, menſtruum & annuum faceremus æſtum: pauciſſimæ vero, ſi cum Beda in majores & minores herciſcamus has æſtuationes. Sed ut tamen illis omnibus nos approbemus, Veniliam & Salaciam, id eſt, unum æſtum tam accedentem, quam recedentem nunc Malinam conſtituere demonſtrabimus, nunc vero Lidunam: atque has ipſas ſecundum tres modos comparationis partiemur, ut Malina quidem nunc ſit magna, nunc major, nunc maxima; Liduna vero jam parva, mox minor, tandem minima, de quibus tamen luculentius paulo inferius, ubi vocum prius reddiderimus rationem.

XXIII. In prælaudato itaque Iſidori ex multis collecto Gloſſario hoc ipſum etiam legitur, & quidem e Glabro & Beda allegatis: *Ledo, maris æſtuatio; ſicut Malina maſina ejus retentio*, ubi fortean legendum, *magna*, aut ſane *maxima ejus* (ſcil. maris aut æſtuationis) *intentio*. Quando, ut canit Virgilius, *mare fundo exæſtuat imo*. Ad quem ipſum Iſidori locum illuſtris Barthius *lib. 7. Adverſ. cap. 13. Non dubito*, inquit, *hoc quoque Barbarum* (vel mere Germanicum) *eſſe*. Planius autem proponit Papias: *Ledona æſtus maris decreſcens* dicitur. Cornelius quoque Kylianus vetus agnoſcit vocabulum Teutonicum Lede / *ite*, Leyde / *gradus*, *greſſus*, *ductus & aqua ductus*; & Leeden / Flandricum, i. e. Leyden / (quod

(quod Germanici dicunt Leiten) *ducere*. *Ledo* ergo & *aqua ductum* significaret, & quoque *refluum*. Sed in noſtrate lingua & alia video generalioris iſtius ſignificatus, & quidem alterius veſtigia, cum Leeden / dicimus *novalia*, vel *agros vacantes* & *derelictos*, die gleichſam ledig liegen. Ita dubio procul & quondam litora dicta ſunt Leeden / cum ab aqua parum æſtuante, vel reflua iterum, deſerta vacivaque prorſus comparerent. Quamvis, docente Beda, *Lida tranquillum* ſignificet, proprieque de mari captum ſit, quod Græci πλωιμὸν dicunt, *cum ridet blandi pellacia ponti*, ut loquitur Lucretius. Inde vero minores, vel potius imminutos æſtus maris καὶ τὰς ἀμπώτεις *Lidunas* vocaverunt, quod tum æſtus & fluctus recederent mollioreſque eſſent. Ceu iterum J. J. Scaliger *lib. 2. de emendat. temp.* prodidit. Mat. Martinio Ledune videtur vox compoſita, quaſi Leegh-duyne / cui voci reſpondet ἀυξομείωσις: cum Leegh ſit *humilis*, unde & Leeghwater / i. e. *aqua humilis*; uti *Ledo*, vel *Salacia* adhuc Belgis dicitur, & duynen / *intumeſcere*, ut ſit, cum mare tolerabilem in modum intumeſcat, & ſic etiam detumeſcat. Addo, quod nimirum aqua uſque adeo ponat & ſubſidat, ut exigui quoque arenarum tumuli, (quos Belgæ duynen / Græci θῖνας vocant) & ſcopuli prius obruti nudi videantur, quod & Virgilius *lib. XI. Æneid. v.* 624. & ſequentibus innuit. Quos tam exacta deſcriptione farcit, ut in hiſce verſibus plus videas illius motus, quam ipſo in mari, judice magno C. Scaligero in *Critico ſuo c.* 3. *p.* 570.

Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus,
Nunc ruit ad terras ſcopuloſque ſuperjacit undam
Spumeus extremamque ſitu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro atque æſtu revoluta reſorbens,
Saxa fugit littuſque vago labente relinquit.

Cujuſmodi ſabuloſum cippum arenamque reciproco fluctuum meatu denſatam & ſaxo inſtar duratam *pulvinum* dici, auctor eſt Servius.

XXIV. *Malinam* vero idem Mat. Martinius vel a Mal / i. e. *inſano* & *petulanti* deducit, cum ferum eſt mare, & majorem in modum fermenteſcit, vel a malen / i. e. *molere*, quod tunc multum aquæ mare emolat. Cur non, quod ad aquam illam altiorem molendina melius agitentur? Sicuti & Petrus Gyllius de Euripo molas multas verſante ſcribit, a moletrinariis, qui ex molarum motu acceſſum & receſſum omnium maxime animadvertere neceſſe haberent, ſe percunctatum fuiſſe, quoties & quot horas huc, an illuc converterentur molæ. Sed mallen quoque Belgis

Digitized by Google

gis est *lascivire*, *ineptire* & *insanire*, quod proprie competit mari, cum furibundum quasi ad littora fertur. Nisi forte alicui *malina* molliuscule pro *marina* usurpata videatur, prout illæ duæ literæ invicem sunt permutabiles. Nam & adhuc Italis & Hispanis *maréa*, Gallis autem *marée* Veniliam & tempestatem maris denotat. Sicuti & iisdem adhuc *marina* & *marine* sumitur pro ipso *mari*, unde & primi dicunt: *Marina è turbata, quando vediamo uno di mala voglia o in collora*, cum quis instar maris tempestuosi & exæstuantis turbidus est & commotus. Sed & pro ipso æstu & maris commotione Italis usurpari, *la marina*, testis est Hadr. Junius & alii. Veram autem nominis Danico-Saxonici rationem non a Latinis, sed ab ipsis Danis petendum judicamus, quam attulisse videtur Danus ille doctissimus Olaus Worm *in fastis sua gentis lib.* 1. *c.* 11. ubi ait: *Magle* Danis esse *magnum*, & inde maris incrementum vocari *Malinam* pro *Maglina*, (quasi μεγάλην.) At Liden iisdem esse (λίδον) *parvum*, atque inde *Lidunas* vocari *maris imminutionem*. Quod probavit etiam Gerhard. Joh. Vossius *de Orig. & progress. Idololatr. l.* 2. *c.* 69. quo loco reprehendit & ridiculum putat Joann. Noviomagum *annotat. ad* Bedam, *Ledonam*, quasi *lasam undam* dici autumantem. Id quod tamen alius vetus Commentator ante ipsum dixerat.

XXV. "Atque ita quidem (Veniliæ & Salaciæ numinibus & nomi-"nibus) Romani vocabant maris reciproca incrementa, aut decrementa. "Sed postquam in Oceanum Germanicum penetrarunt (quod primus Dru-"sius Germanicus fecit) Germanicis nominibus veterum Saxonum ea vo-"carunt, pro Venilia Malinam, pro Salacia Lidunam dicentes. Atque "ita quidem scriptum reperi in veteri libro Bedæ Anglo-Saxonis. Sicut "& apud Marcellum Empiricum, qui floruit temporibus Valentiniani Im-"peratoris, aliquando id legi, nec sine admiratione olim subinde repeti-"tum. Sed Venilia & Salacia significant accessus & recessus maris quoti-"dianos: Malina & Liduna etiam lunaria Oceani incrementa & decre-"menta. Nam alioqui semper bis in die intumere & detumere solet Ocea-"nus. „ Quod tam egregium cimelium e J. J. Scaligeri principalibus thesauris *in Varronem* ad verbum huc mutuari placuit. Ad hunc vero lapidem veluti angularem Scaligeri graviter hallucinatos cernimus summos nostri seculi viros, Gerhard. Joh. Vossium, Præceptoris vice nobis cultum, & Fridericum Lindenbrogium. Quorum hic in jucundissima variarum quæstionum Centuria disputationibus Hadriani & Epicteti, ut & Pippini & Albini subdita *p.* 53. sic respondit: *Quid ἄμπωλις & contraria ei πλημμύρα*

Digitized by Google

ſit Moſchopulus declarat περὶ χιδ. nimirum, quod Salacia & Venilia, Malina & Liduna, de quibus Varro de LL. & Marcellus Empiricus. Unde a Scaligero hoc ipſum ſuxiſſe, ſed indigeſtum reddidiſſe ſuſpicamur. Ille vero Voſſius *lib.* 2. *de orig. Idololatr. cap.* 69. ſcribit: *Dicam de motus differentia ratione temporis, quo pacto motus maris alius eſt* diurnus, *alius* menſtruus, *alius* annuus. *De ſingulis eorum ex Poſidonio agit Strabo lib.* 3. *Diurnus, qui Græcis ἡμερήσιος eſt, reciprocum ac quotidianum maris incrementum & decrementum, quorum illud Romani* Salaciam *dixere, quia unda in ſalum redit; hoc* Veniliam, *quia eadem venit ad littus.* Quæ a Varrone repetiit. Ubi probato eo, quod *fluxum & refluxum* maris Latinius *Veniliam & Salaciam* dici perſuaſi recte putaverint. In illo tamen calculum noſtrum non adjicimus, quod *Salaciam* incrementum crediderint, & *Veniliam* decrementum; vel *Malinam & Veniliam*, uti *Liduam & Salaciam* confuderint; aut utrinque priores diurnas notare æſtuationes & reciprocationes; poſteriores vero menſtruas voluerint. Quas tamen non minus recte cum eodem Voſſio, quam annuas ſtatuemus. Sed audiatur tamen prius, & Advocatus inſuper ipſi permittatur, antequam condemnetur. Ita ergo ille *l. c.*

XXVI. Videamus nunc de motu maris menſtruo, de quo ſic Strabo ex Poſidonio *lib.* 3. Τὴν δὲ μηνιαίαν (περίοδον λέγει) ὅτι μέγιστοι μὲν παλίρροιαι γίγνονται περὶ τὰς συνόδους εἶτα μειοῦνται μέχρι διχοτόμου, πάλιν δ' αὔξονται μέχρι πανσελήνου καὶ μειοῦνται πάλιν ἕως διχοτόμου φθινάδος, εἶθ ἕως τῶν συνόδων ὅτι αὐξήσεις πλεοναζειν καὶ χρόνῳ, καὶ τάχει τὰς αὐξήσεις. *Menſtruum porro* (circuitum dicit Poſidonius) *quod maximi refluxus fiant circa novilunia, poſteaque minuantur, uſque dum Luna ſit dimidiata: iterum hinc augeantur uſque ad plenilunium, ac tum imminui rurſum, donec decreſcens dimidia parte luceat, poſtea ad coitum uſque augeri: ea autem incrementa exſuperare & tempore & celeritate.* Confirmat hæc experientia, quæ docet, maxime intumeſcere mare in plenilunio, aliquanto minus in interlunio, minime omnium cum Luna eſt dimidiata. Hæc incrementa & decrementa vocabulis jam olim diſtinxere Saxones, & eorum exemplo Anglo-Saxones in Britannia. Nam maris receſſum, hoc eſt, quando detumeſcit, *Lidunam* dixere; at acceſſum ejus, ſive cum intumeſcit, *Malinam* nuncuparunt. Ut quod in diurno motu *Salacia* ſunt, & *Venilia*, hoc in menſtruo ſint *Liduna & Malina*, quemadmodum liquet *ex Beda de ratione temporum libro cap. XXVIII.* ubi ſic ſcribit: "Imitatur Lunæ curſum mare non ſolum communi (*diurnum*

in-

Digitized by Google

"*intellige*) acceſſu & receſſu, ſed etiam quodam ſui ſtatus profectu de-
"fectuque: ita ut non tardior ſolum perendie, quam pridie, verum etiam
"major minorve quotidie redeat æſtus: & creſcentes quidem Malinas, de-
"creſcentes autem placuit appellare Ledones, (*in aliis Bedæ Codd. eſt*
"*Ledonas*) qui alternante per ſeptenos octonoſve dies ſucceſſu, menſem
"inter ſe quemque quadriformi ſuæ mutationis varietate diſpertiunt. Sæ-
"pe quidem æqua uterque ſorte, ſeptenis diebus ac dimidio curſum con-
"ſummantes. Sæpe vel ventis impellentibus, aut repellentibus, vel alia
"qualibet accedente, ſive naturali vi, ſive cogente, tardius citiuſve ve-
"nientes, aut minus ampliuſve ſolito ferventes, ita ut aliquoties ordine
"turbato *Malina* plures ſibi æſtus hoc menſe, pauciores vindicet in alio,
"unde uterque motus nunc veſpertino naſci, nunc matutino conſuevit in
"æſtu. Et ſiquidem æſtu veſpertino vel novilunio, vel plenilunio inſtan-
"te, *Malinam* naſci contigerit, idem æſtus quotidie per VII. *Malina*
"dies ſubſequentes fit major & violentior, æſtu matutino. Similiter ma-
"tutino, ſi fuerit *Malina* orta ſub æſtu, matutinus jam majori per dies
"contegit æquore terras. Porro veſpertinis finibus, quos matutinus æſtus
"cœperat, contentus, ulterius curſum extendere negligit, quamvis qui-
"buſdam in menſibus uterque æſtus in diſſimili per omnia cremento pro-
"ficit. Quanto autem plus æſtus major litora terraſque contexerit, &
"fluvios ac freta compleverit, tanto latius recedens, eadem litora maris
"exhaurire atque enudare conſuevit.„

XXVII. Quin & incrementum motumque maris annuum idem Voſſius *l. cit.* ex eodem Strabone aſſerit: Τὰς δὲ ἐνιαυσίους παρὰ τῶν ἐν Γαδείροις πυθέσθαι φησί. Λεγόντων ὡς καὶὰ θερινὰς τροπὰς μάλιστα ἄυξοιτο, καὶ αἱ ἀναχωρήσεις, καὶ αἱ ἐπιβάσεις. εἰκάζει δ' ἀυλὸς, ἀπὸ τῶν τροπῶν μειοῦσθαι μὴ ἕως ἰσημερίας. ἄυξεσθαι δὲ ἕως χειμερινῶν τροπῶν εἶτα μειοῦσθαι μέχρι εἰαρινῆς ἰσημερίας. εἶτα ἄυξεσθαι μέχρι θερινῶν τροπῶν. *Annuos vero maris* (circuitus) *ſe a Gaditanis accepiſſe* (Poſidonius) *ait: quippe qui dicant, circa aſtivum Solſtitium maxime augeri acceſſus & receſſus maris. Conjecturam autem capit, eoſdem exinde imminui uſque ad Æquinoctium, ac rurſum accreſcere uſque ad Brumam, ab hac decreſcere uſque ad Æquinoctium vernum; & poſtea augeri uſque ad Solſtitium aſtivum.* Mirum vero eſt, Voſſium ita adhærere Poſidonio, cum jam tum in quibuſdam videret ipſi opponi Plinium *lib. II. c. 27.* aſſerentem: *Æquinoctiis maxime tumentes, & autumnali amplius, quam verno; inanes vero bruma, & magis Solſtitio.* Sicuti & Tacitus eidem fidem derogat,

Digitized by Google

qui pariter non in Solſtitio æſtivo, ſed *ſidere* (ait) *aquinoctii maxime intumeſcere Oceanum.* Quo minus & in reliquis, quoad annuum motum, ipſi adſtipulandum erit. Cui tamen & Guil. Brito, uti mox videbimus, ſicuti & M. Manilius Poeta Philoſophus *l.* 2. *Aſtronomicon* ſuccinit his verſibus:

Sic Pontum movet, & terris immittit & aufert
Æque ſeditio pelagi, nunc ſidera Luna
Mota tenens, nunc diverſo ſtimulata receſſu,
Nunc anni ſpatio Phœbum comitata volantem.
Τὴν πλημμυραν καὶ τὴν ἄμπωΐν ἀπεργάζεται
τῇ τῆς Σελήνης αὐξομειώσει παρεπομένη.

Sed ad eundem porro & Joſ. Scaligerum audiamus: Πλημμύραν *non ſolum menſtruam* (inquit) *Lunæ, ſed & annuam Solis intelligit. Quod, quid ſit, ego non capio. Nam ſi Luna has* πλημμύρας, *& rurſus has* ἀμπώτεις *facit, quid opus eſt Sole. At in Æquinoctiis major ſit* πλημμύρα. *Audio, ſed non erit annua? Quare melius hac tacuißet Manilius. Niſi illi faves, quod homo Ciſalpinus nunquam Oceanum viderat.* Hæc ille. Quo pacto Scaliger haud annuum recte putat dici incrementum, eodem & ego nec menſtruum; quia tam ſilente Luna, quam plena peculiare & notabile iſtud eſt. Imo ſi accurate velimus loqui, ne ἡμερήσιον quidem ille motus reciprocus proprie dici meretur, quando die integro xxiv. horis conſtante, bis affluat & refluat. Proinde ego ita ſtatuo, ſicuti dietim quater vices mutat: ita & quater in menſibus, nec non quater in anno notabiliter variat, ita tamen, ut variationes primæ ſint ſimplices, ſed ſi cum iſtis poſteriores conjungantur, eo quoque ſint clariores.

XXVIII. Neque verum quoque eſt, quod ait Voſſius: *Malinam & Lidunam hoc eße in motu menſtruo, quod Venilia & Salacia ſit in diurno*, uti ex peſſime intellecto Beda, vel plane non lecto, ſubinferre voluit. Sed ita eſt, quælibet etiam *Malina* habet ſuum receſſum & decrementum, & viciſſim omnis quoque *Ledona* habet ſuum quoque augmentum, pariter ut decrementum, ſed minus notabile: ut proinde *Malina* ſimul includat *Veniliam & Salaciam*, atque eodem quoque pacto *Liduna.* Inſpiciantur modo præter Marcellum Empiricum & illum ἀνώνυμον apud Auguſtin. loca venerabilis Bedæ, ut *lib. de mundi conſtit. fol.* 378. "Ubi poſt conſuetas acceſſiones & receſſiones maris, æſtuationes quaſdam præterea dicit eſſe majores & minores, *Malinas* ſilicet & *Ledones. Ledones* a quinta Luna ſimiliter & a vigeſima incipiunt;

Digitized by Google

"piunt; & quot horis accedunt, tot recedunt. *Malina* ſunt majores, "quæ a tertia decima & vigeſima ſeptima Luna incipiunt, & ſex diebus "& quindecim horis durant, & ſunt citiores in accedendo, tardiores in "recedendo. „Et iterum *de Nat. rerum c.* 39. "Æſtus Oceani Lunam ſe- "quitur, tanquam ejus aſpiratione retrorſum trahatur, ejuſque impulſu "retracto refundatur, qui quotidie bis adfluere & remeare, unius ſem- "per horæ dodrante & ſemiuncia tranſmiſſa videtur, ejuſque omnis cur- "ſus in *Ledones* & *Malinas*; id eſt, *in minores æſtus* dividitur, & *ma-* "*jores*. Sed *Ledon* a quinta & viceſima Luna inchoans, quot horis occur- "rit, tot & recurrit. *Malinas* autem a XIII. & a XXVIII. incipiens, ci- "tior in acceſſu, ſed tardior in receſſu ſeptem diebus & quindecim horis "perſeverat, in medio ſui ſemper Lunam primam & decimam quintam "oſtendens, & per Æquinoctia vel Solſtitia ſolito validius exæſtuans. „*Ad quem locum & vetus Commentarius audiri poterit, cum ait:* "Æſtus Oceani "quotidie bis venire & remeare perhibetur, in ortu ſcilicet & occaſu Lu- "næ. Aſcenſus autem ipſi in *Ledonas* & *Malinas* dividuntur, id eſt, in "minores ac majores æſtus. *Malina* enim *a majore Luna*, & *Ledona* "quaſi *læſa* dicitur *unda*. „

XXIX. E quibus omnibus luce meridiana fit clarius, integros æſtus ex *Venilia* & *Salacia* conſtantes nunc *Malinas* dici, cum ſint magni, nunc vero *Lidunas*, cum ſint parvi, quod cum quoque poſtea idem Dominus Voſſius vidiſſet, in alio volumine, quod *de vitiis ſermonis* hoc ipſo anno vulgavit, ſententiam priorem, prout poſteriores cogitationes ſunt meliores, *lib.* 2. *c.* 11. ex parte tamen ſaltim retractavit, *pag.* 233. & 234. ita ſcribens: *Ledo, vel Lido, Ledona item, vel Lidona promiſcue dicuntur, quando mare minus vehementer ac copioſe in littus proruit. Ut contra Malina, quando majori vi ac copia ſe recipit in littus. Sic vetus Martyrologus a Furnerio & Siccama Notis ad leges Friſonum adductus, Friſones in loco, ubi martyrum erat ſanguis effuſus, aggeſta terra collem excitarunt, propter Lidonis & Malinæ quotidianas eruptiones, ex maris æſtu quotidiano provenientes, ubi Eccleſiam exſtruxerunt. Sed quotidiani vocem hic laxius ſumere oportet, ne putemus idem eſſe, ac quam Romani Veniliam & Salaciam dixere. Uſi quoque Marc. Empiricus & Scriptor libri B. Auguſtino perperam tributi tom.* 3. *p.* 714. *qui de mirabilib. Scripturæ inſcribitur c.* 7. *Ad hæc Beda lib.* 1. *de Natur. rerum c.* XXVIII. *&.* XXIX. *& Glab. Radulphus hiſtor. lib.* 3. *cap.* 3. *Miror Gulielm. Malmeſburienſem, ſive Bibliothecarium Ledonem dicere, quod*

Digitized by Google

alii Malinam. Sic enim ſcribit lib. II. *de geſt. Angliæ Regum: Eodem anno (IↃ CCCCLXXIX.) fluctus marinus, quem Græci Euripum, nos Ledonem vocamus, mirum in modum excrevit, quanta nulla hominum memoria poteſt attingere, ita ut villas ultra multa milliaria ſubmergeret & habitatores necaret. Sed hæc appellatio ipſa etiam vocabuli utriuſque origine refellitur. Vide ſis, quæ diximus Theolog. Gentil. & Phyſiolog. Chriſtian. lib.* II. *c. LXIX. Adi & Caſ. Scaligerum de Emendat. temp. tit. de Cyclo Lunari veterum Saxonum.* Hæc Voſſius. Quod ſi jam idem nobis, quod ipſi licuit, liceat, veritatis ſaltem tuendæ gratia diceremus: Non eandem hic foveri a Voſſio ſententiam, quam ex ipſius *libris de Theolog. Gent.* paulo ante adduximus, ubi *Malinam* & *Lidunam* eaſdem eſſe cum *Venilia* & *Salacia*, & ſolummodo motu ab ipſo effecto menſtruo & diurno diſtingui. Quod hic iterum inficiari & infringere ſtuduit. Aliter locutus eſt Juſtus Joſephus (non Cæſar) Scaliger cum de emendatione temporum, tum ad Varronem. Tametſi namque hic a poſterioribus Romanis pro *Venilia Malinam*, pro *Salacia Lidunam* dictam præmiſiſſet, retraxit tamen ibidem ſtatim calculum, *Veniliam* & *Salaciam* ſignificare ſtatuens *acceſſus & receſſus maris quotidianos*; *Malinam* & *Lidunam etiam Lunaria* (non dixit *menſtrua*) *Oceani incrementa, & decrementa.* Rationem porro haut temere hanc adjiciens: *Nam alioqui ſemper bis in die & intumere & detumere ſolet Oceanus.* Quo ipſo oſtendere voluit, perpetuo *Venilia* & *Salacia* manere viciſſitudinem & ſingulis quidem diebus, atque iisdem tamen ſimul eſſe vel *Malinas*, vel *Lidunas*, niſi quod alternatis invicem ſeptimanis, atque ſic hebdomatim (non quot menſibus) Divas illas ſuam quaſi pompam in comitatu Nympharum nunc ſolennius affluentium, jam vero cum pauciorum choro apparentes variare ſentiamus. Unde nec illa apud Martyrologum interpretatione opus fuiſſet; qui *ex maris æſtu quotidiano* (ut ipſement quoque ſuperaddidit Voſſius) *provenientes Lidonis* & *Malinæ quotidianas eruptiones* dixerat. Non enim laxe, ſed ſtricte dicuntur *quotidianæ*, non quidem ſolæ Malinæ, aut ſolæ Lidunæ, ſed conjunctim, vel potius alternatim, prout unius dici *Venilia* & *Salacia* conſtituit hodie *Malinam*, altero ſequentibusve diebus *Lidunam*, atque ſic recte *quotidianæ* nunc *Ledonis*, nunc *Malinæ eruptiones* appellantur. Quin nec illud quoque mirum eſt, Malmeſburienſem dixiſſe *Ledonem* pro *Malina*, ut putat Voſſius, quo iterum non eſt neceſſarium, eo namque majus eſt oſtentum, quod fortaſſe in quadris Lunæ cum revera *Ledo*, ſeu mi-

Digitized by Google

minimis æstus esse deberet, inusitata plane, & inexspectata visa fuerit inundatio, qualis nec in ipsis *Malinis* alias contigisset, ut ita nec illa, ab originatione desumta, refutatione Bibliothecarius eguerit. Constat jam igitur male eundem quoque Dn. Voss. *c.* 12. *lib.* 2. *de vitiis serm. p.* 240. definiisse *Malinam* per *menstruum marini æstus incrementum*, cum sit vel semimenstruum, vel verius hebdomadarium, ut *Ledo* secundum quadras bipertitum. Sed ipsum deceperat Posidonius qui cum ἡμερήσιον, μηνιαῖαν καὶ ἐνιαύσιον περίοδον τῆς ἁλὸς tradidisset, putavit singulis circuitibus & motibus singula imponenda esse nomina *diurno Venilia & Salacia menstruo & Liduna* imposuit, sed sibiipsi imposuit; *annuum* cum nulla invenire posset amplius vocabula, *pro deserto habuit.* Sed ut ipsi suppetias feramus; annuas ab ipso ita dictas, vel saltem semestres, aut sane quatuor anni temporum periodos iisdem *Malina* & *Liduna* titulis mactatas esse ostendemus, postquam nec diurnas quidem iis caruisse evicimus. Inter ipsas namque *Malinas* & *Lidunas* plurima reperitur differentia pro ipsius Lunæ pelagitrahæ majore.minoreque variatione, ita ut *Malina quædam* suo modo *magna sit*, attamen ut sic loquar (ceu illæ mulierculæ apud Terentium) *forma quotidiana; quædam Malina sit major, tanquam hebdomade finita; die Dominico, magis ornata; alia denique maxima, & velut in Pan-Neptuniorum summo Festo, singulis semestribus*, ut sic ludam, *luxu affluentissima.* Utque de citumo, nimio illo æstu, & reliquorum veluti ultima manu dicamus, e J. J. Scaligeri toties laudato cyclo, Lunari veterum Saxonum ista haurimus: *Quod ad ejus sideris incrementa & decrementa, Oceani quoque vices majores minoresve recurrant. At cum in pleniluniis amborum æquinoctiorum duæ fiant ingentes* πλημμύραι *ad earum observationem annum suum veteres Saxones & Dani digesserunt, eas* πλημμύρας *majores* Malinas, *minores vero* Ledunas *vel* Lidunas *vocitantes.* Quin & a simili causa Saxones, juxta Bedam, menses duos *Junium & Julium*, illum *Lida prioris*, hunc *posterioris* indigitamento honorarunt. Et quia is erat exitus anni Lunaris, annis embolymæis tertius *lida* intercalabatur, unde annum embolymæum hoc nomine *trilida* vocabant. Principium vero naturale cycli Lunaris *a Malina autumni & plenilunio* instituebatur, quia inquit Plinius *lib.* 2. *c.* 97. *Autumnali magis Æquinoctio tumescunt fluctus*, annum enim *in duas Malinas* dividebant, Autumnalem & Vernalem. Hæc e Scaligero, apud quem plura de his, qui volet, quærat.

XXX. Utque in Æquinoctiis annuis *Malinas illas ingentes* observare est;

Digitized by Google

eſt: ita & in menſibus ſingulis, quando Luna plena & undique æquata eſt, vel cum nova eſt, haut plane abſimiles deprehendimus; atque ſic *omni menſe binas Malinas præcipuas, & totidem Lidunas in quadris reliquis* cernimus. E quibus melius jam intelligere licebit locum illum *in libr. de mirab. Sacr. Script. c. 7.* qui inter Auguſtini opera *tom. 3. p. 714.* ita legitur: "Quotidiana inundatio bis in die a tempore in tempus per "horas 24. ſemper peragitur, & per alternatas hebdomadas Ledonis, Ma- "linæ viciſſitudo comitatur. Sed *Ledo* ſex horas inundationis, & toti- "dem receſſus habet. *Malina* vero *grandis* per quinque horas ebullit, "& per ſeptem horas litorum dorſa retegit. Quæ tantam concordiam cum "Luna oſtendit, ut antequam Luna naſcatur, tribus diebus & duodecim "horis ſemper incipiat, & poſt naſcentis Lunæ principia alios tres dies & "duodecim horas conſueſcit habere. Similiter & ante plenilunium tribus "diebus & duodecim horis incipit, & poſt tantundem temporis curſus ſui "terminum conſumit. Sex vero unius cujuſque temporis Malinas, Ve- "ris ſcilicet & Æſtatis, Autumni & Hiemis ſecundum Lunarem ſupputa- "tionem, hoc eſt, ſimul omnes XXIV. unuſquisque communis annus ha- "bet, exceptis videlicet emboliſmis, qui viginti ſex Malinas continent, "& unius cujuſque de prædictis temporibus, mediæ duæ, videlicet Æ- "quinoctia, & aliæ, quando vel dies, vel nox curſus ſui terminum con- "ſumit, ſolito validior ac inundatione altior fieri conſuevit. Interpoſitis "vero ſpatiis iterum totidem, ſemper Ledo intermittitur.

XXXI. Ex præmiſſis quoque Marcelli Empyrici veteris Medici, & qui temporibus Valentiniani Imperatoris, pluſquam trecentis ante Bedam annis, juxta Voſſii abacum, floruit, aliquot loca, ubi has voces non ſine admiratione ſubinde repetitas legit & collegit J. J. Scaliger, interpretari licebit. "Colligitur (inquit) die Jovis Luna vetere, Liduna ante pran- "dium.„ Item: "Colliges herbam, quæ dicitur Britannice, die Jovis, ve- "tere Luna, Liduna.„ Item: "Conficitur vetere Luna & Liduna a "menſe Martio.„ De Malina vero idem: "Conficitur XII. Calendas Julias, "non intereſt, quo die, vel Luna, vel Malina, dummodo ſupraſcriptus dies "obſervetur.„ *Ubi Scalig. plenius fuiſſe putavit, ſi legeretur:* "Quo die, vel "Luna, Liduna, vel Malina.„ In quibus præterea ait videri "Superſtitioſam "obſervationem legendi herbas: ut alias vires videantur habere æſtuatione "maris, alias cum non patitur incrementa.„ Sed quod cum pace Scaligeri fiat, nihil hic puto eſſe ſuperſtitionis, a qua tamen alias Marcellum non immunem eſſe ſcio: præterquam enim quod ille ſæpe alias *vetere Luna plantas & alia*

putet

Digitized by Google

putet colligenda, ut eo melius ſervari queant, quod & agricolæ, & qui ligna ad ædificia cædunt, norunt. Tum vero Brittannicam herbam non aptiore tempore, quam vetere Luna legere conveniebat, & cum minus humore abundaret.

XXXII. Atque exinde quoque patefit, injuriam Oroſio fieri a V. Cl. Everardo Elmenhorſtio, qui *in emendationibus Apulejanis* illum ſic reprehendit: *Creſcunt autem & decreſcunt, non* (ut Oroſius *lib.* 6. contra Paganos inepte putat) *per VII. dies; ſed per ſex horas aqua, & diminuuntur bis in die naturali; quanquam accidentia aliqua ſæpius variant fluxus & refluxus maris: univerſaliter ſcil. ratione ſiderum: particulariter ob ſitus locorum. Ita in capite Rubri Maris creſcit mare IV. & decreſcit horis VIII. In India vero contra naturam, Luna decreſcente, augeſcunt flumina*, ut notat Aloyſ. Cadomuſtus *navig. in incognitas Inſulas l.* 2. *fol.* 50. & Ludov. Patritius *Indicar. rerum lib.* 4. *c.* 1. Sed Oroſius loquitur de incrementis Malinarum & Lidunarum, non de Venilia & Salacia, de qua Elmenhorſtius. Quem ſaltem illa verba Apuleji, *menſtruis curſibus Lunæ decrementa, & acceſſus fretorum atque æſtuum deprehenduntur*, monere debuerant.

TMEMATIS I. ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ VI.

Quanta vero in Æſtibus hujuſcemodi quotidie & quot menſibus, atque quotannis quadrifariam notabiliter alternantibus XXXIII. *ſeptenarius numeratus* vi polleat, (ut qui e trinitate & quaternione ita ſit coagmentatus, ut ipſe omnibus ſub ſe poſitis numeris additus ſemetipſum quadruplicet, atque ſic quoque ipſa tempora ſecundum duorum magnorum luminarium curſum variet) id porro & *Alcedoniorum hebdomas*, & *Malinarum* atque *Lidunarum ſingulis ſeptimanis* ſuccedentes *viciſſitudines*, & tantum non omnium eo pertinentium vocum ἑπλαϛοιχία monſtrat. Quæ vel maxime XXXIV. in *maris illo ſabbatho* (Malacia) elucet, quæ *ſeptimo* cumprimis & *ter ſeptimo* Lunæ *die* ſumme eſt conſpicua, atque ex ipſo *Poetarum Patre* XXXV. aliiſque Græcis a C. Scaligero & Cerda illuſtrata; ipſiuſque *acce-*

Digitized by Google

ptio, *origo*, ut & *derivata*, vel *ſynonyma* & *deſcriptiones* bonis Auctoribus uſurpata, in apricum ſunt producta.

Ἔκθεσις.

XXXIII. Nec temere aut fortuito factum, heptadibus variare hæc æſtuum incrementa, *eo quod* (ut inquit Cenſorinus *de die Natali c. 7.*) *in omnibus numerus ſeptenarius plurimum poſſit.* Quando ad eundem numerum tanquam plenum conficiendum omnia pene in hoc univerſo ex trino & quaterno, atque ſic junctim ſeptenario, juxta *Macrobium* conſtent & abſolvantur. Unde & M. Varro in hebdomadibus ſuis, *Non ſolum animadverti debere*, dixit, *quod quater ſeptenis, i. e. octo & viginti diebus conficiat iter Luna ſuum, ſed quod is numerus ſeptenarius, ſi ab uno profectus, dum ad ſemetipſum progreditur, omnes, per quos progreſſus eſt, numeros comprehendat, ipſumque ſe addat, facit numerum octo & viginti, quot dies ſunt curriculi Lunaris.* Quin & hoc ex eodem Varrone, ſeu adeo Pervigilatore Attico *lib. 3. cap. 10.* obſervandum, quod *cum in ſeptimo ſigno fiat Solſtitium a bruma, in ſeptimo bruma a Solſtitio, & in ſeptimo Æquinoctium ab Æquinoctio*; æſtus illos ab aliis annuos appellatos, recte ſeptimanos quoque dici. Adde & hoc, *dies illos, quibus Halcyones hieme anni in aqua nidulantur, eos quoque ſeptem eſſe*, veluti præter Varronem & Demagoras Samius apud Suidam *in Alcyoniis* dixit, eos vero non alios eſſe, niſi *Ledonam integram unius ſeptimanæ.* Ut vero eorundem incrementorum Lunarium vias & rationes ſeptenarias paulo lucidius & amplius perdiſcamus, illam ipſam Gellii & Plutarchi ſimiam Macrob. *ad Somn. Scipionis lib. 1. c. 6.* adeamus & audiamus. "Ut Luna, (*inquit*,) quater ſeptem diebus prope totius Zodia-
"ci ambitum conficit: ita Sol quoque ſeptimo ſigno vices ſuas variat.
"Nam a Solſtitio hiemali ad Æſtivum ſeptimo pervenit ſigno, & a tro-
"pico verno uſque ad autumnale tropicum, ſeptimi ſigni peragratione pro-
"ducitur. Atque inde tres lucis æthereæ tradit converſiones, maximam
"anni ſecundum Solem, mediam menſis ſecundum Lunam, minimam
"diei ſecundum ortum & occaſum; quarum quælibet, ut numerus ſepte-
"narius ſit perfectus, ſecundum modos ſuos ſit quadripartita. 1. enim
"maxima anni converſio: humida eſt verno tempore, calida eſt æſtate,
"ſicca autumno, frigida per hiemem. 2. Media menſis: per Lunam na-
"ſcentem humida eſt hebdomas prima, per adoleſcentem calida ſecunda,
"per eandem plus ab ortu remotam ſicca tertia, & quarta ea deficiente frigida.

Digitized by Google

"frigida. Sic & 3. diei. Quem numerum addit, tenere quoque Oceanum "in incremento ſuo. Nam 1. naſcentis Lunæ (quæ humorem aſſolet con-"citare) die fit copioſior ſolito, minuitur pauliſper ſecundo, minorem-"que videt eum tertius quam ſecundus, & ita decreſcendo ad diem ſepti-"mum pervenit, rurſus octavus dies manet ſeptimo par & nonus fit ſi-"milis ſexto, decimus quinto, & undecimus fit quarto par; tertio quo-"que duodecimus, & tertius decimus fit ſimilis ſecundo, quartus deci-"mus primo. Tertia vero hebdomas eadem facit, quæ prima, quarta "eadem quæ ſecunda. „ Eandem puto ob rationem & *Euripum* impenetrabilem ἐπλάκις quotidie aquam ſuam mutare, ſiquidem Straboni & Suidæ, Plinioque & Senecæ Poetæ ſit fides. Qua de re *in pragmatologia*, σὺν Θεῷ, fuſius. Quin nec iſtud plane puerile videri poterat, quod non modo hic ipſe Euripus, ſed Venilia & Salacia, & fortaſſean quoque olim Maglina & Lidunda, nec non Malacia e ſeptem confiata ſunt Elementis, quemadmodum totidem ſubjecta ſunt vicibus: primæ ab Euripo duæ ſenis, & quod excurrit, alicubi quoque ſeptenis mutant horis; binæ proximæ ſeptem diebus, ut & ultima, de qua nunc erit dicendum, iiſdem diebus, niſi quod binos conjungat ſemper in quadris Lunæ dies, cum ea plena, aut coeunte non admittatur.

XXXIV. Tametſi vero numerorum quantitati per ſe nullam tribuamus efficaciam, quoad illi tamen rebus immerſi ſunt, & ab ipſo mundi primordio obſervationes multas peperierunt; non omnino nihil ipſis eſt adſcribendum, quando ipſemet Creator Opt. Max. ſeptimo die ab opificio ſuo eſſet feriatus. Inde jam fortaſſis quies illa quoque eſt in Oceano, quando prima, & quando ſecunda quadra Lunæ auſpicatur. Quorſum C. Scaliger animi ſui aciem direxit, cum in *Ata* ſic caneret:

Aut ſeptima, aut ter ſeptima in mora Lunæ
Pronunciant tranquilla fluſtra Neptuni.

Nimirum ab interlunio ſeu Phœbes cum fratre conjunctione paulatim minuitur æſtus ad primam quadraturam, ſeu ſemilunii tempus, ſeptimo circiter ab interlunio die, quando ſicciſſimus, aut nullus eſt fluxus, ideoque nautæ, a tempore uſque Senecæ, *mare mortuum*, Veneti *acqua ſtanca* tunc appellant. Ab hac quadratura ad plenilunium ſenſim increbreſcunt rurſum, & implentur æſtus, adeo ut pleniſſimus incidat in decimum quartum, & ipſum diem oppoſitionis. Hinc iterum ad ultimam quadraturam quotidie perpetuo relangueſcunt. Ubi iterum inanes & pene nulli ſunt: quod circa XXI. a conjunctione diem evenit. Unde pro-

Digitized by Google

verbii loco maris Adriatici accolis, quibus tamen prior quies paulo contingit tradior, hi rhythmi usurpantur:

Da gli otto a i nove | *Da vent' uno à ventidue,*
l'acqua non si move | *l'acqua non va ne su, ne giu.*

A quo tempore pedetentim denuo se promovent aquæ ad interlunium & conjunctionem. Atque ita singulis mensibus quaternæ sunt malaciæ, veluti Delphinus & Lib. Fromondus observarunt.

XXXV. Exinde jam melius intelligetur Princeps ille Veronensis *lib.* 5. *Poetic. c.* 3. *Sunt in quadrantibus Lunæ singulis bini dies, in quibus mare non movetur.* Calma *dicitur ab Adriaticis, languida quies illa, a veteribus Romanis Græca voce* Malacia, *ejus descriptionem traxit Homerus in XIV. Iliad. v.* 16. *ad comparationem.*

Ὣς δ' πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ,
Ὀσσόμενον λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα
Αὔτως, οὐδ' ἄρατε προκυλίνδεται οὐδ' ἑτέρωσε - - (οὐδετέρωσε.)
Πρίν τινα κεκριμένον καταβήμεναι ἐκ διὸς οὖρον.

Quem ipsum locum etiam De la Cerda *ad XII. Æneid.* ad mare nullam in partem commoto retulit, eumque Giphanius ita reddidit:

Veluti quum nigrescit pelagus magnum unda surda,
Præsentiens stridulorum ventorum celeres motus
Temere, neque sane provolvitur in neutram partem,
Antequam aliquis certus superveniat ex aere ventus.

Id vero aliis Græcis dicitur νηνεμία, λεία θάλασσα, ἀκύμων καὶ ἀπράγμων. Luciano ἐν ἀλκυῶνι ἀκύμαντόν τε καὶ γαλήνιον ἅπαν τὸ πέλαγος. *In Epigrammatibus* γαληναίη θάλασσα, & γαληναίη simpliciter Apollonio Rhodio pro γαλήνη, quæ proprie immobilitatem illam & quamque tranquillitatem denotat, quam quidam deducunt a γελάω uti apud Lucretium: *Ridentibus undis pellacia ponti.* Veneti videntur deduxisse a γαλῇ, quando *acqua di fele* dicunt. Idem tamen Scaliger aliud etymon *Exercitat.* 41. protulit: "Cum motus non fiat a forma interiore, non "necessario moveri, sed etiam non moveri potuit. Quare in Lunæ qua"dris quiescit? quo tempore calidior Luna est, quam in novilunio, qua"propter & magis absumere poterit stantes aquas. Eam quietem Græci "malaciam, a quibus Latini. Recentiorum navigantium vulgus, ut su"perstitiosum genus hoc hominum est, abominato mali vocabulo, *Bo*"*naciam* vocant; quemadmodum e Malevento prisci Beneventum. Alia "vero voce dixerunt cujuscunque temporis tranquillitatem. Quippe

γα-

"γαλήνην, Syra voce a Phœnicibus, uti dicebamus, importata. *Gal* "enim undam significat, unde & γάλα & γαλάτεια a liquiditate." Et iterum *Exercitat.* 32. *in quadris Malacia est*, Calma *dicitur vulgo.* Per antistœchon scil. & literarum transpositionem, nisi illam a γαλάνᾳ deducere præoptes. Quanquam vero Μαλακία Græcis varia significet, cumprimis autem *stomachi malaciam*, i.e. languorum & ignaviam, unde Galli fortassis *malade* acceperunt, prout alias quoque mulierum & virorum infirmitates denotat; Latinis tamen, ut apud Cæsarem *lib.* 3. *bell. Gallic. Malacia maris* pro tranquillitate, ac veluti mollicie sumitur: *Conversis in eam partem navibus, quo ventus ferebat, tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, ut se loco movere non possent.* Ut & Aurelio Victori *c.* 22. *Antium provecti sunt, ubi per malaciam maris anguis proxime Æsculapii fanum petiit.* Sicuti & Senecæ *Epistol.* 67. *Demetrius noster vitam securam & sine ullius fortuna incursionibus* mare mortuum *vocat, nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denunciatione & incursu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, malacia est.* Quod autem *a mollitie* hæc maris ignavia nomen invenerit, id quoque probant Latina veterum exempla, veluti Pacuvii *in Chryse Trochaicus apud* Nonium; *Flucti flaccescunt, silescunt venti, mollitur mare.* Et Accius in *Telepho*: *Remisque nixi properiter navem in fugam tradunt, subter saxa ad lavam, qua mons mollibat mare.* Ad malaciam quoque, vel sane bonaciam referri merentur Enniani quidam Trochæi:

Tumque mundu' cœli vastu' constitit silentio,
Et Neptunu' savus undis asperis pausam dedit,
Sol equis iter repressit ungulis volantibus,
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant. non *vagant.*

Ex quo archetypo Maro exsculpsisse fertur Macrobio *lib.* 6. *c.* 24. aliquot Heroicos, quos inter ille præprimis huc faciens eminet:

Tum venti posuere, premit placida æquora pontus.

Atque idem Theocritum Idyll. 6. imitatus:

Καὶ γὰρ θὴν οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν ὥς με λέγοντι,
ἦ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦνδε γαλάνα.

Non sum adeo informis (inquit Corydon) *nuper me in litore vidi,*
Cum placidum ventis staret mare. Sed qui *mare stet*, V. Barthius *lib.* 5. *Advers. c.* 22.

COROLLARIUM DE NAUTEA.

SEd ut tandem *Nauſeam* collectam & nobis & aliis delicatulis, præcipue his, qui nihil ſolidi a Poetis & Philologis diſci poſſe inepte autumant, diſcutiamus, de illa ipſa *Nautea*, e motu quoque maris, & quæ inde oritur jactatione proveniente, Coelium *lib.* 14. *L. A. c.* 13. auſcultabimus, atque ſic, cum quo cœpimus, cum eodem finiemus. Mari navigantes fieri nauſeabundos, prope norunt omnes. Gellius ſignificat. Sed Juvenalis illud quis non legit:

Si jubeat conjunx, durum eſt conſcendere navem,
Tunc ſentina gravis, tunc ſummus vertitur aer;
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet. Illa maritum
Convomit, hæc inter mantas & prandet, & errat.

Nonne putabit ingenioſiſſimus quisque fuiſſe judicii excuſſi & naris emunctæ, ſicut ait ille, diligentius perpendiſſe, undenam iſta obveniant, quæ ſcientiſſimus Poeta reconditæ doctrinæ ſeminarium quoddam carminibus inſperſit. Hæc ſunt obſervata nobis ex Plutarcho. Nauſeabundos eſſe majorem in modum mari iter agentes, quam qui fluminibus, etiamſi γαλήνη fuerit, hoc eſt, minime undabundum elementum. Hujus autem eventus manifeſtarii eam eſſe rationem, quod ex ſenſibus ναυτίαν κινεῖν, id eſt, nauſeam concitare inprimis odoratus poteſt. Ex animorum autem affectionibus id ipſum efficit præcipue timor, ſiquidem ita affectos tremere atque inhorreſcere ſpectamus, atque iisdem alvum ire inſigniter, dum amplius imaginem meticuloſi cujuspiam concipiunt impendentis. Id vero obvenire vi interanea petentis caloris, auctor prodit Ariſtoteles. Ejus quippe poteſtate alvum fundi & veſicam, ac reddi facile. Nam & Anethum & Abſinthium, & quæcunque urinam movent, eadem calida eſſe, manifeſtum eſt. Cæterum nil horum evenit per flumen commeantibus. Odorandi quippe vis aquæ potui idoneæ dulcique eſt perfamiliaris. Rurſum & navigatio eſt citra periculum omne. In mare diverſa contingunt. Odorem quippe inſuetum graviter ſentimus. Deque futuro amplius ſolliciti haut ſatis fidentes tranquillitati, præſenti ſumus. Proinde æſtuans animus, ac fluctuans corpus ſimul concitat, ac replet perturbatione. Propterea primo Canonis Avicenna, Mari, inquit, commeantibus plerunque accidit vertigo, & corporis devolutio inſimul, ſed & vomitus faſtidiente ſtomacho, mox tamen reſident omnia. Horum autem ratio

Digitized by Google

ratio eventuum, inquit Interpres, profluit fere ex vehementi humorum agitatione, ac spirituum ob frequentem navigationis motum. Nam & sententiarum quarto §. 14. Hippocrates navigationem esse argumento, scribit, commotione acrius perturbari corpora. Cæterum ejusmodi vomitum hautquaquam retundendum substringendumve Medicæ scientiæ decretum est, quoniam adversus ægritudines multas præmunitio fit. Quin Avicenna idem tertia primi, lepræ, hydropisi, apoplexiæ, stomachi frigiditati, nec non inflationibus ejusdem, vomitus ratione, excellenter adjumento esse navigationem sanxit. Quamvis autem agitatio illa maris & navis prima hujus Nauteæ causa sit, uti a navi quoque dicitur & ducitur, quod & Plautus *in Amphitruone* innuit: *Lassus sum hercle navi, ut vectus sum huc, etiam nunc nauseo.* Et Cicero Philipp. 2. *Apparet esse commotum, sudat, pallet: quidlibet, modo ne nauseet, faciat, quod in portu N. fecit.* Qua ipsa etiam ratione fit, ut vel delicatuli quoque cymba saltem in flumine, aut curru quoque vecti, idem aliquando patiantur. Quo magis Flaccus risit pauperem, *Qui conducto navigio aeque Nauseet, ac locuples, quem ducat priva triremis.* Ex gravi tamen & tetro maris fœtore hanc stomachi perturbationem concitari plerique putant, quibus ipsis *Nautea* sunt sordes putidæ, quales coriariorum & quæ in sentina reperiantur, ἡ ἀντλία ἢ πλοιε, unde cietur Ναυτία, & Jonibus Ναυσία. Sic Plautus *Curcul. Nam omnium unguentum odor prae tuo, nautea est.* Item. *Casina extrema*: *Hircus unctus nautea.* Et iterum *Asinaria*:

Dic amabo an fœtet anima uxoris tuæ. D. Nauteam
Bibere malim si necesse est, quam illam osculari er.

Ubi Comicus eo collineasse videtur, quod vel olim quoque navigaturi, qui mari inadsueti forent per aliquot dies, antequam ratem conscenderent, soliti essent, aquam marinam bibere, ditiores vero eadem vinum suum temperare, quod Medici Salernitani minime duxerunt dissimulandum:

Nausea non poterit quenquam vexare, marinam
Undam cum vino qui mixtam sumpserit ante.

Eo quod villum aquosum, seu οἰνάριον stomacho vomitionibus turbato maxime conveniat, aqua vero marina os ventriculi adstrictoria sua vi claudens vomitiones præcidat. Plinius *lib.* 20. *c.* 14. *Nauseas cum sale & polenta in frigida aqua pota inhibet.* Et Columella: *Nausea discutitur etiam, si caput allii tritum cum vini hemina potandum praebeas.* V. Oribasius *lib.* 5. *c.* 3. *synops.* & P. Ægineta *lib.* 1. *c.* 56. Ab iis Tim. Brightus

Digitized by Google

tus *p.* 1. *tuend. ſanit. p.* 37. *panem vino aquoſo & odore maceratum a vomitu ingerentum, & naribus gratos odores, veluti ex aceto roſaceo admovendos* ſuadet. Ranzovius *toſtum panem ex aceto comedere jubet, conducere quoque ajunt, ſi quis ſalum, ſive aquam marinam e naviſixis oculis animoque forti contueatur.* Nam & affectus plurimum hic poſſe, vidit quoque Tullius *ad Attic.* 5: *Navigamus ſine timore & nauſea.* Medicos qui deſideret, ipſos conſulat, Montagnanam, Mercurialem, Sennertum, Capivaccium, & qui de regimine transfretantium ex profeſſo ſcripſerunt, quos exſcribere nec locus, nec tempus, nec charta patiuntur.

A N-

Digitized by Google

ANDREÆ RIVINI

DISSERTATIO SECUNDA

DE

ÆSTU MARINO.

Digitized by Google

PRÆLOQUIUM.

Sapientis dictum fuit, cujuſcunque tandem fuit, a quo Suidas *in voce* ἄμπωλις *ſublegerat:* Τὸν σπουδαῖον δεῖ θαυμάζειν τῶν δοκούντων τι παραδόξων. Οἷον χαρώνεια καὶ ἄμπωλεις καὶ πηγὰς θερμῶν ὑδάτων καὶ πυρὸς ἀναφυσήματα, ἀλλὰ μὴν κὰν ἐν ἐρημίᾳ βιώσεται ὁ σπουδαῖος κοινωνικὸς ὢν φύσει καὶ πρακτικός. *Quo ipſo memorata eruditionis puncta quædam videtur occultaſſe, nimirum, virum quemvis induſtrium & imprimis Philoſophum abdita quidem naturæ rimari & mirari, atque perveſtigare poſſe, ſed non nimium ſpeculationibus iſtis abripi debere, ita ut converſatione ſe hominum & actionibus Politicis propterea velit abdicare: inde namque contingere, ut Bellerophontis inſtar ejuſmodi ſolitarius cor ſuum comedat, & cum* Ariſtotele *æſtibus hujuſcemodi, curiſque ſuperfluis immoriatur. Alterum eſt, quod cauſam aliquam rerum illarum paradoxarum homo ſtudioſus cogitatione & ratiocinatione penetrare valeat, quæ ſi non per omnia examuſſim reſpondeat, a rerum tamen ſimilium comparatione quomodocunque perſuadeat ac ſatisfaciat, ut ne illas amplius tantopere cum vulgo oporteat demirari.* Ἀμπώτεις *etenim rem a populi opinione plane remotam & propterea nulli non admirabilem, dum cum Charoniis barathris, thermis & ignium eruptionibus contendit, minime admiratione ſapientis viri dignas eſſe cenſuit, quod tales in ſubterraneis & in ipſo quoque mari eſſent voragines, ubi aer & ignis evaporaret, cum rebus metallicis cremabilibus & calorem ſimul ac fœdum odorem exſpirantibus. Quo moti etiam multi e Neotericis fuerunt ceu J. Nardius Flor. Th. Lydiatus Anglus, An. Baccius, F. Ficetus, An. Libavius civis meus &c. ut ignivomis ſub terra marique ſitis caminis, eiſque vel bituminoſis, vel ſulphureis, vel ab alio combuſtibili pingui, tam fluido, quam ſolido, jugi generatione inſtaurato perenn-*

Digitized by Google

perennantibus, Æſtus quoque marinos effici arbitrarentur: ita ut ignis ſubterraneus a Luna Soleque inducto tepore magis evocatus, dum ad ſuperna contendens expanditur, ſuppetias quoque exhalationibus & fuliginibus ab ardente pingui præcipue ſurſum elatis, ferentibus, elevet aquas; at ubi poſtea fomitem ille repetit notoſque lares, mare rurſus conſidat atque concidat. Qua ipſa vel alia ſimili veri cauſa contentus acquieſcere & cum Horatio exclamare Philoſophus debet:

Nil admirari, prope res eſt una, Numici,
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum!
Nunc Solem & Stellas & decedentia certis
Tempora momentis ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent. Quid cenſes munera terræ, Quid maris? &c.

Hiſce tam ſapientibus monitis & nos auſcultantes, jam pridem nos a vulgo ſegregare, & æſtus marini Protea atque mutabilitatem viciſſitudinariam paulo intimius contemplari voluimus, ſed ita, ut ad æqualium congreſſum & in theatrum hoc publicum nos ſiſteremus. Et jam quidem defuncti fortaſſis videri poteramus hoc labore, cum in prioris diſſertationis promulſide philologica ſolidiores etiam cibos admiſcuiſſemus & interpoſuiſſemus paſſim, ac ne quiſquam tam ſtupidus tamque ſupinus haberet, quod deſideraret, quaſi per ſaturam lancem ἀνακεφαλαίωσιν *quandam in fine ſubjeciſſemus, ut, fractis quoque jam nucibus, nudos ibi nucleos eſſe poſſent, qui vellent. Ne tamen fidem fefelliſſe promiſſiſque minus ſtetiſſe dicamur, en denuo circa illum* φυσικὸν περίδρομον (*ſicuti Carſilides Oceanum* in excerpt. ex vet. Lex. Græco-Lat. *vocaſſe & Euſtathius ad Iliad.* ξ. ἀπὸ τῦ ὠκέως νέεσν, *quod celeriter accumuletur vel affluat & rurſus in ſe redeat, eundem Oceanum derivaſſe legitur*) *verſabimur, ita quidem, ut licet navis noſtra quo fluctus diverſarum opinionum trahant retrahantque ſequatur, in ea tamen peculiarem viam inſiſtamus, atque ſimul firmiter clavum tenentes, dum ponat tempeſtas, inde eluctemur, & in alia curſum dirigamus, ſic feliciter cum Deo, quod ſperamus, quodque deſuper exoptamus, portum tandem ingreſſuri. Tametſi namque Solino quoque teſte* dubitetur etiamnum, quibus ex cauſis intumeſcat Oceanus, nec in obſcuro ſit plura pro ingeniis differentium potius, quam pro veritatis fide expreſſa, *atque proinde tot & tanta Philoſophorum, tamque varia ſint æſtuationes, quot & quanta & quam diverſæ non ſunt ipſorum marium, ut fortaſſe citius aliquid certi ex ipſo piſceris Oceano, quam ex ipſorum hac de re ſcriptis integris voluminibus, ſeu* τὸ ὅτι, *ſive* τὸ διότι *reſpicias.*

Digitized by Google

Tentandum nihilominus & hoc erat fretum, allaborandumque ut ex eorum ſingulorum ſcriptione (quos primo loco ſeorſim, non attenta ætatis aut ſecta, niſi aliqua convenientia ratione, adducemus) aliquid addiſcentes una cum veris, primis, principalibus & adæquatis cauſis ipſas quoque adjuvantes & ſecundarias adeoque συναίτια & varias æſtus marini ſpecies ac facies efficientia vel etiam plane prohibentia recte beneque diſcernamus, atque ſic cum Marone tum ſtatuamus:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Defectus Solis varios Lunæque labores;
Unde tremor terris; qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſuſque in ſeipſa reſidant?

Ipſe qui primus ferveſcere fecit quaſi ollam profunda maris & pontum, quaſi cum unguenta bulliant, nobis quoque talem indere velit fervorem, quo media hieme, & ventoſo æmulorum fruſtra adverſante tumultu, hoc quicquid eſt ſtatione exoptata ad publicam utilitatem feliciter deponamus.

TMEMATIS II.

SIVE

PRAGMATOLOGIÆ

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ I. de quibuſdam datis,

Aſſumuntur nonnulla de prioribus: I. æſtum eſſe ex mediis, & II. involvere tam *Veniliam*, quam *Salaciam*; quæ ſpecies ſi ſint III. majores, dicantur *Malinæ*, aut minores, *Lidunæ*, aut nullæ, γαλήναι vel *Malaciæ*: Quarum illæ IV. ſint ſemidiurnæ, iſtæ ſemimenſtruæ, imo eædem & ſemeſtres, vel ſemiannuæ, a quibus V. Poſidonius non longe abſtitit. Quæ uti in hoc vel illo mari contingant, conditiones (VI. & VII.) quædam proponuntur: Definitio VIII. ac diviſio IX. repetitur, numerique ſeptenarii cum quaternario concurſus X. aſſeritur.

Digitized by Google

Ἔκθεσις.

Præmissa dudum ὀνοματολογίᾳ Philologica; nec ipsa tamen rerum bonarum & Philosophicarum plane sterili aut vacua, proximum est, ut curis secundis post adumbrationem qualem qualem, ipsum nunc πρᾶγμα φιλοσοφικώτερον, imo φιλοσοφικώτατον porro aggrediamur, non exclusso interim literarum humaniorum condimento. Præsupponimus autem ex præcedanea quam pauciſſimis: *æstum* imprimis esse ἐκ τῶν μέσων (uti fortuna sunt & valetudo) atque significare proprie utrumque *maris fervorem*, tam vaporibus ebullientem & *insurgentem*, quam fluminum trua confutatum & *subsidentem*.

II. Sicuti quoque pro concesso habemus, Latinius *Veniliam* & *Salaciam*, quam *Fluxum* & *Refluxum* maris appellari, atque proinde in posterum iisdem nominibus usuros nos frequentius denuo condicimus.

III. Neque tamen propterea Romæ priscæ cum re incognita vocabula *Malina* & *Liduna* vel *Ledonis* respuemus, differentiæ potius causa, quam quod cum istis duabus prioribus has quoque easdem esse credamus, tametsi in *Electis Pithoeanis Gloß. Veterum* ita corruptas & confusas eas agnoscamus, *Veniria* (lege Venilia) *maris exæstuatio* & *Solaria* (lege Salacia) *quæ ad mare redit. Varro. Ledo malvia hedi.* (lege Ledo, Malina hodie.) Quod non ita simpliciter verum est. Nec enim Venilia Lidunam denotat, aut Salacia Malinam: nec etiam Salaciam Ledo, vel Veniliam Malina exprimunt. Quanquam *Ledo simul* & *Veniliam* & *Salaciam debilius affluentem* & *refluentem* innuat, sicuti *Malina* pariter utramque *undam*, & *venientem* & *resilientem impetuosius tamen*, *signat*.

IV. Atque sic *Venilia* & *Salacia quotidianam* vel potius *semidiurnam* πλήμην ὑπερισσαν καὶ παλίνορσον seu ἄμπωτιν indicabimus *Malina* & *Liduna* vero *semimenstrua magna aut parva æstuum incrementa ac decrementa*; atque iisdem quoque *semestria* vel *majora* vel *minora*; & denique *anniversaria maxima*, qualia **Sprinck-Vloeten** Belgæ nuncupant, aut *minima*, *a Malaciis fere non distantes Lidunas*.

V. Neque sane Posidonii, περίοδον τῆς ἁλὸς ἡμερήσιον, μηνιαῖαν καὶ ἐνιάυσιον statuentis, sententiam penitus improbamus, sed meliorem saltem reddere annitemur, *horariam* quasi facientes, & *semidiurnam atque semimenstruam*, *ut* & *semianniversariam*; primam *Euripi*, secundam *Venilia* & *Salaciæ*, tertiam & quartam *Malina* & *Liduna* nomine dignati.

Digitized by Google

VI. Ante omnia vero quædam nobis hic iterum dari petimus e præcedentibus, ſcilicet *Elementa duo graviora cognata centrum ſuum inferius petere & ſic terram cum aqua unum globum conſtituere*, ut neutra pene videatur eſſe, ubi non alterutra ſubſit. Atque inde utrinque mutuas eſſe utriuſque excurſiones & occupationes, eoque fieri, ut *neque mare* univerſum ſit *veluti lacus in terra*, quod Jarbas ad Apollonium apud Philoſtratum proferebat; *neque* viciſſim tamen *tota terra ſit inſula*, quod Scaliger lib. 6. Poet. cap. 6. & 7. verum eſſe opinabatur, cum interim nec ipſe diffiteretur, *non omnia maria continenti tractu cum alio conjungi atque perpetuari, veluti Caſpium.* Quare & aliter Idem Exerc. XXXVII. ſ. 2. *talionum proportionem in aquis & terris* cenſuit, *mutnaſque viciſſitudines, quippe qua mare ſubit, terra cedat ita, ut ab ipſo quoque alibi excipiatur. Ut lacus in terra ſint inſulæ liquidæ, inſulæ in mari ſint lacus ſolidi:* Item *freta ac Iſthmi, nec non ſinus maris terrarumque ligulæ illæ excurrentes ac Cherſoneſi inter ſe mutua reſpondeant ratione.* Parique modo *tantum ſub Arcto detur aquæ, quantum pene terra ſub Antarctico: ſicuti etiam ſub Cancri circulo terræ multum, maris parum, ſub Capricorno ſit maris plurimum, terræ exiguum.*

VII. Medium ergo tenentes, ſtatuimus, utrumque ſuo modo ſtare poſſe, adhibito tamen diſtinctionis locorum fulcimine, ita quidem, ut vel *mare quoddam*, veluti *Hircanum*, non minus, ac illud in Sacris Literis *Geneſareticum*, ſit *quaſi lacuſtre*, nullo in loco copulatum cum alio, & propterea quoquo σάσιμον, nec æſtus reflui capax, utpote circumjectis ripis ſeu littoribus incluſum, atque ambientis terræ ſinu veluti conſtrictum: vel rurſus *mare* quoddam *aliud veluti cingulus terram circumdet*, & ideo ſit ῥυτὸν, affluens & refluens. Exindeque inferimus, vel potius ſumimus, quod Johannes Picus Mirandulanus *lib.* 3. adverſus Aſtrologos *cap.* 15. *apud hos in confeſſo eſſe*, dicit, *non evenire tales recurſus in omnibus aquis etiam marinis.* Quem locum paulo poſt integrius adducemus, cum plures *aquoſæ terræ & aquæ terroſæ* conditiones & requiſita proferemus: quæ quoniam & fontes & flumina, ſed & maria quædam non habent, ideo in illis dicunt hos æſtus non apparere, qui ob rationes contrarias in aliis ſunt ſpectabiles, eaſque ipſas *cauſas plures unius rei eſſe*, alibi diximus, *ſed unam principalem, reliquas ſecundarias & auxiliares.*

VIII. Unde retinemus quoque e priori Tmemate κεφ. IV. §. 21. præter datas jam & adhuc dandas Diviſiones, hujuſcemodi Definitionem, quod

Digitized by Google

quod *Æſtus ille maris ſit affectio, qua ejus partes quædam per certas periodos littora nunc alluunt, nunc deſerunt, proveniens ab interno motus concreati principio, luminum duum majorum, præſertim vero Lunæ diſpoſitu magis minuſve intumeſcens, ad maris ipſius & hominum utilitatem.*

IX. Quin & iſtud e dictis aſſerimus, quod ſicuti dietim quater vices mutat unda, ita & quater in menſibus ſingulis, nec non quater in anno variet notabiliter; ita ut variationes primæ ſint ſimpliciores, ſed ſi cum iſtis poſteriores conjungantur, eo quoque evidentiores: adeoque *Veniliæ & Salaciæ* ſint *forma quotidiana*, *Malinæ* tanquam hebdomade finita *die Dominico magis ornatæ* ac tripudiantes, *aliæ* denique *maximæ*, veluti *ſummo feſto* ſingulis ſemeſtribus, præſertim vero autumnali æquinoctio, *luxu affluentiſſimæ*. per *Tmem. I.* κεφ. *V.* §. 27. *&* 29.

X. Denique manu quaſi tenemus, quod in *illis quadratis æſtibus* quotidie, quotmenſibus, atque quotannis quadrifariam notabiliter alternantibus *ſeptenarius numerus concurrat*, ita, ut quemadmodum quater ſeptenis, id eſt, octo & viginti diebus conficit Luna iter ſuum, ita ſeptem quaſi horis Veniliæ & Salaciæ, vel ſaltim alterutra peragantur. Septem dimidiatis diebus ante Lunam naſcentem & totidem poſt naſcentis Lunæ principia Malina accreſcat, inde haud plane abſimili modo per ſeptem alios dies Liduna decreſcat. Rurſus ante plenilunium tribus & dimidio diebus incipiat Malina, & poſt tantundem temporis curſus ſui terminum conſumat. Inde a duodevigeſima excluſive Ledo ad vigeſimam quintam incluſive duret, dum vigeſima ſexta Malina iterum auſpicans citior in acceſſu, ſed tardior in receſſu, ſeptem diebus perſeveret, in medio ſui ſemper Lunam primam, ut in altera exæſtuatione decimam quintam calidiori excurſu oſtentans. Rurſus Luna ſeptima atque ter ſeptima in quadris ipſius, Liduna minima vel potius manifeſta Malacia eſt. Sicuti *Tmem.* I. κεφ. *V.* §. 28. *e Beda & §. 30. ex Auguſtino Hypobolimæo*, quin *&* κεφ. *VI. ex Varrone* §. 33. docuimus ibidemque memorabiliter variantes Malinas & Lidunas in æquinoctiis & ſolſtitiis utriſque, cum Sol ab uno termino ad alterum ſeptimo pervenit ſigno, allegavimus.

TMEMATIS II. CAPUT II.

TO' 'OTI pertractans,

Quod cum priſcis XI. minus cognitum, minus quoque rationem potuerunt reddere, cum XII. æſtus maris

&

Digitized by Google

& in ſe & ob περισάσεις tantopere variet, in quodam XIII. nullus, in alio & aliis quoque fluminibus ut & fontibus notabilis: XIV. alicubi ad pedes 15. 18. 60. & 90. alibi vix ad 8. vel etiam 4. aut ultra cubitum non aſſurgens; XV. nec æqualibus ubique incipiens ac deſinens horis; gradu XVI. denique majore minoreve pro diſtinctis temporibus impetens.

Ἔκθεσις.

XI. Motum hujuſcemodi alternativum maris ex ſemetipſo nunc in ſurgentem & ad littora proruentem, nunc in ſe recumbentem & recedentem in pleriſque maribus dari, oculata fide non nautarum modo, ſed & accolarum Oceani quorumvis quotidie deprehenditur, ut probatione ulteriori haut indigeat. At tanta ejus tamen eſt varietas, ut ne peritiſſimi quidem naucleri ſatis adhuc eundem quovis loco & tempore perdiſcere & obſervare ſuffecerint, *eoque minus*, Patricio judice, *Philoſophi veteres* τὸ διότι, *ſeu veras æſtus marini cauſas penetrare & perveſtigare potuerint, quo minus adhuc ipſis* τὸ ὅτι *fuerit perſpectum.*

XII. Tametſi namque nemo non in perpetuo illo & ſuo juſto tempore ac loco recte coordinato maris recurſu viciſſitudinario magnalia Dei deprædicandi juſtam cauſam & anſam habeat luculentiſſimam, *mira* tamen ejuſdem & alicubi exerrans vixque ſatis obſervabilis videtur ſingularitas ac *variatio, cum ſui ipſius, tum vero circumſtantiarum* jam dictarum, *loci & temporis præcipue ratione*, dum *quadam maria* ita *fervent, quadam* vero nequaquam. Illorum quædam *intenſius*, quædam *mitius*: deinde *non eadem per loca ſingula altitudine* exæſtuant. III. *nec æqualibus ubique horis, nec* IV. *æquali ſemper modo.*

XIII. Si quis itaque interroget, *An hic æſtus maris proprius in omni mari ſit conſpicuus?* tum *negando* & *diſtinguendo* totum hoc negotium *expedimus I. non omne mare, nec ſolum illud pati hunc æſtum. Non omne*, quia nec *Caſpium* nec *Mantianum* nec *Mortuum*, nec *Mœotis*; nec *Pontus*, aut *Propontis*, neque in Mediterraneo *Tyrrhenum, Liguſticum, Narbonenſe* & *pars Hiſpanici* quoque apud Barchinonem, nec *Balthicum cum* ſociis, *Livonico, Finonico, Botnico*, item & in Mexico ad *Cubam*, ac circa *Hiſpaniolam, inque ſinu*, quem vocant *Cariai. Nec ſolum* quoque mare ita afficitur, nam & flumina quædam ut *Albis, Scaldis, Eudora, Thameſis, Batis*, qui duo poſtremi ad L. uſque milliaria, ver-

Digitized by Google

versus fontes suos regrediuntur. Imo & fontes non nulli etiam a mari remoti regurgitant, de quibus videatur Majolus *in Font. dier. canicul. p.* 1. *f.* 245.

XIV. Deinde in illis quoque, quæ æstuant maribus, *quædam magis attolluntur, quædam minus.* Nam extra Herculeum & Gaditanum maria *per totam Hispaniæ oram, perque Gallicam, Belgicam & Britannicam Germanicamque usque ad maris Balthici fauces* magnus ad littora fit *affluxus*, plerisque locis non minor *pedum XV. in Belgico littore* pedum plerumque XVIII. non nusquam etiam in canalibus & sinibus altius; *in Britannia ad Bristolum* pedes attollitur LX. *in Gallia ad S. Michaelem & S. Malon* etiam XC. *in Persico & aliis alia est altitudo.* Ut habet Casmannus *in Problem. marin. quæst. 6. pag.* 156. & 157. Ibidemque ex aliis auctoribus de Orbe quoque novo retulit, a freto Herculeo *ad Insulam S. Thomæ* vix sensibile esse maris incrementum, nisi in ostiis ultra æquinoctialem, idque non majus, quam Venetiis, imo pedibus IV. minus, parvum quoque illud esse tota *Australi Guineæ & Africæ ora*; in medio pelago *inter Maidagascar & Casteria* continentem syrtibus affluxum usque ad hominis umbilicum esse, in continente vero e regione posita, homine haud altiorem. Sicuti *ad Syrtes* quoque *Alcranas* usque ad hominis medium ascendit, in intimo vero sinu usque *ad Floridam* cubito non est majus. *Ad Urabam, ad S. Martham, ad Panam tota Brasilica ora usque ad Magellanicum fretum æstus exiguus esse dicitur*, sicuti & ultra hoc fretum *in altera Oceani parte fluxus non est uniusmodi*: ad dextram namque *mare Vermetum* Hispanis nuncupatum, ingentem maris accessum & recessum sentit; *at ab eo Rubro ad Borrheam* nullum. *Ad urbem Temistitanum* in medio regni Mexicani, qua parte salsa est aqua, fluxum habet & refluxum, qua parte dulcis, non intumescit. *Ad fauces Maccarei* lacus naves appellentes Martavano *in mari de Bengala*, crescente jam aqua velocius jaculo propelluntur, idque quousque æstus in terras infertur: hoc recedente in sicco destituuntur. Æstus ille venit cum magno strepitu & aspergine, ut totæ naves madefiant, quæ cum se illi permittunt, rostris in mare prospicientibus retro feruntur. Atque idem æstus exsuperat omnium arborum summitates. Hunc & Alexander Magnus vidit, & meminerunt post Curtium, Linschottus *in Americanis* & Casp. Balbius *in Hodæporico in Syriam.*

XV. Tertio *nec idem temporis spacium ubique æstus consumit vel iisdem seu æqualibus horis absolvitur, ut nec eodem diei tempore ubique recurrit,*

Digitized by Google

ut postridie nequaquam eo, quo pridie cœperat, puncto, incipiat, vel desinat. Licet namque in plerisque Oceani partibus & juxta Patricium etiam in quatuor novi mundi fretis perpetuus sit *sex horarum fluxus*; & totidem quoque refluxus, attamen *singulis diebus una fere hora tardius mare insurgit*, quod & in aliis locis observatur, qui Veniliæ & Salaciæ tempora variant. Item *in littore Aquitaniæ ad Garumna fauces septenis horis subit Oceanus, quinis refugit; ad Erythræum Africæ Promontorium quaternis accedit, octonis regreditur.* Sicuti & *in Nigeris aut Genegaora* fluxus vehementissimus secundum Cademustum *quatuor horis absolvitur*, qui tardius deinde *per octo* iterum *destinat*: *in littore Cambaja*, quæ est in faucibus Indi *mare binis horis XXX. circiter Leucas accessu obtegit, binis totidem recessu retegit*, tantaque rapiditate agitur, ut homines ingruentem e Pelago undam vix cursu evadant, cymbalis propterea admonendi. Conimbricenses *in Meteor. tract.* 8. *c.* 4. *In mari Sicilo die bis & bis nocte* atque sic quotidie quater *fluxus fit & refluxus*, ut in *Chalcidico freto* per diem naturalem *septies*, vel juxta alios *bis septies* refluit illud. *In Liburnia ad Ausserum oppidum* angustissimus est *Euripus* isque manu factus, ideoque *Cava* appellatus, ibi plusquam *vicies mare* Patricius aspexit *quotidie reciprocans*, ut hic motus vibrationis in Euripis sit pene horarius. Sicuti & Boccatius fontis alicujus in Tamaritia Cantabriæ meminit, qui diebus singulis duodecies & aliquando vigesies siccetur & redundet.

XVI. Neque vero tantummodo loci *intuitu*, sed & *temporis motus moduſque ipse variat, ut nunc intensius, nunc remissius allabi & relabi notetur.* Major siquidem æstus circa Lunæ coitum, & oppositionem, minor in quadris, ut *a septimo ad nonum* diem Lunæ, motus maris sit pene insensibilis, unde nautæ tum *mare* Luna divisum vocant *mortuum*, sed illa nova & plena *vivum*. Sicuti & æquinoctiis atque solstitiis impetum vel auget æstuum, vel minuit, hos stabiliores, illos inconstantiores reddens Diana. Qua de re alibi quoque & paulo ante num. X. Licet hic Seleuci & Posidonii atque Gaditanorum observatio de æquinoctio experientiæ Plinianæ & Taciti sit contraria. Patricius denique testatur, in Liburnia mense Januario magnam litorum partem denudari solitam & siccam remanere per aliquot dies. Mitiores item feruntur æstus, cum Luna existit in apogeo, sed majores, cum in perigeo. Variantur quoque æstus secundum naturam earum stellarum, quas aliter atque aliter Luna aspicit, cujus vires augent Jupiter & Venus, sed Mars, Saturnus & Mercurius imminuunt.

TME-

Digitized by Google

TMEMATIS II. ΚΕΦΑΛ. III.

TO ΔΙΟΤΙ aliorum cum novorum, tum veterum perſtringens in genere.

Sententiæ aliquot belliores de Cauſa Efficiente marini æſtus excutiuntur, & I. Saracenorum, II. Macrobii & J. P. Pernumiæ, III. Joſ. a Coſta ac Libavii, IV. Lydiati & Voſſii, quibus Fromondus contradicit, item V. Lucani & G. Britonis, VI. Thimonis, Heracliti, Ariſtotelis & VII. Rog. Baconi, ut & VIII. Cæſalpini, Copernici & Keplerı, nec non IX. Lovanienſis Mathematici, & X. L. Leſſii denique XI. Platonis & aliorum, qui diverſis plane cauſis adſcribunt æſtum.

Ἔκθεσις.

I. Diximus, *quid & qualis ſit æſtus*, dicamus porro, *cur jam ſit talis*, & quidem e mente primum aliorum, tam veterum, quam novorum, quorum diverſas & plauſibiliores ea de re ſententias excutiemus exactis furfuribus pollen ſervaturi; cum nihil ſit tam pravum, quin aliquid contineat boni. *Prima* ergo non vulgarium, ſed multorum *Saracenorum Philoſophorum opinio*, nec Mirandulæ Principi aſpernabilis *loc. cit.* viſa, ab Adelando propoſita iſta fuit, quod *cum propenſione naturali* elementi cujuſque *partes ad ſuam integritatem ferantur*, ita *maris brachia* terræ obice diremta *corpori ſuo conjungi* & confluere impetu concito *dum properant*, partes concurrentes *mole terreni ſitus hiant*, ut non modo interpoſitis montibus ab eodem curſu referantur, ſed & inde, quo naturalis impellit motus, loci ipſius poſitu revocentur, atque ſic litora feriant accedentes, & objectu repulſæ retrocedant. Verum nec ipſimet Pico hic æſtus motus naturalis ſatisfacit, quod ſit aquæ, non quatenus aqua eſt, ſed quatenus partes habet ſeparatas. Id quod ad æſtum nequaquam ſufficit. Nam ſic etiam duo vicini lacus eodem conjunctionis amore tumorem concepturi & medio, quo diſcluduntur, terræ ſpatio ſe ſuperfuſuri eſſent. Quod & Fromondus vidit. Iſtud tamen exinde elicimus, quod motu quodam naturaliter inſito internoque, non externo, unda maris concitetur & propellatur ad littora, ab hiſce poſtea repellatur, ut quemadmodum in corpore animato verſus cor ſpiritus revocantur, paulo poſt iterum

Digitized by Google

distribuendi, qui parti præsertim periclitanti succurrant: ita quoque melius & tutius adversus contraria se protegent aquæ, si confluxerint, vireſque in unum contuderint & contraxerint, ut majori postea vi in obstantia possint resurgere.

II. Affines huic sectæ, vel saltem non procul ab hac sententia remoti, imo eidem succenturiati apparent jam post principia illi tam prisci, quam recentes Scriptores, qui *mare utrobique ex noſtro & altero hemiſphærio ad unum locum medium* putant *concurrere, ibidemque fortiter collidi, inde ſummo impetu ad extrema refundi.* Id quod jam tum Macrobius *ad Somn. Scipionis c. IX.* haud dubie ex aliis prioribus ut didicit, ita docuit, *Oceani gemino ambitu terra corpus omne ceu inſula circumflui, quorum prior per Zonam terra calidam meet, ſuperiora terrarum & inferiora cingens, flexum circi Æquinoctialis imitata, ab Oriente vero duos ſinus refundat, unum ad extremitatem Septentrionis, ad Auſtralis alterum: rurſuſque ab Occidente duo pariter enaſcantur ſinus, qui uſque ad ambas extremitates refuſi occurrant ab Oriente demiſſis; & dum vi ſumma & impetu immaniore miſceantur, quod invicem ſe feriant, & ex ipſa aquarum colliſione naſcatur illa famoſa Oceani acceſſio pariter & receſſio. Et ubicunque in mediterraneo mari contingat idem vel in anguſtis fretis, vel in planis forte littoribus, quod ex ipſis Oceani finibus, quos Oceanum nunc vocamus, eveniat, quia Mediterraneum mare ex illis influat.*

III. Macrobio adhæsit, quicquid alii Physici vel Astrologi dixerint, etiam Johannes Paulus Pernumia Patavinus *lib. 3. Phyſ. c. 8.* "Cum mare "magnum (scribit) cingat terram totam ab aquilone per occidentem ad "meridiem, atque ab aquilone per orientem ad meridiem; cumque "in parte meridionali (ubi continuo ratione maximæ caliditatis maxima "pars aquæ consumitur, & in aerem vertitur) locus maris efficiatur in "ea parte declivior, non est etiam mirum, cum aqua naturaliter sit gra"vis, si naturaliter descendat ad locum declivem, quo fit, ut cum aqua "maris circulariter progredi non possit, ob hoc, quod locum non habeat "æqualem, reperiens locum declivem, tota aqua maris recurrit ad lo"cum declivem, ex quo fit, quod in parte aquilonari ubi reperitur ma"jor copia hujus elementi, mare quo ad motum suum in duas partes dis"secetur, & hoc ut quam citius tendant ad locum factum declivem, al"tera quidem pars ab aquilone per punctum occidentis tendens ad me"ridiem, altera vero pars ab aquilone per punctum orientis tendens ad "meri-

Digitized by Google

"meridiem, ubi cum invicem altera alteri obviet, impedit altera "alteri motum progrediendi ulterius, & hoc modo creant in toto mari "fluxum ac refluxum. Ratio vero, cur bis in die naturali fluat ac bis re- "fluat, adeo ut per ſex horas fluat & per ſex horas refluat, atque iterum "per ſex horas fluat, iterumque per ſex horas refluat, hinc ſumi poteſt, "nempe quod cum ex nuper dictis altera maris pars alteri obviat & altera "alteri, ſequitur in eo impetu, quod mare actum ac pulſum vi quadam "ad terras diffundatur, cumque ab ea parte ubi invicem deviat ad terras "uſque, tantum ſit ſpacii ac viæ, qua poſſit perfici a motu aquæ in tem- "pore ſex horarum, iterum per eandemmet viam rediens in reditu tan- "tundem temporis conſumit; in cujus regreſſu ad partem decliviorem, "cum iterum aqua maris regrediens aquam maris reperiat majoris quan- "titatis, iterum repellitur per eandem viam ac ſpacium, conſumens in ad- "ventu ac reditu alias duodecim horas continue, nec unquam ab hoc mo- "tu regulari ſex horarum fluxus, ac aliarum ſex refluxus, deſiſtens.„ Ve- rum enim vero una nauticæ experientiæ hodiernæ, quæ nullibi hanc col- liſionem reperit, ſcutica omnes, qui talia probabiliter ſomniarunt, con- futantur, tametſi & inde adhuc aliquid veri excerpſerint alii.

IV. Nam ex ore quidem Navarchorum fidiſſimorum Joſephus a Coſta, & poſt eum Mat. Merian *in deſcribenda novi mundi natura* referunt, quod ad freti Magellanici anguſtias *Mare Pacificum*, Hiſpanis *del Zur*, i. e. *Auſtrale* vocatum & a partibus Aſiæ, Americæ & Magellanicæ diffu- ſum, *obviet Aquilonari alteri* (*del Nord*) inter Americam, Europam, & Africam ad uſque lineam æquinoctialem protenſo; ita tamen, ut quam- vis pariter eodem momento utrumque increſcere & æqualibus quoque ho- ris quotidie decreſcere, & ſic quodque iterum verſus partes & oras ſuas, vel Auſtrinas, vel Boreales recurrere videatur; nequaquam tamen inſtar duum arietum coniſcent ambo maria, cum illa fluctuum utrinque ſibi occurſantium & mox recurſantium alteratio & alternatio in alto contin- gat, loco quidem ſeptuaginta milliar. ab Aquilonari, & triginta mill. ab Auſtrino mari diſſito: verum licet utrumque mare ab alterutro notabili ſeparetur ibi diſcrimine, nulla tamen palpabili externa miſceantur violen- tia, a qua utrinque refringantur & verſus littora ſua repercutiantur, ac retundantur, ſed omnino eodem temporis momento utrobique accipiant principium æſtus ſui ab interna cauſa, dum a fundo imo, velut in olla fervente ebullientes aquæ commoveantur, inde exæſtuent ſuperfluitate poſtea ad loca priora, unde defluxerant, varie excurrente, prout tumor

Digitized by Google

magnus sit vel parvus, littora vel alta vel humilia, causaque ab imo sursum movens valida aut imbecillis. Sicuti eadem aquarum natura plenilunio potissimum maria purgat & a fundo egerit quicquid absorbuit, si modo pro gravitate possit. Sicuti fere e Libavio *lib. 5. de Orig. rerum* repetiit Jonstonus *in Admirandis Elemen.*

V. Idemque Polonus Admirator socium quasi aut comitem pragresso illi adjungit Thom. Lydiatum *de Orig. Font.* qui *istam effervescentiam igni cuidam subterraneo*, a vastis *bituminis* sub fundo marino latentis *montibus accenso attribuis*, cujus exhalatione mare subinde ampulletur & tumescat, illumque ignem vel limum flagrantem supponit in gurgitibus præcipuis & voraginibus fere in directum oppositis Oceani, quem totum duplicem faciant duæ vastissimæ continentes; hinc quidem Asia, Africa, Europa, illinc America in duas oppositas mundi partes illum dispescentes, cujusmodi voragines & Olaus M. & Paul. Warnefridus & Hon. Augustodunensis & Plato, aliique tradiderunt. Eoque & rationem reddi ajunt, cur sola salsa æstuent, quia nempe idem bituminis spiritus, qui salsedinem, etiam æstum facit. Atque sic etiam Luna cum Sole apud Antipodas constituta nihilominus per aquam in nostri quoque hemisphærii mari fixus ciere & mare attollere potest. Hanc opinionem fovet & probat quoque J. Vossius *l. 2. de Orig. idolol. c. 69.* Sed Lib. Fromond. *lib. 5. Meteor. artic. 8. pag. 25.* refellere nititur, quod non proprie sit æstus: sed metaphorice, alias insigniorem marinæ calorem in æstu oporteret percipi. Sed negat Lydiatus, id necesse esse, ut æstu sit calida aqua, cum longe a loco ebullitionis absit. Nec, quod iste dehinc opponit, naves pleno & inflato æstu altius deprimi, fortassis opus quoque foret, propter eandem rationem. Illud tamen scrupulum magnum injicit, quod sic totum Orbem circumquaque usque in adversam terræ partem pertusum esse oporteret, cum unum tale foramen in mari, v.g. Norvegico, non sufficiat ad implendum æstu totum Oceanum nostrum usque ad Hispanias, & ipse quoque æstus prius in Norvegia, quam Hollandia, Flandria, & Britannia ita cogeretur intumescere, cum tamen idem Oceanus sub eadem longitudine & meridiano simul assurgat. Atque iidem quoque ignes non usque adeo periodicam illam constantiam servare possent ut pro affluxu, aut penuria materiæ ac pabuli nunc plenius, nunc malignius alantur, & sic eodem etiam pacto æstum hunc variaturi essent. Quare ad Solem & Lunam quoque confugit Lydiatus, qui ista incendia calore suo exsuscitent, atque bituminosos parietes inflamment. Sed Fromondus negat

Digitized by Google

negat Solares quoque, nedum Lunares radios ad fundum uſque maris trajici, aut tantum calorem importare poſſe. Reponit alter: quod magis gliſcat & æſtuet ignis, dum radiis illorum Planetarum foveatur, quo magis directi & perpendiculares in gurgites inciderint & fulmine ocyus ab hemisphærio uno ad alterum per terræ perterebratæ diametrum vis radii trajiciatur, uti in pyrio pulvere, longo ordine diſpoſito, ſi ſcintilla prima accenſa fuerit.

V. Famoſiores & receptiores tres illas diverſas, ſed ſubordinatas tamen cauſas, *Ventos* ſcil. *Lunam* ac *Solem* Lucanus quoque *lib.* 1. *Pharſ.* ante Guilielmum Britonem, qui tamen illum imitatus eſt, contulit, quas *priore Tmem. cap.* 4. & *ult.* citavimus. Atque illa quidem Poetæ & ipſius quoque aliquorum judicio æſtuoſi de æſtu ratiocinia a ſummis Philoſophis hauſta præſtare poſſumus. Tametſi namque ventorum cauſa motum maris ordinatum ſenis horis provehere & totidem revehere nequaquam poſſe videatur, ut potius aliquando nonnihil ipſum regularem curſum & recurſum turbet ac impediat. Nam quomodo v. g. Aquilo per aliquot continuos dies ſpirans mare regurgitare pateretur, ſi ejus excurſus ipſe eſſet cauſa princeps? Verum enimvero per ventos hic intelligunt illos maris inteſtinos, cum ſalſis vaporibus, æquor tumidum reddentes, & in littora atque ipſa flumina propellentes, quod ubi illi evanuerint, poſtea reſultet & verſus centrum ſuum revertatur.

VII. Plerique alii tamen cum hanc cauſam imbecillem alia ipſam ſtimulante indigere viderent, eidem cauſæ intelligentiam quaſi quandam fortiorem appoſuerunt, ut Thimon *lib.* 2. *Meteor. q.* 2. & alii: qui maris fluxionem in *Solem*, aquarum rarefactione ventos vaporeſque mare impellentes elevantem, retulerunt, quibus poſtea a Sole abſumptis, æquæ iterum ſubſidant. A qua opinione nec Heraclitus abhorruit, nec Ariſtoteles, docente quoque poſt Plutarchum Aetium & Strobæum Mirandulæ generoſiſſimo Comite Johanne Franciſco. Quorum ille Chæronenſis Philoſophus diverſa Philoſophorum placita de æſtu marino recenſens, librorum, quos de illis conſcripſit, tertio hæc commemorat: *Ariſtoteles & Heraclitus a Sole fieri ajunt, qui pleroſque ſpiritus moveat, ſecumque circumducat, quibus incidentibus propellatur mare Atlanticum intumeſcatque, & affluxum maris efficiat, iiſdemque deſinentibus retro abſtrahatur ac recedat, quo pacto reſorbeatur mare.* Alter vero hoc addit: *quod Sol vi caloris & luminis ſui potentis facile agitet moveatque corpus hoc maris ſuapte natura jam fluidum, ſequax, liquidum & externis impreſſio-*

Digitized by Google

preſſionibus facile obnoxium, cum & Luna ipſa (cujus lucis non tantum robur, quantum luminis Solis) ſi ſit plena, atque ita Solis lumini & ipſius vis conjuncta, tum omnino validius attrahatur & moveatur mare. Vide ſis Phil. Mocenicum *univerſ. inſtit. part.* 1. *Contempl.* 4. *c.* 10. & L. Danæi *Phyſ. Chriſt.*

VIII. Non eſt igitur, cur Rogerius Bacon *in Epiſtola ad Clementem V.* ſe cauſæ marini æſtus unicum & primum repertorem jactitarit. *Luna*, inquit, *præcipue & partim Sole rareſcit, & ſpiritu multo inflatur mare, quo exſpirante & conſumpto denuo conflacceſcit. Conſumitur autem maris ſpiritus, cum Luna ad meridianum venit, quæ radio perpendiculari & angulis rectis, qui fortiſſimi ſunt, ſuperficiem aquæ pertundit: aſcenſu vero, cum radius oblique inciderit, ad reſolvendas & commovendas, non abſumendas exhalationes valebat.* Cui Fromundus opponit: quomodo non pari angulo & obliquatione mare deſpiciens, Luna, cum a faſtigio cœli ad occaſum defluat, non pariter ſpiritus inflantes reſolvat, & quomodo illa aquas magis penetret, quam Sol, ut quæ ſpiritus illos hic cispellat, ubi oppoſitum cœli verticem & Antipodum meridianum teneat?

IX. Apud eundem tamen Plutarchum *loc. cit.* Seleucus Mathematicus aliam rationem, qui venti concitentur, comminiſcitur. Ipſe namque motum terre tribuens, ejus *revolutioni ac motui Lunam adverſam ire*, ait: *cumque ventus, qui intra duo iſta corpora intercipitur, in diverſas partes hoc pacto agitetur, eo in Atlanticum mare incidente, hoc quoque ſecundum ejus motus concitari.* Huic veteri paradoxo adhærens Andreas Cæſalpinus *in quæſt. Peripat. lib.* 3. *quæſt.* 5. terræ motus Pythagorici & a Copernico atque Keplero denuo incruſtati effectum ſentit eſſe maris æſtum. Ita ut in terra mota moveatur & mare, quo nunc affluat, nunc refluat. Quem tamen haut immerito refutatum legere poteris apud Taurellum *in Alpibus cæſis ad d. l.*

X. Neque fortaſſis multum abluſerit Mathematicus iſte ex Lovanienſi factus Romanus, apud Fromundum, qui æſtuare mare exiſtimaverit, *quod Angelus aliquis terræ motor* (incertum, ſub quo Zenith) *globum terræ attollat ſupra centrum aliquot cubitis, totidemque infra deprimat* per certa & modulata intervalla, ita ut, dum terra in altum elevetur, ſiccentur aliquo uſque vada, quia aqua in oppoſitum hemiſphærium tanquam ad loca jam depreſſiora & centro gravitatis propinquiora defluat, cum vero deprimatur; mare hic tumeat, quia ex altero hemiſphærio ad nos affluat.

Sed

Digitized by Google

Sed præterquam quod ſic nulla ratio inæqualitatis æſtuum reddi poſſit, ipſa quoque flumina dulcia reciprocationem & æſtum perſentiſcere, atque verſus ſuos fontes relabi, aut curſus ſaltim retardare deberent. Quod ipſum quoque contingere oporteret, ſi Angeli (ceu Leon Leſſius ex Johan. V. de motu probaticæ piſcinæ & Apoc. XVI. ab Angelo aquarum dicto ſubſumpſit) ipſum immediate aquæ elementum fundendo revocandoque reciprocationem hanc facerent, ad ejuſmodi mediaſtinorum officia condemnati.

XI. Honorius Auguſtodunenſis *lib.* 1. *c.* 41. Platonis accedens ſententiæ, qui *ſpecus cujuſdam immani hiatu aquas ſurſum trahi & effundi, ſubindeque eodem refluere*, atque ſic e tali orificio æſtus prorumpere cenſuit: iſte vero in hujuſcemodi cavernoſis lateque patentibus ſpeluncis, iiſque profundiſſimis *ventos de ſpiramine aquarum concipi* credidit, qui & ſpiritus procellarum dicantur, ab iiſque aquas maris in abyſſos abſtrahi & mox exundantes iterum magno impetu repelli. Cujuſmodi voraginem aquarum profundiſſimam *in littore Scandinaviæ* contra occidentalem partem, qua ſine fine Oceanum pelagus patet, cum vidiſſet Paulus Warnefridus, quem uſitato nomine *maris umbilicum* dicit vocatum, qui bis in die fluctus abſorbeat & rurſum evomat, ſicuti per univerſa illa littora accedentibus & recedentibus illis fluctibus celeritate nimia fieri comprobatum ſit, ut naves ſagittarum per aera lapſus imitari videantur, cum in illud barathrum horrendum abripiantur, nonnunquam etiam cum jamjam mergendæ ſint, ſubitis undarum motibus retro actæ tanta rurſus agilitate exinde elongentur, quanta prius attractæ ſint. Quin & aliam hujuſmodi voraginem *inter Britanniam Inſulam & Galliam* eſſe affirmant, cui etiam rei adſtipulentur *Sequanicæ Aquitanicæque littora*, quæ bis in die tam ſubitis inundationibus oppleantur. Ipſum denique *Adriaticum mare*, etiamſi minus ſit, credibile tamen cenſet, parvos occultoſque habere hujuſmodi meatus, quibus & recedentes aquæ ſorbeantur, & rurſum invaſuræ littora revomantur. Quæ ipſa tamen ratio cum primis fere iſtis ſupra allegatis rationibus videtur coincidere, quando non modo ſpecus hujuſmodi ſecundum maris æſtum aut opplentur aqua, aut vacuantur, de quibus C. Jul. Solinus Polyhiſtor *in Pontico fragmento* dixit:

Quæque ſub æſtifluis Thetis humida continet antris:

Verum etiam *ſpiritibus* ibidem *quibuſdam* marina iſta percelluntur, *ſimulque fluctuum concurrentium mole nunc progreſſibus litora, nunc recurſibus ſinus cœli quatiuntur.* Ut habet etiam Apulejus *de mundo pag.* 65. Ve-

Digitized by Google

rumenimvero bene *inter ejuſmodi vertigineſas voragines ſingulares & inter generalem maris reciprocationem diſtinguendum*, & de illis Coel. Rhodiginus *lib. XIV. c.* 12. legendus & capiendus erit, ut & Virgilius, illis, quos de freto Siculo protulit, verſibus:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus rurſuſque ſub auras
Erigit alternas & ſidera verberat unda.

TMEMATIS II. CAPUT IV.

Cauſam æſtus receptiſſimam in Lunæ motu, lumine & influxu e variis ob varia quærens & examinans.

XII. At cæteri plerique omnes *Luna, ceu moderatrici atque patrona cognatarum aquarum & humorum* (quemadmodum *Sol* aeris univerſi ac *ſpirituum* in animatis *temperator* dicitur) *cauſam æſtus impingunt:* Ut *quæ natura ſua proprietate dominetur humidis & frigidis, quia a Deo condita, ut præeſſet nocti, quæ eſt humida & frigida: ibi jam regnat, ibi triumphat, illa ſe jactat in aula, veluti cœlo ultima, ſolo ſaloque cituma lumine lucens aliene, tantam ac talem vim commoditate loci, qualitate ſui, differentia luminis optimo jure ſortita*, ut eleganter diſſeruit Danæus ac Edmundus Campianus, & hic quidem coram Regina Angliæ Eliſabetha in Comitiis Magiſtrorum Oxonienſibus. Idem vero ſenſerunt Cicero *lib.* 2. *de nat. Deor.* Strabo *lib.* 3. Plin. *lib.* 2. *cap.* 92. Ptolemæus *lib.* 2. τετραβ. *c.* 12. Auctor *Libri de mundo*, Lucretius, Albumazar *lib.* 2. *majoris Introduct. ad Aſtron.* Albertus M. *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 6. Thomas, Scotus, Alenſis, Ficinus, Contarenus, Lemnius & Cardanus *lib.* 3. *de ſubtil.* ut & ad eum quoque Scaliger, *Exerc. LII.* Unde Senecæ quoque *de Provid. c.* 1. & qui eum eſt imitatus Declamatori illi apud Agellium *lib. IV. c.* 1. Oceanus *Lunæ comes* dicitur, *cum qua adoleſcat, ſeneſcatque.* Ipſa vero Diana regina eſt & Sil. Italico, ubi de freto Gaditano canit:

Cymothoes ea regna vaga, pelagique labores
Luna movet, Luna immiſſis per cærula bigis,
Fertque refertque fretum, ſequiturque reciproca Thetis.

Quemadmodum & Claudianus idem ſenſit *de VI. conſulatu Honorii verſ.* 495. *alibi Tmem. I. cap.* 1. §. 6. laudavimus, eoque Manilium *l.* 1. ſic quidem emendatum ad æſtus trahimus:

Et

Digitized by Google

Et cum damna, tuas tum imitantur, Delia, vires.

Quare & Solinus *cap. XXVI.* ſcripſit, *qui ſyderum ſequuntur diſciplinam, contendunt motus iſtos maris commoveri Luna curſibus, adeo ut ſic vicissitudines inter maciem aquarum & plenitudinem reſpiciant ad auctus ejus vel defectiones, neque eodem ſemper tempore, ſed prout illa aut mergatur aut ſurgat, varient ſe alternantes recurſus.* Quod tamen non uſque quaque ſicce eſt capiendum, vel ſimpliciter aſſerendum, cum aliqua ſit varietas, neque id ubique ſervetur, Luna quoque non ſemper ſupra ſemicœlium noſtrum ab ortu ad occaſum XII. horas conſumat, tametſi cum Apulejo *de mundo pag.* 65. libenter concedamus, *quod ſentiatur etiam cœli mariſque cognatio, cum menſtruis curſibus Lunæ decrementa & acceſſus fretorum atque æſtuum deprehendantur.* Nam ut Joſephus quoque Iſcanus *lib. 1. v.* 364. inquit:

At fremitu accepto Nereus excuſus ab antris
Mutatis horreſcit aquis: fontique relapſus
Naſcentem explorat Lunam, viſoque meatu,
Quem genitrix natura dedit, ſecurior exit.

Ubi Dreſemius addit: *explorat Lunam, quia pelagi trahailla Dea variis æſtibus impregnat maria*; præſertim ob eam rationem, quod terræ marique ſit proxima. Quamobrem Ptolemæus ſic ait: ὅτε σελήνη ὡς περιγειοτάτη δίδωσι τοῖς πρὸς τῇ γῇ, τὴν ἀπόῤῥοιαν συμπαθόντων αὐτῇ καὶ συντρεπομένων τῶν πλείστων καὶ ἐμψύχων καὶ ἀψύχων καὶ Ποταμῶν μὲν συναυξόντων καὶ συμμειούντων τοῖς φωσὶν αὐτῆς τὰ ῥεύματα θαλασσῶν δὲ συντρεπομένων ταῖς ἀνατολαῖς.

XIII. Qua ipſa ſola Luna commode demonſtrari poſſe, dixit Poſidonius, *cur vicenis quaterniſque horis permutatim bis affluat & bis remeet mare?* Secundum diurnum ſcil. Lunæ motum ad quatuor cœli portiones quadrifariam diviſum. Eadem quippe ſupra horizontem ab ortu aſcendente ad cœli verticem, meridieique terminum, mare ab imo quaſi impulſum pariter aſſurgit, exæſtuat & regionem atque continentis interiora verſus undabundum ruit & in æſtuaria diffluit; donec illa meridianum circulum attigerit, & inde ab altiſſimo loco ac cœli faſtigio ad occaſum declinans Oceanum ab æſtuariis in gurgites pedetentim rurſus compoſitis fluctibus regredientem ſecum quaſi abripit, ut aqua ſeſe in locum ſuum recipiat. Rurſus cum ab occaſu, ſub horizonte hoc, Luna Antichthonibus noſtris oritur, ſubter ima cœli ad punctum meridiei pergens ac vergens, denuo attollitur & exundat mare, ac ſi alveum ſuum egreſſurum

Digitized by Google

foret: quoad Luna meridianam lineam occuparit nocte media. Unde poſtremo ad noſtrum hemiſphærium aſcenſura ſeſe contrahit Luna, tum maria quoque in conſuetos alveos relabuntur, quouſque ad hunc horizontem exoritura recurrat. §. 30. Quin ex ejuſdem quoque Lunæ curſu ſingulis diebus locum & tempus aliquantulum variante declarari quoque poteſt, *cur in dies ſingulos horam fere integram fluxum ac refluxum mare ſuſſlaminet?* quoniam Luna unius diei intervallo quatuordecim fere gradibus, quorum quindecim horam æqualem conficiunt, retrocedens proprio motu tardius oritur: ex quo fit, ut ſi Oceanus meridie littora contexerit, die ſequenti hora prima, tertio die hora ſecunda recurrat, quia totidem fere horis Luna curſum remoratur. Et propter eandem diverſitatem exortus Lunæ & aſcenſionem ſignorum quoque Zodiaci inæqualitatem æſtus illos alias tardius, alias celerius accidere manifeſtum eſt; ita ut fere nunquam acceſſus receſſibus duratione temporis pares ſint, niſi Luna in ſignis æquinoctialibus exiſtente. vid. Bartholini *Aſtrolog. quæſt.* 195. *& lib.* 2. *de Aquis cap.* 5.

XIV. Præterea exinde palpabile eſt, *cur unda maris in plenilunio maxime ferveant*, alias miteſcant, *certis etiam Lunæ temporibus magis intumeſcant maria*, quatenus illa ut plenior, ita efficacior diverſis etiam ad Solem fertur aſpectibus, qui ubi v. g. hieme per aquatica ſigna tranſit, ea quoque Lunæ virtutem ſecundum illius a Sole factam irradiationem adjuvant, ſicuti *etiam cæterorum Planetarum natura*, quos aliter atque aliter Luna aſpicit, *æſtus variant.* Item *cum ſigna tropica, aut* etiam *illa obliquarum aſcenſionum Luna peragrat*, æqualiores & minores fiunt æſtus, contra inſtabiliores & majores concitat atque diutius producit, *cum per æquinoctialia & rectarum aſcenſionum ſigna Luna currit*; Sicuti & *illa* juxta Plinium *in Auſtros degreſſa, propiore niſu vim ſuam exercet* magiſque turbat aquas, quarum *æſtus mitiores ſunt, cum illa Aquilonia a terris longius recedit.* Qualibus & ſimilibus regulis ac rationibus Peripatetici hoc totum negotium compegerunt, curque Lunam cauſam efficientem æſtus arbitrari debuerint, evincere voluerunt.

XV. E quo etiam intelligi jam poterit Zeno Romanus *de provid. cap.* 1. *Undæ ac horam ad diem ſubeunt, ampliores minoreſve prout illas lunare ſidus elicuit, ad cujus arbitrium Oceanus exundat.* Item Silveſter Girardus ſcriptor Anglicus *lib.* 2. *de miraculis Hyberniæ cap.* 3. cum inquit: *Luna meridiem obtinente ſemper Oceanus ad occulta receptacula pediſſequas revocans undas, Auſtralia Britanniæ littora rurſus evacuat; Hybernica*

vero

Digitized by Google

vero Dublinia latera plenaria fluctuum reversione tunc adæquat. Mox: *Luna revertentibus radiis cum ultra medietatem jam tumescit, & quasi ventrem facit, occidentis æquora secretis quibusdam naturæ causis exasperari incipiunt & moveri, & usque ad orbicularis perfectionis rotunditatem undosis fluctuationibus de die in diem amplius intumescunt, longeque transuales metas abundantius littora complent. Eadem vero fugitivis ignibus decrescente & quasi vultum avertente paulatim tumor ille detumescit, & juxta Lunares defectus tanquam residente derivationis exuberatione, proprios iterum redit in canales. Adeo quidem Phœbe totius humoris fons est & fomentum.*

XVI. Sed quæritur porro, *qua Luna virtute maris augmentum & decrementum efficiat?* Non solo utique *motu* aut *lumine*, ut Averroes credidit, ita namque in interlunio, vel cum Luna sub terras demersa, nullum ad nos jaculatur splendorem, æstus quoque in nostro mari cessare & sopiti esse deberent, neque tanta semper in mari, existentibus etiam illis duobus instrumentis, existere potest vaporatio, qua sola vigente mare intumescat, considente vero subsidat. Quare rectius Albumasar *latentem* insuper *qualitatem Lunæ* messe tradidit, quam *influxum* vocant, cujus interventu in hoc mundo elementari maris reciprocatio concitetur. Vid. Conimbric. *in libros Meteorologicos Aristotelis tract.* 8. *cap.* 6. & Picus Mir. *l. cit.*

XVII. Qua ipsa qualitate effectrice tametsi occulta, dum Luna concitat aquas, & secundum diversos aspectus propinquitatemque ad mare & obtusiores aut acutiores angulos, nunc easdem ad littus elevando trahit, nunc iterum relinquendo suopte pondere in decliviora resilire & se colligere facit; non opus est ullam rarefactionem marinarum aquarum ad littus properantium & per addensationem ad mare recurrentium, cum Albertistis, Bacone, Valesio *in Sacra Philos. cap.* 52. atque Contareno excogitare, ad modum illum, quo fiat æstus marinus, perscrutandum.

XVIII. Dum vero dicunt, *non solo motu aut lumine Luna æstus marinos contingere, non excludunt tamen illa.* Nam cum corpora superiora manifestis cum primis viribus polleant valeantque, virtutesque suas infundant hisce inferioribus per motum utique & lumen, ut quanto plus habeant luminis, tanto fortius etiam operentur, quia lumen æstus stimulat & in majus extollit. Quo circa & in oppositione Lunæ cum Sole, illa lumine turgens, hoc ipsum versus nos effundendo majora crementa & decrementa præstat aquarum, quam in conjunctione ejus cum Sole:

Digitized by Google

tametsi & tunc in coitu luminum, virtutibusque amborum Planetarum unitis, magnos quoque fieri aquarum motus & cursus, augmenta & diminutiones necesse sit, utroque namque loco in ♂ scilicet & ☽ Luna subvehitur in absidem, ut secum Oceani gurgites subvehere videatur. At in trajectione quadrata fertur ad hypogæum tanto fere spacio, quantum Oceanus a Luna distat. Bodinus *in Theatro Nat. lib. 5. pag. 611.* Hinc cum Luna erit in quadratura prima vel secunda cum Sole, aqua maris nec fluet nec refluet sensibiliter, sed videbitur stare, & si quis motus aquæ fuerit, exiguissimus erit, cujusmodi falsam quietem maris Veneti appellant *aequa de fele.* Priore itaque existente quadratura, quia Sol & Luna toto tempore unius revolutionis cœlestis, quod est XXIV. horarum, æquipotentes semper sunt sine notabili disparitate in motione aquarum æquali vel quasi æquali se invicem impediunt, ut illæ videantur quiescere. Quod accidit circa octavam diem post conjunctionem Lunæ cum Sole. Eadem causæ cum adsint quoque in quadratura secunda, quæ in prima, idem quoque circa XXI. diem contingit.

TMEMATIS II. CAPUT V.

Nostram sententiam & particulariores juxta ac universaliores intra & extra mare, in spiritibus præcipue, tam insititiis, quam adventitiis, sitas rationes, cum dubitationum quarundam discussione, enarrans.

Ἔκθεσις.

XIX. Recensitis nunc aliorum diversis, nec semper adversis opinionibus, supererat, ut quid ipsi amplecteremur, palam faceremus: verum *fortasse magis ad opinionem bona existimationis* (ut cum Scaligero loquar) *conduxisset silentium, quam audacia,* quamque *lotum ab aliis laterem nova elotione dissoluere.* Sicuti & Fromondo satius visum, pene nihil decernere, & complicare manus, cum tantum sit naturæ arcanum, marinus æstus, de quo facilius quam causam respuat, non quam admittat, videre possis; atque propterea Eustachius a S. Paulo cum probabiles & probabiliores quasdam produxisset & rejecisset sententias, ista probabilissima visa est eorum, qui existiment, *hunc maris æstum esse e genere eorum, quos Deus auctor naturæ, secretorumque artifex, mortales celare voluit, ut inde ignorantiæ suæ conscii, occasionem sumant admirandi naturæ Creatorem.* Quia tamen tanto adhuc magis dilaudare & extol-

Digitized by Google

tollere eundem Dominum noſtrum poſſumus, ſi non vaccarum inſtar portam novam intuentium, omnem rectæ rationis ab ipſo quoque Deo nobis inditæ abjecerimus, ſed ipſius quoque ductum & revelationem in Verbo S. S. ſecuti fuerimus. *Non paulo enim profundius in ſapientiæ potentiaque Divina obſtupeſcam*, (ait Fromond.) *quæ cauſis etiam corporeis dare potuerit tam admirabilis effectus virtutem.*

XX. Nimis itaque arridet eorum placitum, qui *cauſam motus hujus tam in mari, quam extra mare quærendam putant. Illinc* quidem ad Dei omnipotentiam ante omnia confugiendum rati, quæ mare, ita ut affluat & refluat, crearit, utque vi primæ illius juſſionis divinæ perpetuo maneat ad hunc motum diſpoſitum. *Hinc* vero illam inſitam qualitatem, ab externis cauſis, veluti corporibus cœleſtibus, excitari & adjuvari poſſe judicant. Quam ad rem 1. *Tmem. cap.* 8. ſimilitudinem contulimus cœli. Sicuti enim haud aliam ſciunt adducere cauſam, cur Sol, Luna & cæteræ ſtellæ hoc & illo modo moveantur, niſi quia ita Deus illas creavit, & tale principium motus internum illis conceſſit: ita & mare ideo æſtuat, quia Deus, ut ſic affluat & refluat, voluit, ſanxit, præſcripſit. Multum autem refert, quomodo in vim illam internam vis ſuperna, ceu in ſubjectam ſibi materiam agat & influat, verum etiam quomodo hæc ipſa maris qualitas in hoc vel illo loco magis minuſve ad hunc effectum recipiendum ſit diſpoſita. Quemadmodum enim vis generandi varias herbas vigore primæ creationis ineſt terræ, ea tamen niſi a Sole foveretur, nunquam quicquam produceret, uti videmus contingere in nova Zembla, ubi frigus adurens creſcere prohibet ſegetes & herbas: ita quoque viciſſim tamen *non omnis fert omnia tellus*, utcunque etiam ſe habeant cauſæ externæ. *Non* autem illa *vis paſſiva ſolummodo* mari ineſſe credenda, *ſed & juxta activa. Illa*, dum mare per ſe quidem eſt fluxum, liquidum, tractabile & externis impreſſionibus haud difficulter mobile: *Hæc*, dum ſpiritus quidam in maris fundo demerſi, aquam quodammodo animantes, ſollicitantur præcipue a Lunari ſidere, & in ſuperficiem evocantur, quo ipſo aquam, citra tamen inſignem rarefactionem, inflant, & hac atque illac diffugientes diſcerpunt; quin & Sol calore ſuo, quo aquam molliter fundit & halitum illum marinum irritat, in parte adjuvat rariorem paulo & mobiliorem iſtum reddendo ſuo tepore. Sicuti hanc opinionem Fromondus *cit. loc. lib. V. Meteor. p.* 265. probavit.

XXI. Hujuſmodi *Spiritum*, mare commoventem & veluti igne excoquentem, (ut ſpumet inſtar ollæ ad focum bullientis, aut aheni pharmacopolæ,

Digitized by Google

polæ, in quo multa miſceantur ſimplicia) *ſeu Phyſicum illum, ſeu adeo Metaphyſicum per Leviathanem expoſuerim* apud Hiobum cap. XLI. *de cujus ore lampades procedunt, ſicut teda ignis accenſæ, & de naribus ejus fumus ſicut ollæ ferventis & aheni magni.* Et mox: *ferveſcere facit quaſi ollam profundum maris; & ponit quaſi cum unguenta bulliunt.* Nimis enim tralatitium eſt aliquam balænam ſaltem hic intelligere.

XXII. Quicquid ſit, tam Sacræ (ut *Eſaiæ* quoque LVII.) quam profanæ literæ *mare fervere & ebullire* ajunt, ſicuti in caldario aquam, *id non* uſquequaque *tropice*, ceu Fromondus voluit, *ſed & proprie fieri*, nulla abſurditate aſſeri poteſt, ſicuti & coctio in animante non eſt plane impropria. Non enim quicquid æſtuat, fervet, bullit, coquitur, ignem culinarem ſemper ſupponit, ſed modo calorem, ſive ille jam ſit ab igne luculento, (qualem ſub aquis eſſe etiam Hiobus ſcivit, & ſæpe e mari erupiſſe atque multa oppida abſumpſiſſe, Majolus *p.* 1, *fol.* 214. e Vaſæo, & Poſidonio, & Nardius teſtatur,) ſeu adeo a ſpiritu calido. Niſi namque caleret mare, non ferveret, nec bulliret, nec attolleretur, nec moveretur, nec actiones produceret. Atqui actiones omnes a viribus, vires omnes ab eſſentia, eſſentia autem maris (dicente & docente Patricio) *ut & humor ſit & calor ſimul.* Uterque autem & humor & calor & movendi ſeſe & a ſe amovendi noxia vires habet: ille quidem, dum ſordes & luit & abluit; hic vero dum penetrat, incidit, heterogenea ſeparat, quod bulliente lebete quovis manifeſto apparet. Mare autem humorem eſſe, nemo non videt. Calorem quoque habere innatum, ipſemet fatetur Ariſtoteles, quia ſalſum. *Mare*, inſit, *& humidum eſt & corpulentum, multo magis quam aqua potabilis, & calidum natura eſt & particeps omnium partium humoris & ſpiritus & terræ.* Quid ergo mirum eſt, ſi mare ſpirituoſum ſemper ferveat ac bulliat, & ſaliat ac reſiliat, ut aqua & fluor omnis in lebete bulliens? Quid item mirum, ſi mare natura ſua fluor eſt, quod fluat & refluat vel ſenſim & occulte vel manifeſte? Caſman. *Quæſt. marin. 4. p.* 145.

XXIII. Iſtud tamen hic ſciendum, *Spiritus* iſtos mare cientes *vel* eſſe *Inſititios*, vel *Adventitios*; *illos* a calore maris proprio & eſſentiali; *hos* a calore terræ mari ſubjectæ; atque *illos* quidem eſſe primarios, *hoſce* ſecundarios & ab illis quodammodo productos. Dum namque mare principio hoc interno fervet, ſpiritus & vapores in ſe & ex terra ſuppoſita generat continue, quibus ſuapte ſponte ſurſum tendentibus attollitur, iiſdemque egreſſis & diſcuſſis recidit: rurſuſque novis regeneratis denuo

Digitized by Google

denuo quoque iterum elevatur, iterumque paulo post resident, perpetuisque ita vicibus nunc intumescit mare & ad littus undam pellit, nunc detumescit & in se ipsum regreditur. Qua de re perspicue quoque jam olim Strabo, & apud eundem Posidonius & Athenodorus disseruere; illius Geographi hæc Latine ita versa legimus: *Reliquum, ut causa dicatur esse solum, vel id quod mari subjacet, vel quod inundatur. Potius vero id, quod mari subest. Multo enim mobilius est & mutationes citas suscipere potest, quod humidum est, nam & spiritus, qui omnium talium causa est, copiosior ibi est.*

XXIV. Utrosque autem illos saloque soloque surgentes vel verius terræ aquosæ & aquæ terrosæ ac crassiori innatos spiritus cœlesti siderum influxu irradiationeque magis minusque pro illius dispositu elici, erigi, concitari, ac ad summa provocari credimus: cum primis autem a Luna, ejusque non tam motu, quam fere peculiari quodam & marini illius cognato quasi spiritu. Quod & D. Basilius *Homil.* 6. credidit ac tradidit: *Mare* (inquiens) *reciprocationes suscepit, nunc quidem revertens, rursus autem inundans aut diffluens, velut Lunæ respirationibus retrorsum subtrahatur, & rursus ipsius exspirationibus ad propriam mensuram compellatur.*

XXV. E quo fortasse melius capi & conciliari jam posse videtur Apollonius Thyaneus *priori Dissert. cap.* 3. a nobis adductus, qui putavit Oceanum fluere ac refluere a spiritibus (qui partim sub ipso, partim circa ipsum anhelent) impulsum retrusumque; ut & quodammodo Rhodiginus ibidem in fine allegatus: quem ad verbum transcripsit Stephanus Aqueus ad Plin. *lib.* 2. *c.* 99. dissimulato auctore Rhodigino, sicuti & ab hoc ipso Strabo reticebatur, e cujus *lib.* 1. desumptum locum istum ita citavit quoque Casmannus *in Problematis Marin. part.* 2. *quæst.* 4. *Sicuti enim animalia continue spirant & respirant: eodem modo & mare ex se & in se continenter reciproco quodam movetur motu. Clarum id fit ei, qui in littore stat ad undam, simul mari teguntur pedes & nudantur.* Quem & Minut. Felix. *Octavii principio* imitatus est: *Jam liberum littus tenebamus, ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tundebat: & ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis, torosisque. Ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso aquoris limine plantas tingueremus, quod vicissim nunc adpulsum nostris pedibus alluderet* (lege allideret) *fluctus: nunc relabens, ac vestigia retrahens, in sese absorberet.*

Digitized by Google

XXVI. Nequaquam vero ſtatim cum Stoicis, aliiſque hanc ſpectabilis mundi univerſitatem animal quoddam fingemus ex variis elementis conglobatum, quod mente & ſpiritu vivat, habeatque in profundis Oceani nares quaſdam, per quas emiſſi anhelitus, vel reducti, modo efflent maria, modo revocent, ut alibi etiam *l. d.* citavimus, & Conimbricenſes quoquo *Tract.* 8. *Meteor. c.* 5. retulerunt. Quamvis Poetæ fortaſſis liceret pari modo, ut in Sicilia gigas, inſulæ ſuppoſitus, per Ætnæ fauces ignes exſpirare fabuloſe creditur: ita & ſubter fretum Magellanicum, Enceladum, aut Leviathanum, vel etiam Neptunum aliquem caput ſubſtratum habentem comminiſci, qui una quidem narium, verſus mare Pacificum efflet undas, altera vero verſus mare Septentrionale; & ſic ab utroque mundi latere nunc mare anhelitu protrudat, nunc viciſſim attrahat, atque alternis æſtuare faciat.

XXVII. Sed miſſis fabuloſis, ad ſeria revertamur. Præter illos de tali terra & tali aqua ſuſcitatos vapores, motuque & impulſu maris concitatiore ſe ventis implicare gaudentes, hos ipſos quoque illorum mixtura incaleſcentes augeri ſentimus, ut locum quærentes ampliorem, quo ſe diffundant, nunc aquarum ſumma vellicent, mox ad infernas illius partes reflexi, rurſuſque in ſuperna proruere conati, aquas neceſſario, dum eructant, turgeſcere faciant atque propelli, quæ ubi vis illa diſſolutis vaporibus conflacceſcit, ſubſidant, atque ſternantur, & in anguſtias ſe contrahentes ab occupatis locis abſcedant. *Quam ſolam jugis reciprocationis marina cauſam ſufficere* pertendit Picus Mir. *l. cit.* cum vaporum iſta ventorumque generatio pro natura maris, ſicuti & eorundem diſſolutio ſit perpetua, niſi quod fluctuantem potius æſtum, quam reciprocantem hæc ratio faciat. Certe Ventis æſtum nimiopere variantibus plurimum, & ſingulis quidem his diei naturalis tres horas tribuunt Nautæ, ut Petrus de Medina & Auguſtinus Cæſareus docuerunt, de quibus poſtea in cauſis varietatis ſpecialibus.

XXVIII. Quare neceſſarium omnino, quicquid Picus contradicat, Lunæ patrocinium & quaſi directionem addere, propter ipſam ſenſibilem pene aquarum cum Luna concordiam, cujus motum tacito naturæ conſenſu Oceani motus imitetur, mare aſcendat cum aſcendente, & deſcendat cum deſcendente, quod & Thomæ placuiſſe videtur *in lib. de occultis operibus naturæ*, laudante eodem ibidem Pico. Non enim Medici modo obſervarunt, quod Luna creſcente ac vigente corporum humores ſoluti fluant & exundent, ea deficiente concreſcant denuo, inquit Campianus

Digitized by Google

pianus *l. cit.* Sed & Physicos, addit, audi! *Aqua marina mixta vaporibus insigniter crassa, arctiorem in locum tantisper conglobata est, quoad in hemisphærium maritimæ regionis Luna conscenderit ac illam duritiem fregerit, concretiones dissipaverit, densiora decoxerit. Ex his omnibus hæc summa nascitur: accedente Luna propius, mare, solutis & liquefactis vaporibus, quibus undique refertum atque commissum est, (non secus quam aqua in olla ad ignem posita) protinus ebullire & exæstuare: eo fieri, ut statis temporibus aquæ rursus mirabiliter auctum diffluant, ac dein paulatim deferuescentibus Lunæ radiis se colligant, ad se redeant, & in suum alveum subsidant.*

XXIX. Neque tamen hoc Lunæ pro sua tantummodo singulari influxione, aut quatenus ipsa motu primi mobilis circumvecta hoc per se duntaxat præstat, sed ut Solis promovetur, foveturque adjutu, æstum marinum nunc majorem nunc minorem efficit. Nam ut auctor est Annibal Raimondus, *molto si conviene al buon Nocchiero, d'intender si eccellentemente de i moti de i due luminari, come di quelle stelle, che sono Signore del tempo, e padrone di tutti i Mari, & d'ogn'altra sorte d'acque e specialmente di quelle, che sono atte a fluire & refluire, & al farsi alte & basse.*

XXX. Ad hanc aquarum aptitudinem ut refluant, etiam spectat ipsius *terræ mari subjacentis & adjacentis aptitudo; illius* quidem *ne nimis sit profunda, hujus* autem, *ne nimis sit angusta*, quæ utraque conditio æstum magis impedit, quam promovet. Nimia enim profunditas in causa est, quo minus novi spiritus & vapores, Solis radiis & Lunæ ad fundum non pertingentibus vel nequaquam, vel minore copia & potestate generentur, sed magna mole pressi, neque se, neque mare superpositum attollere queant. Nimiæ etiam angustiæ & strictura littorum ac faucium cursus aquarum, quo minus libere & ordine certo incedant, impediunt, ut augmentationes & diminutiones minores fiant, cum modica quantitas aquæ locum strictum transire valeat. Quin & aliæ quoque præter fundi & litorum situs ac figurationes locorum conditiones requiri solent, de quibus postea.

XXXI. Breviter: *Vera æstus marini causa* sunt Patricio quoque & Casmanno *p.* 296. vel *universales* seu *externæ Sol* & *Luna*, quibus ratione superioris seu ætherei caloris & humoris respondent *duæ causæ particulares, interiores* & *inferiores*, seu proximæ in ipsa marium natura inveniendæ, nimirum *Fluiditas*, a fluore primævo orta, & *Salsedo* a prim-

Digitized by Google

ævo calore originem ducens & mari insita. Illa *Luna* ceu humorum dominæ, hæc *Solis* ceu omnis caloris monarchæ *imperio regitur*. Abutroque ergo magno luminari astrorum motus in mare velut imprimuntur, ut eos licet non assequatur, æmuletur tamen Oceanus. Planetarum quidem directiones, velocitates, retrogradationes, tarditates, stationes stationibus 4. dierum, apogeos elevatione, perigeos depressione: *Horario Solis horas, diurno ejusdem circuitum: Hebdomadario planetas æmulatur, semestri plenilunia, menstruo novilunia, semianno Solis per signa 6. decursionem perpetuo inerrantium stellarum imitatur motiones.* Ut proinde mihi quidem *maris humiditas æstus* marini videatur *materia*, ejus *calor* & salsitudo quasi *forma: utraque causa interna potentialis*, quæ *ab externa cœlesti* ceu *efficiente universali* actuetur, *ad mare ventilandum ac repurgandum*, qui ejusdem æstus est *causa finalis*; si modo in affectione hujuscemodi ita loqui liceret.

TMEMATIS II. CAPUT VI.

De causis impedientibus: cur non omnia maria affluant ac refluant, vel id saltem inordinate variantia faciant, & hoc quidem cum ratione initiorum æstuariorum, tum majorum minorumve incrementorum, a Luna in diversis ventorum regionibus existente, & pro situ quoque loci multum variantis effectorum.

XXXII. *Cur non* igitur *omnia maria, cum sint salsa, Veniliam & Salaciam sentiunt*, siquidem salsedo motuum marinorum proxima & interna atque propriissima sit causa? Cui quæstioni ut satisfiat, repetimus illud, quod *in primo* statim *capite hujus diff.* a J. Pico Mirandulano afferre cœpimus: "Confitentur (scribit) Astrologi, non evenire tales recur-"sus in omnibus aquis, etiam marinis: sed in his tantum, quarum terra "profunda, dura, motibus crebris aspera, & inæqualis: aqua vero mul-"ta: quæ nec adjectu fluminum crescit, nec digressu diminuitur, sed "diuturnam ibi traxit sedem densitudine spissa. Quocirca conceptaculum "fiat, alumnaque vaporum multorum, nec tenuium, nec facile diffla-"bilium, qui de suis parentibus, hoc est, aquosa terra, aqua terrosa, "deque cœli calore, ducunt amaritiem illam notam, atque salsuginem: "has quum conditiones, & fontes & flumina, sed & maria quædam non "ha-

Digitized by Google

"habent, ideo in illis dicunt hos æstus non apparere. Conimbricenses "*loco cit. cap.* 7. verisimile esse statuerunt, quosdam mundi tractus ita su- "opte ingenio affectos esse, ut in iis influxus Lunæ ita modificetur, ut "prædictam reciprocationem aut nullo modo, aut secus, quam aliis in "locis exequi valeat. Vel quod eæ partes non ita opportune sitæ & a- "ptæ sint ad cœli impressionem excipiendam, motumque subeundum: vel "quod aliæ regiones aliis astris subjectæ sint, quæ disparili ictu radiorum- "que multiformi jactu prædominantia Solis Lunæque vim diverso modo "adtemperent. „ Causas etiam alias nimiæ profunditatis, vel nimiæ an- gustiæ, interdum etiam nimiæ latitudinis *præcedaneo capite* præstruximus.

XXXIII. Singulorum nunc marium, quæ æstuum dicuntur expertia, conditionem & naturam ad præscriptas regulas expendamus: *I. Caspii* in- gens profunditas ab Amb. Contareno refertur, minorem salsedinem suadent LXXX. flumina magna, quorum aliquot ostiis LXX. & XL. & cum quinque lacubus non parvis in illud exonerantur. Ob eandem ra- tionem quoque *II. Mœotis* a Tanai atque aliis fluviis minus salsa reddi- ta est, sicuti & *III. Pontus* dulciores habet aquas, ob ingentes *LII.* quos recipit fluvios. Idemque Pontus profundissimus est, unde agnomen Ni- gri Maris nactus est, qui color a profunditate, sicuti viriditas a brevi- tate nautis est. *Propontis* insuper, cum suas a Ponto habeat aquas, non potest esse salsior, cum amnibus propriis augeatur. *IV.* Aqua tenuior etiam atque crystallo similior in medio *Rubri maris* Johanni Barro & De Ca- stro perhibetur, ut fundus ejus clarissime conspiciatur, quare tenuitas debiles tum vapores, tum spiritus gignit, facile difflabiles & impoten- tiores, quam ut aquam eam attollant: in faucibus tamen ab Oceani in- fluxu turgescit, sicuti & in intimo ejusdem sinu affluxus fit ob fundi sal- sitatem. *V. Mantianam paludem*, si non æstuet, præter profunditatem aquæ nimia crassitudo nihil in se mergi patiens, attolli prohibet. *VI.* In *Balthico* cum sociis immensa alicubi, juxta Olaum, est profunditas, & lacus aquarum dulcium 80. flumina vero plus quam *LX.* influunt. Quam- obrem frigore quoque quod concipit, conglaciatur, ut attolli nequeat; succinum etiam bituminis speciem magna copia continet. *VII. Partes* illæ *Mediterranei* tandem, tametsi præter unum Rhodanum nullos magnos amnes recipiant; sunt tamen omnium confessione profundissimæ. Uti habet hæc Casmannus *p.* 2. *quæst.* 10. Scalig. *l. cit. p.* 201. v. ita censet: *Ad Ligusticum, Gallicum, Hispanicum litus obscurissima est & accretio & decretio*, quia quod in Adriatico manifestum est propter angustias, latet

Digitized by Google

a Tyrrheno ad Gibraltar propter æquoris latissimam effusionem.

XXXIV. Non alias fere ob rationes *in aliis maribus*, *ut Adriatico*, *Ægeo*, *Jonio*, *toto fere Africo*, quamvis *aliquantulum æstuent*, *parum tamen* ob litorum tum profunditates, tum æqualitatis proportionem *intumescunt*. *In Mexicano* vero *sinu* crassitudo & gravitas adjuvari dicitur, ut parum tumeat. Contra ubi parva profunditas, multa brevia, multæquæ syrtes & aqua salsissima, impetus quoque Oceani ab aperto & litorum coarctatio, ut *in Armorico*, *ad Bristolum in Cornubia*, *in arctis Seelandiæ & Hollandiæ canalibus* ut & *in Anglico* nimis quam ascendit æquor. Pari modo *in Cambaico litore & in Indico & ad Panamam in Australi Oceano* contingit, ubi mari recurrente per multas Leucas fundus & syrtes quoque denudantur.

XXXV. Quamobrem vero etiam *in illis maribus*, *quæ motum accessionis seu crementi in die semel & in nocte semel*, *atque totidem quoque vicibus motum recessionis seu decrementi eodem temporis spatio habent: nec ille tamen*, *nec hic semper ordinate eodem pacto & æqualibus incrementis ac decrementis procedit*, *nec eadem quoque semper hora diei vel noctis incipit*, *sed diversimode se habet?* Hæc ipsa deviatio a præscripto ordine motus varia quidem est, sed si *error in hora principii motus accessionis vel recessionis* sit, ille potissimum *triplici de causa* accidere posse dicitur, *aut ratione situs regionis*, aut *ratione corporum cælestium*, aut *propter mutationem aeris*. Propter hanc aeris ultimam quidem sæpe contingit diversitas in principiis Veniliæ & Salaciæ, Malinæ quoque & Lidunæ. Impetuosa enim dispositio ventorum, tam cominus, quam eminus insufflantium removet cursus aquarum a debito ordine, aliquando festinando accessus, aliquando recessus, similiter & ipsos remorando. *Propter mediam rationem corporum cælestium* eadem principia æstuationum variant. Cum enim aliqua ex stellis magnis & luminosis (ut sunt Venus & Jupiter) fuerit circa Lunam vel Solem, illam vel illum adjuvant in aquarum marinarum motione, quæ proinde debitum ordinem deserunt. *Ratione situs regionum* vero diversitas conspicua est *accessus* ὀν σχέσει *ad horizontem*, *recessus autem per respectum ad circulum meridianum*, seu ad *punctum* meridiei vel mediæ noctis nulla est diversitas, nec error. Itaque si regio habeat horizontem rectum, veluti sub æquinoctiali circulo, ubi dies semper sunt æquales noctibus, ibi & per omne anni totius tempus rectius se habent accessus & recessus principia, in regionibus autem ab æquinoctiali distantibus & horizontem obliquum habentibus, tametsi sub eodem sint meri-

Digitized by Google

meridiano, in duobus duntaxat anni temporibus æquinoctiorum ſcil. circa medium Martii & medium Septembris recte ſe habent illa principia, licet majores curſus habeant, reliquo anni tempore fere mutant, propterea quod dies quoque varient & nunc Sol oriatur citius, occidat vero tardius; & viciſſim. Ut quanto ſolſtitiis fuerimus propiores, tanto major ſit inæqualitas, tanto vero minor diverſitas in principiis, quanto magis æquinoctiis appropinquaverimus. Quæ ipſa quomodo uberius explicet, videri poteſt Federicus Delphinus Philoſophus & Medicus Patavinus de æſtu & quiete falſa, ſeu motu inordinato aquæ maris, motum ſimul Solis & Lunæ inſequente, libello brevi & nervoſo, ſed quia diu poſt mortem auctoris Anno 1559. impreſſus eſſet, male a typographis habito, capitibus fere disjectis & male compaginatis.

XXXVI. *Eaſdem idem rationes* etiam *errorum dedit, qui accidant in medio motus aquarum, curſus ſuos & æquatia incrementa & decrementa non ſervantium, quæ tum ab aeris & ventorum diſpoſitione, tum quoque a locorum ſitu* contingant, nunc majora, nunc minora. *Majores* quippe *curſus, præter interna principia cœlo concitata, venti quoque impetuoſi faciunt, ſicuti & coarctationes maris*, quod propterea circa Eubœam Inſulam & inter Siciliam atque Calabriam uti ſtrictius exiſtit, ita fortius currit. Quamvis rurſus ejuſmodi anguſtiæ alibi tales augmentationes aquarum, quas non niſi modicas admittere poſſunt, quoque impediant, ſicuti in mari Mediterraneo quicquid ingreditur vel egreditur ex Oceano, per unum ſolum & ſtrictum locum a parte Occidentis tranſit, quare non poteſt multum in acceſſu impleri, nec multum in receſſu evacuari, & ex conſequenti motus aquæ maris non uſque adeo certo ordine incedit.

XXXVII. Hæc fere ita excellentiſſimus Delphinus, cujus principia melius explanavit Hannibal Raimundus Nobilis Veronenſis, illius diſcipulus, in Tractatu *del Fluſſo & Riflusſo del mare* a *pag.* 28. ad 38. Cui & alios addidit veluti Federicum Grifogonum a *pag.* 3. ad 7. Petrum de Medina a *pag.* 8. ad 19. Auguſtinum Cæſareum a *pag.* 20. ad 28. ſed a 38. ad 41. Hieron. Borrum, hinc Joan. Mariam Benedictum ad *p.* 44. ac tandem Janum Paulum Gallicciam Salbenſem atque D. Raum ad *p.* 46. Quorum virorum nobiliſſimorum ſententiæ ad noſtram notitiam non perveniſſent, abſque illo Raimundo fuiſſet, qui ab Anno MDLV. ad LXX. uſque per continuos quindecim annos huic reciprocationi marinæ dies atque noctes cum intendiſſet, atque impendiſſet, tandem anno *LXXXIX.* ætatis vero ſuæ *LXXXIV.* Tractatum iſtum utiliſſimum Venetiis, Lingua

Digitized by Google

gua tamen Italica publicavit. Quos inter Petrus de Medina Doctor Hiſpanus, qui *de arte Navigatoria* ſcripſit, & qui eum ſecutus eſt M. Auguſtinus Cæſareus, quam plurimum ventis ab hac vel illa regione cœli flantibus tribuerunt. Et hic quidem in Oceano *plenum mare* eſſe dicit, *quando Luna eſt in Græco & in Gærbino* (ſeu Aquilone qui flat verſus Orientem, & Auſtro-Africo verſus Occidentem) ſed quando eſt *in Sirocco & Maeſtro* (i. e. Euro-Auſtro, & Favonio a latere mediæ diei vel noctis) eſſe *vacuum*: contra vero in Mediterraneo in his Luna exiſtente, iſtud eſſe plenum, in illis vero vacuum. Alter vero De Medina docet, tum mare incipere ſuum tumorem, cum a Novilunio Luna fuerit in Græco ante ejus ortum horis tribus, & tunc mare in ſummo eſſe incremento. Tribus aliis ab ortu horis mare dicit pergere, decreſcere, donec Luna *in Siroccum* (Euro-Auſtrum) venerit. Exinde (ait) per tres horas intumeſcit, & cum Luna ad meridianum ſeu *Auſtrum* pervenerit, erit mare in dimidio incremento, donec *in Gærbinum* (Auſtro-Africum) veniat, uſque ad ſummum increſcet. Decreſcere deinde incipit, donec per tres horas, uſque *in Ponentem* (occidentem) Luna deſcendat, in dimidia mare erit diminutione. Et tribus horis aliis minui perget. Sed cum pervenit *in Maeſtrum* (Favonium) in imo eſt decremento. Inde diſcedens per tres horas *in Tramontanam* (Septentrionem) venit, & mare tunc ad dimidium increvit. Tribus horis aliis, illa *ad Græcum* (Aquilonem) accedit, & mare in ſummo eſt tumore. Singulis nimirum ventis tres horas attribuit ex Nautica diſciplina: & quotidie fluxum quatuor horæ quintis partibus acceſſum ſuum poſtponere addit, quæ quatuor quintæ uſque ad dies triginta additæ unum diem intercalent. Atque illa obſervatio Medinæ in mari Oceano tantum eſt ab Herculeo freto circa Hiſpanica, Gallica & Belgica littora.

XXXVIII. Nos vero propius, *qua Oceanus in Albim regurgitat juxta Gambrivios*, nautæ Germani Veniliæ & Salaciæ hæc obſervarunt tempora, ut in Noviluniis & Pleniluniis acceſſus ſit hora duodecima, receſſus hora ſexta, uterque vero deinde ſingulis diebus hora tardius veniat; niſi quod nonnunquam continuo biduo non niſi hora unica & eadem acceſſum ſuum poſtponat. Id quod eo fit, quod non juſta hora integra quotidie, ſed unica quinta fere minus Venilia affluat tardior. Atque hæc tamen cæteris paribus & tranquillo aere ordinem tempuſque ſuum ſervant, niſi quid ſcil. & ventus præcipue obſtet, qui varius diverſe quoque variat æſtus. Weſtwind verſpodet die Flut: Oſtwind verzügert ſie. Südoſt ſturm gehet langſt der Elbe hin/ machet das geringſte Waſſer/ daß man kaum

Digitized by Google

kaum die Flut warnimbt. Nordweſt bringet hoch Waſſer / iſt recht aus der See. Das allerhöchſte Waſſer aber kömpt durch Weſtnordweſt / h. e. Tam *Favonio* ſive *Maeſtro* flante quam *Ponente Italico* ultra horam *citius venit* Venilia. Spirante vero *Subſolano* ab Oriente, ſicuti & *Sirocco* vel *Euro-Auſtro* ultra horam tardius accedit. Altiſſima vero & citiſſima aqua eſt ſpirante Hiberno, quem Itali *Ponentem Maeſtrum* vocitant. Ratio addita iſta eſt, quia mare ab Occidente recta affluit, cujus curſum ventus pariter ab Occaſu, vel inter Occidentem & Septentrionem afflans, fortius urget ac promovet. Contra eundem maris ab occidente properantis curſum ſufflaminat ventus ab oriente contrarius, tantoque magis, ſi eidem conjunctus fuerit meridionalis quidam aquas exſiccans & vaporibus liberans. Sed his miſſis ad alia properandum.

XXXIX. *At cur ſeptem horis intumeſcit Oceano Garumna, quinque detumeſcit?* Propterea *quod Atlanticus Oceanus accedente Luna ad meridiem Venetiarum inſinuat ſeſe in Arcticos ſinus. Qua protruſione abit aqua ſurſum verſus a litoribus Aremoricis ad litora, qua incurveſcunt inter Tartaros & terram Laboratoris, trans Gruntlandiam & inſulas parum notas nobis. Itaque non implet Garumnam, quantum capere poteſt: quoniam partim abit. Ubi vero Luna curſum perfecit illius clivi, cujus faſtigium directo deſpicit Burdegalam: tunc ab Arctico ſinu redeuntibus aquis, non ſolum obſidentur Garumna fauces, ne deſcendat atque exeat aqua, ſed etiam complentur novis fluctibus. Qua impreſſione fit, ut addatur ad crementi tempus ordinarium hora illa, qua ſeptima numeratur in acceſſione, primaque debebatur diſceſſioni. Unde quod reliquum eſt ad horam duodecimam, qua alterius quadrantis curſus terminatur, in regreſſu quinque tantum horis expeditur. Similis ratio ad Ginegam excogitanda erit, ubi quaternis aſcendit horis, deprimitur octonis.* Scalig. *Exerc. LII.* Apud quem alias etiam cauſas 1. *reciprocationis* ſeu recurſionis, 2. *varietatis*, 3. *celeritatis*, 4. *ceſſationis*, 5. *privationis*, 6. *contrarietatis* invenies. *Recurſionis*, cum retro legit decurſum ſpatium: *Varietatis*, quia non iiſdem horis progreſſio finitur: *Celeritatis*, propterea quod ſegnior in quibuſdam locis: *Ceſſationis*, ubi neutrum fit: *Privationis*, quoniam certis locis currit nec recurrit: *Contrarietatis*, velut in novilunio & plenilunio incrementum. Qua de re vid. quoque elegantes verſiculi Germ. Audeberti Aurelii *lib. 2. Venet. in Poet. Gall. part. 1. p.* 144. & 145. qui & ipſe mare febrium fervorem ac rigorem viciſſim voluit imitari, curque ſecundum Lunæ potius curſum, quam Solis fiat, oſtendere.

Digitized by Google

TMEMATIS II. CAPUT VII.

De Euripo in ſpecie Chalcidico, an ſexies quotidie, vel ſepties, aut his ſepties reciprocetur, an vero more aliorum marium, quater tantum ordinarie per ſingulos dies, per errorem vero & vim majorem indefinito nonnunquam numero. De Auſſerenſi quoque &c.

Ἔκθεσις.

XL. Occaſione præcedentis capitis, cum diximus ratione locorum circa Eubœam majores contingere aquarum æſtuationes, in Euripi naturam diſquiramus, in cujus contemplatione Archiphiloſophus tantum operæ poſuiſſe dicitur, ut tædio & labore confectus illic diem ſuum obiens proverbio anſam dederit: *Ariſtoteles non capit Euripum, Euripus capit Ariſtotelem.* Quo nomine motus fuit & Antiphilus Byzantinus, Græcus Epigrammatarius, *Anthолog. lib.* 1. *c.* 63. ut inperſcrutabilem plane & ſolli Naturæ effabilem ejus æſtuationis crediderit rationem, quod elegans Epigramma cum & ad alia enarranda faciat, præterire non poſſumus:

Εὐβοϊκοῦ κόλποιο παλινδίνητε θάλασσα
Πλαγκλὴν ὕδωρ ἰδίοις ῥεύμασιν ἀντίπαλον.
Ἡελίῳ κήν νυκτὶ τεταγμένον ἐς τρὶς ἄπιστον
Ναυσὶν ὅσον πέμπεις χεῦμα δανειζόμενον.
Θαῦμα βίᾳ, θαμβῶ σε τὸ μύριον, οὐδὲ ματεύω
Σὴν φάσιν· ἀῤῥήτῳ ταῦτα μέμηλε φύσει.

Quæ ad verbum fere ita vertimus:

Euboica æquor aqua revolubile fluctibus inſtans
Exundando tuis & revolando ſimul.
Quantam quoque die noctuque ter ordine aquæ vim
Navibus affundas, credere difficile eſt.
Monſtrum ego te vitæ ſtupeo uſque: reſervat at uni
Quem Phyſis ipſa, ſtatum quærere nolo tuum.

XLI. Quæramus tamen & nos. Verum cum Strabo & Suidas anguſtum hoc mare & inter duas terras Bœotiam & Atticam ſitum ἐπλάκις quotidie aquam ſuam mutare velint, ſicuti & Mela *l.* 2. *c.* 7. eundem Euripum alterno curſu ſepties die ac ſepties nocte fluctibus invicem verſis uſque adeo immodice fluere, ut ventos etiam ac plenis velis navigia fruſtretur. Id quod & diſertim ait Seneca *Hercule Oetæo v.* 777.

At

Digitized by Google

At qua niveſi patitur Aquilonis minas
Euripus undas flectit inſtabiles vagus
Septemque curſus flectit, & totidem refert,
Dum laſſa Titan mergat Oceano juga.

Atque ſic Strabonem intelligendum *lib.* 1. voluit Caſaubonus, quo loco ille de fretorum æſtu docens. Non eundem omnibus eſſe ait, alioquin non Siculum bis quotidie mutaretur, Chalcidicum ſepties, Byzantinum nunquam. Ubi ſicut per bis binas vices interdiu & totidem noctu atque ſic quater intelligi aſſerit, eodemque pacto ſepties Strabonis eſſe capiendum. Cum vero Plinium *lib.* 2. *c.* 97. Euripum in Euboea ſepties die ac nocte reciprocantem legiſſet, alios bis ſepties, alios autem, ut in Antiphili carmine vidimus, ſexies duntaxat ὁτὲς νυχθημέρου Euripi fluctus reciprocari; itaque ab hac Auctorum inconſtantia in eam devenit opinionem, eos qui primi de Euripo ita ſcripſerint aut locuti ſint, finito numero pro infinito, ut fieri ſueviſſet, uſos fuiſſe. Qua in re ὁμόψηφον laudat Livium, cujus hæc ſint verba *lib. VIII. decad.* 3. vel *lib.* 27. Et *fretum ipſum Euripi non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat; ſed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verſo mari velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur.*

XLII. Verum enim vero, tametſi & ipſemet Plinius de Tauromenitano Euripo concedat ipſum adhuc ſæpius reciprocari, non tamen de hoc ipſo, multo minus de altero, infinitam ejuſmodi regurgitationem aſſerere voluit; quam ſi Ariſtoteles aſſiduus & accubuus ejusdem Euripi ſpectator percepiſſet, quemadmodum ſane ſi uſque adeo motus inordinati fuiſſent perçipere facile tam ſagacibus oculis & mente potuiſſet, minus profecto cauſæ habuiſſet, cur ſe in perveſtiganda illius cauſa tantopere diſcruciaſſet. Itaque minus quidem regularem ob ſupra allegatas & una hic concurrentes rationes ſtatuimus Euripi motum, ſed tamen numero certo & finito plerumque obſervabilem. Adeo ut Cicero *lib.* 3. *de Nat. Deor. p.* 64. curſus certos & conſtantes tribuere, imo eodem in motu reciprocando nihil fieri poſſe conſtantius putaverit. Tametſi & ipſe *pro Murena p.* 132. Euripum vix tot, tantas tamque varias habere fluctuum agitationes conceſſerit, quantas perturbationes & quantos æſtus habeat ratio comitiorum. Nullum utique mare crebrius aut celerius recurrit aut concitatius, unde & Boethius:

Exæſtuantis more fertur Euripi.

Cujus frequentiores tamen reciprocationes Dion unius diei & noctis

Digitized by Google

ſpatio ſepties recurrere dixit. Cauſæ referuntur tum in fluctus a latiſſima Ægei maris effuſione in anguſtias compulſos, qui Cycladum ſubinde inſularum multitudine atque obice refundantur, & quaſi circulo redundent, dum in loci ſitum ſub illa inſula vaſtis cavernis anfractuoſum, per quas præcipitans longo tractu mare ſurſum invento obice regurgitet, varioque impulſu acceſſus ac receſſus illos multiplicet, docente Conimbricenſium Academia. V. & Scalig. *Exercit. LII. p.* 203. Qui *in Chalcidico Euripo ſubjectarum cautium receſſibus receptas aquas refundi* putavit, *quia perpetuo defluxu ſcrupei impleantur ſinus, eorum clavículata conceptacula ſicuti fieri volunt in fluviorum gurgitibus, humorem collectum evomant. Quorum capacitas tanta, ut tot horis ſufficere motum poſſit eum, qui partim defluxionem tardet ac retrudat: partim juvet, poſteaquam ſatura fuerint illa cava.* Neque tamen perpetuo famoſus ille inter Aulidem & Eubœam Euripus vultum ſuum toties mutat, ſed (prout ἀντόπλης Petrus Gyllius & vidit & *a molitrinariis, qui ex molarum motu acceſſum ac receſſum maris omnium maxime animadvertere habent neceſſe, audivit*) *& ipſe communiter intra XXIV. horas curſum quater mutare ſolitus eſt, ſex horas ab una parte accedendo, totidem ab altera recedendo, quamvis quadam ſint tempora, quibus has certas vices non obſervet.* Patricius in Chalcidico mari altiorem dicit aquam, cujus tanta moles difficilius & aſſurgat, & curſu recurſuque ſeſe ciet: in Auſſerenſi vero plus quam vicies reciprocante mare ab utroque oſtio, nec tam profundum & in ipſo breviſſimum eſt, ut tam parva mole facilius, atque ideo motum ſæpius ciet. Nam longitudo ejus circiter paſſuum L. latitudo paſſus X. non attingit, profunditas eſt pedum circiter VII. Quando vero ventorum vis fortior, ab utravis parte mare concitat, in unam tantum, in quam vis impellit, partem fluit. Caſman. *p.* 2. *quæſtion.* 5.

TMEMATIS II. CAPUT VIII.

De quiete & γαλήνῃ ſeu adeo Malacia & propria & impropria ac quaſi perpetua quarundam aquarum, tam marinarum, quam fluvialium, ut & de æſtu quarundam putealium: cum concluſione.

Ἔκθεσις.

XLIII. Quanquam autem motum illum mari naturaliter inſitum eſſe ſciſcamus, non tamen alias concurrentes cauſas ſegregavimus; nam ita ſtatim

Digitized by Google

ſtatim Euſtachius a S. Paulo & alii occlamant, cur non igitur omni mari competit? Licet vero in ſuperioribus jamtum de Malaciis proprie, ſed & de improprie dictis ſeu maribus quibuſdam pigrioribus, & quæ nunquam, vel minus ad hunc modum moveantur, actum ſit, denuo tamen de his repetimus, illud partim contingere ob incluſionem illam aquarum, ut in Balthico, partibus quibuſdam Mediterranei, Mæotide, Ponto Euxino; partim etiam ob nimiam profunditatem, accedente inſuper vehementi impetu aquarum dulcium defluentium, earumque in omnem partem planitie & litorum depreſſione, quæ motum aquæ varie retardant & fluxui majorem, quam refluxui commoditatem præbent. Quamobrem cauſæ naturales non in quamlibet rem ſubjectam agunt, ſed in eam quæ ad earum impreſſionem excipiendam apta idoneaque ſit, ut magnes non aurum, ſed ferrum attrahit: ita a Luna reciproco fluxu non movetur omnis aqua, ſed marina duntaxat, & quæ cætera quoque habeat reſpondentia; v. g. aptas regionum qualitates & affectus, cœlique influxus: ſicuti licet facultas Solis ad evocandos vapores imbriumque materiam ubique eadem ſit, quædam tamen regiones ſunt, in quibus pluvia non gignitur. Vid. Conimbricenſes *Tract. VIII. cap. 7.* Imprimis videmus flumina, quæ in maria æſtuantia ſeſe exonerant, parum aut nihil relabi æſtu propter hujus ſegnitiem, vel ipſorum fluminum rapiditatem, quæ maris aſcenſum inhibet. Scaliger loco ſæpius laudato cauſam hanc reddit, *ob quam Luſitana flumina fluctibus Oceani tumeſcant: Atlantica non? Propterea quod Oceanus accedens ad Septentrionalem ſitum, refundat aquas in hæc proxima: Atlantica vero litora præterradat tantum.*

XLIV. *At cur quidam putei* aliquibus in locis, ut Hiſpali unus eſt, in aliiſque regionibus *quotidie augentur & diminuuntur?* Communicatur iis per ſubterraneas cryptas acceſſus & receſſus maris, quæ ſi amplæ ſint & rectæ, aut aliam ejuſmodi habeant amplitudinem ad maris motum uniformiter excipiendum, tum quidem meatus per maximas illas terræ cavitates ipſis marique ſunt communes. Si vero in contrarium tortuoſe ductæ fuerint aquæ & ſecundum cuniculos anguſtos, hic aqua abſorbetur, ab ipſo intumeſcente mari, non aliter ac in corporis noſtri venis evenit, ut magnarum ſciſſione, quæ conjunctæ ſunt, tractione repleantur, quæ contra poſitæ inaniantur revulſione. Quo fit, ut aquæ iſtæ puteales nequaquam cum mari congruant, ſed hoc intumeſcente decreſcant, decreſcente vero intumeſcant. Id enim cauſæ eſt, cur quo tempore aqua in puteum aſcendere incipit, jam tunc propter moram ab aqua in itinerum

Digitized by Google

anguſtiis & impedimentis interpoſitam mare incipiat recedere. Vide præter Conimbricenſes Franc. Valleſium *c.* 52. *ſacræ Philoſoph.* Idem quoque firmat Baccius *de Thermis lib.* 1. *c.* 24. "Marium & fluminum atque fontium quorundam privatam omnino naturam eſſe oportere, & tam cœli, "quam loci occultam cauſam. Sic ad Gades putei, alter delubro Herculis "proximus, alter in Hiſpali, cum maris propinqui motibus conſentiunt: "aiii ibidem & in ripa Bætis, æſtu maris creſcente minuuntur, augeſcunt decedente, Plinio. Sic lacus ad Moluccas novi orbis inſulas ſimul "cum mari accreſcunt & decreſcunt, qui ſubterraneam fortaſſis communi"nicationem habent cum mari: quales etiam fontes calidi in brevi inſula "contra Timavum amnem, qui pariter cum æſtu maris creſcunt atque "decreſcunt. Qualem quoque in Comenſi juxta Larium lacum fontem "accepimus ex Plinio Juniore, a quo nomen fonti Plinianum, qui ſin"gulis horis modo exuberat, modo remittitur in totum.„

XLV. Atque idem Baccius ibidem & *cauſas univerſales æſtus marini ultro citroque ſtatis horis fluentis in Luna*, ſed Solis favore comitata, reddidit, qua ipſa dimidia *Malacia* plerumque fiat, quæ ſumma ſit maris tranquillitas, unde rectius Italis *Bonacia* dicatur. Sed quia uſque adeo irregulares paſſim eſſent æſtus, alias *cauſas proprias & particulares*, præter *primam* illam *a ſideris virtute*, reddidit *a motu ſcil. quem ſequitur tota moles Oceani ab Oriente in Occidentem, & illam tertiam ſumme neceſſariam a ſitu locorum, quorum ut privata ſigillatim ſit diſpoſitio terræ, figuræ, altitudinis, qualitatis, aſpectus regionis, occurſus ventorum, communicationis cum alio mari, & id genus aliarum circumſtantiarum: ita earum intuitu privata æſtuum natura perveſtigetur, curque putei, curque lacus quidam eiſdem conſentiant maris motibus, & quadam e diverſo contrarientur.*

XLVI. Si qua tamen maria *quaſi perpetua* ſtrata jaceant *Malacia*, nequaquam tamen motu omni, eoque ſæpe tempeſtuoſo, vacant, plena potiſſimum & nova Luna, ut ne ipſi quidem, qui Cynthiam hic allatrant, denegare hoc ipſi auſint. Atque propterea *quædam maria Malinis exagitari* videntur, *qua non Venilis*. Nam ut repetit ex aliis Sagittarius *in Phyſ. Maria, quæ craſſiorem habent aquam, menſtruo ſpatio ſemel tantum, aut bis æſtuant, ut qua non niſi magna vi Lunæ poſſint commoveri.* Atque ſic etiam Balthicum mare æſtu gaudere quidam volunt, ſi non quotidiano, aut hoc ſaltem obſcuriore, at ſemimenſtruo tamen.

XLVII. Venilia igitur (ut tandem rem hanc marinam concludamus) &

Digitized by Google

& Salacia eſt maris motus a ſe ipſo non niſi majore, ſive Malina, atque minore, ſive Ledone differens & horarum & temporum intervallis, ſeu adeo incertis illis Euripis. Hic autem motus omnis cum duplex ſit, & quamvis conjunctus, tamen alter alteri adverſatur, & a contrariis quoque duabus neceſſe videtur utrumque fieri cauſis. Sicuti contrarii ſunt affectus tumor & depreſſio. Illo, a calore ſpirituoſo, velut igne ſuppoſito vel appoſito caldarium, ferveſcit & fit altior aqua; hac vero, partibus illis prius dilatatis, mox in vapores ſolutis aqua fit demiſſior. Illinc inſitus vel ſubſitus etiam maris calor a Sole interdiu, a Luna etiam noctu, ſideribuſque concalefactus & ſtimulatus partim aquas ſuſtollens, partim etiam nonnihil rarefaciens, eaſdem in litora abigit, dum poſtea in ſe ipſum quaſi in circuitum mare ſe revolvat, & totidem horis ſedes antiquas repetat. Cauſis variis quoque externis, aere, ventis, ſitu loci & cæteris, tam propellentibus, quam repellentibus, ac remorantibus vel plane quoque prohibentibus, illis impellentibus dum obſecundat mare affluit, prohibentibus autem remotis, refluit & ſic ejuſdem fit reciprocatio. *Sufficit hac prodiſſe tenus, ſi non datur ultra.*

FINIS.

RE-

Digitized by Google

RERUM, PHRASIUM, VERBORUMQUE quæ hoc in Volumine habentur, INDEX.

Abbaſidæ, qualis inter Arabes familia. 68.
Abellio Deus. 102, & 104.
Abuhaniſa, Doctor Mahumedanus, quale gymnaſium exſtruxerit. 72.
Acad apud Moſen quæ. 160.
Accius fabularum ſcriptor, deque eo Jul. Scaligeri judicium. 517.
Adonis Deus. 109.
Adramithum quale oppidum. 33.
Æchmalotarchæ vocabulum qua occaſione ortum, & quinam ſint tales. 436.
Æetes Medeæ pater, quomodo vellus aureum penes ſe ſervatum amiſerit. 217, 218.
Ægyptii rerum ſuarum paulo antiquiorum certam non habuere literis conſignatam hiſtoriam. 188. Eorum annales. *ibid.* Ægyptiacarum antiquitatum ſcriptores enumerantur. 189. Quæ Herodoto Ægyptii ſacerdotes quondam de rebus ſuæ gentis narraverunt, plus habent veriſimilitudinis, quam aliæ aliorum Ægyptiorum narrationes. 192. & *ſeqq.* ſacerdotes eorum quales. 195.
Æra pro *Epocha* vox eſt Latina, ſed recentior multo ſeculi Auguſtei Latinitate. 62, & *ſeq.*
Ærarium. Veterum æraria pleraque in templis erant, quo & privatorum pecuniæ congeſtæ. 623. Romanum ærarium quare in templo Saturni. 625, 626. Ærarium locus eſt, in quo pecuniæ publicis uſibus deſtinatæ aſſervantur. 627. Differt ærarium a fiſco & theſauro. 628. Æraria templorum particularia. 629, 630.
Ærarium Romanum duplex: vulgare alterum, cujus reditus ex tributis & vectigalibus: 630, & *ſeqq.* alterum, in quod prædæ Imperatorum, & mulctæ civium pecuniariæ relatæ. 632, 633, & *ſeqq.*
Ærarium fieri, ſeu in Cæritum tabulas referri, quid ſit. 634.
In ærario porro aſſervatæ leges. 635.
Senatuſconſulta 635.
Rationes Imperatorum ex provincia redeuntium. 635, & *ſeq.*
Legatorum nomina qui in Urbem adveniſſent. 636.
Signa militaria. 636.
Ærarium ſanctius, aurum viceſimarum ad ultimos reipublicæ laborantis caſus celans. 636. Ex eo quantum Cæſar abſtulerit. 637, & *ſeqq.* Ærarii publici inopiam & ſtante republica privati, & poſt Cæſares ſæpe ſublevarunt. 642, 643.
Ærarium militare inſtitutum ab Auguſto: 644. eique explendo ipſe primum aliquid intulit, aliis exemplum hoc ſequentibus. 645.
Ærarium ventri & lieni aſſimile. 648.
Ejus extraordinarii reditus ex mulctis: 648. quarum longe maxima pars ex lege majeſtatis injuſte exercita, cujus levibus frivoliſque ex cauſis in innoxios uſurpatæ exempla aliquam multa recenſentur. 649, 650.
Arbitrium ærarii omne penes Principem 657.

Ærarium

Digitized by Google

Ærarium majus; Ærarium ſacrum & privatum, ubi in locum Lampridii inquiritur 664.
Æs. Vocabulum æris quando pro auro, argento, vel alia quacunque moneta fuerit acceptum. 627.
Alexander M. Draconigena. 215.
Alexandri, ſecundi ex Aſmoneis Regis hiſtoria. 396, & *ſeqq.*
Alla nomen Dei apud Arabas, quomodo pronuncient Pœni. 63.
Alpes Pennina, montanorum Italiam a Gallis Germaniſque diſterminantium pars, a Deo Pennino nomen ſortitæ. 102.
Ambubajarum collegia apud Horatium *l.* 1. *Sat.* 2. qualia fuerint. 594, & *ſeqq.*
Amuddaim Interpretes Talmudici apud Judeos, quando potiſſimum orti. 85.
Anacim populi quales a quo oriundi, quamque regionem incoluerint. 17. 33.
Ananelus, qui Herode regnante Pont. ſuſcepit, quis. 441, & *ſeq.* Et an ex ἀρχῆθεν Judæis, an vero ex proſelytis? 443.
Ἀνὴρ *Vir*, ſic vocatus a Græcis Interpretibus Judas, quam hæc vox ſignificationem habeat? 400.
Annus apud Veteres *Quadrimeſtris* qualis fuerit. 15.
Antipatri, qui Herodis, Judæorum Regis, pater, hiſtoria. 397.
Apis, Deus Ægyptiorum. 100.
Apries Ægyptiorum Rex quam habuerit fortunam exitumque. 186.
Apulejus quomodo tractatus a Beroaldo. 493. De eo Eruditorum Virorum judicia. 516, & *ſeq.*
Aquiluſtria in Babylonide Judæi obſervant. 431. ſed quid fuerint? *ibid.*
Arabum tria dantur genera. 65. Quis eorum conditor. *ibid.* Quo uſque Arabum Reges Pauli Apoſtoli tempore dominati fuerint. 90.
Arach apud Moſen *Gen.* 10. quænam urbs. 160.
Arca publica quid. 663. Arcæ etymon. 664. Ubi Salmaſii emendatio loci Agelliani. *ibid.* & *ſeq.*
Argonautica expeditionis tempora in quem periodi Julianæ annum incidant. 162.
Ariſtobulus (Hyrcani primi filius) primus ex Aſmoneis arrepto diademate, Principatum Judaicum ad priſtinam revocare majeſtatem, nomenque Regis uſurpare, auſus eſt. 396. Quam diu regnaverit, quemque reliquerit ſucceſſorem. *ibid.*
Ariſtobulus minor natu Alexandri Judæorum Regis filius, cum majore natu Hyrcano de regno contendit. 396. Pompejum ad partes vocat, ſed qui ita opitulatur Ariſtobulo, ut potius ſuum Populique Romani negotium gereret; tandem Ariſtobulum captum cum liberis, vinctumque Romam mittit. 397. Intulitque ambitioſa ejus temeritas non tantum familiæ Aſmoneorum, ſed toti etiam regno Judaico fatale excidium. *ibid.* & *ſeq.*
Ariſtotelis de Cteſia judicium. 145.
Arphaxadus eſt Phraortes. 153.
Ἀσαμόναιοι apud Judæos quinam fuerint. 443.
Aſinam ſuam ad vitem ligare, (Geneſ. XLIX, 11.) quid ſit. 420, & *ſeqq.* Quomodo locum hunc interpretati ſint LXX. Interpretes, quidque Docti de hac eorum verſione ſtatuant. *ibid.* & 421. Aſinus nota Judæorum, pullus Gentilium, 422.
Aſmonæorum hiſtoria. 395. & *ſeqq.* Qua occaſione exſtincti. 397.
Aſſur quis. 160.
Aſſyriacum imperium qua occaſione valde debilitatum. 141, 151. Eorum potentia. 142. Quam dure habuerint Medos. 148. Hujus regni variam fortunam & exordium exacte prodit Herodotus. 161. Quando imperium hoc cœperit: & quando ſuperiorem Aſiam occupaverit. 162, 163. Quando penitus everſum. 153, 154. Regum Aſſyriorum nomina pleraque incertæ ſunt fidei. 164.
Ἀτυρία & Ἀγαμία quibus populis probroſa. 401.

Digitized by Google

Athanasius Pater quo seculo floruerit. 423. Ei falso *Liber Quæstionum* tribuitur. *ibid.*
Auctorum quorundam superstitum corruptio, veluti
Servii 491.
Ovidii. 491.
Ciceronis. 492.
Catulli. *ibid.*
Sereni. *ibid.*
Manilii. *ibid.*
Palladii. *ibid.*
Plinii. *ibid.*
Juvenci. *ibid.*
Tertulliani. *ibid.*
Hilarii. *ibid.*
Lutatii. *ibid.*
Charisii. *ibid.*
Apollonii Tyrii. 493.
Martini Turonensis. *ibid.*
Festi. 500.
Augustinus cujatis fuerit. 21. Quo seculo floruerit. 354. Ejus de primitivæ Ecclesiæ Patrum auctoritate circa sacra, opinio. 407, 408.
Aureum Coronarium. 662.
Negotiatorium. *ibid.*
Azotus sive *Asdod* in sacris memorata Syriæ urbs a Psammiticho capta. 185.
Azymorum festum Judæorum 319. Diem XVI. Nisan, seu secundum Azymorum, quo offerebatur Omer, feriam fuisse primam, adeoque diem XV. Nisan, seu ipsum magnum diem Paschatis fuisse Sabbatum, non feriam sextam, evincitur. 323. & consequenter Parasceven Paschatis, in qua mortuus est Servator, feriam sextam exstitisse, probatur. *ibid.* Vid. etiam in voc. *Parasceve.*

B.

Baal & *Baalsamen* qualia nomina, quid denotent, undeque transsumpta sint. 27, 28.
Babylon urbs quando condita. 163. subjugata ab Assyriis. 152. Quo anno capta ab Alexandro Magno. 176. Ejus moenia. *ibid.* Solitudo. 177.
Barbara voces quantum in Latinam linguam damnum intulerint. 478, 479.
Babylonii quæ de suis olim temporibus docuerunt, aut falsa sunt, aut incerta. 165. Regni Babylonici fabulis rejectis & confutatis, Veritas ex verissimis monumentis eruitur, monstrato cum sacris literis consensu. 172, & *segq.* Belsazarum & Darium Medum, Babyloniorum Reges Danieli memoratos, illum Evilmerodachum hunc Nirigliforaorem Berosi esse, ostenditur. 179.
Babylonica Captivitatis initium & finis septuaginta annorum, cum Regum Babyloniorum historia confertur. 181, & *segq.*
Status populi Judaici in Captivitate Babylonica: 427. ubi probatur, illos servos aut captivos proprie non fuisse, sed colonos liberos, & autonomiam religionis retinuisse, *ibid.* & 427, & *segq.*
Scriptura S. loquitur de Captivitate hac Babylonica improprie. 429.
Habuerunt etiam in Captivitate hac Judæi Pontificem, Jadocum nomine, item prædicationem verbi & usum sacramentorum retinuerunt. 430, 431, & *segq.* Judæos etiam deportationis hujus aliqualem retinuisse Reipublicæ statum; idque ex generali quasi consuetudine veterum, quæ docetur, & exemplis illustratur qua sacris qua profanis. 433-434. & *segq.*
Zorobabel Æchmalotarcha deportatorum in Babylone. 436.
Synedrii qualisqualis forma in Babylonide penes principes quoque paternarum familiarum exstitit. 436.
Deportatorum incredibiles divitiæ, & in remigrantes ex hac captivitate regia liberalitas. 437, 438.
Non omnes Judæi ex Babylone redierunt, sed plurimi ibidem remanserunt, & quare. *ibid.*
Baris vox unde deducta, quid significet,

Digitized by Google

vet, a quibus urbs hæc condita. 35.
Baja 604.
Bajani natatus. 605, & *seq.*
Bapta in Eupolis comœdiis quænam? 596.
Beda qua ætate vixerit. 300. Apud eundem actorum fragmentum synodi Cæsarienſis eſt, ſed qua hoc fide habendum ſit. *ibid.* & *seqq.*
Beliſama qualis Dea, & ſub quo nomine a diverſis populis culta. 53.
Belli populi quales, ubi ſiti. 98.
Belus numen Chaldæum, 165.
Βεγγαίζειν vox unde deſumpta, quidque notet. 10.
Beſa Deus. 107.
Bulcaſchus Turcæ gentis conditor. 65.
Byrſa, arx qualis, unde vox deducta. 35.

C.

Cadmea qua occaſione, & a quo condita. 214.
Cadmus quibus natus parentibus. 13. Quanam occaſione literas in Græciam traduxerit *ibid.* Unde vox *Cadmus* deducta, quidque ſignificet. 16, 17. Rapta a Jove ſorore ſua, eam a patre quæſitum & repetitum miſſus, in Bœotiam venit; ibique Thebas condit. 211.
Cadytus illa Herodoti, an Urbs Hieroſolyma. 186.
Carites quinam, item in Cæritum tabulas referri quid? 633.
Caſar ante victoriam ſpoliat ærarium. 639. Quantum abſtulerit. 637.
Cæſaream urbem quis, & quando, condiderit. 67.
Cæſus Ægyptiaca a quo condita. 68. Non eſt vetus Memphis: neque ei Babyloniæ nomen communicatum. *ibid.*
Caligula novorum vectigalium inventor. 652.
Camulus Deus. 106.
Canaanæorum conditor quiſnam. 8.
Canaanæa mulier Matth. 15. ab Auguſtino an bene dicatur Punica. 77.
Canon Mathematicus Nabonaſſarœus, in annis Regum Babyloniorum nullam meretur fidem. 177, & *seqq.*
Caro Chriſti, quomodo (*Hebr. cap.* X. 20.) Κατατίτασμα τῦ λόγε dici potuerit, quæque Apoſtoli in hac locutione mens. 422, & *seqq.*
Caſtor Rhodius, & ejus ſcripta. 156.
Carthago urbs, quando, & a quibus condita. 16. Quare a Pœnis *Cadreanech* dicta. 17. Afri Carthaginenſes a quibus populis orti. 20.
Caſtra Luxuria quæ. 604, & *seqq.*
Catullus Poeta Lyricus, de eo quale judicium ferant Docti. 487, & 492. Quomodo tractatus a Jovian. Pontano. 493.
Cecrops quando vixerit. 12.
Celtæ ſive *Celtiberi*, populi ubi ſiti. 98. Deum coluerunt Endovellicum. Vide *Endovellicus.* Poſteri dicuntur Aſchenazæ, Japeti nepotis: 100. etiam Tubalis. *ibid.* & 111. Eorum lingua germana fuit Germanicæ *ibid.* & 112. Chriſtianam religionem amplexi Tubalis nomen an tranſtulerint in Diabolum. *ibid.* & 124, 125.
Cephalion ſcriptor taxatur: 162. emendatur. 164.
Chalanne oppidum, *Gen.* 10. ubi ſitum. 159, 160.
Chæremon, ἱερογραμματεὺς & domo Ægyptius, qualis Hiſtoricus. 195.
Chale Urbs quænam; regioni Calachænæ, Straboni memoratæ, nomen dedit. 160.
Chalmana Adami filia, unde hoc nomen ad nos, tacente Moſe, manaverit. 65.
Charaktères Latini e Græcis facti. 61.
Chebar fluvius Meſopotamiæ, ad quem in captivitatem ducti Judæi coluerunt. 428.
Chriſti dies natalis an e Tabulis Cenſoriis certo erui poſſit? an aliunde infallibiliter cognoſcatur. 251, & *seqq.* Conceptionis Chriſti tempus perperam determinatur a Langio. 255. Tempus baptiſmi Chriſti. 267. & an dies, quo baptiſmus contigit, Θεοφάνεια vel Ἐπιφάνεια antiquiſſimis appellata ſit. *ibid.*

Digitized by Google

ibid. & 268.
Christum trigesimo ineunte anno baptizatum, ex S. Scriptura, & Patribus monstratur: 273, & *seqq.* eumque in Paraseeve, feria sexta seu die Veneris passum fuisse, eodem die sepultum, ac post exactas in sepulcro duas integras noctes, & unum diem integrum, tertioque die resuscitatum fuisse, pluribus probatur. 281, & *seqq.* Ubi Pauli Middelburgensis, aliorumque doctissimorum S. Scripturæ Interpretum, sententiæ examinantur. *ibid.* & 282.
Christus se in corde terræ tres dies, & tres noctes mansurum dicit, quales per hos intelligat dies, an naturales, an civiles. 283.
Assertio, qua Christus quarto post passionem die resuscitatus dicitur, ex Sacris confutatur, & antiquis Patribus. 283, & *seqq.*
Tria ἡμιεωτήματα in spatio moræ Christi in sepulcro demonstrantur. 294, & *seqq.*
Vera sententia qua Christus statuitur tertio post passionem die e mortuis resurrexisse, probatur e S. Scripturæ locis, ubi tertio die Christus surrexisse perhibetur. 312. deinde, e nomine Paraseeves diei Paschonis tributo: 313. item ex appellatione προσαββάτου Marc. XV. 22. quæ & explicatur: 316, & *seq*, porro, quia Pascha eo anno in Sabbathum incidisse memoratur, 317, 318. item e verbis *Luc.* XIII, 56. & duorum Discipulorum verbis *Luc.* XXIV, 21. quorum etiam verborum vis exprimitur. 320, 321. denique e characterismo diei Pentecostes. 322, & *seqq.*
Cur Christus alio die, quam Judæi, Pascha comederit. 330, & *seqq.*
Hemerologium actorum Christi in septimana Paschali proponitur. 333. & *seqq.*
Quo die Christus Bethaniam venerit ibique unctus sit. 335.
Locus unctionis Christi non fuit domus Lazari, sed Simonis Leprosi. 336.
Hierosolymas feria prima solenniter invectus est; Templumque repurgavit feria secunda, non prima. 338.
Feriæ tertiæ gesta Christi recensentur, quæ Langius ad feriam secundam perperam trahit, duosque dies confundit. 339.
Feria quarta, seu die mercurii Christus passionem suam jam ingruentem Discipulis prænunciat. 340.
Sermonem de Urbis Templique eversione Christus feria quinta habuit: tum & a Juda venditus est. 343.
Lotio pedum a Christo Discipulis suis facta institutionem Eucharistiæ præcessisse, demonstratur. 343, 344.
Qua feriæ sextæ hora crucifixus Christus sit, ubi Marcus ab inepta Langii κρίσει vindicatur & cum Johanne conciliatur. 344, & *seqq.*
Mortuo Christo, quando piæ mulieres aromata coemerint. 349, 350. Messias dicebatur mittendus, venturus Schiloh pacificator, qui Christus. 418, 419. & *seqq.*
Christi duplex adventus, incarnationis & sanctificationis, a Jacobo prædictus. 420.
Gentes quomodo adhæserint Christo. 444.
Chukkim in Hebræorum Republica qui fuerint, 386, 387.
Cicero deque ejus librorum corruptione Doctorum virorum querelæ. 492. De fastidio aliorum bonorum Auctorum, & in Ciceronem superstitioso amore. 507. & *seqq.*
Ciceronis de linguis, Latina & Græca judicium. 509, 510.
Clemens Romanus, quo tempore floruerit. 352. Constitutiones Clementis suppositiæ: item Canones eidem tributi. 351.
Coloniarum ducendarum usus in tyrannide 148.
Concilii Tridentini errores. 399.

Digitized by Google

Copa Syriſſa quid. 595.
Cor terræ apud Matthæum XII. quid ſit. 283, & 287.
Coſoſus Deus. 107.
Cteſias Hiſtoricus quæ de Medici regni temporibus tradidit, falſa ſunt. 141. Æra Cteſiana Medorum male a Scaligero ad periodum Julianam eſt collata. 146.
Cyrillus Alexandrinus quo ſeculo floruerit. 354.
Cyrus ſolvit Captivitatem Babylonicam. 181. Quinam imperii ſui Aſiatici primus annus. *ibid.*

D.

Dagon. vide *Dercetus.*
Daniel Propheta illuſtratur. 174. An ſola Danielis Prophetia de tempore adventus Meſſiæ ſit irrefragabilis. 365, & *ſeqq.* Idem Daniel Regni Babylonici Pro-Rex. 436.
Deborra, Adami filia, quare ejus nomen a Moſe prætermiſſum. 65.
Decima (vectigalis genus) unde originem traxerint. 632.
Deitania ſive *Teutania* quænam regio, & unde ita appellata. 103.
Dens. Dentes (Meſſiæ) *ſunt lacte candidiores, & oculi ejus vino pulchriores.* (Geneſ. XLIX, 11.) Dens Humanæ educationis Chriſti ſymbolum, Oculus Divinitatis ejus. 423, & *ſeqq.* Locus *Cantici Salomonis cap.* VI, 50. ubi Eccleſia Meſſiæ dentes *lanis ovium ex lavacro aſcendentium* ſimiles decantat, exponitur. 426.
Dercetus ſeu *Dagon* Idolum, a quibus populis, ſubque qua figura, cultum. 577, 578, Quales in ejus honorem feſtivitates celebrarint. 579, 580. Dagonis ædes. 383. Plura de Derceto 384, & *ſeqq.* Ei idolo peculiares Urbes & templa munita conſecrata: in gratiam & honorem ejus ludi aquatici celebrati: 585. & piſcium abſtinentia ſanctiſſime cultum hoc idolum fuit. *ibid.* & 586.
Deus Endovellicus, a quibus populis cultus. 97. & *ſeqq.*
Thorus. 99.
Frigga ſeu Freja. *ibid.*
Otthinus. *ibid.*
Oboda. *ibid.*
Remphis. 100.
Apis. *ibid.*
Taunaſis. *ibid.*
Radagaiſus. *ibid.*
Teut ſive Tuito. *ibid.*
Idubela vel Idubeda. *ibid.* & 101.
Penninus. 102.
Rugiemus. *ibid.*
Abellio. *ibid.* & 103.
Belis ſive Belinus. *ibid.*
Baal, Bel. 105.
Camulus. 106.
Coſoſus. 107.
Beſa. *ibid.*
Adonis. 109.
Tammus. *ibid.*
Dercetus. 577.
Dagon. *ibid.* & *ſeqq.*
Diabolo vox non a Tubale, ſed a Græco διάβολος, deſcendit. 125.
Dialectus Athenienſium hodie omnis Græciæ corruptiſſima. 23. Phœniciaca a Græcis interpolata, & maximam partem abolita. 25.
Διαμαρτυρία quid. 389.
Dido quando Carthaginem exſtruxerit, 193.
Diodorus Siculus. explicatur: 146, 147. emendatur. 158.
Domitianus in Judæos pariter ac Chriſtianos ſævit. 658, & *ſeqq.*
Domus. Vocabulum *Domus* apud Hebræos non ſemper familiam, ſed regnum, & dicaſterium regium denotare, probatur. 404.
Draco, Martis filius, ſocios Cadmi interemit: ex ejus necati dentibus poſtea orti Sparti. 211, & *ſeqq.* Dentes quisnam ejus ſparſerit, Minerva an vero Mars. 212.

E.

Ecbatana a quo condita. 154.
Eccleſia quomodo dicatur *de nomine Dei*

Digitized by Google

Dei nominata. 401.
Echion Thebarum Rex, a quo & Thebæ vocantur Echioniæ. 215. Ab eo sunt orti Sparti. *ibid.*
Edomai populi a quo oriundi, & quando inter Judæos censeri cœperint. 79.
Elamita qui. 160.
Elion vox unde descendat, quidque significet. 49.
Eliquatula preces quænam? 432.
Ἐλύμας vox, quæ a Luca *Act.* 13. 8. Μάγος vertitur, non ab Arabico venire vocabulo, sed Hebraico demonstratur. 260. & *seqq.*
Endovellicus Deus, ejusque octo Inscriptiones in Villa Vizoza Lusitaniæ repertæ. 95. Numen fuit locale propriumque Celtarum. 97. Nomen & cultum sortitur a tertio, post dispersionem gentium Celtiberorum in Hispania Rege Idubela. 100. quod & nomen Montis. 101. Male a vocabulo Vellendo deducitur: 109. melius a Vulcano seu Volcano. *ibid.* & 110. Est idem cum Tubale. 111, & 115.
Eobanus Hessus Poeta, deque eo Eruditorum judicia. 497.
Ἐπιφάνεια, vel Θεοφάνεια, diem notat qua Servator natus est, minime vero diem baptismi: 267, & *seqq.* Eamque diem Veteres his nominibus designasse, plurimis Patrum testimoniis probatur. 268, 269.
ὁ Ἐρχόμενος, sic Christus *Joh.* VI. vs. 19. vocatus, quam emphasim vox habeat, qualisque per eam indigitetur. 419.
Eusebii Chronicon Græcum quale sit. 142, 146, 156.
Euvilmerodachus idem qui Belsasar. 179. Quot regnaverit annos. 184.
Ezechias Rex Judæorum. 149. Ejus tempore Medi defecerunt ab Assyriis. *ibid.*
Ezechiel Propheta illustratur. 152, 153, 186, 187.

F.

Fatimai (princeps inter Arabas familia,) unde orti. 68.
Festa Reginæ. 540.
Virgidemiæ. 541, & *seq.*
Floralium. 562, 563, & *seq.*
Mimarum. 592. & *seqq.*
Pornion. 572, & *seqq.*
de Cotyttiis. 554.
Majalia festa. 613.
Fiscus Judaicus, & circa eum Domitiani acerbitas. 658.
Flumina immundis templi instar erant. 431. & *seqq.*
Fortis Fortunæ ludus. 554. Ex Poetis navalium certaminum descriptio cum convenientia tum differentia Majumæ, piscatoriorumque ludorum & decursionis Tiberinæ in honorem Fortis Fortunæ institutæ, uberius explicatur: 554. Illinc quidem quod in omnibus hisce ludis communis fuerit vulgi procax licentia & pergræcatio; hinc vero quod primus eorum Majo, posteriores duo Junio fuerint celebrati. 555, & *seqq.*
Friggo seu *Freja* vide *Deus*.

G.

Gadir vel *Gades* quid denotet: ineptiæ Græcorum circa eam vocem. 35.
Gaza Urbis incolæ, qualia coluerint idola, quosque in eorum honores celebrarint ludos. 564, 565.
Urbs maritima, vitiosissima & superstitiosissima, cumprimis monstro marino Dercetus seu Dagonis. 577.
Ludis fuere dediti Gazæi, & ad stuporem excitatis eum in finem Theatrorum machinis ita ut tecti ὑπαιθρίου structura duabus columnis medianis incumbens sustineretur: cujusmodi Theatri gemino cardini innitentis memoria apud Plinium. 581, 582. Ubi & de duabus columnis a Samsone eversis. 583, & *seqq.*
Urbs Gaza quibus malis afflicta tandem & desolata, 589. Quando religionem Christianam amplexi fuerint, fœdissimaque spectacula hæc dereliquerint. 590, & *seqq.*

Genti

Genii æde publica culti. 638.
Genius Urbis. 638.
Populi. *ibid.*
Gentes quomodo adhæserint Christo. 444.
Gentilium nota pullus. (Genes. XLIX, 11.) 421. Quomodo adhæserint Christo, ostenditur. 444.
Giblei apud *Ezechiel.* XXVII. 9. quales fuerint. 44.
ע vocula quid significet: quemque emphasin in Jacobi Vaticinio *Genes.* XLIX, 10. habeat. 369. & *seqq.*
Gorgatides Insulæ quomodo hodie vocatæ. 53.
Græci quando sine accentibus scripserint. 56. Ægyptiis antiquis invisi quare fuerint. 188.
Grammaticorum Veterum indiligentia in excerpendo & annotando. 500, & *seqq.* Nostri seculi Grammaticorum & Doctorum quorundam ignorantia, indiligentia, & ἀκρισία. 511, & *seqq.*

H.

Haran Urbs qualis. 161.
Hasmonæorum Historia, vid. *Asmonei.*
Hathirsata vox apud Prophetas occurrens, quid significet. 304.
Hebræi Unde sic dicti. 78. Idioma, hodie appellatum Ebraicum, an idem sit cum illo primævo, quo ante Diluvium populus Dei Sethitæ in terra Canaanitide utebantur. *ibid.* & 79. An Synedrium apud Hebræos ex solis sic dictis Judæis, sive viris ex tribu Juda oriundis constiterit, an vero Præses saltem ex Juda fuerit? 399. Apud eosdem nubenda uxor in potestatem transit & nomen mariti 400. Dotemque accipiebat a sponsa socer. 401.
Henochi Commentarii de Creatione: ex iis fragmentum de *Angelis Egregoris*; sunt inter apocrypha. 10.
Herodes quam ob causam Judæorum genealogiarum commentarios exusserit. 385. Herodes quibus parentibus natus, quaque præditus indole. 397. Auspiciis Marci Antonii a S. P. Q. R. Rex Judæorum declaratur, quam dignitatem post Actiacam victoriam ei Augustus Cæsar confirmavit. *ibid.* Aristobulum veneno tolli, Antigonum securi percuti jubet. 398. Hyrcanum ferro sustulit, totumque Maccabæorum genus radicitus exstirpat. *ibid.*
(Ascalonita) non Judæus ex Jacobo, sed Esavo Idumæus fuit, patre Antipatro, matre vero Cypro Arabissa progenitus. 438. ubi Eusebius emaculatur, illiusque ex Africano, ut & Epiphanii error detegitur. 439, 440, & *seqq.*
Herodotus accuratissimus rerum Medicarum Historicus. 148. Ejus narrationes de Medici regni temporibus consentaneæ sunt & Sacris, 148. & antiquissimis finitimarum gentium historiis. 155. Ejus historia Ægyptiaca, a Psammeticho usque ad Cambysen, & cum Sacris literis, & veritate convenit. 185.
Hieronymus Pater quo seculo floruerit. 354.
Hierosolymitana regio petrosa. 421. Vinearum ibidem pretium. *ibid.* & 422.
Hippolytus Pater quando vixerit. 354.
Hispania sive *Spania* sic a Pane Deo dicta. 127. Appellata etiam est Iberia. 132.
Historia veræ signum. 190.
Homeri ætas. 193.
Hophra quis. 186.
Horatium inter Lyricos Poetas solum lectu dignum censet Quintilianus. 487.
Hyrcanus (Johannes) patri Simoni in Sacerdotio & Dynastia Judaica successor, quamdiu regnaverit, quemque reliquerit successorem. 396.
Hyrcanus (Alexandri Judæorum Regis filius Pontifex Maximus, cum fratre minore Aristobulo de regno contendit. 396. Cui tandem Pontificatus cum Principatu restituitur. 397. Tandem ab Herode ferro sublatus. 398.

Jacobi

INDEX RERUM.

I.

Jacobi (Patriarchæ) oraculum *Genes.* XLIX, 10. consideratur, demonstraturque, illo ipso tempus Messiani adventus mafestissime designari. 363, & *seqq.*
Ejusdem Jacobi oraculo tempus non minus Messiæ natalis, quam passionis ejus prænunciatum fuit: ubi Judaizantes quidam confutantur: 364, & *seqq.* Et verus Vaticinii Jacobæi sensus eruitur ac confirmatur. 365, 366, & 383, 384, & *seqq.*
Jacobum oraculum suum cum redderet non tantum regiminis Judaici circa tempora nascituri Messiæ statum, sed etiam illius eversorem Herodem, hominem Idumæum, ex fratris rejectanei Esavi sanguine ortum trahentem, imo etiam Ananelum, in oculis habuisse, probatur. 389.
Jaddus summus Judæorum Pontifex literas ab Alexandro M. accipit, & quare. 392.
Jamblichus falsitatis & mendaciorum convincitur. 168.
Joson quibus mediis vellus aureum ceperit. 217, 218.
Iberi populi, etiam Tobelii, a Tubale, conditore suo, sic dicti. 116.
Iddo Pontifex in Captivitate Babylonica an fuerit, & in Caspia plurimos sacerdotes, Levitas, &c. sub manu sua habuerit? 430, 431.
Idubeda & *Idubela* tertius in Hispania Celtiberorum a dispersione gentium Rex, (monti postea Hispanos omnes in citeriores & ulteriores disterminanti nomen dans) inter numina relatus, sub nomine Dei Endovellici cultus est. 101. & 129. Ab hoc monte Belli populi nomen sunt sortiti. 101. & 102.
Jeremias Propheta illustratur. 153.
Jesaias Propheta illustratur. 173, 174.
Ignatius Antiochenus Episcopus, quo seculo vixerit. 351. Discipulus fuit Apostolorum. *ibid.* & 352.
Ignis apud Orientis populos maximo honore quare cultus. 109, 110.
Ilium quando excisum. 162, & 193.
Impietas in Principem idem quod majestas læsa. 651.
Indorum sapientes. 145.
Indumentum textile animæ, (Jobi X, 11.) quid sit. 422.
Interfemineum quid. 389.
Joaribus primæ sortis sacerdos. 296. Ex ejus familia descendisse Asmonæos, probatur. *ibid.*
Johannis (Evangelistæ) locus *cap.* XIX. 31. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου, explicatur. 318, & *seqq.*
Quid (*Johann.* XII, 1.) πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα, sit. 333. & *seq.*
Locus Johannis (*cap.* XIX, *v.* 14.) ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, conciliatur cum Marco (*cap.* XV, 25.) ἦν δὲ ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, & ab aliorum curiosa κρίσει vindicatur. 346, & *seqq.*
Locus *Johan.* VI, 14. quis ὁ ἐρχόμενος, explicatur, quidque Patres de illo commentati sint, exponitur. 419.
Jonathan Judæ fratri in utroque, Sacerdotio scilicet & politica Judæorum Dynastia successor, quidnam in imperio gesserit, cujus perfidia & insidiis captus cæsusque. 396.
Quisnam ejus successor fuerit. *ibid.*
Jonathanis Uzielidæ thargum Pentatheuchi an diversum ab Anquelosio, & ejusdem Psalmorum paraphrasis alia a Rab. Josephi cæci, sit. 87, & *seqq.*
Joseph R. hagiographorum Paraphrastes, an jungendus Jonathani & Anquelosio. 87.
Josephi Historici laus. 150. Videtur falli. 187.
Josua quo tempore Cananæos Phœnicosque a se profligatos, in Africam exules egerit. 17.
Josua, primus post captivitatem Babylonicam Pontifex; quare jussus a Deo duabus coronis ornari. 393.
Eujus posteri quam diu τελειωταρχίαν Judaicam

Digitized by Google

daicam exercuerint. 393.
Josua, de quo multa apud Esram & Zachariam, primus post solutam captivitatem Babylonicam Judæorum Pontifex maximus, primusque ἀναστατικὸς, quindecim post se ad Maccabæos usque reliquit Pontifices, qui ex ipsius stemmate oriendi sunt: eorumque laterculus. 432.
Josias cur se oppoſuerit Ægyptiis. 152. Cur coluerit Assyrios. 154.
Jozadocus Pontifex Judaicus, etiam in Babylonide. 430.
Ireneus quo seculo floruerit. 353.
Israelitarum colonias Assyrii in Medorum civitates ducunt. 148, 149.
Judas ille, cui sceptrum (*Genes.* XLIX, 10.) promittitur an fuerit Judas Jacobi filius. 389.
An tribus Juda, & præcipue David, quæ communis Doctorum opinio, sed tamen, quod multis argumentis ostenditur, erronea. 390, & *seqq.* sed definito Dei consilio evenit, ut & sceptri præeminentia de tribu Juda, & Davidis familia amoveretur & in tribum Levi, ipsosque Pontifices de familia Eleazaris transferretur, ita ut Pontificatus & Principatus in uno cohærerent subjecto. 392. & *seqq.*
Judas in Græca Versione *lib. Maccab.* v, 63. ὁ ἀνὴρ vocatus, ad laudem ejus pertinere, probatur, idemque significare ac fortissimum. 400.
Vaticinium de Juda mysticum quamvis sit, continet tamen & temporalia. 406.
Juda non semper tribum denotat Judæ: ubi in ea re scaligeri error confutatur. *ibid.*
Vocabulum *Juda* in S. Scripturis tres significationes habens, (tribum Juda, totum populum Hebræum, Regnum Juda speciale,) in oraculo Jacobæo Regnum denotare Judæ speciale probatur. 410, & *seqq.*
Quæ tribus Israeliticæ ad regnum hoc Judæ speciale pertinuerint, & de ejus origine. 410, 411.
Jacobum non de tribu Juda, sed Regno Juda vaticinatum esse, Patres etiam nonnulli docuerunt, qui tamen in eo falluntur, quod ablationem sceptri in ultima demum Reipublicæ Judaicæ destructione factam existiment. 412, 413, & *seqq.*
Judas Maccabæus, patri Matathiæ, (Hasmonæorum auctori) succedens, dynastiam politicam pontificatui jungens, arma & aram una tractare manu primus instituit. 396.
Quisnam ejus successor fuerit. *ibid.*
Judas unde Ischariotes dictus. 347.
Judæa regionis situs. 421. Ejusdem Balsamorum & pinearum abundantia. *ibid.*
Judææ nota hieroglyphica est palma. 422.
Numus Vespasiani, (CAPTA JUDÆA) expositus. 421.
Judæi qua hora diem inchoarint. 283.
Quomodo Judaico Senatui capitalia judicia adempta fuerint. 339, 340.
An omnes Judæorum genealogiarum commentarii ante Christi nativitatem deperditi fuerint. 385, & *seqq.*
Duo in Republica Judæorum summa legum genera, *Mitzvoth*, & *Chukkim*, quidque utrumque? 386, 387. Qualis eorum post captivitatem Babylonicam regiminis forma. 387. 391, & *seqq.* Lege Judæorum patria cautum fuit, ut post captivitatem Babylonicam exclusis Regibus sub imperio viverent sacerdotum. 392. Apud Judæos familia matris, familia filii non erat, 401, 402. Status populi Judaici in captivitate Babylonica. 427. ubi probatur illos servos aut captivos proprie non fuisse, sed colonos liberos; & autonomiam religionis retinuisse. *ibid.* & 428.
Victis Judæis non adimebant religionem patriam Gentiles; illius rei causæ & exempla. 429, & *seqq.*
Habebant Judæi etiam in Babylonide suum Pontificem, retinueruntque prædicationem verbi, & usum sacramento-

Digitized by Google

rum 430, & *seqq.* Eis flumina Templi instar erant. 431. Orationes eorum *literales*. *ibid.*
Judæorum Pontificum post captivitatem laterculus. 432.
Judæos tempore captivitatis aliqualem retinuisse Reip. statum, probatur, idque ex generali quasi consuetudine veterum: quæ ibidem docetur, & exemplis illustratur qua sacris, qua profanis. 433, 434, & *seqq.* Zorobabel Æchmalotarcha, deportatorum Judæorum in Babylone. 436. Synedrii qualisqualis forma, penes principes paternarum familiarum exstitit. *ibid.*
Deportatorum Judæorum incredibiles divitiæ, & in remigrantes regia liberalitas. 437, 438.
Quare plurimi Judæorum in Babylonia remanserint, Hierosolymamque redire noluerint. *ibid.* Ad structuram Templi quot auri drachmas contulerint, *ibid.*
Προσφώνημα ad Judæos. 445.
Judæorum fiscus, & circa eum Domitiani acerbitas. 658. Judæa religio cum Christiana pariter exosa; *ibid.* sed tamen imposito tributo permissa: 659. a Nerva tamen & Trajano Domitiani circa utrumque rapinæ sublatæ. *ibid.*
Justinus Trogus de origine Judæorum commentans, emaculatus. 406.
Juno quare Ἥρα dicta. 53.

K.

Καρδία τῆς γῆς Matth. XII. quid sit. 287.
Karraim apud Hebræos quinam 324, & *seqq.* Eorum solennitates, *ibid.* institutæ, conditiones. 326.

L.

Labonitas quis. 175.
Largitiones sacræ & privatæ. 662. 663.
Latina Lingua. De causis amissarum Latinæ Linguæ radicum. 453.
Pleniorum Dictionum studium. 455.
Compositorum Verborum vice Radicum usurpatio. 457.
Inchoativorum usus. 461.
Paragogorum usus. 462.
Frequentativorum usus. 464.
Synonymorum usus & copia Verborum. 465.
Periphrasium amor. 465.
Schematum aut Troporum usus. 467.
Differentiæ & Ambiguitatis vitatio. 468.
Verborum exemptæ Actionis rarus usus. 470.
Deductitiorum Verborum usurpatio. 470.
Numerorum Oratoriorum observatio, & Electio Vocum, Phrasiumque. 473.
Verborum quorundam Poetis relictorum inusus. 476.
Barbararum vocum introductio. 478.
Fastidium Veterum, & mutandi linguam prurigo. 479.
Idioma cujusvis regionis peculiare, & cujusque peculiaris idea ingenii. 480.
Vocum ratior apud scriptores usus, hinc earum desuetudo, dum imitatores præscripta secuti sunt. 481.
Amissio bonorum Auctorum, & unde ea. 487.
Corruptio superstitum Auctorum. 490.
Raritas & neglectus superstitum Auctorum. 495.
Difficultas propter amissa cum tot scriptoribus Lexica linguam Latinam restituendi. 499.
Veterum Grammaticorum indiligentia in excerpendo & annotando. 500.
Mutatio locutionum solennis, unde indiligentia in annotando excusatur, quod & ipsi Latini de usu incerti. 502.
Restrictio Grammaticorum ad usum seculi. 507.
Fastidium nostri ævi hominum, & Ciceronis superstitiosus amor. 507.
Nostri seculi Grammaticorum, & Doctorum

Digitized by Google

Ctorum quorundam ignorantia, indiligentia, & ἀμαθία. 511.
Etymologiſtarum deliria, & ſtupor. 518.
Timiditas Doctorum, & metus calumniantium. 520.
Imperfectio rerum humanarum. 522.
Leges Annales in initio Reipublicæ Romanæ nullæ fuere, ſed progreſſu temporis introductæ. 671.
Leptis urbs a quibus populis condita. 15.
Lexicorum, ex quibus veterem illam linguam Auguſtæo ævo uſitatam, plenius cognoſceremus, amiſſio. 499. Ejuſque rei cauſa. *ibid.*
Ex Lexicis commendantur duo, alterum inſcriptum eſt *Breviloqui* nomine; alterum *Gemma Gemmarum* dictum. 500. Lexica inutilia. *ibid.*
Liber Quæſtionum falſo Athanaſio adſcribitur. 423.
Libyes populi in Africa ante Pœnices ſeu Pœnos διυτόχθονες, ſive gentes indigenæ. 21.
Liduna quid. 698, & *ſeqq.*
Lingua Punica qualis fuerit. 5, & *ſeqq.*
Ex Cananæa orta eſt, non ex Arabica, 21. 26.
Romanis lingua Punica cognita & æſtimata fuit. 48, 49.
Etruſca e qua lingua nata; item Sabina. 12.
Phœnicum Joſuanorum in Africam delatorum qualis fuerit. 20.
Cananæorum adfinis Hebreæ. 20.
Phœniciaca paulatim mutavit. 22.
Pelaſgi, *Græci*, *Iſraelitæ* proprias obliti linguas, gentium, inter quas vixere, didicere. *ibid.* & 23.
Athenienſium hodie omnis Græciæ corruptiſſima. 23.
Germanica vetus mutavit. *ibid.* cauſa harum mutationum. 24.
De cauſis amiſſarum quarundam Latinæ linguæ radicum, uti & multarum vocum derivatarum. 446, & 453.
Vetus Punica Patribus nota & memorata, nulla erat alia quam Cananæa. 27.
Syriaca ſimilior Ebrææ linguæ eſt, quam Arabica. 30. & *ſeqq.*
Arabica ex qua orta. 30. Arabes nunquam Punicam, nec Pœni Arabicam linguam locuti ſunt. 43, & *ſeqq.* Hujus linguæ duplex idioma. 63.
Latina vetus, qua Carmina Saliaria ſcripta, non intellecta fuit ætate Varronis. 23. Eſt fere eadem cum antiqua Græca. 61.
Littorales Orationes quænam, & quare ſic dictæ: ubi Tertullianus emendatur. 431, 432.
Livius, deque hoc Auctore Ciceronis judicium. 488.
Lucas (Euangeliſta) an Euangelium ſuum juxta aliorum relationem ſcripſerit. 248, & *ſeqq.* An Chriſti διυτόχθονες fuerit. 249.
Locus *Luca cap.* 1. *verſ.* 2. explicatur. *ibid.* & *ſeqq.* An minus in ordine obſervando accuratus fuerit quam Matthæus & Johannes. 250, & *ſeqq.*
Locus *Luca* III, 23. de ætate Chriſti (ἦν ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα,) expenditur, inque eo loco nullam ellipſin eſſe, monſtratur. 271, & *ſeqq.*
Locus *Luca* XXIII, 56. (καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν) vertitur, explicatur, & ex eo unicum ſaltem diem a piis mulieribus feriatum fuiſſe, ſive, unicum ſabbatum in tumulo Chriſtum fuiſſe, mulieresque in otio exegiſſe, probatur. 320, & *ſeqq.*
Locus *Luc.* VII, 19. quis ὁ ἐρχόμενος ſit, explicatur, quidque Patres hac in re ſtatuerint, proponitur. 419.
Lucretius quomodo tractatus a Marullo. 493.
Ludus Majumæ. vid. *Majuma.*
Fortis Fortunæ. 554.
Piſcatorii ludi. 555.
Florales. 562, 563.
Circenſes. 570.
Beſtiarum venationes. *ibid.* & *ſeq.*

Digitized by Google

Thymeles theatricæ delectationes, ejusque septem πρόδες. 571. & seqq.
Mimarum. 592. & seqq.
Pornon. 572, & seqq.
de Decursione Tiberina. 556.
Nereidum. 558, 560, 561.
Castorum. 559.
Naumachiæ deque aliis ludis Circensibus; Amphi- & Theatralibus, nec non Procerum Populique conventibus, & veluti Castris generalibus, ludicris & seriis. 560, 561, & seqq.
Maicampi ludi. 608.
Martii campi. 609.
Roncaliæ. 611.
Majales Septentrionales. 613.

M.

Maccabaici regni historia. 396, & seqq. Herodes Maccabæorum genus radicitus exstirpat. 398. Maccabæos non fuisse de tribu Juda, sed Levi oriundos multis argumentis probatur, ubi & Baronii falsa de illis opino refutatur. 398, 399.
Opinio illa Maccabæos ex matribus fuisse de Juda, refutatur. 400, & seqq. Maccabæos non uxorum nomine Principatum tenuisse, contra Marium; nec nomine tribus Juda, contra Canum probatur. 403.
Magaria quid fuerit. 31.
Magus vox Persica, unde descendat, quidque significet. 71, & seq.
Magi illi, ad Servatorem infantem, adorandum profecti, an Abrahami e Cethura posteri fuerint. 259. Quonam post Christi partum die advenerint. *ibid.* An etiam Arabia Magos habuerit. *ibid.* Vix extra Persiam Magi a probatis auctoribus memorati reperiuntur. 260. Magi, proprie dicti, sapientes fuere Persarum sive eorum Sacerdotes. *ibid.* & 263. Magi Orientis, nulli sunt alii, nisi Persarum; 261. Chaldæorum autem Magi septentrionales Judæis fuere. *ibid.* Argumentum, quo Magi Arabes fuisse creduntur, eo quod dona secum Arabica, aurum, thus, & myrrham attulerint, diluitur. 262. Quonam post natalem Christi die advenerint. 263, 264.
Magia in Persida a Zoroastre orta. 260.
Magnes antiquissimis temporibus pro Deo num sit cultus. 96. Acus Magnetica, pyxidi nauticæ inclusa, recentius est inventum. 110.
Magodia regio, Epiphanio ita dicta, ubi fuerit, aut ubi exstiterit, nullibi reperitur, 261. Alia vocis Magodiæ explicatio, a Casaubono reddita. *ibid.*
Majales Septentrionales ludi. 313. & seqq.
Maicampus, conventus Francorum Regum, & Cæsarum, procerum plebisque, institutus ad publica regni negotia gerenda. 608, & seqq.
Majuma Gazæ urbis navale, sive portus, a quo ludi Majumæ dicti, quando Christiana facta, cum nomine quoque fœdissima spectacula dereliquerit. 590, & seqq.
Majuma, (ludus) Falsa Majumæ etymologia a Majo, multis præsertim JCtis imposuit, ut mira ejus spectacula ex cerebro suo fingerent, atque potius quid non esset, quam quid esset, pingerent. 539, 540, & seqq.
Vera Majumæ nomenclatio, ejusque æquivocatio maritimæ civitati & portui Gazæorum, nequaquam vero Veneri cognomini communis. 545. & seqq.
Majuma conventus fuit populi, cui prætores Urbis ludos in navibus dabant, colluctantibus inter se piscatoribus, aliisque natandi peritis se invicem in aquas protrudentibus. 548, 549, & seqq.
Ex Poetis, præcipue navalium certaminum descriptio, cum convenientia tum differentia Majumæ, piscatoriorumque ludorum, & decursionis Tiberinæ in honorem Fortis Fortunæ institutæ, uberius explicatur, 552, 553.
Initium Majumæ ex Oriente, exque Urbe Majuma maritima petendum: 563.

Digitized by Google

563. Quæ urbs ludo huic nomen dedit. *ibid.*
Ab initio fuit rudior ludus, sed paulatim ita complicatus libidinum morbus, ut nihil non fœdaret: 564. indeque veluti spectaculorum omnium sentina, & vere Porna, nulli non bono exsecrabilis fœteret. 565, 566. & *seqq.*
Abrogati hi ludi ab Imperatoribus, tametsi res horum quodammodo adhuc esset superstes, sub nomine tamen *παιγνιου* seu adeo Floralium, aut Mimæ. 591, & *seqq.*
Majuma quoad nomen desita, quia quoad rem paucis retro seculis multorum malorum causa fuit in Syria; 616. Græcia, Italia; *ibid.* Gallia & Germania. 617, 618. Nec dum nisi titulotenus cessavit, semper in Nymphæis, revirescens. 619. Quæ forma ejus proprie sit & fuerit, qualisque fucus, & quod virus exterius ei accesserit, docetur. 620, 621.
Malacia quid. 680, & *seqq.*
Manducare idem quod vivere: ubi loci *Esaiæ cap.* VII. 15. *Luca* XIII, 26. explicantur. 525. & *seqq.*
Manethonis ætas. 189. Fuit fabulosus historiæ Ægyptiacæ scriptor. 190. Frustra a Joh. Gerh. Vossio excusatur. 191.
Manilium interpolavit Laur. Bonincontrius. 493.
Mantuanus Poeta, & de eo Julii Scaligeri judicium. 497.
Marcus (Euangelista) an Euangelium suum juxta aliorum relationem scripserit. 248. & *seqq.* An fuerit Christi *ἀπόστολος*. *ibid.*
An demum post adscensionem Christi a Petro conversus fuerit. *ibid.* An minus in ordine observando accuratus fuerit quam Matthæus & Johannes. 250, & *seqq.*
Locus *Marci* VIII, 31. resolvitur, est partem *συχθημέρου* ibidem per Synecdochen pro toto sumi, monstratur. 283, & 292.
Locutio *διαγινομένου τε σαββάτου* apud Marcum *cap.* XVI. 1. declaratur. 320, & *seqq.*
Mariam (B. Virginem) non solidis novem mensibus uterum portasse, inepte a quibusdam probatur. 257, & *seqq.*
Martius Campus. 610.
Marna fanum. 547.
Matthæus (Euangelista) tam accuratam ordinis rationem in scribendo suo Euangelio non habuit, quam quidem Marcus, aut Lucas. 250, & *seqq.*
Locus *Matth. cap.* XII, 40. de die passionis Christi examinatur ac resolvitur. 282. & Ebraismum in loco hoc *Matthæi* esse, pluribus documentis ostenditur. 283.
Locutio apud Matthæum *cap.* XXVIII. 1. *ὀψὲ σαββάτων*, explicatur. 321, & *seqq.*
Matathias (auctor familiæ Hasmonæorum,) Sacerdos ex vice & ita ex familia, & primæ sortis sacerdotis, Joaribi. 396. Ei successit filius Judas, cognomento Maccabæus. vid. *Judas.*
Mechokek (Gen. XLIX, 10.) quis, & quo sensu ab Interpretibus hæc vox vertatur, quæquæ genuina ejus expositio. 386. & Pontificem hoc loco denotare, probatur. *ibid.* & *seqq.*
Medi populi ab Assyriis quando defecerint. 141. Hujus regni tempora male collegit Ctesias. *ibid.* Melius Herodotus, cujus & historia cum Sacris convenit. 148. Defecerunt Medi ab Assyriis tempore Ezechiæ Regis Judæorum. 149. Post Medorum defectionem diu superfuisse Assyriorum rempublicam, ex duplici testimonio evincitur. 151. Medorum novem Reges ante Cyrum. 141, 142.
μεγάλη ἡμέρα apud *Joh.* XIX, 31. quid. 318. Quosnam Ebræi dies *μεγάλας ἡμέρας* vocarunt. 319.
Messias. Messiam titulo Schiloh denotari, Genes. XLIX, 10. ipsi affirmant Patres Targumici. 418.
Messias Patribus dicebatur *mittendus*, ven-

Digitized by Google

venturus. 419. Illius duplex adventus, Incarnationis & Sanctificationis a Propheta prædicitur. *ibid.* & 420. *Lavabit in vino ſtolam ſuam*, (Meſſias) *& in ſanguine uvæ pallium ſuum* quid ſit lavare? Vinum? Stola? &c. 422. & *ſeqq.*

Milites tueri & proſequi, apud Suetonium, quid? 645. Eorum præmia & emerita. *ibid.* & *ſeqq.*

Mima. 595. Mimarum ludi. *ibid.* & *ſeqq.*

Mitzvoth in Judæorum Republica quid fuerit. 386, 387.

Mochus Hiſtoricus Phœnicius, an idem qui apud Diog. Laertium laudatur *Ochus* 69.

Moneta ſignandæ auctores quinam? 628.

Moſch-Arabes, ſeu *Muz-Arabes*, quinam in Hiſpania ſic vocati. 63, 73.

Moſes quare Adami filias non recenſuerit. 65.

Mylittia Venus. vide Succoth Benoth.

N.

Nabonaſſaris ætas. 173. Cur ab eo nova numerari cœperit æra. *ibid.* Æræ iſtius initium: 168. & utilitas. 171.

Nabuchodonoſor in Libro *judith* memoratus, eſt diverſus ab altero illo, Babylonio ſcilicet. 153, 154.

Nabuchodonoſoris Babylonii potentia. 174, 175, 176. Uxorem qualem hic habuerit. 175.

Nashrim quare ſic apud Hebræos *mulieres* vocatæ? 401.

Natalis & *Cenſualis* profeſſio. 664.

Nautea. 714, & *ſeqq.*

Nabucadnezar Judæos in captivitatem abducens, ut populos detinuit bello captos, non ademit eis religionem patriam, neque damnavit eos in operas ruſticas, ſed deduxit eos in opportuniſſimas regni ſui colonias. 427, 428, & *ſeq.* Nebucadnezar hic, an (ſecundum Auguſtinum, & Hieronymum) proſelytus, imo & ſalvus factus fuerit. 430. Nabucadnezar, expugnatis Hieroſolymis, Judæis in captivitatem abductis Regem in victi Regis Jojacimi locum conſtituit Zedekiam: ſuffectis his rebellibus ſemper aliis ex Judæis oriundis. 434.

Nechus Ægyptiorum Rex, Pſammitichi ſucceſſor, aliquoties in Sacris memoratur. 185.

Νεωτερικαὶ ἱστορίαι, *2. Tim.* II. 22. quid. 239, & *ſeqq.*

Nimrodi regni initium & amplitudo. 159, 160, 173.

Ninus & *Semiramis* tantas res non geſſerunt, ut vulgo putatur. 154. Ninus unde dictus, & quis fuerit. 165.

Ninus urbs quando condita: 163. Quando deleta. *ibid.* & 157. 164.

Nitocris Uxor Nabuchodonoſaris Babylonii. 176.

Noachus idem qui Ochus & Ogyges. 69.

Nominis impoſitio apud Romanos & Græcos quo die facta. 664, 665. Mos quorundam Chriſtianorum in imponendis nominibus. 666.

Νόμος vox apud *Lucam* XXII, 15. & *Hebr.* VII. 16. quid ſignificet, explicatur. 330, & *ſeq.*

Nox & *dies* quid junctim Ebræis & Helleniſtis ſignificent. 283. Cum numeralem notam adjectam habent, νυχθήμερα deſignant. *ibid.* & 286, & *ſeqq.*

Numerorum cap. XL, *vſ.* 4. Lex de votis maritarum explicata. 401.

Numus Veſpaſiani, *Capta Judæa*, explicatus. 421.

Nummorum triplex differentia, aureorum ſcil. argenteorum & æreorum. 627. Nummi plumbei adulterini. *ibid.* Nummorum pretium. 628. Romani quando primo argenteis uſi, & quando demum aureis. *ibid.*

Νυχθήμερον quid ſit. 287.

Νυμφαῖα, qualia ædificia fuerint. 36, 37.

O.

Oannes quis. 169.

Oboda. vide *Deus*.

Oculi

Digitized by Google

Oculi (Messiæ) *pulchriores sunt vino*, (Gen. XLIX, 11.) *& dentes ejus lacte candidiores.* Oculus Divinitatis, dens Humanæ ejus educationis symbolum. 423, & *seqq.*
Oculi vinicolores nigri sunt, ubi vetus Glossa emendatur. 424.
Oculi nigri lacteo albo innatantes, in pulchritudinis censu. *ibid.* & 425.
Ogyges vox non a Græca voce descendit, sed ab Hebræa, & quali. 69. Est idem qui Noachus. *ibid.* & 70.
Olympiadum initium in quem periodi Julianæ annum incidat. 196.
Origenes, quo seculo hic Pater floruerit. 353.
Orosius quomodo tractatus a Francisco Fabricio. 493.
Ostia. Romanorum portus, ludique ibidem celebrati. 564, 565, 605, & *seqq.*
Othinus. vide *Deus*.
Ovidius, deque ejus corruptione Virorum doctorum querelæ. 491.

P.

Pallas quare a Phœnicibus vocata *Hoga*, *Oga*. 69.
Pallium suum lavabit (Messias) *in sanguine Uvæ*. per pallium quid hic (Genes. XLIX, 11.) intelligi debeat. 422.
Pancarpia. 571.
Parasceve Paschatis Christum passum esse, probatur: 314, non autem crucifixum ipso Paschate Judaico. *ibid.* & *seqq.* παρασκευὴ dies ille est, qui proxime præcedit diem quemlibet festum. *ibid.* Quid apud Johann. *cap.* XIX. 31. per παρασκευὴν denotetur, an Paschatis saltem, an vero & Sabbati ordinarii seu hebdomadarii Parasceve, quæ nobis semper dies Veneris exstitit? 315. Quomodo a προσαββάτῳ distinguatur. 316. *vide* προσάββατον.
Pastorum & *Judæorum* ex Ægypto in Palæstinam transitus ex Manethone a Josepho relatus, an veri quid habeat. 195.
Paschа festum Judæorum in quem hebdomadis diem Servatoris crucifixi inciderit. 314, & *seq.* Hemerologium actorum Christi in Paschali septimana proponitur. 333, & *seqq.*
Paschа. Cur Christus alio die, quam Judæi, Pascha comederit. 330, & *seqq.*
Patrum Ecclesiæ primitivæ in sacris auctoritas, quanta esse debeat. 407.
Paulus Apostolus in Arabia prædicans, Syro, Græcone, an vero Arabico docuerit idiomate. 90.
Paulus (Middelburgensis) ubinam fuerit Episcopus. 282. Ejus sententia de die Passionis Christi ad examen vocata. 282, & 283.
Pecunia & publica & privata asservata olim in templis. 623, & *seqq.* Antiquissima pecunia ærea, post argentea, demum aurea subsecuta. 627.
Pecuniæ sacræ asservatæ quoque, extra urbem. 629.
Nervi rerum gerendarum pecunia. 638.
Penninus Deus. 102.
Pentecostalis Epocha explicatur & applicatur. 324, 325, & *seqq.*
Pes. De interpedes alicujus esse, (Genes. XLIX, 10.) quid sit. 388. Quidque παρὰ πόδας, *Actor.* XXI, *vs.* 3. *ibid.*
Phaedri fabulæ an supposititicæ. 517.
Phalanx vel *Phalanga* vox quid significet, unde orta. 20.
Pharaonis vox, depravata tamen, apud Herodotum. 193.
Phœnices, Primi nautæ, quare φοίνικες dicti. 9. 10.
Eorum pacta fraudulenta. 10.
Coloniæ Phœnicum plures. 11, 10.
Quare Pelasgi dicti. *ibid.*
Quibus populis primi religionem dederint. *ibid.*
Quo tempore, quave de causa in Atticam venerint. *ibid.* & 13.
Sunt inventores fundæ. *ibid.* Eorum studia, inventa, & potentia. 13, 14.
A Josua in exilium acti, quale in Africa regnum condiderint. 17, 18. Repetunt

Digitized by Google

tunt Cananæam. *ibid.*
Ex eorum Theologia nonnulla explicata. 20, 21.
Addiscunt linguam Græcam, Græci Phœniciacam minime. 24.
Sunt insignes textores. 44.
Phul Assyriorum Rex, tributarium sibi reddit Manahemum Israelitarum Regem. 142. Quam potens sub eo regnum fuerit. *ibid.* & 143. Ejus tempore Assyrii potiuntur Mesopotamia. 161.
Pilipedum apud *Jesaiam cap.* XII, ℣. 20. quid sit. 388.
Plautinæ pœnulo inest fragmentum e lingua Punica residuum, quale nullibi scriptorum veterum reperire est. 48.
Plautina Punica reduci ad Ebraismum, & ex eo explicari possunt. 49.
Plautus quomodo tractatus Sarraceno & Pio. 493.
Pœni, a quibus populis orti. 8. Quarumnam Urbium conditores extiterint. 15, 16. Eorum lingua non est Arabica. 26. Vide *Lingua*. Iis iidem Dii qui Phœnicibus. 28. Nomina Numinum Phœniciorum jungunt nominibus Ducum suorum. *ibid.* Qualia, & cum quibus populis communia habuerint sacra. *ibid.* & 29. Lignariæ operibus clari. 44, 45. Eorum inventa. 45, & *seqq.*
Poeta per fabulas olim docentes, optimum docendi genus id esse arbitrabantur: & Historica, Physica, ipsa etiam Theologica fabulose tradebant. 219. exempla ejus rei. *ibid.*
Πομπεῖον quid fuerit. 31.
Pontifices soluta captivitate Babylonica Rempublicam Judæorum administrasse, probatur, idque mandato Dei. 392. Reges in arduis partim belli jura, pacisque concernentibus negotiis Judæorum Pontifices consulendi gratia adierunt *ibid.* Habebant Judæi etiam in Babylonide suum Pontificem. 430, 431. Pontificum Judæorum post captivitatem Babylonicam laterculus: 432. ubi Sigonii, & Alstedii circa hanc Pontificum seriem error chronologicus emendatur. 433.
Poeta Christiani, deque iis quorundam Eruditorum judicium. 488. Veterum proborum Poetarum plurimos perire fecit novum Poetarum genus: de quibus utrisque doctorum judicium. 489.
Pornæ sunt Floralia, spectacula, quæ per meretrices & perditissimorum hominum genera celebrabantur. 571. Quibus tamen in utraque Roma plebs usque adeo tenebatur, ut tametsi Christi jugo se submisissent, hos tamen ludos scenicos abrogari nollent. *ibid.* & 572, 573.
Portorium vectigal pro invectione & evectione mercium. 631.
Portorium an diversum a *Portario*? *ibid.*
Priamus Trojanus Davidem Regem in Juda copias auxiliares rogat contra Græcos. 66.
Principes olim arbitrium ærarii habuere. 657. quorum ex testamentis accessiones magnæ, sed & iniquissime sæpe exactæ. *ibid.* & *seqq.*
Procopius qualis Scriptor, & quando vixerit. 17.
Propertius quomodo tractatus a Beroaldo. 493.
προσάββατον in Sacris nihil usquam aliud designat, quam feriam ante Sabbatum hebdomadale proximam, nempe sextam: & distinguitur a παρασκευῇ quod hoc diem quodlibet festum immediate præcedentem notet 316, & *seqq.*
Prudentius Poeta Christianus, in quo plurima præter necessitatem correxit Aldus. 493.
Psammitichus Rex Ægyptiorum Urbem Azotum post undetriginta annorum obsidionem capit. 185. Successor ejus fuit Nechus. *ibid.* a Psammitichi tempore inter Græcos & Ægyptios commercia floruerunt. *ibid.* & 186.
Pullum ligare ad vitem, (Genes. XLIX. 11.) quid

Digitized by Google

quid sit? 420. Quomodo locum hunc interpretati sint LXX. Interpretes, quidque Docti de hac eorum versione statuant. *ibid.* & 421.
Pullus nota Gentilium ut Asinus Judæorum. *ibid.* & *seqq.*

Q.

Quæstores a Romanis constituti, penes quos cura ærarii sit. 667. Eorum origo antiquissima, jam inde a Regibus. *ibid.* Taciti & Ulpiani circa eorum creationem animadversa dissensio. 668.
Origo Quæstorum a tempore Romuli. 669.
Ratio nominis. *ibid.*
Quæsitores a Quæstoribus diversi. 669.
A Republica liberata bini instituti, & primorum nomina: 670. error ea in re Lipsii. *ibid.*
Numerus Quæstorum a binario usque ad XL. excrevit. 670.
Dignitas Quæstorum: 671, 672. & per hanc Quæstorum dignitatem aditus ad Senatum. 672.
Quæstorum cura circa ærarii accepta & expensa. 673.
Circa Senatusconsulta. 673.
Circa rem militarem, & in specie signa. 673.
Circa provincias ornandas. 674.
Circa militum stipendia ordinanda. 675.
Circa exteros, legatos nempe, Regesque aut alios Romam adventantes. 675.
Quæstura annus legitimus vigesimus quartus expletus. 671.
Quæstura quasi spectamen quoddam indolis. 673.
Quintilianus Horatium inter Lyricos solum lectu dignum censet, Catulli vero ne semel quidem meminens, fecit sua censura, ut tot Lyrici interierint. 487.

R.

Rabban titulus apud Judæos omnium præstantissimus quid significet. 265. Quinam omnium primus Rabban vocatus. *ibid.*
Rabbinorum ordo quibus præcipue constet Doctoribus, & qua occasione, quove tempore hi orti. 85.
Radagaisus Deus. 100.
Ramises apud Plinium quis. 193.
Ramsinitus an ille, qui Herodoto Protei successor. 193.
Rasin apud Mosen *Gen.* 10. quænam urbs. 160.
Remphis. vide *Deus.*
Respublica plerumque eversæ nimia sua magnitudine sunt & felicitate. 639. An præsides cuicunque sint tributi Angeli? *ibid.*
Romanæ Reipublicæ exitii causa. 639.
Roncalia Campus, oppidum campestre, quo a Rege Teutonico indicta publica expeditione Romana ad suscipiendam Imperii coronam, aut similem ob causam omnes vasalli prima nocte Regi in hoc campo mansionem facienti adesse cogebantur, &c. 610, 611, & *seqq.*
Rugiemus, Numen gentile Slavicum, insulæ Rugiæ maris Balthici nomen dans. 102.

S.

שבת vocem a sacris Ebræorum Scriptoribus pro septimo hebdomadalis die, aut etiam per Synecdochen pro integra hebdomada accipi, nec nisi rarissime aliam festivitatem designari, probatur. 318. & *seqq.*
Σάββατον vox a Novi Fœderis Scriptoribus quo sensu accipiatur. 318.
Sabbatum Creationis quid. 318.
Sabbatum Magnum quid. 319.
Sacra Historia circa tempora regni Medici ab Herodoto traditi exacta convenientia. 148, 149, 150, & *seqq.* Docet S. Historia quædam de Assyriorum imperii Epocha, nullibi alias invenienda. 158, 159, & *seqq.* Docet Babylonici regni fortunas. 172, 173, & *seqq.*

Digitized by Google

Sacra largitiones quænam. 664.
Sacrum ærarium. 664.
Salacia, Numen a Platone Θήτυς dicitur, Oceano nupta, omnium Deorum parens vocitata. 687. a Cicerone quomodo translata, item a Marone. 688, & *seqq.*
Salacia Neptuno associata, & cur Dea aquæ dicta, 691.
Salacia notior ab ipsis usque veterum indigitamentis, *aquam marinam* sævientem Pacuvio denotans; 691.
Aliis Dea est *salum ciens.* 691.
Salacem alii vocant. 691.
Aliis est sali ἄχα, vel *acua*, aut *aqua salsa*, vel etiam *saliens*: eademque cum Ἁλοσύθνη Homeri & Amphitrite. 692, 693, 694.
Salacia & Venilia est unda maris ab anima mundi, illud permeante, ceu forma sua æstuans, & nunc ad littus veniens, nunc iterum senis plerumque horis in salum revertens. 694, 695, 696, & 697.
Dividitur fervoris illius utriusque, Veniliæ & Salaciæ junctim sumptæ regurgitatio in Malinas & Lidunas, & eas quidem, (præmissa tam harum, quam illarum origine propria & acceptione genuina, a corruptelisque vindicata) non tam juxta Posidonium in menstruas aut annuas, 699, 700, 701. sed vel in majores & minores cum Beda, 702. vel etiam contra Vossium in quotidianas, hebdomadarias & quatuor anni temporum, id est, in Malinas magnas, majores, maximas, 703. & Lidunas parvas, minores, minimas. 704, 705, & *seqq.*
Salambona quænam Dea, ubi culta. 107. hujus Deæ superstitionibus innutritus Heliogabalus Imperator. *ibid.*
Salinatoris cognomen M. Livio, posterisque adhæsit, quod in censura vectigal novum ex salaria annona statuisset. 666.
Sallustius quomodo tractatus a Pomponio Læto. 493.
Salmanassar Tyrios oppugnavit. 155. 156.
Salsedo motuum marinorum proxima & interna atque propriissima causa. 744.
Samson a proceribus Philistæis productus, ut intra columnas luderet, ubi de harum columnarum structura, quales & qua ratione elaboratæ fuerint, pluribus disputatur. 582, 583, & *seqq.*
Sanchouniathon quis, & quando vixerit. 50.
Saraceni quando Africam primum occuparint. 67.
Sardanapalus non versatus inter mulieres, est, ut Ctesias tradidit. 145. Est Assarhaddon. 149. Nomen illud in manuscriptis quomodo scriptum reperiatur, quidque significet. *ibid.* An regnum Assyriorum cum eo defecerit. 156.
Sarra quid: item *Sarranum Ostrum.* 16.
Sarus Babyloniis numerus est trium millium sexcentorum. 166.
Saturnus signandæ monetæ auctor. 628.
Scaliger male Ctesianam Medorum æram ad periodum Julianam confert. 146.
Sceptrum signum est Imperii, & cujusvis summæ potestatis. 383. Vitis sceptrum castrense. 384.
Sceptrum, de quo *Genes.* XLIX, 10. non tantum Monarchicum regni statum, qualem usurparunt Reges Judæorum, sed etiam quodlibet κύριον τῆς πολιτείας, & cum primis ἀνακτοτελειωταρχίαν, id est, Pontificatum cum Principatu conjunctum, designat. 384, & *seqq.*
Ablatio sceptri an in ultima demum Reipublicæ Judaicæ destructione facta fuerit. 413, an vero Herode regnum invadente facta? 414.
Schematum in lingua Latina usus. 467.
Schiloh. Per vocem *Schiloh* denotari (Genes. XLIX, 10.) Messiam, ipsi agnoscunt Targumistæ: 418. Etymologia nominis, Messias dicebatur mittendus venturus. Schiloh pacificator, qui Christus: 419. illiusque duplex adventus, Incarnationis & Sanctificationis, a Propheta prædici-

Digitized by Google

dicitur. *ibid.* & 420.
Scylax Geographus explicatus. 11.
Seba regio, ubi sita erat. 262.
שבא de quo *Genes.* XLIX, 10. virgam arboris genealogicæ non denotare, contra quosdam eruditos probatur. 348.
Semiramis Assyriaca non exstruxit Babylonem & femina Assyriaca perperam in res detruditur Chaldæorum. 165.
Sennaar apud Mosen *Gen.* 10. quænam terra. 159.
Sennacheribus ingentem cladem passus est, divina peste 185000. militibus una nocte amissis. 149 Ejus expeditio in Ægyptum. 156.
Septenarius numerus, (ut qui e trinitate & quaternione ita sit coagmentatus, ut ipse omnibus sub se positis numeris additus, semetipsum quadriplicet, atque sic quoque ipsa tempora secundum duorum magnorum luminarium cursum variet, 710) quanta in æstibus quotidie quot mensibus, atque quotannis quadrifariam notabiliter variantibus, vi polleat, id Alcedoniorum hebdomas, & Malinarum atque Lidunarum singulis septimanis succedentes vicissitudines, & omnium eo pertinentium vocum ἀπαρεμφάτων monstrat. 711, & *seqq.* Quæ vel maxime in Maris illo sabbatho, Malacia elucet, quæ septimo cumprimis, & ter septimo Lunæ die summe est conspicua, atque ex Poetis, aliisque Græcis illustrata. 712, 713. Euripus, in specie Chalcidicus, an sexies quotidie, vel septies, aut bis septies reciprocetur, an vero more aliorum marium, quater tantum ordinarie per singulos dies, per errorem vero & vim majorem indefinito nonnunquam numero. 750, 751, & *seqq.*
Septentrionales Majales. 613.
Septuaginta annorum captivitatis Babylonicæ initium est annus quartus Jojakimi: finis autem decimus septimus Nabonidi. 182, 183.
Serenus Poeta, deque eo doctorum virorum judicia. 492.
Servitutis Babylonica septuaginta annorum initium & finis & de eorum cum historia Babyloniorum Regum collatione. 181, 182, 183, & *seqq.*
Servius Virgilii Glossator, deque eo judicium. 491.
Sesak idem qui *Sesostris.* 192. Unius hujus, præter Nechum, in Sacris mentio fit, qui expeditionem in Palæstinam moverit. *ibid.* Ejus tempora conveniunt cum ævo Salomonis & Rehaboami. *ibid.*
Sethitarum idioma, quo in terra Canaanitide utebantur, hodie vocatum Hebræum, an idem sit, quod ante diluvium fuerit. 78, 79.
Sicca Veneria colonia Africana, trium dierum itinere a Carthagine dissita. 606. Siccæ fanum fuit Veneris. *ibid.* & *seqq.*
Siccitas triennalis tempore Achabi & Eliæ per fabulam de incendio Phaetontis a Poetis denotata est. 12.
Sidon quis fuerit, & quorum populorum conditor. 8, 9.
Simeon ille Christum ulnis complexus, quis fuerit, non liquet. 265, 266.
Simeon, celebris ille Rabban, Gamalielis parens, Pauli Apostoli præceptor, non fuit Simeon ille Christum ulnis complexus. 264. Primus fuit qui apud Judæos Rabban vocatus fuit. 265. Quinam ei in Synedrii principatu suffectus fuerit. *ibid.*
Simon fratri Jonathani in Dynastia & Sacerdotio Judæorum successor, bello & pace felicissimus, generi sui Ptolemæi perfidia periit. 396. Quem reliquerit successorem. *ibid.*
Sin Judæis idem est qui *Sais.* 194.
So idem qui *Serbo.* 192. Ejus contra Assyrios opem imploravit Hosea Rex Israelitarum. *ibid.* Non est Bocchoris. 194.
Soan, est Tanis. 194.
Sol vox a quonam Ebræo vocabulo derivata. 49.
Sopherim apud Hebræos quinam. 37.

Digitized by Google

Σπαρτοὶ Sparti a σπείρω, *semino*, ex occisi Draconis dentibus orti. 212. Confundendi cum *Spartiatis* non sunt. 213. E terra cum prodirent, lanceati erant, 210. signum namque lanceæ in corpore habuerunt notam quandam genitivam. 213, 216, & *seqq.* Vocantur & Terrigenæ: 213. Numerus horum Terrigenarum incertus est. *ibid.* & 214. A Cadmo occiduntur, superstitibus quinque. *ibid.*

Spectacula omnia ab Imperatore Justiniano, ad voluptatem populi agi consueta, ad quot classes revocata. 570.

Spiritus Sancti missio die Dominico facta, nec non ipso Pentecostali festo, ubi Lud. Capelli opinio refellitur, item Langii de solennitate Karæorum. 323, & *seqq.*

Spiritus maris, aquæ molem subjectam agitans, nunc sufflans, nunc reflans. 690, 691, & *seqq.*

Opinio de *Spiritu maris*, vel *mundi*, aquam agitante, nec adeo ridicula & deformis, aut erronea est; 692, 693. neque priscis unquam novisque procis & patronis destituta. 694. Vel si in ista superstitionis caligine error admixtus, erat ille B. Augustini quoque, (Veniliam & Salaciam quam optime depingentis & distinguentis) suffragio tolerabilior: 694, 695. cum non sit adeo error profanus, sed ἀπόῤῥητα quædam sacra sub persona & in recessu habeat. 695, 696.

Spiritus ab aliis *Angelus*, terræ motor dicitur, qui globum terræ attollat supra centrum aliquot cubitus, totamque infra deprimat. 732, 733, & *seqq.*

In *Spiritibus* præcipue, tam insititiis, quam adventitiis, causam motus tam in mari, quam extra mare, quærendam esse, pluribus probatur. 739, 739, & *seqq.*

Hic *Spiritus*, mare commovens, & veluti igne excoquens, seu Physicus seu Metaphysicus, per *Leviathanem*, (*Jobi.* cap. XLI.) expositus. 730, 740.

Stametus Cretensis Venetorum thesaurum spoliare ausus, & abstulisset etiam, si lingua fuisset continenti. 623, 624.

Succoth vel *Siccoth Benoth*, fanum Babyloniæ Mylittæ, sive Veneris Uraniæ, circa quod puellæ corollis revinctæ sedentes, singulis in spatiis, hospites operiebantur, qui, rite implorata Venere Mylittia, pecuniaque quantulacunque data, cum eis a fano subductis, rem haberent. 606, 607. Lege patria omnibus feminis erat commune, ut semel in vita ita desidemes, cum advenis consuetudinem haberent. *ibid.* & *seqq.*

Suida de ludo Majumæ testimonium; & an jure ejus scriptoris fides quibusdam suspecta, discutitur, absque iis dissentitur. 548, 549.

Συδὸκ quid. 21.

Sylvester II. Pontif. Maximus quare pro Mago habitus. 37, & *seq.*

Syncelli (Georgii) duo. 185.

Synedrium Judaicum, an ex solis proprie sic dictis Judæis, sive viris ex tribu Judæ oriundis constiterit; an vero saltem Præses Synedrii ex Juda fuerit? 399.

Synedrium priscis temporibus quibus constiterit membris. 403.

Ex quibus hominibus electi fuerint ejus Senatores? *ibid.* item Præses. *ibid.*

Synedrium hoc non ex sola tribu Judæ fuisse, probatur. 404. Forma autem reipublicæ conversa in regnum, quis Præses fuerit. *ibid.* & quis post captivitatem soluram. *ibid.*

Synedrii qualis qualis forma in ipsa Babylonica captivitate penes principes paternarum familiarum. 436.

Synodus Cæsarienſis provinciale tantum Concilium fuit, e paucis Palæstinæ & vicinarum regionum Episcopis constans: 299. Nihil certi de hac Synodo constat. Et illius decreta quam fidem habeant. *ibid.* & 300. An ejus Synodi sententia fuerit, quod Christus quarto post passionem suam die resurrexerit. *ibid.*

Syn-

Digitized by Google

Synonymorum in lingua Latina usus, & copia verborum. 465.
Syri toti in quæstu occupati. 11. Proverbium, *Phœnices adversus Syros*, explicatum. *ibid.*
Syria unde dicta. 142.
Syriaca lingua similior Ebrææ est, quam Arabica. 30, & *seqq.*
Lingua Etrusca Sabinaque e Syriaca nata. 12.
Syriaca lingua utentes Etrusci, characteribus Syris omissis, Græcorum literas, sed inversas, usurpavere. 57. Literæ Syriacæ ex Ebræis elementis formatæ. 57, 58.
Syrissa Copa quæ. 595.

T.

Talmudici interpretes, *Ammuddaim* dicti, apud Judæos, qua occasione orti. 85.
Tammus Deus. 109.
Tarraconenses quomodo olim dicti. 135. Hujus regionis antiqui & moderni termini. *ibid.* & *seqq.*
Taunasis Deus. 100.
Templum. Veterum ærariа pleraque in templis; 623. quo & privatorum pecuniæ congestæ; 624. quæque in controversiam veniebant ibidem depositа. *ibid.* In quædam templa aurum inferre oraturo nefas; 625. uti nec ferrum. *ibid.*
Tertullianus quo ævo floruerit. 354.
Teus sive *Tuisto* Deus. 100.
Thannaim auctores Misnæ. 250.
Theba vox unde orta, quid significet. 13. Urbs qua occasione, & quo auctore condita. 214. Thebani a Cadmo, & Spartis, illius sociis varias nacti sunt appellationes. *ibid.* & 215.
Theophilus Antiochenus quando floruerit. 353.
Theophilus (Cæsariensis) qua ætate vixerit, & qua polleat hic Pater auctoritate. 299. Ejus opinio, qua statuisse creditur, Christum quarta post passionem suam die resurrexisse, expenditur. 300. & *seqq.*
Thesaurus. Nunquid ex usu sit, thesaurum publicum habere, disquiritur: 655. & adductis aliquorum, quibus secus videtur, exemplis aut rationibus, pro affirmantibus pronunciatur; *ibid.* & 656. sed tamen ut in indicendis tributis constituendisque vectigalibus, & si quæ alia huc spectant, modus adhibeatur. 656.
Thorus. vide *Deus.*
Tiberina decursio quid. 556.
Tirakus apud Esaiam quis. 195.
Trebellius Pollio Historicus, deque hoc Auctore Dempsteri judicium. 488.
Tribui Judæ quando, quave de causa sceptrum, de quo *Genes.* XLIX, 10. ablatum. 393. Quis ultimus hujus Tribus Rex. *ibid.* Et in quam Tribum Sceptrum hoc transierit. *ibid.* Quæ Tribus Israeliticæ ad Regnum Judæ speciale pertinuerint, hujusque Regni origo. 410, 411. Jacobum non de Tribu, sed Regno Judæ vaticinatum esse Patres nonnulli docuerunt, fallentes in eo quod ablationem sceptri in ultima demum Reipublicæ Judaicæ destructione factam existiment. 412, & *seqq.*
Tribuni ærarii. 675.
Tributi impositio quamvis subditis exosa, necessaria tamen reipublicæ. 666.
Troporum in Latina lingua usus. 467.
Tubal conditor Celtiberorum. 111. Primarium postea numen fuit eorundem. *ibid.*
Tuisi populi quæles. 134.
Turdetani, quales populi, a quibus orti, & quam linguam locuti fuerint. 25. & *seqq.* Commendantur a sapientia literarumque studiis. 106.
Turris Babylonica. 176, 177.
Tusci a quibus populis orti. 12.
Tyrii Metæci in Africa condidere Uticam Carthagine priorem. 15. Factum id tempore famis quæ Achabo Rege Palæsti-

Digitized by Google

nam adflixit. *ibid.*
Tyrii Gaditanos & Bæticos rogant suppetias contra Alexandrum Magnum. 18.
Tyrii & Pœni ὁμοεθνεῖς: hi Tyrum decimas mittunt nave ἱεραγωγῷ, quæ navis inde dicta Herculis navis est. 19.
Tyrii Magnetis, sive Lapidis Herculei, inventores. 10. Eorum studia, inventa, & potentia. 13, 14, 45. Sunt cum Pœnis, ratione originis suæ, conjuncti. 19. Ducibus suis nomina dant Numinum Phœniciorum. 28.

V.

ו particula, de qua quæstio *Genes.* XLIX, 10. interdum explicativa est, tam Hebræis quam Græcis & Latinis. 387. & *seqq.*
Vectigal. ratio nominis. 631.
Portorium quid. *ibid.*
Decimæ. *ibid.* & 632,
Scriptura. 632.
Urinarium vectigal a quo institutum. 631.
Ex capturis prostitutarum exegit Caligula, quantum quæque uno concubitu mereret. 631.
Salinarium a quo institutum. 632.
Vectigalia publica coloniarum. 641, & *seqq.*
Vigesima hereditatum. 645, & *seqq.*
Libertorum. *ibid.*
Vectigal quintæ & vicesimæ mancipiorum. 646.
De ea ambigitur, an non quinquagesima: 646. cujus aliud quoddam genus itemque vigesimæ quintæ refertur. *ibid.*
Centesima rerum venalium. 646. Ea a Tiberio in ducentesimam mutata; 647. sed a Cajo abolita. *ibid.*
Vectigal macelli. 652.
Quadragesima pro litibus. 652.
Octava ex gerulorum diurno quæstu. 652.
Vectigal meretricium. 653.
Alia Octavæ mentio. 653.
Captura. *ibid.*
Vectigal meretricium a Pontifice Romano exactum. *ibid.* Athenis quoque simile quid, & cum alia cum Cajo intermortua essent, hoc diu mansit. 654.
Matrimonia qua ratione publicis vectigalibus obnoxia, disquiritur. 653.
A Vespasiano propter summam ærarii fiscique inopiam Vectigal urinæ exactum. 654.
Vectigal frumenti. 662.
Braccariorum. 662.
Linteonum. 663.
Vitri. *ibid.*
Chartæ. *ibid.*
Lini. *ibid.*
Venetorum thesaurus a quodam Scamato ablatum fuisset, si homo lingua fuisset continenti. 623, 624.
Venilia, a veniendo dicta, altera Venus vel Thetys. 689.
Dicta etiam a vento. *ibid.*
Venilia & Salacia est unda maris ab anima mundi, illud permeante, ceu forma sua æstuans, & nunc ad littus veniens, nunc iterum senis plerumque horis in salum revertens. 694, 695, 696.
Dividitur fervoris illius utriusque Veniliæ & Salaciæ junctim sumptæ regurgitatio in Malinas & Lidunas, & eas quidem, (præmissa tam harum, quam illarum origine propria & acceptione genuina, a corruptelisque vindicata) non tam in menstruas aut annuas, 699, 700, 701. sed vel in majores & minores, 702, 703. vel etiam in quotidianas, hebdomadarias & quatuor anni temporum, hoc est, in Malinas magnas, majores, maximas, 703, 704. & Lidunas parvas, minores, minimas, 704. 705, 706, & *seqq.*
Venus vox non Latina est, & unde descendat. 35, 36.
Venus quali in urbe Majuma cultu atque honore fuerit culta? 547.

Mos

Mos Cypriarum virginum, ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſiturarum, ut pro pudicitia libamenta Veneri ſolverent. 606.
Phœniſſæ mulieres ante Venerem proſtitutæ dedicantes numinibus ſuum quæſtum perſuaſæ meretricatu numina propitiari. 606. & *ſeqq.*
Verborum in LL. exemptæ actionis rarus uſus. 470, & *ſeqq.*
Verborum quorundam Poetis relictorum inuſus. 476.
Verborum, vocumque barbararum in LL. introductio. 478.
Verborum, vocumque rarior apud ſcriptores uſus, hinc earum deſuetudo dum imitatores præſcripta ſecuti ſunt. 481.
Verborum compoſitorum vice radicum uſurpatio. 487.
Veſtiarii majoris procurator quis. 662.
Veterum Auctorum faſtidium, & mutandi linguam Lat. prurigo. 479.
Veterum Grammaticorum indiligentia in excerpendo & annotando. 500.
Victor Maſſilienſis quomodo tractatus a Gagnejo. 493.
Uticenſis a Franciſco Balduino. *ibid.*
Vinea, de qua *Geneſ.* XLIX, 11. Eccleſiam, & *Vitis generoſa* Chriſtum deſignat. 421.
Vino lavit ſtolam Meſſias in paſſione. 422.
Vinum ira Dei. *ibid.* & *ſeqq.*
Vino pulchriores ſunt (Meſſiæ) *oculi* (Geneſ. XLIX, 11.) quomodo hunc locum LXX. Interpretes verterint, quomodo item alii. 423. Vini color, h. e. niger, ubi Gloſſa vetus emendatur. 424.
Vir. Nomen Viri ſimpliciter poſitum, fortiſſimum Virum ſignificat, tam apud Hebræos, quam Græcos Latinoſque Scriptores: 399. Hinc Judas, in *lib. Maccab. vſ.* 36. *Vir* vocatus, ad ejus laudem pertinuiſſe, monſtratur, non vituperium. 400.
Vitis ſceptrum caſtrenſe. 384. *Ligare ad vineam pullum & ad Vitem aſinam*, quid ſit? 420.
Unctio Chriſti quo die, & ubi, facta ſit. 334, & *ſeqq.* Locus Unctionis non fuit domus Lazari, ſed Simonis Leproſi. 337.
Utica urbs a quibus populis, & quando, condita. 15.
Vulcanus primus ignis & artium, quæ per ignem exercentur, inventor, ſub igne a Gentilibus cultus. 110.
Uxor nubenda etiam apud Hebræos in poteſtatem & nomen tranſibat mariti. 401. & *ſeqq.*

Z.

Zacharia Prophetæ locus cap. VI, *vſ.* 11, 12. exponitur, myſticumque ſenſum Meſſiam, literalem vero ad Joſuam Pontificem pertinere monſtratur. 393.
Zenobia Palmyrenorum Reginæ pulchritudinis deſcriptio. 424, 426.
Ziſera vox unde deſcendat. 37.
Zoroaſter Magiæ in Perſide auctor. 260.
Zorobabel Judæis ex captivitate Babylonica reverſis, non præfuit, (ubi Alſtedii Chronologia refutatur,) ſed Dux fuit populi Dei in Babylonia. 304. Idem fuit Babyloniæ Regis legatus, qui non gubernandæ Reipublicæ Judaicæ, ſed ordinandæ, præcipue vero ædificandi Templi gratia illiſcum miſſus fuit. 304. An idem & Darii Perſarum Regis cubicularius fuerit. *ibid.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

826





Digitized by Google

Digitized by Google